UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

N IIII.
33 Th. 4965.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex munificâ liberalitate Rev^mi ac Cel^mi Principis ac Domini, D. FERDI-
NANDI Episcopi Paderbornensis, Coadjutoris et Successoris Monasteriensis
S.R.I. Principis ac Comitis Pyrmontani &c. Dni nostri Clementissimi. ao 1671

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

PARS TERTIA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIÆ
CONCILII
TRIDENTINI
PARS TERTIA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VERA CONCILII TRIDENTINI HISTORIA,

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem, scripta & asserta à P. SFORTIA PALLAVICINO, Societatis IESV, posteà S. R. E. Cardinale Presbytero.

Primùm Italico idiomate in lucem edita; deinde ab ipso Auctore aucta & recensita; ac Latinè reddita à P. IOANNE BAPTISTA GIATTINO, *Panormitano, eiusdem Societatis* IESV *Sacerdote.*


PARS TERTIA.

Societatis Jesv Paderborn 1671



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

NOVA contentio de mansione. Archiepiscopus Lancianensis ad Pontificem missus à Legatis, eiusque mandata. Grauissimarum petitionum volumen missum à Cæsare ad suos Oratores, Concilio deferendum; & executio retardata, ipso demum Legati operâ consentiente. Studia à Vicecomite Tridenti impensa, & nuntij ab eo Romam scripti de rerum statu. Mantuanus à Pontifice postulat abeundi veniam. Repulsa. Iterata postulatio. Officia Cæsaris ne is discedat. Illi à Pontifice satisfit. Bauarus Orator exceptus. Mutuæ contestationes de prærogatiua inter ipsum & Venetum. Quæ idem petierit à Concilio. Difficultas ac dilatio de articulis supra Calicis concessione. Dissensiones Patrum de dogmatibus quæ minores Theologi comprobarant. Reditus Lancianensis, & sensus Pontificis ab eo relati. Pontificis litteræ, quibus responsum redditur iis Episcopis, qui communi epistolâ purgauerant Romæ criminationes sibi illatas. Mandata Vicecomiti tradita; eiusque studia ad conciliandos inter se Mantuanum & Simonettam. Correctiones morum agitatæ, ac statutæ. Suauis animaduersiones super his perpensæ. Decreta & Canones Fidei stabilita, ac variæ Patrum disputationes de vtroque argumento. Nouæ rationes bis obiectæ à Sal-

merone & à Torres, pridie futuræ Sessionis. Sententiarum in eadem Sessione varietas, & exitus. Quæ Suauis considerat de illius Decretis, expensa. Mantuanus & Simonetta reconciliati. Philippi Regis litteræ, quibus à postulato vt Continuatio declaretur desistit, & Hispanos Præsules dehortatur, ne caput de mansione vrgeant. Documenta Legatis à Pontifice super eo data. Articuli minoribus Theologis propositi de Missæ sacrificio. Opera à Lansaco adhibita, vt Theologi & Episcopi è Gallia mitterentur. Litteræ Reginæ, quibus eos affirmat aduenturos; & prolationem petit, sed non obtinet. Profectio in Galliam Fabri Oratoris, eiusque litteræ ad Reginam. Præferuida Cæsaris postulata, vt Calix concederetur. Difficultates obiectæ, & temperamenta ad res superandas excogitata.

CAPVT PRIMVM.

Generalis cœtus die sexto Iunij, in quo quinque articuli de vsu Eucharistiæ proponuntur. Noua contentio hîc excitata de mansione, & promissio à Mantuano facta ad eam sedandam. Archiepiscopus Lancianensis missus ad Pontificem à Legatis. Petitionum volumen, quod à Cæsare eius Oratores accipiunt, exhibendum Concilio. Huiusce rei executio per Præsides impedita.

1562. [a] 6. Iunij 1562. in Actis Paleotti, & Arcis Romanæ, & in epistola Iadrensis, 8. Iunij.

LEGATI, quod anteà Hispanis spoponderant impleturi, biduo post Sessionem [a] ad generalem cœtum Patres aduocarunt, proposueruntque perpendendos à minoribus Theologis eosdem ipsos articulos, qui in promptu fuerant vt expenderentur in Concilio Iulij, cùm repentè solutum est. Hi erant quinque, ad vsum Eucharistiæ spectantes. 1

An ex Diuino præscripto quilibet Christianus teneretur vtramque speciem sumere in Eucharistiæ Sacramento.

An rationes, quibus Ecclesia Catholica adducta est ad Eucharistiam præbendam laicis, & etiam Sacerdotibus non celebrantibus sub sola panis specie, adeò retinendæ essent, vt nullo pacto vsus Calicis vlli esset permittendus.

Si,

Si, vbi ex honestis causis, & charitati Christianæ consonantibus, æquum videretur concedere vsum Calicis alicui nationi seu regno, habendum id esset sub quibusdam conditionibus, & sub quibus. 1562.

An accipiat aliquid minus qui vtitur hoc Sacramento sub vna tantùm specie, quàm qui sub vtraque.

An necessarium sit lege Diuinâ, hoc altissimum Sacramentum porrigere pueris, antequam ad vsum rationis perueniant.

Dicerent Theologi, quid firmitate Fidei credendum, quid tamquam hæresis reiiciendum esset.

2 His propositis assensi sunt ij, qui ante Granatensem verba fecere. Sed hic cœpit dicere: Primum articulum in Synodo Constantiensi iam fuisse definitum, adeoque nouâ trutinâ non indigere, sed solùm nouâ confirmatione: reliquosque pariter adeò manifestò patere, vt diurno labore opus non esset. Satius igitur sibi videri, vt illis adiiceretur in eadem Sessione Sacramentum Ordinis, atque vt ita de mansione ageretur: mirum sibi esse, quòd illam ad legem Ecclesiasticam quidam redigerent: rationes, quæ ad id adducebantur, eo confessu indignas videri; ac proinde ab illis ipsis magis se confirmari in contraria sententia, validissima atque sanctissima, pro qua mori ipse minimè dubitasset: se non posse illius argumenti memoriam non sæpiùs reuocare, ob ingentia commoda quæ in eo animaduertebat; atque impatienter optare, vt res à Synodo definiretur, quò inciperent palàm conspici fructus, quos ab eo sacrosancto conuentu Christiana Respublica sibi pollicebatur.

3 Postremis hisce verbis vehementer commotus est Castanea Archiepiscopus Rossanensis, qui ex opposito arbitrabatur, nullam disputationem maiori futuram incommodo quàm ea, pro temporum conditione. Quare vbi loquendum ipsi fuit, acriter de quibusdam conqueſtus est, qui & quæ de nouo proponebantur tamquam leuia despiciebant, cùm tamen reuerà essent eiusmodi, vt illi disputantium numero tempus deforet, & in singulis cœtibus studebant importunam illam controuersiam excitare, interrupto aliarum rerum processu maioris emolumenti: nec temperare sibi potuit, quò minùs id expromeret formulis acerbioribus, quàm opus fuisset consuetæ modestiæ suæ, & opportunitati illius negotij. Quapropter, vbi per prudentem dissimulationem ictu declinato telum in irritum cecidisset, per intempestiuum iracundiæ sensum eo repercusso effecit, vt ab eo vulnus infligeretur. Etenim inflammati à mordaci Castaneæ sermone ij qui cum Granatensi in sententia mansionis

1562. concordes erant, ac præsertim Beccarellus Archiepiscopus Ragusinus, Bartholomæus de Martyribus Bracarensis, Callinus Iadrensis, acerbis formulis confutarunt id quod rebantur cedere in reprehensionem offensionemque communem. Idcircò, prout mos est conuentibus qui ex pluribus conflantur, vbi plerique in dicenda sententia non tam memoriâ retinent quod initio propositum est, quàm quod postremo loco depromptum, destitutum penè fuit prius argumentum, excitatumque vniuersale ac feruidum certamen de eo quod Granatensis fortuitò dixerat.

Eâ re commotus Mantuanus, præuidensque naufragia, quæ ac- 4
cidere poterant ex improuisa illa fluctuum agitatione, si ea in procellam ruere sineretur, blandâ simul & ad maiestatem compositâ ratione interceſſit: Mirum sibi esse, quòd in argumentum tam alienum vellent eam disputationem inserere: se suosque collegas polliceri, ea de re suo loco nauiter actum iri, cùm ad Sacramentum Ordinis deuentum esset: fidem ab illis habendam Cardinalibus, & eiusmodi conditionis, & Sedis Apostolicæ Legatis. Hoc pacto Gonzaga Patres ad rem reduxit, quamquam non omnino. Etenim Sanfelicius & Caselius laudarunt quòd Legati frangerent crebriùs quorumdam audaciam, qui volebant in Episcoporum subselliis agere Præsides, perinde quasi plures quàm quinque Synodo præsiderent; Serigus verò Castellanetensis Antistes, qui eo die, vice Massarelli ægrotantis, Concilio à secretis erat, palàm improbauit eam primi Legati promissionem, ceu futuram plurimarum offensionum causam. Contrà verò Segouiensis Episcopus, Reatinus, & alij postulata iterarunt, vt declaratio de mansione quam primùm conficeretur; simulque confutarunt castigationes habitas à Patribus modò nominatis in eos qui facultatem ac libertatem singulis in Concilio debitam vsurpauerant. Et sanè Mantuanus eo consilio, quo sibi persuaserat excitas ibi turbas sedatum iri, paulò pòst alias in seipsum tum Tridenti tum Romæ concitauit; perinde ac si nimium sibi arrogasset, dum communi Legatorum nomine pollicebatur id quod nondum inter eos conuenerat, obstringeretque & ipsos & Pontificem ad rem expendendam, quam potiùs omitti optabant. Verùm plurimæ litteræ à se & à collegis simul ad Borromæum scriptæ, in quibus exponebant commune propositum reiiciendi illius examinis ad Ordinis Sacramentum, & responsiones redditæ, vbi Pontifex id consilij haud respuebat, sed alterutrum committebat, vt nimirum aut rem sopiendam, aut protrahendam curarent, satis Mantuano persuadere potuerunt, tacitum

haberi

haberi consensum de huiusmodi promisso; præterquam quod iniquum est, in repentino discrimine eam in hominibus consilij præstantiam postulare, quam præmeditatio ac tempus suppeditarent: quemadmodum plane iniquum fuisset exigi in Virgilio ex tempore præstantissima carmina, quæ in Æneide elaborauit. 1562.

5 Patribus igitur in memorato cœtu ad rem regressis, eorum aliqui cum Guerrero sentiebant, primum ex quinque articulis esse omittendum, quippe Constantiæ iam decisum. Sed Episcopus Quinque Ecclesiarum dixit, multa post eam decisionem exagitata fuisse à recentioribus hæreticis, quæ illi obiectabantur, & opus esse, vt in illorum abiectione huius firmitas ostenderetur. De quo Galli pariter conuenere, affirmantes, id plurimum profuturum ad multos in Fide confirmandos: sed inde potissimùm res promota, quòd cognouerit Synodus, eos ipsos articulos fuisse missos ad Concilium Iulij à Carolo V. quò Germaniæ satisfieret, & tunc Patres consensisse, illorum examen amplexatos.

6 Postridie huius conuentus Cæsariani detulerunt ad Præsides volumen quoddam [b], à Ferdinando ad se missum [c], vt Synodo traderent: in quo reipsa Cæsar obstabat, ne Continuatio declararetur: querebatur de agendi ratione à Legatis adhibita: efflagitabat quamplurimas, easque grauissimas emendationes tum in Capite tum in membris Ecclesiæ; & vt paucis dicam, liber ille complectebatur magna ex parte sensus iniectos inexperto Religionis studio quorumdam proborum, ab eorum arte, qui omnem impendebant operam ad eleuandam Synodi ac Præsidum dignitatem, splendoremque Pontificatus minuendum. Legati vehementer eo sunt commoti; cumque Archiepiscopo Pragensi ostendissent, quantâ tum Concilij tum Cæsaris indignitate volumen illud conuentui traderetur, eos cohortati sunt, vt tantisper suspenderent, dum ipsi per officia Nuntij Ferdinandum ab eo consilio dimouerent. Quin præterea Muglizius, eâ opportunitate quâ breui per dispositos equos iturus erat ad suam Pragensem Ecclesiam, vt Regem Bohemiæ coronaret, suscepit in se munus id Cæsari suadendi.

[b] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 8. & 10. Iunij, & narratio Musotti.
[c] 20. Maij 1562.

7 Verùm cum in comperto esset, per media temperamenta neutri partium satisfieri eo ipso tempore, quo Cæsar querebatur de Legatis, quippe ad declarandam Continuationem paratis; necessarium ipsi duxerunt, vt apud Philippum Regem illius declarationis moram excusarent, & litteras super ea re communi nomine ad eum scripserunt. Operæpretium pariter existimarunt, ad Pontificem legare cordatum hominem, negotiorum expertum, & de rebus

1562. probè doctum, qui videndum eius auribus exponeret, longè melius quàm litteræ oculis subiecissent, rerum præsentium statum, & futurarum apparatum: atque ad id selectus est Leonardus Marinus Dominicanus, Archiepiscopus Lanciani, nobilis Genuensis.

Hoc pacto qui summis in rebus ad commune bonum laborat, non modò communem plausum sibi polliceri non potest, sed opus habet se quasi vndique reum purgare.

CAPVT II.

Documenta à Legatis tradita Archiepiscopo Lancianensi de Synodi processu, ac de decisione articuli super mansione.

QVamquam fuisset vniuersè iniunctum Archiepiscopo, vt coràm edoceret Pontificem de cunctis rerum conditionibus; summa tamen documentorum, quæ tradita ipsi sunt, [a] in duobus vertebatur: quæ duo, quasi poli in illius sphæræ motu, ab Altempsio proponenda Pio dicebantur, si pro suscepto priùs consilio iturus ille fuisset ad Pontificem, vt ipsorum contumaciam excusaret. Alterum erat solutio, seu translatio Concilij; alterum, declaratio de mansione. 1

[a] 8. Iunij 1562.

De priori; Rumorem hîc increbuisse, quem alebant ex parte quidem litteræ Româ scriptæ, nonnisi de hac Synodi dissolutione à Pontifice cogitari, ad imponendum intolerabili dispendio finem; ex parte verò crebri sermones, qui Tridenti habebantur, quò Synodus aut in præsentia terminaretur, aut aliò transferretur. Id Patrum compluribus necessarium videri, causantibus nonnullis, oportere Episcopos remitti ad ipsorum greges, quibus contagionis periculum imminebat sine Pastorum custodia; nonnullis, aliam stationem esse eligendam, cùm ibi ampliùs consistere non liceret tum ob annonæ caritatem, quæ accessione exterorum intolerabilis euasisset, tum ob hospitiorum penuriam, quippe non angusta solùm erant, sed cuncta iam occupata, vt amplius non superesset locus iis qui accessuri erant; tum etiam ob discrimen, quòd Patribus impendebat ex propinqua hæreticorum furentium potentia, qui nouis proscriptionibus irritati, ad arma conspirassent: adeoque iam multi Præsules consilium agitabant vnà inter se conueniendi, & communi nomine id postulandi. 2

Iam verò Pontificem super eo Præsides admonebant, cùm Synodus duplici de causa coaluisset, vt Ecclesiam hæresi purgaret, eamque vt in moribus reformaret; non posse Pontificem ab incepto desi- 3

desistere antequam vtrumque complesset, nisi ob causas quæ ipsum cogerent, quales forent aut bellum, aut pestis, aut notabilis ciborum caritas; aliter timendum esse, ne nationes, quæ tam auidè illam petierant, coactamque tam frequentem aspiciebant, vbi posteà tenuis obtentu causæ interruptam cernerent, aut sibi prospicerent per proprias nationum Synodos, aut illam prosequi sine Pontificiis Legatis auderent, vt Basilææ accidit, cum graui discrimine ingentis in Ecclesiam cladis. Non posse id contingere, nisi tantumdem ignominiæ in ipsum redundaret, quantum gloriæ ob religionis studium, animique virtutem in ea cogenda eidem accesserat. Ne grauaretur animo recolere, quàm valido incitamento forent in eo casu perduelles in Apostolicam Sedem prouinciis ipsi hactenus obsequentibus, vt illæ ad schisma prolaberentur, si fortè (gnari, quàm illæ vehementer cuperent hoc pharmacum, quo aut purgarentur, aut illæsi seruarentur,) possent per aliquam veritatis speciem affirmare, Petri successorem nihil de ipsorum salute laborare, quando in eius æstimatione plus habuisset ponderis tenuis ærarij sui sumptus, aut tenue suorum tribunalium incommodum, quàm illorum exitium. Sibi persuadere Legatos, ea Româ scribi ex Aulicorum sermonibus, non ex Pontificis voluntate. Eos Episcopos Synodi, qui solutionem illius cupiebant, vt ad suas Diœceses remigrarent, studio religionis impelli, sed non secundùm scientiam, vt Apostolus loquitur; quoniam maiorem de propriis Ecclesiis, quàm de vniuersali rationem habebant: verùm inexcusabiles eos esse, qui iacturam animarum in vniuersa Christiana Republica corporum suorum incommodis posthabebant. Extra hos aduersos casus iam adductos nullum superesse locum ad Concilium dimittendum, nisi duobus modis. Priorem esse, Vbi inter Philippum Regem & Cęsarem conuenire non posset de Continuatione; nam eâ declaratâ, adeoque abeuntibus Germanis ac simul Gallis, æqua supeteret ratio, ne prosequerentur Oecumenicam Synodum cum solis duabus nationibus, Italica & Hispanica. Licere proinde, id si accideret, eam suspendere, exhibitâ à Pontifice per se Cæsari eâ quam posset æquâ gratificatione, nec minùs eo concesso Gallis aut penitus, aut magna ex parte, quod ipsi suis in conuentibus postulandum decreuerant. Alterum modum tollendi statim Concilij, sed honestum ac fructuosum, videri, si Octobri proximè futuro, quo tempore Cæsarea Comitia erant habenda, perfecta iam esset vniuersalis Ecclesiæ emendatio, ac dogmatum decisio, quæ sub Iulio fuerant intermissa; simulque si Cæsar efficeret, vt Protestantes 1562.

tes

1562. tes Concilium adirent. Etenim quemadmodum, vbi voluissent hi Concilio acquiescere, audiendi erant; ita e contrario, vbi iudices neutri partium suspectos postulassent, aliasque indecoras conditiones, iuxtà ac aliàs petiere, licuisset eos dimittere, simulque dimittere Concilium; quippe quod ad eam vsque diem apertum extabat, vt illi reuocarentur ad frugem, & fructum abunde protulerat, à Catholicis decerpendum.

Gradum posteà faciebant ad articulum de mansione, quem Pontifex illis iniunxerat vt sopiendum curarent. Huiusce rei causa erat (quemadmodum seorsim ac fidenter scripsit Borromæus ad Simonettam Legatum [b]) non quidem, quòd ex definitione, ius in ea Diuinum affirmante, viderentur ea incommoda, quæ nonnulli arguebant, in Pontificem dimanare; sed quòd, præter inflammatam Theologorum Patrumque contentionem (quâcum neque decorum neque conducibile censebatur Decretum edi, cùm rumor, tametsi falsus, Aulas Europæ vniuersæ peruasisset, eam decisionem in exitium Sedis Apostolicæ tendere) fieri non poterat, vt absque aliquo illius probro apud vulgus ea sanciretur in conspectu Pontificis à suis Legatis. Cùm igitur is cuperet quæstionem sopiri, simul ab illis quæsierat, num ipsis probaretur, vt Diplomate Pontificio mansio præciperetur, multis adiectis priuilegiis eius obseruantiæ, grauibusque pœnis eiusdem violationi. Porrò de illa sopienda dicebant: Si liberum id ipsis foret, se libenter perfecturos; cùm animaduerterent in eo Patrum dissidia, & incommoda Romæ perpensa tum in definitione, tum in certamine: verùm id difficulter peragi posse sine Concilij clade, & sine dedecore Pontificis, Legatorum, & Aulæ Romanæ, quæ insimularetur, quasi eam decisionem recusaret, quòd suam ipsius emendationem recusaret. Satius sibi videri, si articulus alterâ ex duabus formis definiretur. Prima erat, Vt à Theologis priùs agitaretur, dein à Patribus, posteà verò pro maioris partis sententiâ res sanciretur. Altera, Vt in verbis Decreti potiùs assumeretur pro certo, quàm definiretur, pro eo quod sentiebant complures, non fuisse id hactenus à Conciliis definitum, quòd ab ipsis iam pro certo positum fuerat; atque vt subinde huiusmodi Decreto adiicerentur & præmia & pœnæ, quibus eius obseruatio firmaretur, & vt in alterutra forma suprema Pontificis auctoritas in eodem gradu tamquam Ecclesiæ Capitis collocaretur: atque eâ ratione occursum iri cunctis prauis consecutionibus, quæ ex eo recèns firmato dogmate confici possent. Consilium diplomatis haud sibi probari, verentibus ne illud acciperetur quasi techna defini-

4

[b] 13. Maij 1562.

definitionis obturbandæ, quæ adeò expetebatur & à plurimis Præ- 1562.
sulum, & à cunctis ferè nationibus, & à multis Principibus; vt timendum esset, ne diplomati excipiendo reluctarentur. Quare in eo casu aut Pontifex tam multorum voto indulsisset, & indulgentia visa fuisset potiùs extorta, quàm sponte profecta; aut obedientiam constanter exegisset, & Pontificalis auctoritas iis contentionibus obiecta fuisset, quæ Basilææ contigerunt. Consultius esse, si decisio ante proximum Octobrem in Synodo haberetur, vt tunc perfectâ simul morum emendatione, liceret Episcopis alacri iam animo suas ad Ecclesias reuerti, vbi Synodum absolui contigisset.

5 Hæc fuerunt documenta Archiepiscopo data, sed per formam aliquantulùm confusam: & quamuis illa Legatorum omnium nomen in fronte gererent, quantum ipse comperio, longè alia ea fuerunt à sensibus Simonettæ, cui necesse erat in scriptis communibus cum plerisque consentire; sed in litteris seorsim scriptis suam sententiam promebat, atque hæc interdum prævalebat.

Legi, fuisse præterea ab Altempsio [c] impositum Archiepiscopo, vt Pontificem certum redderet, pro ea quam Pius tribuebat ei fidem, tot cum ipso sanguinis ac beneficiorum vinculis coniuncto, cunctos Legatos Pontificis commodis studiosissimè deseruire; eosque pariter Episcopos, qui mansionem Diuini iuris esse censuerant, ex animo ipsius obsequio studere, multoque impensius in rem Apostolicæ Sedis nauare operam, quàm qui aduersus illos adeò vociferabantur. Quæ officia Mantuano ac Seripando patefacta, in illorum animis eos beneuolentiæ ac voluptatis sensus excitarunt, quos ciere solet in ingenuis animis sponte tributum firmæ auctoritatis testimonium in arduo honoris litigio. Cùm Princeps nequit insontem absoluere, quin simul damnet intempestiuam damnationem à suo iudicio habitam, mera testificatio veri, beneficium est adeò supra consuetudinem, vt sæpè reus insons illud sibi petere nequaquam audeat.

[c] Litteræ Iadrensis, 21. Iunij 1562.

1562.

CAPVT III.

Officia Vicecomitis Tridenti cum singulis Legatis. Rerum status, quem hîc nanciscitur. Auditæ ab eodem obtrectationes in Aulam. Ea quæ Pontifex de Sessione celebrata Legatis significarit. Abeundi venia à Mantuano petita Repulsa. Iterata eiusdem petitio. Tres conditiones quæsitæ, vt illic persistat.

[a] Litteræ Vicecomitis ad Borromęum, 18. Iunij 1562.

PEr eos dies Vicecomes Tridentum [a] peruenit. Et sine mora, 1
præter ea quæ detulit ad Altempsium, nihil ad hanc rem spectantia, & quæ, sublato fundamento transitus militaris, in irritum recidêre, mitia mandata sibi tradita peregit cum Legatis Osio ac Simonetta. Hic hominem dehortatus est, ne tunc exerceret austera cum Mantuano ac Seripando, ratus, haud parato eos animo esse ad ea cum operæ pretio excipienda. Sed rem largiùs communicauit Vicecomes cum Scarampo Antistite Nolano, qui Aiqui in Monteferrato natus, Mantuano Cardinali intimus erat, eiusque familiæ subditus. Huic itaque cùm exponeret Vicecomes querimonias, quæ in ipsum Romæ serebantur, significauit simul per eam opportunitatem grauiores, quæ in primum Legatorum iactabantur, cui posteà nomine Gonzagæ Cardinalis, fratris filij, à se renuntiandas esse dicebat, tamquam communes totius collegij sensus; adiecitque, coniunctionem, mutuamque fiduciam inter Præsides, eos turbines in malaciam soluturam fuisse [b]. De hac ipsa coniunctione ille posteà verba fecit cum Simonetta, ostenditque, per eam à communibus ipsorum officiis mitigatum & coniunctum iri pariter Patrum animos, qui ab æmulationibus magis quàm à rationibus in certamen adducti videbantur; sed si vnâ eademque coniunctim viâ ductores processissent, facili negotio eos pariter qui ducebantur, in diuersas vias minimè disiunctum iri.

[b] Litteræ Vicecomitis ad Borromęum, 22. Iunij 1562.

Non modò paratum ad id animum, sed eius perficiendi cupi- 2
dum præ se tulit Simonetta, cohortatusque Vicecomitem est, vt rem, quemadmodum fecit, transigeret cum Mantuano; à quo rogatus vt amicè sibi detegeret quæ de se audiuisset, opportunitatem hinc arripuit enarrandi liberè, quasi per obsequium, adeoque non irreuerenter, quæ de ipso Romæ iactitabantur, eò quòd ille argumentum de mansione proposuisset, & posteà eius definitionem Patrum sententiis commisisset, ac demum agendum de illa spopondisset vnà cum Ordinis Sacramento; neque minùs, quòd neglexis-

set

set declarationem Continuationis in postrema Sessione, cùm propter Oratoris Hispani acerrimas postulationes, re Cæsarianis haud indicatâ, ea facile pacateque haberi potuisset. 1562.

3 Egit gratias ob allatam sibi rerum notitiam Mantuanus: quæ obiectabantur, singulatim diluit. Dixit, iisdem rationibus se fusè purgasse Borromæo per litteras, & Pontifici per missum à se hominem è sua familia Arriuabenum: alias præterea calumnias sibi obiectas à se resciri, sed ex probitate prudentiaque Pontificis spem ab ipso concipi, eas apud illius animum fidem non habituras. Et sanè Pontifex in litteris publicis, quas à Borromæo scribi iusserat, nullius ægrimoniæ indicia præ se tulerat; quin commendatus ab illo fuerat postremæ Sessionis euentus, in quo solùm desiderabatur, vt in Decreto disertè explicarentur dogmata declaranda in Sessione proxima, quo prænuntiaretur quodammodò futura Continuatio: sed responsum à Legatis est, id ipsum à se optatum fuisse, sed simul agnitum, fieri non posse; propterea quòd Hispani, eorumque asseclæ, in articulo de mansione numquam consensuri fuissent vlli explicationi rerum agendarum, quin simul Continuationis caput explicaretur.

4 Eâdem libertate, quâ Vicecomes Mantuano significauit criminationes, quibus ille insimulabatur Romæ, siue antequam discederet à se auditas, siue lectas in litteris posteà acceptis, scripsit pariter ad Borromæum eas, quæ in illum & in eius Patruelem sibi aures verberarant in breui commoratione Tridentina: Actas fuisse gratias iis qui mansionis declarationi restiterant, & iectas querelas in eos qui illam promouerant, quod videbatur diminutio quædam libertatis Concilij. Idcircò maximâ se circumspectione vti in adeundis frequenter Episcopis, & in modo agendi grates nomine Pontificis iis, siue Italis siue Hispanis, qui se obsequentiores ostenderant Apostolicæ Sedi, ne huiusmodi officia caperent à fama aut à suspicione mendacia incrementa, & aduersa commenta. Excitum fuisse murmur de venia abeundi, quam à Pontifice Mantuanus petierit [e], ac duas eius causas afferri; quòd Aulæ Pontificalis litteræ, quæ in Mantuani, ceu primi Legati, manus anteà deferebantur, posteà ad Simonettam mitterentur; & quòd Gonzaga Cardinalis, eius fratris filius, Romam non accerseretur à Pontifice ad cœtus de huiusmodi negotiis, quemadmodum anteà fieri solebat. Dici, hanc abeundi veniam graui futuram detrimento, tum ob venerationem, quâ Mantuanum prosequebantur omnes Præsules, tum ob rationem, quam de ipso cuncti Principes habebant; à qua con-

[e] Duæ litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 21. Iunij 1562.

1562. ſtantiſſima erat perſuaſio, vnicè commotum Hiſpaniæ Regem, abſtinuiſſe à miſſione Oratoris Vargas ad Synodum, miniſtri ſcilicet Pontifici parum accepti, & quieti Concilij parum opportuni.

d Litteræ citatæ Vicecomitis ad Borromęum.

Nec vanus erat hic rumor de petita à Cardinali venia [d], tametſi 5 ille à Vicecomite, cui res ſuboluerat, primùm interrogatus, acriter inficias iret, turbatumque animum præ ſe ferret, ſeu quòd nollet fabularum argumentum euadere, ſeu quòd irreuerentiam erga Pontificem putaret, ſi hanc petitionem ante impetrationem vulgaret, perinde ac ſi fortè repugnaret Pontifex, videretur Legatus voluiſſe irati animi ſenſus in Principem iactitare, & palàm facere, illum propemodum ſibi inclinatum. Sed ſicuti veræ cauſæ minùs quàm effecta patere ſolent, ita in eo negotio contingebat. Hæ cauſæ illæ non erant, quas ad aures Vicecomitis fama detulerat, ſed longè aliæ: nimirum, quòd Pontifex [e] poſtremò dixerat Comiti Franciſco ab Andriano, Oratori Ducis Vrbinatis, ſibi & vniuerſo Collegio haud plenè ſatisfactum à Mantuano, quem ipſe elegerat tamquam Legatum, viuumque oraculum ſuum in Concilio, quò ibi mentem ſuam candidam puramque repræſentaret, & qualem ipſi Deus iniecerat, non autem propriam, quam ille gerebat. Eum in articulo manſionis nimiam fidem, & præter rationem, habuiſſe quibuſdam Cœnobitis, qui vtilitate ducebantur: in articulo de Continuatione plus æquo & rei notitiam & ſatisfactionem fuiſſe ab eodem præſtitam Cæſarianis, cùm oportuiſſet opus illud priùs confici quàm dici. Quapropter ſi Legatus parato eſſet animo ad ſibi moderandum in poſterum ex conſcientia Pontificis, qui tam ſibi quàm illi ſinceram & Chriſtianam ineſſe cenſebat, & cuius perſonam idem gerebat, Pontificem in obliuionem rerum præteritarum venturum: ſin minus, illum opportuniùs acturum, ſi ab incepto deſiſteret; aliter enim coactum iri Pontificem à conſcientia ac ratione ad alterum ipſi ſufficiendum.

e Patet ex epiſtola, Româ 17. Iunij 1562. & ex altera Mantuani ad Arriuabenum, 6. Iulij 1562. in Appendice narrationis Muſotti.

Neque huic homini tantummodò animi ſui amaritiem aperuerat Pontifex, ſed etiam aliis pluribus, præſertim Vrbinati Cardinali dixerat, A Mantuano in diſceptatione de iure reſidendi fuiſſe adhibita manum & caput: & per Comitem Fredericum Borromæum Gonzagæ Cardinali ſignificarat, [f] eius patruum Sedis Apoſtolicæ cladem meditari. Nec obſcurè Pontifex indicarat, velle ſe, vt per eos Proceres, amore & ſanguine cum Mantuano coniunctos, hic certior de iis fieret; adeoque ipſum inuitabat ad veniam abeundi petendam, ne dimiſſionis dedecus idem opperiretur. Præter hæc acceperat Mantuanus indignatione acerbiſſimâ (ſeu verum 6

f Litteræ Vicecomitis ad Borromęum, 29. Iunij 1562.

id

id esset, seu falsum) quosdam Episcoporum fuisse gloriatos, se suis litteris effecisse, vt in eas Pontifex obiurgationes prorumperet; atque inter hos Sanfelicium ille nominabat, Concilij Curatorem, & Thomam Stellam Iustinopolitanum Antistitem, qui vulgari cognomento (causam ignoro) *Tedeschinus* dicebatur. Id verò intolerabiliora reddebat illi vulnera, quippe inflicta ab inferiori manu, & per iactantiam; adeoque per despicientiam ab iis profectam, qui si odio eum prosequebantur, reuerentiâ certè prosequi debuissent. Verùm quemadmodum anxietas æstimationis maior est erga parem, quàm erga sine comparatione minorem, nec vlla offensio acerbior est, quàm quæ in æmuli conspectu accipitur; ita propter veteres æmulationes inter Gonzagas & Farnesios, nihil, vt opinor, altiùs vulnerauit animum Mantuani in eare, quàm verba quædam supra modum iracunda, quæ Cardinalis S. Angeli à se audita narrauit ab ore Pontificis in ipsum prolata. 1562.

7 Is itaque per Arriuabenum clàm, sed ardenter postulauerat abeundi veniam. Sed Pontifex in agendo quàm in loquendo circumspectior, pedem posteà retraxerat, respondítque, id offensioni publicæ futurum; simul de Mantuano honorificè & amanter loquens adiecit, se collegis mandasse, vt illi morem gererent, & obsequerentur. Non tamen abstinuerat vel in eo actu à querimoniis, dicens (ad mitigandam fortasse interpretandamque alio sensu oblatam, seu potius per minas intentatam veniam) Si noluisset Mantuanus tempore præterito sibi parere, nec suum iudicium sequi, satius futurum fuisse, si iam tum abeundi veniam postulasset. Huiusmodi responsa tametsi ex vna parte Legatum solabantur, quippe quæ indicabant, nec ipsum nec ipsius operam à Pontifice despici; tamen ex altera eumdem perculêre, quòd inde cognosceret, tam multa quæ ad se purgandum scripserat, aut per Pontificis oculos haud transiisse, aut ad illius animum haud penetrasse; adeoque sibi videbatur adigi se ad conditionem durissimam, quâ insisteret labori seruiendi, sine leuamine gratificandi.

8 Idcircò peracerbè doluit, quòd proniorem in Pontifice fidem nanciscerentur huiusmodi aduersum se obtrectatores, quàm suæ conditionis, suæque vitæ anteactæ testificatio, præter eam, quam tot egregij Præsules & collegæ fecerant ad eum purgandum, ab ipso productam, & inter alios ipse Altempsius Cardinalis, Pontificis ex sorore nepos: oblocutores vsque adeò præpotuisse, vt Pontifex proximis diebus plane statuerit Legatos sibi superiores adiicere. De mandatis, quæ Pontifex significabat ad collegas à se missa

1562. in ipsius emolumentum, aliam à se prærogatiuam non appeti, nisi quam suus sibi gradus tribuebat; simulque à se ambiri, non vt alius Legatis superior, sed vt vnà cum illis vnum atque idem planè esset. Hos in se animi sensus ex eo patere, quòd ipse nihil egerat non modò illis nolentibus, sed ne inscijs quidem; cùm vel à priuatis colloquijs numquam ab iis discors abscesserit, quemadmodum testari poterat Altempsius. Quando Pontifex ipsum iubebat in legatione persistere, se ad illi obtemperandum inclinare; sed tres conditiones à se peti, tamquam beneficia sibi necessaria, quò redderetur idoneus ad seruiendum: cùm diu nauiter fieri non possit, quod per summam animi repugnantiam fit, & cum euidenti discrimine, in quo ipse versaretur, amittendi pretiosissimi sibi thesauri, hoc est Pontificiæ gratiæ.

Prima erat: Vt Pontifex eâ quæ sibi maximè probaretur formâ diligenter illa inquireret de quibus ipse insimulabatur. Altera, Vt vbi ipsum insontem comperisset, si nollet in calumniatores quidquam animaduertere, nullam certè fidem haberet in posterum illatis ipsi criminationibus, nisi priùs illas sibi significasset, eiusque defensiones audiisset: sicuti ex aduerso, vbi aut anteà aut in posterum in ipso deprehenderet seu tenuem erga Pontificem obedientiam, seu modicam sollicitudinem de Sedis Apostolicæ dignitate, seueriss. mis pœnis ipsum addiceret. Tertia, Vt dignaretur animum adiicere ad ipsum oneri subtrahendum per primam quæ se offerret opportunitatem, eâ ratione, quam eius prudentia illi pio negotio accommodatam putaret, cùm se adeò defatigatum corpore animoque sentiret in eo laborioso ministerio, vt agnosceret, se illi diutiùs sustinendo non esse: exempli nouitatem non obstare; etiam Polum obtinuisse, vt legationem interrumperet ad corpus purgandum, nec eam ampliùs ab eo resumptam fuisse. Sperare se à Pontificis bonitate id leuaminis, quo indigebat vitæ suæ incolumitas, quam nouerat non dedignari Pontificem sibi charam habere, & quæ quamdiu perdurasset, ad illius obsequium perdurasset. Hæc scripsit Mantuanus, non tamen à continuatione muneris alienus, sicuti detexit Vicecomiti, vbi ostenderet Pontifex se ipsi reuerà confidere. 9

[g] In duabus litteris Vicecomitis ad Borromæum, 20 Iunij 1562.

Æmulationes inteſtinæ famam Concilij non mediocriter id temporis offuscabant. Etenim Episcopi qui erant discordes, collegas vicissim habebant quasi aduersarios: & dum in alios alij obloquebantur, effecere vt tandem Synodus vniuersa incusaretur. Ea præsertim pars, quæ suffragiorum numero erat inferior, alteram sibi 10

supe-

superiorem accusare non poterat, quin totum corpus accusaret. 1562.
Sed multò ampliùs quàm Præsules, in eo famuli peccabant, genus hominum ad contendendum procliue, & ad heriles ægtimonias expromendas immoderatum, cùm eâ ratione, animi ac linguæ malignitas quasi virtutem fidelis gratique animi sese ostentat. Inter cetera epistola quædam auctoris anonymi prodiit [h], quæ se scriptam Tridenti Romam ad amicum simulabat. Hæc, quasi illinc accepta, ad Lansacum missa est ab Oratore Gallico, Venetiis degente: cumque hoc pacto fuisset vulgata, Lansacus rem pluribus excusauit, & per se apud Legatos, & Romæ per Oratorem Galliæ apud Pontificem, ne crederetur Concilij nomen à Regis ministris fœdari. In ea epistola, vt mos est satyricis subdolis, qui se latuâ pro casside communiunt, adeoque se audaciâ obarmant, multæ in Concilium calumniæ continebantur; ac demum deducebatur, Cùm per illud vnitas Ecclesiæ sperari non posset, opportuniùs fore ipsum suspendi. Atque ex huiusmodi scriptis Sauuis cæmenta magna ex parte desumpsit ad suam historiam fabricandam. Grande profectò documentum, quàm necessaria sit in Senatoribus tum linguæ libertas ante sanctiones, tum eiusdem posteà subiectio communiori iudicio; quod difficulter effici potest, quin erga Senatum obedientia exerceatur non voluntatis modò, sed etiam intelligentiæ: obsequium sanè non extra vires humanas, si obscuritas & incerta ratio humanorum consiliorum spectetur, quæ amplam nobis libertatem relinquit ad opinandum quidquid libuerit.

[h] Est in Appendice Musotti.

CAPVT IV.

Multa Suauis errata. Bauariæ Orator exceptus. Illius, & Venetorum mutuæ denuntiationes. Lis cum Heluetiis & Florentino. Postulata Bauari & Cæsarianorum in Concilio.

1 TEmpus nos admonet, vt aliquantulùm insistamus in notandis simul variis Suauis erratis, hæc facta narrantis. Ac primò quidem rumores illi populares, per quos inaudierat Vicecomes, mutatum in Aula Pontificis ordinem in mittendis litteris, quòd non ampliùs ad Mantuanum, sed eius loco ad Simonettam mitterentur, quodque à cœtu Cardinalium, ad expendendas Tridentinas res selectorum, amotus fuisset Gonzaga Mantuani fratris filius, manserunt in quibusdam monumentis, dubitationis in modum, effeceruntque, vt Suauis, re minimè introspectâ, vtrumque animosè affirmaret, & per consuetum temerariis narratoribus infortunium

1562. fortunium in vtroque laberetur. Sciendum igitur est, significasse Borromæum in responso ad Vicecomitem, nimis verum esse id quod ad aures peruenerat, de abeundi venia petita à Mantuano; sed eam à Pontifice, rebus ritè perpensis, denegatam fuisse per certum tabellarium, & per eiusmodi rationem, quâ sperabat illum quieto alacrique animo permansurum. Veras quidem non esse duas rationes, à Vicecomite ex vulgari rumore acceptas; sed ambiguitatem apud vulgus exortam fuisse de priore, quia dies aliqui effluxerant, quibus nihil occurrerat Româ scribendum ad Legatos communibus litteris, quæ ad ipsum Principem mittebantur, dum interim aliquid occurrerat per peculiares litteras scribendum ad Simonettam, quæ rectà ad ipsum missæ fuerant, vt cum omnibus fieri solet: & quod ad alteram rationem spectabat, aliquid temporis elapsum fuisse, nullo tunc habito cœtu de rebus Concilij, sed de Inquisitione, cui Gonzaga non intererat. Vnde homines, rerum quæ recèns contigerant, satisque dimanarant in vulgus, minimè ignari, auidique speculandi, quin & procreandi causas latentes effectorum patentium, existimauerant Gonzagam à Consiliis de Synodo exclusum fuisse. Sic itaque res se habuerat: atque idcircò Mantuanus, cui compertum erat, nullam communem cunctis Legatis epistolam Româ venisse, nisi missam ad se, certique nuntij allati fuerant, nullum fuisse cœtum coactum supra rebus Concilij, quò fratris filius accersitus non fuerat, numquam hæc falsa suis querelis admiscuit. Equidem comperio, ab hac eadem missione peculiari litterarum ad Simonettam, absque societate aliarum communium quæ Mantuano mitterentur, inflictum huic fuisse aliquem anxietatis ac suspicionis aculeum, ne res soli Simonettæ committerentur, & quòd ea de causa defuisset argumentum quod ad omnes simul scriberetur. Quamobrem Vicecomes iterùm Borromæo [a] significauit, satius fore ne id in posterum fieret, si primi Legati pacificatio sibi cordi esset.

[a] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 13. Iulij 1562.

Pergit Suauis, *Non minùs à Pontifice iratum animum indicatum fuisse in Camillum Oliuum, Mantuano à secretis, quippe qui non perinde se gesserat atque sibi spoponderat, cùm Romam missus fuit.* Et subdit; *Quod misello illi carò constitit. Etenim tametsi Pontifex cum Cardinali reconciliatus fuisset, tamen post eius mortem Mantuam cum heri cadauere regressus, vario criminationum obtentu ab Inquisitionis tribunali coniectus in carcerem est, diuq; diuexatus. Hunc ego post infectationum ærumnas expertus sum virum egregiâ virtute, & eiusmodi infortunia haud merentem.* Mirum sanè est, quòd hic homo historiam extruat non ex narratio-

rationibus à se compertis, sed ex argumentationibus à se deductis. 1562.
Quare vbi semel hallucinatur ex notitia perperàm habita, enarrat posteà quasi veram historiam ea omnia euenta, quæ ab ea re, vbi verè contigissent, probabili coniectatione extitura fuissent. Hac de re in Operis Apparatu disserui: nec de Oliui ærumnis, quas Inquisitionis causâ passus est, quidquam mihi dicendum supereſt, ad eum vel incusandum vel excusandum, præter ea quæ ibi narraui. Certum tamen est, non Oliuum, sed Pendasium à Mantuano Romam fuisse missum ad Pontificem, quemadmodum suprà notauimus; nec illum pariter à Concilio discessisse hero demortuo, sed ibidem permansisse in iisdem ministeriis & honore fiduciæ, & vtilitate stipendij à Præsidibus affectus vsque ad operis exitum, quod non semel patebit. Præsertim verò admirationi mihi est, Suauem ignorasse, Pendasium, non Oliuum fuisse à Legatis missum, cùm hoc perlegatur non inquam in quamplurimis tum Pontificis tum Borromæi [b] litteris scriptis, & in commune ad Legatos, & peculiariter ad Mantuanum (earum quippe notitia singularior est) sed in cunctis ferè monumentis, quæ de hoc argumento supersunt: adeò vt præter varias epistolas à me allatas, ab Legatis Romam missas, quæ mentionem hac de re faciunt, & ipsorum nomine fuerunt ab Oliuo Tridenti scriptæ; præter narrationem Philippi Musotti, qui Seripando à secretis erat; & præter epistolam à me anteà productam Iadrensis Archiepiscopi ad Cornelium Cardinalem, id contineatur in prima Simonettæ epistola ad Borromæum, à me superiori libro recitata [c], nec minùs in altera Episcopi Mutinensis ad Moronum [d].

[b] Scriptis ad Legatos, 22. Aprilis, quando is peruenit, vsque ad 3. Maij, quando discessit.

[c] Lib.16.c.9.

[d] 11. Maij 1562.

3 Hæc admiratio alteram admirationem mihi adimit, quòd nimirum ignota fuisset Suaui missio & opera Arriuabeni. Huius enim notitia, quippe negotij cunctis Legatis minimè communis, latuit magis clausa & constricta in mutuis litteris peculiaribus inter Mantuanum ex vna parte, & inter Pontificem, Borromæum & Gonzagam ex altera. Nec equidem indagare omisi, quînam in mentem venerit Suaui, fuisse Romam missum Oliuum, non Pendasium, adeoque super hoc inane fundamentum inanem verè arcem extruxerit; & rem planè attigisse arbitror. In quadam epistola scripta per eos dies, quibus Pendasius Romam peruenit [e], ab Insulano, Oratore Gallico apud Pontificem, Rex certior factus est, adesse ibi Mantuani Secretarium, missum ob ea quæ de nouo contigerant super mansionis negotio. Atque hunc *Secretarij* titulum vsurpauit Orator per eam generalem & amplam dicendi formulam, quâ con-

[e] Scripta 16. Maij, ex libro Gallico, 1562.

1562. ditio, quæ nihil interest, narratur; quare ignorans ipse, minimeque laborans exquisitiùs pernoscere, quisnam nominatim fuisset missus, nomen adhibuit *Secretarij*, tamquam commune cuilibet ministro, cuius calamo secreta committantur. Hæc igitur epistola, quæ posteà cum aliis per typos vulgata est, effecit, vt à Suaui crederetur, legatum fuisse Romam ad eam rem transigendam Oliuum, cùm sciret illum propriè Mantuano à secretis esse; & oblitus, exerceri à se in rerum narratione simplex munus testis, voluit logici partes agere, & supra illas fundare partes fabulatoris, adeoque merito sanè infortunio idem ipse lectorum vera callentium fabula euadit.

Porrò aliis suis commentis narrat, conquestum fuisse Pontificem 4
de pluribus, non ex mentis credulitate, linguæve impotentia, sed quia hoc puncto quasi eos inducebat, alios pudore, alios metu, alios vrbanitate, vt apud ipsum se illi purgarent: quorum excusationibus à se facilè acceptis, eosdem sibi ipse addictos habebat. Id vbi verum fuisset, haud multum forsitan quod improbarent deprehenderent homines sapientes, qui satis ab experientia docentur, non semper ad optima quæque per apertas vias posse perueniri. Sed in rebus à Pio IV. gestis oppositum planè comperio, quando præsertim Mantuanus Arriuabeno respondens, nihil aliud acriùs queritur, quàm quòd Pontifex etiam post iteratas ipsius purgationes, & post denegatam abeundi facultatem, veterem animi persuasionem professus fuerit de credita ipsius culpa; eamdemque rationem à Pontifice erga alios retentam conspicor.

Demum affirmat, à Legatis, cùm à Cæsaris Oratoribus libellus 5
ipsis ostensus est, à Ferdinando missus vt Synodo exhiberetur, excusationem fuisse prætensam, quòd cùm agendum tunc esset, iisdem Cæsarianis petentibus, de concessione Calicis, spatium non suppeteret ad expendenda simul tot & tam grauium rerum capita quæ proponebantur; se tamen curaturos, vt paulatim perpenderentur: Oratores verò animaduertisse, id ex arte fieri, ne scriptum illud Synodo vulgaretur, sed res protraheretur in dies; tunc tamen tacuisse: sed Pragensem Archiepiscopum necessarium existimasse, per dispositos equos ad Aulam Cæsaris se conferre, quò eum edoceret tum de eo, tum de reliquis Concilij negotiis[f]. Verùm ex aduerso iam vidimus, Legatos apertè exposuisse Oratoribus, quàm esset rationi dissentaneum, libellum exhiberi Concilio; & Pragensem, ad id commotum ab adductis rationibus, eâ re sponte supersedisse: cumque præstò esset ad Aulam pergere ad Regem Bohemiæ

[f] In litteris allatis Legatorum ad Borromæum, 10. Iunij 1562.

miæ pro suo munere coronandum, in se recepisse, ab eo proposito Cæsarem dehortari; & opere promissa compleuit. 1562.

6 Sed à confutatione ad historiam. In dissensione inter Venetos & Bauaricos Pontifex ad operam Ferdinandi [g] confugit, qui moneret Albertum Ducem, generum suum, Rempublicam Venetam reuerà Regem esse, & eâ possessione frui vt ipsius Oratores obtinerent locum Regiis Oratoribus proximum. Verùm noluit Cæsar huiusmodi litigio, quod delicatissimum Principum sensum vellicat [h], manum admouere, nisi per officia vniuersalia, & potiùs in modum scribentis genero quæ Præsides proposuerant, quàm suo nomine rem agentis: eum tamen est cohortatus, ne quid Synodum obturbaret; nec id sine fructu. Iussus denique fuit Ducis Orator, vt [i] Venetis cederet; sed simul denuntiaret, id fieri ne Synodus turbaretur, & absque sui Principis detrimento. Itaque exceptus est in cœtu 27. Iunij, & in ea protestatus est, multis argumentis in medium allatis, ob quæ ipsius Princeps Venetæ Reipublicæ antehabendus esset; cuiusmodi erant, quòd haberet in sua familia dignitatem Septemuiralem, quodque Cæsarea quoque in ea fuerit. Huic denuntiationi alteram ibi opposuit Nicolaus de Ponte [k], primus Orator Venetus, dicens, Superiorem illum locum esse decus perpetuò debitum Reipublicæ suæ, non autem liberalem ad tempus indulgentiam. Vtraque denuntiatio relata est in Acta: atque eò deuenit æmulatio, vt Bauaricus exemplum orationis suæ negauerit, quia negauerat antèa Venetus, vt dictum est. Verùm per eam Oratoris Bauarici remissionem dissidia ex ipsius parte mutata sunt potiùs quàm sedata; siquidem in mandatis acceperat, vt inde decederet, vbi Oratori Heluetio & Florentino non præcederet. Quare Legati ægrè impetrarunt ab Heluetio (cui tradita mandata suprà retulimus) vt tantisper cœtibus non adesset, dum suos primores edoceret ea de re, & noua mandata reciperet; & Pontificem rogarunt, vt se interponeret Cosmo Duci, cuius Orator absente Heluetio solitus erat interesse.

[g] Litteræ Borromæi ad Legatos, 27 Maij 1562.

[h] Litteræ Cæsaris ad Oratores, 29. Iunij 1562.

[i] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 18. & 28 Iunij 1562.

[k] Diarium.

Magis tamen eos angebat certamen imminens inter Oratores Gallum & Hispanum. Etenim præuidebant, omnino reiectum iri temperamentum à Borromæo propositum, vt scilicet Hispanus ad functiones publicas non accederet, sicuti Romæ consueuerat, cùm Piscarius animum suum explicasset, ab eo cessionis genere auersissimum; tametsi alioqui à suo Rege [l] mandata satis sedata haberet, hoc est, vt æmulationes declinaret, vbi per dignitatem liceret; nec pugnaret vt præesset, sed se defenderet ne subesset. Mandata igitur à Pontifice postulauere Legati, quid agendum in tam arduo

[l] Litteræ Mutinensis Episcopi ad Moronum, 23. Maij 1562.

1562. nodo. Ea verò fuere[m], vt primo loco ipsi studerent aliquid ad rem componendam excogitare: vbi satis id non esset, & Oratores concorditer vellent Pontificis definitionem, æquitati se non defuturum; sed hactenus Hispanos id euitasse, cùm videretur possessio Gallis fauere: quod si partibus ita placeret, promptum esse Pontificem ad sententiam Synodo committendam. Si nullus ex his modis acciperetur, aliud fieri non posse, nisi vt imitarentur morem tunc Romæ obseruatum, qui erat, vt Insulanus, Orator Gallicus, solemnes functiones adiret, & Vargas Orator Hispanicus domi maneret: optimum à se consilium putari, si aut Philippus Rex ibi designaret Oratorem Ecclesiasticum, qui collocatus in ordine à laicis diuerso, liti argumentum subtraheret; aut Comes Lunensis, ab eodem Rege Catholico destinatus Orator ad Concilium, accederet simul Orator Cæsaris, apud quem id temporis degebat. Sed Galli his omnibus temperamentis aditum occluserunt, sicut palàm fiet.

[m] Litteræ Borromæi ad Mantuanum, 11. Aprilis, & 23. Maij, & ad Legatos, 23. & 27. Maij, & 8. Iunij 1562.

Interim Orator Bauariæ, post consueta subiectionis & obsequij 8
officia, tria pro Ducis ditionibus postulauit, Eucharistiæ sub vtraque specie sumptionem, Cleri emendationem, & Sacerdotum coniugium. Responsum humaniter ad primam partem, quæ ad vrbanitatis officia pertinebat; & generatim ad secundam, quæ ad petitionem spectabat, nimirum, effectum iri quod in Dei gloriam, & emolumentum Ecclesiæ redundare censeretur. Cæsariani ex memorato libello vnicum articulum proposuere, quo Calicis concessio petebatur[n], non pro Bohemia solùm, sed etiam pro Hungaria, aliisque hereditariis Cæsaris ditionibus; rationesque publicæ vtilitatis adducebantur, ad id impetrandum accommodatæ. Videbantur hi omnes in animum sibi induxisse, Synodum fuisse coactam non ad damnandos hæreticos, sed ad ipsis gratificandos, eorumque conuersionem obtineri posse exsaturatis ipsorum contumacibus votis, quæ potiùs deprimi par erat: nulla quippe vexatio reliquos subditos ad perduellionem tantum impellit, quantum licentia prauis appetitionibus indulta.

[n] Litteræ Oratoris ad Cosmum Ducem, 29. Iunij 1562.

CAPVT

1562.

CAPVT V.

Confirmatus Mantuani animus ad legationem prosequendam, hortatu etiam Cæsaris accedente. Huius purgatio apud Legatos de rerum à se propositarum libello ad ipsos missso, quorum arbitrio rem committit.

1 INter externas turbas aliquam penitus tranquillitatem accepit Synodus: Mantuanus enim discedendi animum facilè deposuit. Ad eum rediit Arriuabenus [a], litterasque Borromæi, fidem sibi conciliantes attulit, de iis quæ Pontifex secum & cum Gonzaga Cardinali statuerat: sed coràm [b] data fuerat Arriuabeno petitæ veniæ repulsa verbis tam disertis ac certis, vt omnis hero spes adimeretur eius impetrandæ. Quod Simonettæ significatum est, adiectumque, id opportunum illi pio operi habitum esse: simul etiam iniunctum, vt erga Mantuanum vteretur non modò perquam suaui & mansuetâ agendi ratione, sed confidenti etiam, suprà quàm deberet: nam aiebat, certum esse Pontifici, pari ratione à Mantuani comitate illi responsum iri. Idcircò quidquid posset, ipsi abundè gratificaretur; cum eo cuncta negotia communicaret; frequenter eius mensæ ab eo inuitatus accumberet; & vbi ex Episcopis quispiam ad se accederet ad aliquid eius operâ à Pontifice impetrandum, illum cohortaretur, vt is simul à primo collega eam commendationem posceret, adeoque Mantuanus se magni fieri cognosceret ab Episcopis in ipsorum precibus, & à Pontifice posteà in concessione. Et sanè in scriptis penitioribus Aulæ Romanæ animaduerto id temporis in Pio studiosam quamdam rationem exhibendi peculiaris honoris Mantuano: ita vt cùm pridie quàm Arriuabenus discederet, Româ proficisceretur Lancianensis Archiepiscopus [c], ei Pontifex dederit epistolam suâ manu conscriptam ad Mantuanum, quâ Synodum illi plurimum commendauit tamquam duci & capiti collegarum, eique non vsitatum Pontifici erga Cardinales titulum apposuerit, *Illustrissima vestra persona.* Paulò post honorificam Pontificis repulsam accesserunt ad eumdem honorandum, & in opere confirmandum, officia supremi Principis [d]. Cæsar post accessum Pragensis Archiepiscopi, notitiamque ab eo acceptam, scripsit ad Mantuanum, eumque cohortatus ac precatus est, ne pium illud opus desereret, sicuti sparsus rumor ferebat, cui operi ipsius auctoritas, & plurimæ dotes, magno erant & decori &

[a] 30. Iunij 1562.

[b] Litteræ Borromæi, 1. Iulij 1562.

[c] 29. Iunij 1562.

[d] Litteræ Oratoris Florentini ad Ducem Cosmum, 4. Iulij 1562.

1562. adiumento; adeoque rem sibi gratissimam eum præstiturum, si priuatis quibusuis incommodis ac rationibus suis posthabitis, illud prosequeretur: simul ipsi significabat, adhibitas à se litteras efficaciter super ea re apud Pontificem. Nec satis fuere Ferdinando hæc calami officia, sed linguæ stimulos addidit tum suæ apud Nuntium Delfinum, tum suorum Oratorum apud Mantuanum. Itaque illi ob existimationis ac beneuolentiæ publicæ celsitatem, insimulationes in laudes, & aculei aduersæ famæ in gloriam abiere. Etenim [e] nemo tunc erat homo sapiens & cordatus, qui de illo per eos animi sensus non loqueretur ac scriberet, perinde ac si illius magni sideris discessu Synodus obscuranda esset, & Ecclesia periculosam eclipsim passura.

e Acta Paleotti, litteræ Oratoris Florentini, Episcopi Mutinensis, narratio Musoti, & litteræ Iadrensis Archiepiscopi.

Cæsar in reditu Pragensis Archiepiscopi breuibus litteris Osio 2
respondit, & ad Legatos longissimas scripsit: in vtrisque de libello rerum à se propositarum agebat, quarum incommoda Osius illi significarat, pro singulari cum eo contracta amicitia, cùm ibi Nuntij munere fungebatur. [f] Eiusmodi litterarum summa duo rerum capita complectebatur: in altero, rationem, reddebat cur libellum ab Oratoribus exhiberi iusserit; in altero, in Præsidum arbitratu hoc negotium reponebat.

f 29. Iunij 1562.

De priori dicebat: Cùm audiuisset singulari voluptate, eos 3
iam parato esse animo ad disciplinam legibus reparandam; se pariter voluisse suam ad id operam conferre, propositis Concilio iis rebus, quæ vtiles censebantur non modò ad retinendas suis in ditionibus reliquias religionis, sed etiam ad recuperanda magna ex parte quæ fuerant deperdita. Demandatum à se fuisse viris Catholicis, piis ac prudentibus, vt ea de re cogitarent; à quibus posteà illa rerum capita acceperat, quæ suis Oratoribus miserat. Relatum sibi fuisse coràm à Pragensi, Legatos, iis de more visis antequam conuentui exhiberentur, quatuor obiecisse Oratoribus:

Par non esse, vt ea Principibus libertas daretur, proponendi Con- 4
cilio quæcumque vellent.

Ad Episcopos minimè pertinere ipsorum Caput reformare, hoc est Pontificem, pro eo ac ibi suadebatur.

Præuidentes Legatos repulsam plurimorum ex illis articulis, noluisse in ipsis exponere periculo Cæsaris auctoritatem, ne parum honorificè haberetur.

Si tamen adhuc vellent Oratores per seipsos ea proponere, id futuram fuisse efficacissimam causam ad Synodum dissoluendam, potissimè coactam in emolumentum ditionum Cæsaris. Et hæc po-

strema

ſtrema ratio, quippe ad permouendum Cæſarem prævalida, fuerat illi etiam impreſſa Oſij teſtimonio in præuiis ipſius litteris. 1562

5 Ad primum reſpondebat: Si Regi Catholico licuerat Continuationis declarationem proponere, & Regi Chriſtianiſſimo tot alia capita: quin ſi in publica ſecuritatis fide, Proteſtantibus oblata, inuitabantur ipſi ad Concilium, & ad res ibi proponendas; à ſe quidem non intelligi, quo pacto ſibi, primo Eccleſiæ filio, & Aduocato, id negaretur. Vim non habere id quod obiectabatur, per huiuſmodi libertatem opus in immenſum abiturum. Vtinam tam multi Principes in id conſpirarent, vt ab iis quæ ipſi proponerent, hæc diuturnitas timenda eſſet. Neque ſuſpicandum, ſe per ſpeciem ea Synodo proponentis, velle ſibi auctoritatem illam moderantis arripere, cùm liqueret, ea fuiſſe tanto temporis ſpatio à ſe vnicè propoſita.

Ad ſecundum: Fuiſſe hactenus à ſe auditum, velle Pontificem, vt cauſæ nobiliores in Concilio agitarentur, ibique in Capite ac membris Eccleſia reformaretur. Verùm vbi aliquis ex articulis propoſitis haud videretur ad Synodum pertinere, non eſſe ſe tam duræ ceruicis, vt illius amotioni reluctaretur.

De tertio: Tantum ſibi non arrogare, vt Patribus leges præſcriberet de rebus Eccleſiaſticis; cùm ſibi ſufficeret ſuo muneri ſatisfacere, quod erat, vt eos non regeret, ſed moneret. Obſequentem ſe filium Eccleſiæ profiteri, adeoque repulſas pro contumeliis haud accepturum.

6 In quarto: Æquè inopinatum & amarum ſibi accidiſſe, quòd tam leui de cauſa Concilij diſſolutio timeretur: ad eam vſque horam ſibi perſuaſiſſe, & in præſentia perſuadere, illic loquendi libertatem vnicuique concedendam eſſe. Proinde qui ægrè ferret ea quæ proponebantur audire, oſtendiſſet fortaſſe aures parum amicas veritatis, cuius eſt odium parere. Se quidem cupere diſtinctiùs cognoſcere, quid in iis quæ à ſe proponebantur poſſet Patrum animos tam grauiter lædere. Nam in eo quod ſpectabat ad Pontificem, numquam ſibi fuiſſe in animo ipſum accuſare aut perſtringere; quin tanti à ſe æſtimari eius integritatem, pietatem, probitatem, ac ſtudium in Rempublicam Chriſtianam, vt dicere frequenter ac publicè ſolitus eſſet, viſum non fuiſſe iamdiu Pontificem meliorem, ſtudioſioremque quietis communis, præter alia ſingularis beneuolentiæ argumenta à Pontifice ſibi exhibita; vt proinde ingratum ſupra cunctos mortales animum ipſe geſſiſſet, ſi aduerſus omne fas quidquam labis illi tentaſſet aſpergere. Adumbrari quidem in eo

libello

1562. libello aliquas Aulæ Romanæ correctiones; sed suam mentem esse, æquè ac Legatorum, vt id Pontifex per seipsum præstaret. Cetera rùm, quòd Clerus, præsertim in Germania, emendationis egeret, dubium esse non posse: & in eo à se inæqualitatem non peti, satis contento vt eâdem operâ laici reformarentur. Fuisse pariter ibi postulatum, vt leges aliquot Ecclesiasticæ relaxarentur propter quamdam Prouinciarum infirmitatem: quod mirum haud videri debebat iis, qui alias in religione firmiores incolebant, adeoque hoc peculiari leuamine haud indigentes. Audiri à se, nonnullis displicuisse, quòd aliqua ibi proponerentur iisdem verbis quibus vtebantur hæretici. Nihil sibi ea de re compertum esse, vtpote hæreticorum voluminum haud perito: sed vtcumque ea forent, vbi res haberentur pro malis, reiicerentur; vbi pro bonis, laticem, non fontem esse considerandum.

Ad aliud præcipuum caput progressus, declarabat, id totum à se 7
significari ad se purgandum, non ad disceptandum cum ipsis, quos agnoscebat tamquam præstantissimos Ecclesiæ Cardinales, quorum prudentiæ plurimum tribuebat, & quorum sincera ac singularis erga se beneuolentia adeò sibi perspecta erat, vt nonnisi optima paternaque consilia ex ea sibi essent expectanda. Si, lectis eius rationibus, opportunum ipsi putarent scriptum illud proponere, eos rogare vt id facerent: sin aliter; ac præsertim si animaduerterent, imminere Concilij dissolutionem, auerteret Deus, ne ipse causam præberet tanto Ecclesiæ damno, pro qua paratus erat sanguinem fundere.

De propria Romanæ Aulæ correctione, quamuis ipsa magno es- 8
set momento correctioni communi, illius tamen se non admodum esse sollicitum; maximè quia cognouerat id quod anteà ignorabat, in id per summam industriam incumbere Pontificem, adeoque se nihil vereri, in eo negotio, iuxtà ac in reliquis omnibus, ab illo expletum iri partes vniuersas vigilantissimi accuratissimique Pastoris. Vnde augurari se prosperum illum successum, quem complures illius decessores curauerant, nemo consecutus fuerat. At verò in aliis rebus, quæ ad communem emendationem spectarent, se ab ipsis petere, eosque per Deum obtestari, vt articulos istos confestim Synodo proponerent; si minùs omnes simul, quippe tam multos vt semel concoqui non possent, quod ipse inficiari nolebat, certè per partes, pro eo ac ipsi habere in animo significarent Oratoribus. Quemadmodum sibi pergratum fuerat, audiuisse iam ab illis inceptum emendationis negotium, ita eos hortari, vt vellent in eo tam-

quam

quam duces non solùm comitari reliquos, sed præcurrere, facemque præferre; studentes in primis vt libertate Synodus frueretur, nec offenderet in obstacula, ne posteà retardati progressus culpa Pontifici adscriberetur, aduersus quàm eius vota merebantur, quando ipse cum laude singularis pietatis in Concilio reposuerat grauissimarum rerum decisionem. 1562.

9 In hanc sententiam Cæsar ad Legatos scripsit, tum defensione vsus, tum explicatione; sed reipsa, quantum per maiestatem licebat, retracto pede. Quare hæc epistola, quam paucis ante Sessionem diebus Legati acceperunt, ab ipsorum animis nubes vehementer dispulit; qui rationibus Cæsaris facilè admissis, de præterito, quod per se solum æquè ac nihilum est habendum, Oratoribus ostenderunt, res quæ proponebantur à Ferdinando, sicut ea quæ à reliquis proposita erant, æstimationis merito superabant; ita pariter ad excitandam perturbationem easdem superare. Ipsum Cæsarem spectari tamquam causam præcipuam, mouentem simul, & cuius gratiâ opus illud inceptum fuerat: idcircò non posse eius sensa non afferre Concilio magnam sollicitudinem, vbi aduersari viderentur iis, quæ Patres in rem Ecclesiæ censuissent. Quamquam compluribus daretur proponendi libertas; ea tamen, quæ ab illis proponebantur, non allatura fuisse tantum moræ ex peculiari debito ad ipsa expendenda, multoque minùs tantum anxietatis ex peculiari reuerentia ad ea non improbanda. Verumtamen polliciti sunt, se haud desituros conuentui ea proponere quæ Cæsar sentiret, pro eo ac spectatâ eorum qualitate ac multitudine opportuna putassent. Atque ita illud repulsæ genus dederunt, quod nec læsâ reuerentiâ, nec sublatâ spe, sed executione vitatâ, duris feruidisque Principum postulatis est maximè accommodatum.

CAPVT VI.

Mandata Legatis tradita, vt in Synodo progrederentur. Dogmata Fidei de sumptione Eucharistiæ, à Patribus expensa.

1 DVm à Cæsare stimulabantur Præsides ad festinandum & agendum, non minùs etiam à Pontifice sollicitabantur, quamuis in primo loco, ad opus quod Cæsari supra modum displicuisset. Videbatur [a] Pontifici, per moram in progressu Concilij effici, vt incommoda sentirentur, nullo inde fructu decerpto: quapropter iniunxit Legatis, vt progrederentur. Et quoniam ingens fieret gradus, si cautum foret ne regrederentur, hac etiam de causa

[a] In variis litteris Pontificis & Borromæi ad Legatos, & ex allata epistola Legatorũ ad Borromæũ, 28. Iunij 1562.

1562. causa illis mandauit, vt vbi deferrentur ad ipsos Pontificiæ litteræ, ad Hispaniæ Regem scriptæ, cum promissis declarandæ Continuationis; aut vbi noua de ea postulata Regis nomine aliunde accepissent, illicò ea exequerentur. Ad quod responderunt, percontati, An vbi ante Sessionem neutrum euenisset, vellet tamen Pontifex Continuationem declarari. Sed ille rescripsit, Minimè, vt infrà distinctius narrabitur. Legati pro virili festinantes, bis per dies singulos minores Theologos conuocarunt[b], initio facto 10. Iunij[c]; nec tamen eorum congressus ante diem vigesimum tertium absolui potuerunt. Etenim qui loquebantur, sexaginta tres erant, & ferè vnusquisque, vt assolet, prolixè verba faciebat, haud contentus adiicere solùm quæ dicta non fuerant, quin nihil memor alieni sermonis, nisi ad suum interdum aliquâ oppugnatione protrahendum.

[b] Diarium.
[c] Non 9. Iunii, vt narrat Suauis.

Primo loco locutus est Alfonsus Salmeron Societatis Iesu, eò 2
missus vt Pontificis Theologus, cum litteris Borromæi ad Legatos[d], quibus præcelsa tum ipsius Borromæi, tum Pontificis de eo existimatio proferebatur. Sententia, quam ille dixit, ac scripto dedit, communiter fuit seruata[e], aucto illi pretio ab eo condimento, quod accedit egregio ferculo, quòd mensæ primùm omnium apponatur. De primo articulo, hoc est, An quilibet ex Christianis hominibus Diuino præcepto adstringatur ad Eucharistiam sub vtraque specie sumendam, præmisit: Certum esse, Ecclesiam, columnam ac firmamentum veritatis, errare non posse. Cùm igitur ipsa diuturno tempore vetuisset laicos vti Calice, quemadmodum constabat ex Conciliis Constantiensi & Basileensi, & ex omnibus Scholasticis, trecentis abhinc annis; pro certo haberi, Diuinum mandatum illud non esse. Prætereà, cùm ante omnem memoriam vetus esset consuetudo non dandi Calicis cunctis qui Eucharistiam acciperent, oportebat vsque ab Apostolorum ætate eam prouenire: aliter cùm homines tenacissimi sint eorum quæ ad religionem pertinent, fieri non potuisset hæc mutatio sine ingenti strepitu, & sine superstite rei memoria. Studuit posteà eam coniecturam confirmare exemplis, dictisque veterrimis multarum historiarum, ac plurimorum Patrum, ex quibus colligebatur, vsum illum non porrigendi Calicis cuicumque consecratum Panem sumenti, à primis vsque temporibus extitisse. Respondit iis, quæ obiectabantur ex sacris Litteris, ostendens, ex quibusdam locis aliud non confici, nisi vtramque speciem in Cœna fuisse datam à Christo; cuius actiones omnes sequi non iubemur secundùm omnes conditiones, sed secundùm eas, quæ ab ipso imperantur per declarationem Scripturæ,

[d] 6. Maij 1562.
[e] In Diario, 20. Iunij 1562.

aut

aut per Ecclesiæ traditionem. Ex aliis locis probari, eidem Ecclesiæ licere, non item præscribi vsum vtriusque speciei, exceptis sacrificantibus; iisque solis, vtpote Apostolorum personam gerentibus, dixisse Christum in vltima Cœna, *Bibite ex hoc omnes*; quemadmodum iisdem solis ibi dixerat: *Quotiescumque feceritis, in meam commemorationem facietis.* At verò id quod legitur in sermone Christi capite 6. S. Ioannis, ad cunctos fideles referri, ibique sermonem esse de *Communione Sacramentali*, non de *spirituali*, quæ fit per fidem, aut per gratiam, sicuti quidam arbitrabantur; non tamen probationem vllam inde deduci pro Bohemis, quòd vsus vtriusque speciei, & non vnius tantùm nobis à Domino præcipiatur. Quin ad significandum, neutrum ex his ritibus obstiturum Christi sanctionibus, interdum ab illo in laudato sermone nominari simul esum carnis & potum sanguinis, interdum solum esum carnis nominari. 1562.

3 In quarto articulo, qui secundus erat inter dogmaticos, nimirum, Num idem an minus sumatur sub vna specie, quàm sub vtraque: primum tamquam indubitatum affirmauit, propterea quòd Christus integrè continetur sub vtraque seorsim specie cum anima & cum Diuinitate, sicuti est in cælo: idque fuisse definitum in Conciliis Constantiensi & Florentino: idem confirmari ab Ecclesiæ vsu, quæ adorandum proponit hoc Sacramentum sub sola panis specie. An verò tantum gratiæ recipiat is, qui Eucharistiam sub vna tantùm specie sumit, quantum qui sub vtraque simul; ab hoc articulo non peti: cùm extra controuersiam sit, tantum contineri ac significari in vna solùm Hostia, quantum in multis; nec idcircò tantum gratiæ recipi in vnica Hostiæ sumptione, quàm in multis: à mero Dei arbitrio rem dependere, qui maluerit se obstringere huic vel illi collationi gratiæ in institutione Sacramenti. Pendere se in eam sententiam, quæ dicit, gratiam in vtroque casu æqualem esse; quod conatus est multis rationibus persuadere: Ea de re locutos non fuisse Patres & Concilia, quia pro certa posuerant: Varietate ritus sicuti rei natura non variatur, ita nec effectum Sacramenti variari: Ecclesiam haud negaturam fuisse Calicem non celebrantibus, si cum eo simul oportuisset aliquod incrementum gratiæ ipsis auferri.

4 De secundo articulo, qui erat, Num vsus Calicis cuilibet esset permittendus, respondit, Id esse arbitrarium Ecclesiæ, cuius erat, exquisitâ trutinâ commoda & detrimenta perpendere. Hæc sibi ponderosiora videri plurimis de causis; quas enumerauit,

1562. & nos afferemus, cùm sermo erit de arctioribus ad hoc statuendum consiliis.

Hoc posito, nihil in tertio dicendum supererat de conditionibus ei præscribendis, cui huiusmodi vsus indulgeretur. De quinto; videlicet, An lege Diuinâ necesse foret infantibus etiam Eucharistiam tradere, aliis differendum reliquit.

Post Salmeronem sententiam suam explicarunt reliqui Theologi, missi à Pontifice, à Cæsare, à Regibus, seu quauis ratione Concilio assistentes, non tamen in ordine dicendi exactè habitâ ratione dignitatis. Post multos ac prolixos cœtus, omnes conuenere, præterquam de secundo ac tertio articulo, ad Calicis concessionem spectante, & ad conditiones illi apponendas; quæ à prudentia magis quàm à scientia pendebant. 5

Refert Suauis rem, quæ accidit Amanti, è familia Seruorum B. Virginis Theologo, quem Episcopus Sebenicensis secum adduxerat; nimirum, cùm ipse propugnaret, plus gratiæ infundi sumentibus Eucharistiam sub vtraque specie quàm sub vna tantùm, protulisse Caietani opinionem, quæ dicit, sanguinem non esse partem humanæ naturæ, sed primum alimentum, & tum ex eo, tum ex aliis rationibus arguisse, non contineri sanguinem sub specie panis, ob corporis, vt dicunt, concomitantiam. Hinc ab eorum qui aderant indignatione, excitum fuisse pedum strepitum, qui Theologum coëgerit ad palinodiam canendam; imò ad affirmandum, fuisse à se allata ea argumenta non tamquam subsistentia animo ea comprobandi, sed tamquam apparentia animo ea dissoluendi, eaque propter illius sermonem progressum vlteriùs non fuisse. Rei summa vera est[f], & accidit manè die 17. Iunij: sed fragor ob aliam enuntiationem excitatus est[g]. Fuit ea, quâ idem dixit, Corpus Christi demortui seiunctum fuisse à Diuinitate. Tamen in Acta nullus eius error relatus est in hoc argumento, in quo breuissimè perstringitur id quod ille differüit: sed de primo articulo recensetur eiusdem sententia, per formam castigatione dignam; quandoquidem non affirmauit solùm, posse Ecclesiam æquè concedere Sacerdotibus ne consecrent nisi sub vna tantùm specie, sed vniuersè pronuntiauit, eas omnes leges, quas potest Deus, posse pariter ab Ecclesia relaxari. 6

[f] Diarium, 17. Iunij.
[g] Litteræ Mutinensis ad Moronum, 18. Iunij.

Quantâ cunctorum auersatione auditus fuit manè Regularis, tantum plausus accepit serò Clericus non Regularis. Fuit hic [h] Ioannes Viletta Hispanus, qui cum Episcopo Barcinonensi venerat. Is tametsi defessas aures nactus, ex tot tam crebris ac tam proli- 7

[h] Duo monumenta iam allata, & præterea Diarium.

xis congressibus super eodem argumento, tam concinnè promptéque sermonem adhibuit, vt satietate laborantibus appetentiam excitauerit. Quare postquam duas horas verba fecit, & oporteret vnà cum diei fine conuentui finem imponere, rogatus fuit, vt die postero sermonem prosequeretur. Summam hîc exponam, in Acta relatam eorum, quæ tandem collecta sunt ex Theologorum sententiis de quolibet ex quinque capitibus. 1562.

8 De primo cuncti dixerunt, non esse Diuinum præceptum, quo singuli Christianorum teneantur vtramque speciem sumere. Cuncti pariter præter vnicum Lusitanum consensere, esse hoc præceptum iis iniunctum, qui conficiunt Sacramentum. In dicta summa non fuit habita ratio sententiæ Amantis, de qua diximus; fortasse quia ab eodem reuocata iam fuerat. Rationes Lusitani aduersantis fuerunt auctoritas Innocentij III. Alberti Magni, Ioannis à Turrecremata, & narratio Raphaëlis Volaterrani [i], dicentis, eam legem ab Innocentio VIII. relaxatam fuisse Noruegis, apud quos vini vsus non erat. Ceteri, qui omnes ex opposito concordarunt, varij in fundamentis & explicationibus fuere, quod nimis longum esset referre: & de hac quæstione legi potest inter recentiores [k] Ioannes Cardinalis de Lugo, qui quâ solet acuminis præstantiâ secundam sententiam confirmat, soluitque prioris argumenta, à Claudio de Santes, aliisque eiusdem opinionis adducta; ac præcipuè Volaterranum refellit, tum ex eo, quod Bellarminus obseruauit [l], vero dissimile videri, Noruegis deesse vinum ad consecrandum, cùm in comperto sit, nunc illo abundare; tum quia hic scriptor refert, concessum fuisse, vt Calicem sine vino consecrarent: quæ res cùm à nemine censeatur esse in Ecclesiæ potestate, narrationis falsitatem redarguit.

i In libro 7. Geographiæ.

k De Eucharist. disp.19. sect.8.

l Lib.3. de Romano Pontif.c.19. in fine.

9 In secundo, An rationes, quæ induxerant Ecclesiam ad præbendam Eucharistiam laicis, & Sacerdotibus non celebrantibus sub sola specie panis, essent ita obseruandæ, vt nullâ ratione vsus Calicis esset permittendus, magna fuit opinionum varietas: sed inter omnes conuenit, potuisse ab Ecclesia illum remoueri, quòd ritus iure Diuino præscriptus non esset, nec quouis tempore vsurpatus. Duo addidere; Tametsi vsus Calicis fuisset iuris Diuini pro laicis, potuisse ab Ecclesia subtrahi, cùm ipse Deus voluisset hoc ipsum licere. Alij affirmarunt, Fas esse Ecclesiæ relaxare Diuina mandata, sed quæ solùm ad ritus ac cæremonias pertinerent. Quamplurimi ita disputarunt: Quamquam liceret Ecclesiæ aliquid mutare in conditionibus, & in vsu; nihil tamen eidem licere in iis, quæ Sacra-

1562. menta constituunt. At de modo, quo reipsa illa se gesserit in hoc vsu vnius aut vtriusque speciei per diuersa tempora, variè à variis successus ordo est recensitus; quemadmodum posteà euenit in conuentibus Patrum, prout lectoribus exponetur.

In tertio, in quo quærebatur, Vbi concedendus esset alicui nationi vsus Calicis ob rationes Christianæ charitati consonantes, essentne addendæ conditiones huic concessioni, pauci ad rem responderunt, cùm plerique acciperent interrogationem sub conditione prolatam, pro absoluta: & de absoluta quamplurimæ fuerunt sententiæ, propter varias conditiones, quas singuli excogitabant. 10

In quarto, quo petebatur, Minúsne accipiat qui vnam tantummodò speciem sumit, quàm qui vtramque; omnes negabant concorditer, quantum ad Sacramentum spectabat. Quod verò ad effectum Sacramenti, qui est gratia, maior pars affirmauit, vi Sacramenti æqualem infundi in vtroque modo; cùm tradatur gratia non ratione specierum, sed ratione Christi, qui sub speciebus continetur. Alij opinati sunt, plus gratiæ accipi cùm sumitur secunda species, cùm homo eo temporis momento meliùs est paratus: alij absolutè dixerunt, maiorem gratiam in Sacramento percipi, cùm vtraque species sumitur; quoniam Sacramenta id efficiunt quod significant; significatio verò habetur per ipsa signa. Igitur (arguebant illi) multiplicatis signis gratia multiplicatur. 11

Ad quintum, An iussione Diuinâ necesse foret, vt infantes hoc Sacramentum acciperent; ab omnibus responsum, necessarium non esse: aliter Baptismus non sufficeret ad salutem. Considerabant præterea, ipsum dari per modum cibi, cuius natura est partes vi caloris deperditas reficere; quod non accidit infantibus, quippe quibus liberum arbitrium deficit. Quòd autem Eucharistia reipsa illis tradita gratiam augeat, pauci quidam affirmarunt, exemplo eius, quod vsurpabatur ætate Dionysij & Cypriani; tametsi posteà Ecclesia id conuenienter prohibuisset, ad irreuerentiam vomentium impediendam. Sed plerique negarunt; cùm infantes seipsos probare non possint, quod exigit Apostolus primâ ad Corinthios, nec diiudicare Corpus Domini, distinguentes Panem Sacramentalem à nostrate. Alij protulerunt ad id verba illa eiusdem Apostoli ibidem, & S. Lucæ capite 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: quo aiebant significari, in eo qui huiusmodi Sacramentum suscipit, necessariam esse memoriam Christi patientis; quæ memoria in infantibus locum non habet. Oppositæ Dionysij & Cypriani auctoritati quidam se subtraxere, dicentes, in Ecclesia primæua ministrari hoc Sacramen- 12

tum

tum infantibus, ad delendum idololatrarum ritum, qui idolotheta ipsis dabant. Senserunt alij, per eum vsum intendi, muniri infantes aduersus veneficas, & ne à malis dæmonibus inuaderentur; quemadmodum nonnumquam etiam defunctis traditum fuerat, testimonio S. Ioannis, cap. 6. Qui id explicabant de ipso Sacramenti esu, respondebant, fuisse ea verba dicta, *nisi manducaueritis*, iis qui ea possent intelligere, adeoque solùm hominibus rationis capacibus. 1562.

Ex concordi Theologorum sententia quatuor Canones deducti sunt, & eodem die 23. Iunij Patrum confessui propositi. In his damnabatur quicumque diceret,

Ex Dei præcepto sumendam esse Eucharistiam sub vtraque specie:

Errasse Ecclesiam in ea laicis prohibenda:

Non tantum accipi sub vna specie, quantum sub vtraque; quia non accipitur totum id quod Christus instituit:

Necessarium esse, & ex Diuino mandato, sumendam tradere Eucharistiam paruulis, antequam perueniant ad vsum rationis.

Eo in opere cernebatur, quàm sublimis sit Theologorum conditio, quorum consilia exquirit Diuinitatis Interpres, qui falli non potest, vt præscribat humanis mentibus præstantissimos actus, qui sunt iudicia de mysteriis cælestibus. Sed cunctarum eminentium disciplinarum pauci sunt possessores, innumeri ostentatores; qui apud vulgus existimationem ipsis disciplinis minuunt, perinde quasi esset aspernanda sanctitas, quoniam multi sunt hypocritæ.

CAPVT VII.

Difficultas, & dilatio articulorum de Calice laicis concedendo. Contentio ea de causa à Præsidibus superata. Aliæ difficultates à Patribus obiectæ in Canones Fidei, à minoribus Theologis comprobatos.

1 IN reliquis duobus articulis, in quibus non quid credendum, sed quid agendum proponebatur, varij atque incerti Theologi fuerant, sicuti ostensum est. Quapropter Legati cùm intelligerent[a], positis sententiarum varietate, rerumque momentis, haud satis esse temporis ad hæc cum doctrinæ legumque sanctionibus ante Sessionem indictam coniungenda, Patrum collegio quatuor solùm articulos proposuerunt, de quibus conuenerat inter minores Theologos, eamque prolationis necessitatem Cæsarianis significarunt.

[a] In litteris Legatorum ad Borromæum, & Pontificem, 2. & 9. Iulij 1562.

1562. runt. Ad quam etiam impellebantur ab eo quod Pontifici persuaserat, vt per eos planè dies similia ipsis mandata traderet [b]. Ad primum Legatorum ille scripserat arcanis notis (quod ad ostendendam redintegratam singularemque cum illo fiduciam faciebat) vt omni charitatis largitate solatium impendendum Germaniæ prouinciis curaretur, gratificandumque quauis arbitrariâ indulgentiâ votis tam pij Cæsaris; verùm vt adhiberentur omnia legitimè, & ex Theologorum Patrumque sententia. Quod si prænoscerent Legati, ab iis concessioni repugnatum iri, rem consultò protrahendam esse, ne intereà illis populis spes adimeretur, & ipse Ferdinandus ob eam repulsam, beneuolentiam ac Synodi patrocinium deponeret; vnde reliqui fructus, qui iam matureſcebant, in flore perirent. Quare vbi Legati difficultatem præuiderent, exclusionem retardarent, donec reliqua argumenta absoluerentur: sed posteà tum in eo articulo, tum in reliquis, legitimè sincereque procederetur, rebus pro maioris partis suffragio constitutis. Ita Pontifex mentem suam patefecit. Idcircò Legati, prospicientes negotij arduitatem, illo supersedere voluerunt, quò planior esset præscriptæ Sessionis processus.

[b] Litteræ Borromæi ad Legatos, 8. Iulij 1562.

At verò Cæsariani, vbi primùm ab illis accepere initum de hac 2
mora consilium, vltra modum commoti responderunt: Potiùs retardandam esse Sessionem, donec omnia statuerentur: se pati non posse, Synodum progredi ad alia Decreta, eo postulato nondum impetrato: id enim cum graui Cæsaris indignatione fieret, & cum extincta populorum spe, qui silentium tamquam repulsam interpretarentur. Atque, siue ita crederent, siue studerent, vt fieri solet, Legatos impellere ad accusationem purgandam per effecta illi contraria, conquesti quòd in Patribus nacti non essent propitiam illam ad rem indulgendam propensionem, quam iidem anteà præ se tulerant, se resciuisse affirmarunt, contrariam operam ad id impensam fuisse.

Legati per eam fiduciam, quam pariunt æquitas causæ & con- 3
scientiæ testimonium, reposuere; Non vnam quidem horam se retardaturos aut tempus, aut opera Sessionis; propterea quòd quæcumque noua cunctatio post tam longas moras Concilij dignitati offecisset. Nec Oratores vmquam, aut alios quoscumque, signum vllum comperturos fuisse aduersus eam concessionem, à Pontifice aut ab ipsis exhibitum Patribus.

Denuntiare Cæsariani pergebant, se interceſsuros, vbi Synodus 4
ad alia argumenta procederet, eo articulo prætermisso; simulque

dissi-

diffidia & clades prædicebant. Et sanè prænoscebatur, turbarum socios iisdem adfuturos Gallos & Bauaricos, perinde atque postulati socij fuerant. Verùm Legati, etsi animo trepidi, ore magnanimi, statuerunt aliquot certe dies in cœpto persistere, gnari, ab ipsa cedendi mora tolli necessitatem aliquando cedendi. Nec destiterunt Cæsarianis palàm facere, illos per eum ardoris æstum articulum proponentes, nonnisi rei iacturam consecuturos; adeoque repulsam in eo, beneficium esse: Rerum difficilium postulata in complurium conuentibus numquam successus prosperos habitura, nisi difficultas paulatim ope temporis à flexanima suadela diluatur: Nihil esse facilius quàm negare & nihil mutare, adeoque nihil magis consuetum communitatibus: Quid aliud esse, Patres immaturè sollicitare ad subitam responsionem, quàm eosdem stimulare ad se per repulsam molestiâ liberandos? Quidnam aliud violentiam inferre Concilio procrastinatione cunctis odiosâ, quàm omnium indignationem in se conuertere, eumque fontem perturbare, vnde studebant salutares sibi aquas haurire ad releuandas ærumnas? 1562.

Cœperunt denique Cæsariani animos inclinare; sed potiùs minùs minaces, quàm minus queruli. Idcircò dixerunt Osio ac Seripando (quibus, vtpote præstantibus Theologis, demandata fuerat cura cum illis agendi communi nomine super ea re) veraces vtique à se probè deprehendi quosdam Episcopos, qui formam quamdam Decreti ipsis proponentes, affirmauerant, nihil ampliùs illos impetraturos, eamque formam ostenderunt. Fuerant hi Thomas Caselius, & Pompeius Zambeccarus[c], de quibus conquesti sunt Legati apud Borromæum, tamquam de iis qui sibi partes arrogauerant non modò Præsidum, sed Pontificis, denuntiantes, si tam palmaris arrogantia impunis abiret, nullam inposterum ab illis ac multis aliis rationem Præsidum habitum iri. Quare Pontifex grauioribus verbis à Vicecomite eos castigari iussit.

[c] Colligitur ex epistola arcanis notis scripta ad Vicecomitem à Borromæo, 18. Iulij 1562.

In exemplo illius Decreti habebatur[d], Licere Ecclesiæ honestis de causis, pro locorum temporumque conditionibus, vsum Calicis laicis concedere; committi autem Patribus, vt expenderent, an eiusmodi causæ respectu Bohemorum aliorúmve tunc suppeterent. Sed ad obtinendum tale Decretum sub conditione, & per quod nihil conficeretur, minimè laborarunt Cæsariani. Proinde compertâ id temporis Patrum propensione haud sibi propitiâ, ac diffisi moræ Sessioni impetrandæ, eius celebrationi consenserunt, dummodò articulus ille silentio neutiquam obuolueretur, sed haberetur suspensus, adiectâ declaratione, quòd duo è quinque articulis omissi,

[d] Colligitur ex Actis Palcotti.

1562. quàm celerrimè posset per opportunitatem expenderentur, & præterea pollicentibus Legatis, se Pontifici commendaturos Oratorum postulata; quod posteà præstitere [e].

[e] Litteræ Legatorum ad Pontif. 9. Iulij 1562.

Intereà quatuor tantùm Canones, sicuti dicebamus, in cœtu generali [f] propositi sunt: & in duobus prioribus Patres concordes fuere; sed in tertio, quo affirmabatur sumi Christum integrè sub vnica panis specie, dixit Granatensis, id in Iulij Synodo fuisse iam definitum, quandoquidem illic declarabatur totum Christum integrè contineri sub vtralibet specie; quapropter si de nouo id decerneretur, non continuaretur Synodus, sed præteritæ decisiones reficerentur. 6

[f] Acta Pacotti, & Arcis S. Angeli Romæ, 30. Iunij.

Seripandus, qui auctor illius consilij fuerat, veritus ne Granatensis oppositio animos occuparet, extemplò per eruditam dissertationem ostendit discrimen inter Canonem sub Iulio sancitum, & illum de quo agebatur. In duobus hæreticos erraſſe super Eucharistia, de re in Sacramento contenta, & de vsu Sacramenti. In priora errata recidisse damnationem anteactæ Synodi, quæ consulto posteriora reposuerat peculiari trutinæ ponderanda: etiam in corporis cibatu aliud esse fercula quæ apponuntur in mensa, aliud eorum vsum; in hoc vsu versari recentem Lutheri hæresim, dum ille improbabat consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, quasi ea vnam tradens speciem haud plenè satisfaciat Christi institutioni, per quam vtraque species tradita est. Tunc verba ipsius Lutheri produxit: atque hunc errorem parato Canone damnandum esse. 7

Huiusmodi rationibus multi acquieuere; & quibusdam superuacaneum videbatur, subtilius perscrutari, nouámne Lutherus hæresim in illud mysterium induxerit. Certum, aiebat [g] Ioannes Triuigianus Venetus Patriarcha, integram Christi præsentiam sub vnaquaque specie fuisse definitam in Florentino, & tamen iterum eam definitam esse in Tridentino sub Iulio. Certum est, errorem eorum, qui defendunt præcipi lege Diuinâ vt sub vtraque specie sumatur Eucharistia, à Constantiensi fuisse proscriptum, & nunc iterùm primo Canone eumdem proscribi. Cur igitur ad rem ampliùs confirmandam & declarandam tertium Canonem ex propositis recusabimus? Vt in rem esse iudicemus, nónne sufficit, quod in Lutheri verbis aliquod indicium appareat hæresis nouæ, quæ refellitur hoc Canone, & quæ disertè & proprio ipsius tenore damnata non est in proximè superiori Tridentino conuentu? Ita ratiocinabatur Patriarcha; eique maior pars assentiebatur, quando Seripandi rationes multos retraxerant in opinionem oppositam monito 8

[g] Eius suffragium est in monumentis Barberinorum.

Grana-

Granatensis, quod ipsis anteà probabatur; ac præsertim Hieronymus Triuigianus Veronensis Antistes, qui non solùm eam complexus est, sed studuit vt alij complecterentur. Euentus haud rarus, ob quamdam hominis propensionem ad declinandam leuitatis notam, dum graue rationis pondus ostendit, quo à sententia dimotus est. 1562.

9 Contrà verò Ioannes Carolus Bouius, Episcopus Ostunensis, cum Mutinensi, & supremo Ordinis Prædicatorum Præside, tametsi cognoscerent, aliud significari ab eo tertio Canone, aliud à promulgato Iulij ætate; existimabant tamen, Lutherum haud fuisse magistrum falsitatis illius aduersum quam nouum Decretum condebatur, quippe qui per verba, quæ Seripandus produxerat, non differebat de vsu, sed solùm ibi rationes probationesque confutabat, allatas à Catholicis de re in Sacramento contenta; adeoque videbatur ipsis ea proscriptio non quidem proscriptio erroris anteà damnati, pro eo ac sentiebat Guerrerus, sed planè imaginariæ laruæ damnatio. Verumtamen reliqui in Legati sententiam iuere, cùm censeretur, ad conficiendum prudenter nouum antidotum opus non esse certam notitiam, sed sufficere suspicionem noui veneni.

10 Maior superfuit controuersia de illo Canone, num esset simul declarandum, æqualem gratiæ mensuram deberi sumenti hoc Sacramentum sub vtraque, ac sumenti sub vna specie. Super hoc inter minores Theologos plurimum disceptatum fuerat, & maior pars ad æqualitatem gratiæ propendebat. Posteà in Patrum consessu Osius inter Legatos, & Episcopus Quinque Ecclesiarum inter Oratores, auctores erant, vt res definiretur; aliter, prænuntiabant, multos Septemtrionis populos, hactenus cum Ecclesia Romana coniunctos, sed illius relaxationis cupidos, si fortasse eam non obtinerent, & illa æqualitas gratiæ à Concilio non decerneretur, diuisum iri ab eadem Ecclesia, causantes, existimasse complures Theologos illius conuentus, quoddam incrementum gratiæ per eam Ecclesiæ prohibitionem ipsis subtrahi. Maiori tamen, ac potiori parti placuit, imitandam potiùs esse Synodum Constantiensem, quæ noluerat ea de re sententiam formare, sicuti Ioannes Gerson testatur. Id etiam conuenit penè inter Hispanos Præsules, ac præsertim Granatensem, Bracarensem, Segouiensem, Dertusensem, Salmanticensem, Franciscum Blancum Aurensem, & Antonium Corromerum Almeriensem; nec minùs eam partem propugnauit Mutinensis.

11 Vniuersè tamen expetitus fuit modus aliquis accuratior loquendi in Canonibus, & aliqua explicatio præuia doctrinæ, quæ lucem

1562. præferret, & scrupulos amoueret, perinde ac fieri consueuerat in Concilio Pauli & Iulij. Idcircò partitæ sunt curæ. [h] Cura Canonum, qui aut dogmata Fidei, aut errorum emendationem continerent, Cardinali Simonettæ demandata est, additaque ipsi opera Fuscararij, Blanci, Boncompagni, & Generalis Prædicatorum Magistri. Cura doctrinæ commissa fuit Osio ac Seripando, vnà cum Episcopis Parisiensi, Clodiensi, Ostunensi, & Christophoro Patauino, supremo Eremitarum Moderatori.

[h] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 2. Iulij 1562.

Hi doctrinæ formam elaborarunt, & ad Patres detulerunt. Sed, 12
pro more magnorum cœtuum, pauca ex ea abierunt quæstionis immunia. Improbabant alij quæsitam styli munditiem, quasi plus venustatis quàm maiestatis præ se ferentem, neque grauitati consentaneam, neque Ecclesiasticam antiquitatem redolentem: alij è conuerso grandiorem illam postulabant, quò esset accommodatior conditioni sæculi, quod doctrinam nauseabat, nisi elegantiâ condiretur; adeò vt multi ex recentioribus litteratis minori ferrentur animi affectione in cælestis veritatis oracula, quòd ea cernerent inter crassiora inuolucra scholasticæ ruditatis. Et quò iudiciorum varietas agnoscatur, haud reticuero, proponentibus nonnullis, ne tam sublime Sacramentum nominaretur sine aliquo honorifico titulo, fuisse qui nomen *Augustissimi* improbauerit, quippe laicis Imperatoribus tributum, eiusque loco titulum *Sanctissimi* postulauit, qui Dei Vicario proprius est; nullâ ratione habitâ, quòd idem ab *Augusti*, quod à *Sancti* vocabulo significetur; nec animaduertens, ex huiusmodi ratione non aptè dici *Maiestatem Dei*, propterea quòd titulus *Maiestatis* nunc Regibus temporariis imponitur.

Ad grauiores animaduersiones pergamus. Albertus Diuinius de 13
Gliricis, Episcopus Veglensis monuit, in Cypro, in Creta, & in aliis regionibus esse prope sexcenta capitum millia, quæ vsum Calicis retinebant, & tamen cum Ecclesia Romana eos conuenire; adeoque cauendum esse ne damnarentur, quemadmodum indicabant verba capitum digestorum, quod non modicam perturbationem exciuisset. Libellum etiam protulerunt Oratores Gallici[i], in quo non modò eamdem quam Cæsariani relaxationem petebant, sed insuper postulabant, ne in quouis Decretorum euentu vllum afferretur detrimentum Regi Christianissimo, qui suæ consecrationis die solitus est pro vetustissima consuetudine sub vtraque specie Sacramentum suscipere, idque vsurpari in eo regno à nonnullis Cœnobiis Ordinis Cisterciensis, certis quibusdam diebus. Ad hæc responsum est, In Decretis paratis eos damnari, qui necessitatem,

[i] 4. Iulij, vt in Diario Musotti, & in Actis Paleotti.

Diuinum-

Diuinumque mandatum sumendi vtramque speciem affirmarent, non item eos, qui ex veteri priuilegio aut ritu id vsurparent, nihil tamen in Fide ab Ecclesia dissentientes: non esse mentem Concilij quidquam de iis innouare, imitantis Innocentium III. in capite postremo, tit. *de Baptismo*. Tamen Augustinus & Ragazzonus suadebant, vt hæc ipsa Concilij mens verbis clarioribus explicaretur: & ex his prior testabatur, priuilegij cuiusdam exemplar à se lectum fuisse, in quo Græcis vniuerse concedebatur vsus vtriusque simul speciei, eorumque infantibus Eucharistiæ sumptio; visumque à se pariter in Sacrario S. Petri volumen scriptum à Cardinali *Deus dedit*, anno 1090. post Gregorium VII. aduersus schismaticos & simoniacos, in cuius secundo libro mentio habebatur, tamquam de illius ætatis consuetudine, quòd statim post Baptismum dabatur infantibus panis consecratus, vino madefactus. 1562.

14 Suauis has dissertationes ex parte narrans labitur, dum Augustinum inducit quasi auctorem moniti mox memorati, vt nimirum euitarentur verba, quibus damnari videretur Græcorum consuetudo, non minùs affirmando huiusmodi monitum irritum concidisse, vtpote nonnisi à Bernardo Delbene Episcopo Nemausensi comprobatum. Lapsus excusabilis est, quippe cui fortasse causam præbuit narratio cuiusdam qui Concilio interfuit [k], sed non tam diligenter obseruauit ea singula, quæ nihil ad rem suam faciebant, sicuti Paleottus, cuius munus erat sententias notare, easque in Acta referre. Reuerà, vt narrauimus, sententiæ auctor fuit Diuinius, & cum eo conuenit Ragazzonus. Neque consilium concidit, quin susceptum fuit, adiectâ Canoni explicatione. Proinde vt in forma iam proposita dicebatur [l]: *Ecclesia, ductu Spiritus Sancti, grauibus ac iustis causis adducta, vnam solùm speciem, hoc est panis, dederat laicis, & Clericis non conficientibus Sacramentum*; ita posteà, sicuti nunc extat, substitutum est [m], *Licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens vtriusque speciei vsus fuisset; tamen progressu temporis latissimè iam mutatâ illâ consuetudine, grauibus & iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit; quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.*

k Epist. Viccomitis ad Borromæum, mense Iulio 1562.

l Acta Paleotti.

m Sess. 22. cap. 1.

15 Intolerabilior est audacia Suauis, dum comminiscitur, Fererium egressum è confessu, nescio quid quæsiisse ab Augustino, & ab hoc ridiculum responsum redditum ob ignorationem historiæ. Qui mediocri Scriptorum notitiâ imbutus fuerit, facilius Suauem obtrectatorem crediderit, quàm Augustinum ignorantem. Pergamus.

1562. Iacobus Maria Sala, Episcopus Viuariensis, dissuadebat, ne in 16
quodam doctrinæ capite produceretur, sicuti in exemplo proposito absolutè fiebat, testimonium S. Ioannis cap.6. idque ob diuersos opinandi modos inter veteres Patres, an ibi intelligatur esus *corporeus* carnis Christi, qui fit in Eucharistia, an *spiritualis*, qui fit in Baptismo, & in iustitiæ susceptione; & optauisset vniuersè nudam explicationem doctrinæ, rationibus haud conuestitam, cùm sibi viderentur eiusmodi vestes non tantum prodesse definitionibus, tamquam clypei tutamentum, quantum aduersariis, tamquam impugnationis incitamentum.

Postulabat in quarto Canone Brixiensis Antistes, vt non solùm 17
diceretur, vsum Eucharistiæ non esse necessarium infantibus, sed ipsis etiam interdictum; quandoquidem rationes, propter quas Calix populis prohibebatur, fortius impellebant ad Sacramentum illud infantibus omnino prohibendum. Non tamen placuit communiter hunc vsum damnare, cui fauent antiqua monumenta primæuæ Ecclesiæ apud sanctos Dionysium ac Cyprianum, aliosque vetustos Doctores.

In summa confectum est, vt illud exemplar doctrinæ plurimum 18
reconcinnaretur, & integrum denuò reformaretur, additâ Patribus ad conficienda Decreta destinatis aliorum quorumdam operâ; cùm in comperto sit, ab alicuius opificij auctoribus, minùs miti ac remissâ manu illud resecari; quod euenit fortasse non tam, vti dici solet, ex paterno quodam amore erga suos partus, quàm ex amore proprio erga sua iudicia.

CAPVT VIII.

Reditus Archiepiscopi Lancianensis, & responsa Pontificis ab eo delata. Epistola ab vno supra triginta Episcopis ad se purgandos scripta. Venia abeundi, anteà quibusdam Episcopis à Legatis concessa, & posteà iussu Pontificis reuocata. Mandata Vicecomiti tradita; eiusque solertia, ad conciliandos inter se Mantuanum ac Simonettam impensa. Adhibita à Morono studia cum Patribus Concilij sibi intimis. Multa Suauis errata.

DVm Synodus huiusmodi deliberationibus operam dabat, re- 1
diit Archiepiscopus Lancianensis die 10. Iulij, hoc est sexto ante præscriptum Sessioni diem, absterstique Legatis sollicitudinem, quâ angebantur [a], cognoscendæ Pontificiæ voluntatis,

[a] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 13. Iulij 1562.

tis, cùm illius exequendæ tempus instabat. Primum mandatorum caput, quæ data à Legatis Lancianensi retulimus, ipsi iniungebat, vt ostenderet Pontifici, quàm esset Christianæ Reipublicæ perniciosum id quod scriptum à variis Romæ Aulicis, & à variis Tridenti Patribus comprobatum audiebatur, de dissolutione aut translatione Concilij, ab aliis denuntiata tamquam à Pontifice designata, ab aliis commendata tamquam necessaria ad reparanda Diœceseon damna, & incommoda Præsulum. Quin Lansacus Regi significauit[b], Archiepiscopum potissimè missum ad remouendum Pontificem ab eo consilio, ad quod ipsum impellere conabantur siniſtris narrationibus homines boni publici parum amantes. Sed Pontifex reditu Lancianensis Legatos certos reddidit, id à sua mente vel maximè alienum esse; adiecitque, ad rectè de sua voluntate arguendum, oportere sua facta, non aliorum verba consulere. Ipsis præterea renuntiari curauit, Cùm in prima Sessione procedendum esset ad Continuationem non verbo sed re præstandam, id nonnullis videri nequaquam perfici, si de articulis de sumptione Eucharistiæ ageretur; sed opus futurum fuisse de duobus Sacramentis, nondum sedente Iulio expensis, agere, nimirum de Ordine ac Matrimonio. Responderunt Legati, Ea de re maturè & optimis rationibus fuisse deliberatum; & si quid ipsi fidei mererentur, opus rectè confectum habendum esse. Atque de hoc ipso paucis antè diebus[c] scripserunt, nuntiantes, visam ibi fuisse epistolam Vargas, quæ dicebat, oportuisse continuationi de Missæ sacrificio insistere. Huiusmodi censuras arbitrati sunt Legati Româ ad se delatas ex Tridenti repercussu, easque ibi fuisse dictatas alicui, ab animi affectione potiùs quàm opinione; id, quantum existimo, tribuentes Granatensi, qui moræ de mansionis articulo impatiens, ardenter cuperet Ordinis argumentum confestim ingredi, quando in eo spoponderat Mantuanus interruptam de huiusmodi articulo quæstionem resumere. Quapropter Legati, quodam quasi dedignantium supercilio, dignati non sunt ad ea rationibus respondere, perinde ac si quasi litigatores se defenderent; sed auctoritate Iudicum rescripsere, rem fuisse peractam consulto, ex sententia ac voluntate vniuersi Concilij.

1562.

b 11. Iunij 1562.

c Litteræ 9. Iulij.

2 Imposuit præterea ipsis Pontifex per mandata Lancianensis, vt Continuatio etiam verbis, quantum fieri posset, significaretur; non tamen declararetur, nisi fortasse Rege Catholico apertè id vrgente. Ad quod perficiendum exempli procœmio formulas quasdam apposuerant, quæ id ipsum satis indicarent: sed posteà superuenit

Borro-

1562. Borromæi epistola, arcanis notis exarata, quâ mandata reuocabantur. Causam opinor fuisse oppositum Gallorum ardorem. Etenim iussus fuerat à Rege Lansacus [d], vbi vellet Synodus progredi ad eam declarationem, quâ spes omnis optati ex Protestantibus fructus exaruisset, vsque ad contestationem obsistere: cumque is certior fieret [e] ab Oratore Gallico Romæ degente, secum rursus à Pontifice super ea re sermonem habitum fuisse, illi rescripserat, Se magnoperè mirari, quandoquidem nec Regis Christianissimi, nec Cæsaris, nec Regis Catholici ministri Pontificem vrgebant ad id pro alterutra parte declarandum ante finem Concilij. Si Pontifex eius soluendi opportunitatem quæreret, posse alios iniri modos; sed antequam id faceret, consideraret per Deum clades inde imminentes Christianis populis, & Ecclesiæ. Hoc, vt mea fert opinio, effecit, vt Pontifex consilium mutaret, veritus, ne si hac de causa Synodus dissolueretur, fama, quæ huiusce dissolutionis desiderium mentionemque illi iam tribuebat, de eodem esset oblocutura, perinde quasi iussisset ex arte, sub vmbra Continuationis, Concilij præcisionem.

d Responsio Regis ad Lansaci epistolam, scriptam 7. Iunij 1562.

e Epistola Lansaci ad Insulanum, 25. Iunij 1562.

Fuit qui putauit [f], nouum Hispanorum teporem in ea declaratione promouenda, in quam anteà tam inflammato studio ferebantur, ortum esse ex iisdem vocibus de Pontificis animo, quasi procliuis in eam esset, vt ipsa Concilium perfringeret, & cum eo simul reliqua omnia, quæ fuerant agitata de altera declaratione ipsi odiosa, super mansionis præscripto. Quare destiterunt à postulato prioris, ex desiderio posterioris. Vsque adeò interdum prodest, ne aliquod ædificium ab aliis diruatur, ipsa suspicio quòd paratum ad id animum gereret illius architectus. 3

f Litteræ Murinensis ad Morosinum, 8 Iunij 1562.

Similis quædam ratio, vt sinistra de ipsius Pontificis mente opinio amoueretur, fuit in causa, vt Pius Legatis iniungeret insolitam seueritatem [g] in concedenda Episcopis facultate illinc ad tempus discedendi, in quo laxius cum illis actum fuerat, ne ibi quasi compediti detinerentur. Sed cùm videretur ea facultas à compluribus peti, duplex erat hominum iudicium: Opinabantur alij, eos, qui anteà definitioni de iure residendi fauebant, esse parum acceptos, agnoscentes, velle vnum post vnum recedere; quod ob ingentem eorum numerum magna ex parte Concilij dissipationem attulisset. Rebantur alij, fuisse illos ad id impulsos, aut certè ostium illis reseratum. Et quamquàm Præsides variis studiis ab ea discedendi voluntate nonnullos remouissent, idque potissimum Vicecomitis monito [h], Simonettæ dato; tamen, quò efficacius cautum esset, 4

g Constat ex duabus litteris Legatorum ad Borromæum, 12. & 13. Iulij 1562.

h Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 3. Iulij 1562.

iussi

iussi posteà sunt à Pontifice cunctis eam facultatem reuocare, ac præsertim Pauesio, Beroaldo, Salæ, & Fuscarario; tametsi Suauis, nihil huiusce rei conscius, hanc reuocationem à Legatis habitam tribuat Oratori Lusitano, non autem Pontificis prudentiæ. Nec obtemperatio difficilis euasit, cùm intelligerent Patres [i], id non modò in Concilij dignitatem, sed in ipsorum decus redundare, quippe quorum opera minimè noxia à Pontifice agnoscebatur. 1562.

5 Et plane illius bonæ apud Pium existimationis cupidi, per occasionem Marini Archiepiscopi, Romam petentis, communem epistolam ad Pontificem scripserant [k] triginta & vnus Episcopi Italici, ex iis qui seueriſſimæ sententiæ de mansione adhæserant: non tamen ipsi Marino epistolam, sicuti anteà decreuerant, tradidere; sed ad Amulium Cardinalem mittendam curarunt à Petro Soto Dominicano, præcipuo illius opinionis propugnatore, & præclaro Theologo, illic Pij iussu degente. Quod effectum est, ne Archiepiscopus, dum [l] litteras nuntiosque ipse perferret, testis auctoritatem amitteret. Hi Præsules per eam quam diximus epistolam accusationes diluebant, quibus insimulabantur se parum addictos Apostolicæ Sedi fuisse, & in illam oblocutos non eâ quâ par erat reuerentiâ, atque vota ad eius abiectionem propensa prætulisse; quin omnes vocem, stilum, sanguinem ad eam tuendam euehendamque offerebant. Quibus Pontifex Archiepiscopo redeunte beneuolenter respondit: sed hæc responsio multos post dies ipsis reddita est, ob causam quam exponemus.

6 Significauit vnà Pontifex Legatis per Archiepiscopum, gratum sibi futurum fuisse, si sanctio de vsu Calicis protraheretur; vnde eâ sunt imbuti lætitiâ, quâ minister afficitur, quòd rem egerit ex mente Principis, cùm egit ex sua, verso anxietatis labore in certæ notitiæ voluptatem. Ipsi tamen posteà in memoriam Pontifici reuocarunt Cæsaris promerita, grauesque boni publici rationes, quæ ipsum Cæsarem vt ea peteret adeò inflammabant, quò Pontifex animum induceret ad illi gratificandum. Et sanè prudentissimo consilio Legati ac Pontifex ducebantur, ne tam citò committerent vrnæ quod proponebatur; nam aut implicàtum ac diuturnum negotium futurum erat, sicuti discordes Theologorum Patrumque sententiæ prænuntiabant, & id quasi syrtis fuisset, quæ cursum Concilij in aliis liquidioribus argumentis retardasset; aut confestim conficiendum, & in eo casu æquè pernicioſa repulsa ac indulgentia prænoscebantur: repulsa tam vehementer Cæsarianos abalienasset, vt siue Concilium desererent spe vacui, & indignatione

[i] Litteræ Mutinensis ad Moronum, 2. Iulij 1562.

[k] Acta Paleotti, & distinctius epistola Iadrensis ad Cornelium Cardin. ad quem exemplar mittit 8. Iunij 1562. inter Commentarios à Rinalduccio seruatos.

[l] Litteræ Iadrensis, 25. Iunij.

1562. pleni; siue perstitissent, solùm effusuri tantumdem amaritudinis, quantum ex eo acerbo Decreto absorbuissent. Nec minùs detrimenti perturbationisque timendum erat ex indulgentia, idque duas ob causas,[m] quas Pontifici significauit Vicecomes. Altera erat, quia si Cæsariani hoc impetrassent, quod potissimum eorum votis obuersabatur, præpediuissent forsitan multis obicibus progressum Concilij, à quo in reliquum præuidebant exituras tantummodò proscriptiones offensionesque Protestantium, ad quos edomandos spes ipsis non aderat, sed solùm aut ad reconciliandos, aut ad sopiendos. Altera erat, quòd innotuerant immoderatæ petitiones, quibus onusti tum ipsi Cæsariani tum Galli conuenerant, & animaduertebatur, in huiusmodi conuiuio non expleri vno cibo, sed potiùs succendi alterius appetentiam.

[m] In epistola ad Borromæum occultis notis, initio Iulij.

Resciuerat Vicecomes, narrante Friderico Cornelio Episcopo Bergomensi, dum ipse cum Oratore Lansaco prandet, ab eo audiuisse, non modò se Cæsarianorum postulato de Calicis vsu adhærere, quamuis affirmaret id in mandatis sibi traditis non haberi; sed simul etiam plurimis aliis legum Ecclesiasticarum mutationibus immoderatis, vtpote suas apud regiones optabilibus: nimirum, vt publicæ precationes & Missæ sacrificium linguis vulgaribus haberentur, vt Sanctorum imagines auferrentur; vt nuptiæ Sacerdotibus permitterentur: quæ Præsulem illum vehementer offenderant, huiusmodi sensa rationibus plurimis refellentem. Videbantur itaque vtrique Oratores eò tendere, vt quocumque tandem modo seditiosis satisfieret, etiam cum graui Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento, nihil animo reputantes, quantum malorum ex huiusmodi exemplis oriretur; quod nimirum esset penes homines contumaces efficere vt Ecclesia suas antiquissimas potissimasque constitutiones magna ex parte mutaret; vnde statim cunctæ reliquæ sanctiones pariter auctoritatem omnem venerationemque perdidissent: quod incommodum illorum apud Principes Consiliariorum aciem non fugisset, si quod tunc de legibus Ecclesiasticis agebatur, idem de mutatione legum politicarum suis in Principatibus ageretur. Sed vnusquisque largus est in alieno panno resecando, quo vestem ad se fouendum conficiat. 7

Itaque Legati ac Pontifex, quò procul arcerent Oratores ab iniquioribus postulationibus, nonnisi in fine opportunum censuere illarum pluribus satisfacere, etiamsi nequiores illas agnoscerent. Firmabatur autem Pontifex in ea agendi ratione, acuta ac circumspecta, ab opinione sinistra à se concepta de mente generatim 8

exter-

externorum, qui Tridenti aderant. In quo videri fortasse poterat aut nimis credulus aliorum criminationibus, aut parum cautus in sua persuasione patefacienda. Questus ille fuerat [n] cum Oratore Veneto Romæ, quòd Nicolaus de Ponte partes ageret in Synodo concitatoris magis quàm Oratoris, instigans Præsules illius ditionis ad inquieta consilia. Querimonia in eo sita erat [o], quòd Nicolaus paucis post suum aduentum diebus, inuitatis ad prandium Episcopis Venetæ ditionis, vnà cum aliis, cùm ibi sermo haberetur de quæstione mansionis, tunc feruescente, acriter locutus fuerat in eos, qui definitioni obsistebant, quòd illa ad ius Diuinum referretur. Similiter Hispanorum vociferationes aduersus particulam, *Proponentibus Legatis*, & pro memorata definitione, suspicionem reddebant Pontificem de aduerso ipsorum animo erga Pontificiam auctoritatem. Cæsarianorum postulata & de dogmatum mora, & de morum emendationibus intolerandis, diffidentiæ sæpiùs & querelarum materiam illi præbuerant. Sed contra Gallicos Oratores, ac præsertim eorum antesignanum Lansacum [p], proruperat coram Insulano in verba contumeliosa, affirmans, ab illo non modò res nouas & indecoras peti, sed cùm vellet idem vt Synodus Angliæ Reginam ac Protestantes inuitaret expectaretque, Regis Christianissimi Oratorem minimè videri: quoniam ij Principes perduelles & hostes erant Pontificis, & conaturi fuissent Concilium corrumpere, & hugonottum reddere, cùm Rex Galliæ illud vellet Catholicum conseruare. Postea verò conquestus fuerat [q], quòd omnes tres Galliæ Oratores indicassent, potissima ipsorum consilia ad Sedem Apostolicam abiiciendam tendere, declarationem cupientes, quâ eius potestas inferior Concilio pronuntiaretur, & vniuersus Ecclesiæ ordo peruerteretur. Huiusce rei Lansacus admonitus, acerbissimè expostulauit [r], iniecto mendacis nomine cuicumque illa de se enormia flagitia blateranti, missisque ad se purgandum Pontifici litteris, à vitæ suæ tenore, ab exercitis à se Romæ muneribus, præter natales suos, innocentiam suam satis defendi; ea solum à se fuisse postulata, quæ sibi regiis mandatis iniungebantur: optatum à se Anglicæ Reginæ ac Protestantium interuentum Concilio, non quò illud in hugonottum corrumperetur, sed quò hugonotti in Catholicos conuerterentur. Nihil se molitum fuisse in Apostolicam Sedem, cui addictus & obsequens filius semper vixerat, operamque in multis grauibusque negotiis impenderat. Vt ea declararetur Concilio subiecta, ne indicatum quidem à se suisve collegis, neque quidquam à Sorbona super eo articulo ipsis demandatum fuisse.

1562.

n Acta Paleotti.

o Litteræ Iadrensis, 27. Aprilis 1562.

p Extat in quodam monumento relicto ab Insulano Abbati S. Gildesij, subscripto die 29 Maij 1562.

q Litteræ Lansaci ad Insulanum, 23. Iunij 1562.

r Litteræ Lansaci ad Insulanum, 9. & 25. Iunij 1562.

1562. Per hæc Pontifex sibi satisfactum ostendit; sed renouatis apud 9
ipsum aduersis narrationibus, ille pariter contumelioſas querelas
apud Insulanum renouauit. Hinc Lansacus supra modum exulce-
ſ 25.Iunij. ratus, ad illum rescripsit[ſ]: Cùm ipse tam pronam contra se fidem
Pontificis animaduerteret, nouam ad se purgandum operam pror-
sus irritam à se putari; sed à Rege se petiturum, vt alterum sibi suf-
ficeret, qui meliori fortunâ munus illud exerceret. Adductus tan-
t Litteræ Lansaci ad Insulanum, 9.Iulij 1562. dem erat Pontifex vt diceret[t], contentum se futurum, dummodò
Lansacus nonnisi res consuetas, ac rationi consentaneas postularet.
Quas voces à se non omnino intelligi ille indicauit: sed spectabant
ea immoderata vota, quæ Lansacus præ se tulerat in priuatis qui-
busdam colloquiis, & nos memorauimus, ad vniuersi regiminis Ec-
clesiastici perturbationem tendentia.

Et iam Pius tam procliuis agnoscebatur ad contrahendam suspi- 10
cionis æruginem, vt vel maximè illius intimi cautiones apud ipsum
haud superuacaneas duxerint. Quapropter Moronus, cuius pluri-
ma apud varios Antistites Synodi auctoritas in comperto erat, cùm
resciſſet, illos Antistites, ac præsertim Sutrinum sororis filium accen-
so studio decertasse pro definitione mansionis, non expectauit vt
à Pontifice significatione suspicionis stimularetur; sed, quippe cor-
datus ac prudens, nemine admonente varias scripsit litteras ad soro-
ris filium, ad Mutinensem, ad Perusinum, & ad alios sibi magis in-
timos, quibus improbabat eorum pertinaciam in appetenda ea defi-
nitione, cui adeò dissentiebant ac reluctabantur collegæ. Satius es-
se imitari id quod in similibus conditionibus sæpiùs euentu pro-
spero vsurpauerat Ecclesia, ac potissimùm in feruentissima quæstio-
ne de Virginis immunitate ab originaria noxa, pendentem relin-
quens controuersiam, donec paulatim deferuesceret æmulationis
u Litteræ Vicecomitis ad Borromæum arcanis notis, 2.Iulij 1562. æstus. At verò Vicecomes clarè cognouerat[u], complures Episco-
pos, qui semel ac sæpiùs pronum in eam definitionem animum pa-
tefecerant, haud passuros fuisse, vt ab eo consilio quibusuis cohor-
tationibus dimouerentur, adeoque sperandam non esse, pro eo ac
interdum vsuuenit, victoriam per obtusa cunctationis arma; ne-
que id Mantuano adscribendum, quasi eius discessus, vbi reipsa se-
queretur, remoturus esset follem eo vento distentum, propterea
quòd ne cuncta quidem studia, à se ad silentium ab Episcopis impe-
trandum adhibita, efficaciam ad id essent habitura: ei, qui men-
tem, animique affectionem postulato iam defixerat, facile esse
repulsam ab irreuerentiæ inuidia obtentu conscientiæ vindicare.

Vicecomes præter impositam curam subeundi penetralia illius 11
nego-

negotij, alia tria clàm in mandatis habebat, iterata per litteras, quas Archiepiscopus[x] Lancianensis ipsi detulerat: vt originem dissensionis inter Mantuanum & Simonettam indagaret: vt vtri ex illis vitio ea esset vertenda certò cognosceret: vt ipsos reconciliandos curaret. Ad primum respondit, Originem dissensionis ex mansionis quæstione ductam fuisse. De secundo voluit cautiùs rescribere quàm apertiùs, ac tantummodò dixit, Cùm Borromæus postremam vnius purgationem vidisset, & antegressas alterius litteras, melius ab ipso iudicium proferri posse. Sed in tertio, ex quo fructus maximè petebatur, quippe quod futurum spectabat, studiosè conatum omnem adhibuit, & in dies propensiorem ad id Simonettam animaduertit, tum ob ingenium mansuetum, tum ob inferiorem conditionem, tum etiam ob promptam facilitatem ineundæ pacificationis in homine qui altero potior fuit. Maiorem auersationem metuebat in Mantuano, ob delicatiorem Principum cutem, & irritabilem sensum, quem habet quodlibet membrum ex ictu dolens: quare cœpit leuiter eum tentare Oliui manu, qui Mantuano à secretis erat; & postquam cum eo plures de re sermones habuit, ratus se quantum satis esset comperisse, modos hosce Borromæo proposuit, Aut vt sibi per ipsum liceret ostendere vtrique Legato litteras, per quas sibi imponebatur, vt Borromæum edoceret, vter illorum peccasset (nam hinc vterque studuisset se litteris apud eum purgare; ipse verò depositâ Iudicis personâ conciliatoris partes assumpsisset) aut vt Pontifex significandum curaret Simonettæ per Alexandrum eius fratrem, Romæ commorantem, & Mantuano per Gonzagam Cardinalem, reconciliationem illam à se optari. Addebat, Altempsium Cardinalem, vtpote collegam vtriusque, ibi morantem, & Pontificiæ sororis filium, idoneum ad id sequestrum futurum: effici posse vt Simonetta Mantuanum adiret, cupidumque ostenderet animum sui apud ipsum purgandi, eiusque beneuolentiæ recuperandæ: quod si fieret, compertum erat Vicecomiti, nacturum illum fuisse humanissimam vicissim in altero voluntatem; Simonettam verò ad id præstandum haud difficilem videri.

1562.

[x] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum occultis notis, 13. Iulij 1562.

12 Questus fuerat Oliuus, quosdam Præsules, qui hero suo minùs reuerentiæ in loquendo & scribendo exhibebant, blandiùs fuisse habitos, & sæpiùs adhibitos à Simonetta; & nominatim notabantur Sanfelicius, Caselius, Stella, Serigus, & Zambeccarus. Sed Simonettam excusauit Vicecomes, causatus, illum indigere eorum operâ ad retundendam in cœnibus quorumdam audaciam. Hinc materiam sibi conquirit Suauis ad suam fabulam extruendam: ea

1562. est, Simonettam, cùm aliquid in conuentibus propositum audiebat, quod suis consiliis aduersabatur, illis Episcopis vti, quippe hominibus ex patriæ ingeniique conditione audacter facetis, qui quosdam ex primariis Patribus offendentes, in causa erant vt eo die conuentus dissolueretur. Equidem duo admirari satis nequeo; alterum, quo pacto is, qui momum egit Christianæ Reipublicæ in carpendis viris præclarissimis, qui sanctimoniâ, virtute, doctrinâ, prudentiâ & imperio, sæculo superiore præfulserunt, ore nonnisi aut ad deridenda, aut ad mordenda illorum nomina aperto, audeat confidenter aliorum facetias reprehendere, simulque eorumdem patrias lædere, Bononiam, Neapolim, Venetias, hoc est Italiæ & orbis ciuitates in primis egregias. Alterum, quòd scribens idem res Tridenti gestas, quæ in famæ luce supersunt, narret tamquam frequenter accidens id quod ne semel quidem contigit. Absque dubio affirmare mihi licet, in cunctis monumentis, quæ oculis vsurpaui, numquam à me fuisse deprehensum cœtum vllum, qui ante consuetam horam ob huiusmodi aculeos dimissus fuerit. Cuinam credibile sit, tot homines, præcelsæ conditionis natalibus, sapientiâ, dignitate, passuros fuisse, vt conuentus ille, per immensum vniuersi Christiani generis sudorem coactus, audacium promptorumque hominum ludibrium foret? Vbinam vmquam, non dicam in Oecumenico Concilio, quod totius orbis maximè venerabilis Senatus est, sed in Consilio ciuium honestorum hoc toleratur? Res igitur ita se habebat. Amplissima erat in Episcopis loquendi libertas,
y 13. Iulij 1562. adeò vt indecoram Vicecomes eam putauerit, scripseritque y ad Borromæum, illam sibi videri moderandam. Per hanc libertatem Transmontani præcipuè commoti animi sensus effundebant, quorum alij ob aliquam inconuenientiæ speciem, quam præ se ferunt quædam in regendo consuetudines, qualem præ se ferunt quædam in corporibus membra, homini qui anatomiam probè non callet, nec totius finem comprehendit; alij ob persuasionem, quâ solet sibi quisque arrogare scientiam aptius ordinandi cursum orbium maximè sublimium; alij quoque ob aliquid reuerà minùs compositum, antequam Concilij sanctiones prodirent, sæpiùs obloquebantur quà rectà, quà obliquè, in agendi modos, Constitutionesque Romanas. Nec Legati animum vmquam induxerant ad suscipiendum consilium obsistendi loquentibus, rati tunc per hoc ipsum magis derogaturam fuisse auctoritati Synodi famam, quæ conuentum vniuersum timidum & compeditum, quàm quæ nonnullos Patres audaces & effrænatos vulgaret. Cupiebant tamen, ne mor-

mordaces obtrectationes confidentiam acquirerent ex tolerantia, quasi commune silentium communis esset comprobatio; & ex altera parte haud ita facilè reperiebantur, qui vellent hos inire conflictus, possentque tum suam tum causæ dignitatem propugnare, cùm ad id opus esset viuido ingenio, promptâ linguâ, copiosâ doctrinâ, diuturno rerum vsu, animi præsentiâ, & Aulæ Romanæ beneuolentiâ & peritiâ. Hisce dotibus mirificè ornati erant Præsules, quos nominauimus. Quare tametsi illud ipsum ingenium, intrepidum atque ardens, extra fines circumspectionis ipsos impulerat ad id loquendum scribendumque de Mantuano; tamen oportebat vt cum iis ageretur, sicut agitur à Natura, cùm ira, cui noster animus pro domicilio, ab ea retinetur; quamuis enim illum sæpè ira perturbet, eadem tamen euadit, pro eo ac loquuntur Ethici, vtilis rationis bellatrix. 1562.

CAPVT IX.

Leges expensæ ac statutæ de iis qui sacris initiantur ex titulo patrimonij; de sacrorum Ordinum collatione gratuita, ac de quotidianis distributionibus. Narrationes, ratiocinationesque Suauis de hisce rebus; ac præsertim, an offecerit ciuili felicitati, & laicorum potestati Clericorum multitudo; & an licita fuerit noua quotidianarum distributionum constitutio.

1 CEterùm ab huiusmodi hominum sermone neque conuentus vmquam interruptus est, neque ipsius progressus retardatus; quin potiùs quàm posset maxima sollicitudo adhibebatur. Quare dum doctrinæ capita expendebantur, parabantur simul leges de moribus reformandis super nouem ex iis duodecim articulis, quos diximus fuisse propositos à Legatis in cœtu die 11. Martij, de quibus nouem assidua consilia fuerant habita, duobus articulis de Matrimonio sepositis ad illud tempus, quo de hoc Sacramento agendum erat, & articulo de mansione in aliud tempus, cùm dogmata de Ordinis Sacramento statuerentur. Loquitur de his deliberationibus Suauis variis in locis, quemadmodum illæ variis temporibus habitæ sunt. Ego verò satiùs existimauerim integram illarum transactionem ad earumdem conclusionem differre: quâ de causa in hoc capite de tribus articulis agam, qui in tribus prioribus consessibus agitati sunt vnà cum articulo de mansione, & in sequenti de reliquis sex, ad trutinam vocatis, postquam ea certamina sunt interrupta. Multa de vtrisque narrat Suauis, quorum alia vera sunt,

1562. sunt, & à me proferentur, alia nullum pro se testem habent, nec vllam veri speciem; & ex his quædam refellam, quædam, ne molestiam exhibeam, reticebo.

Inter tria quæ memorauimus capita post caput de mansione, de 2
Sacerdotio agebatur. Hîc verò Suauis sua commenta confarcit. Dicit, per titulum conferendi Ordines, in veteri Ecclesia significari ministerium, cui destinabatur qui Ordines suscipiebat: sed posteà irrepentibus in Ecclesiam corruptelis, cœptum esse nomine tituli intelligi id, in quo fundabatur certa ratio victus; hanc verò significationem fuisse confirmatam ab Alexandro III. in suo Lateranensi Concilio, cùm prohibuisset, ne quis sacris initiaretur, nisi ex titulo prouentus Ecclesiastici, iis exceptis, quibus satis patrimonij ad victum cultumque suppeteret: quæ exceptio, ait ille, rationi consentanea esset, si nomen *tituli* huiusmodi significationem obtineret. Hæc narratio aurum purum videtur, sed fornaculæ non resistit. Non disceptemus de vocibus, quæ temporum consuetudinumque mutatione vim significandi mutant absque vlla Reipublicæ corruptela; ad rem ipsam accedamus. Detestatur quasi corruptionem Suauis id quod verè perfectio fuit. Animaduertendum est, post Cæsarum etiam conuersionem, per ætatem plurimam amorem ritumque profanum inueteratæ superstitionis tam peruicaciter perdurasse, vt SS. Patres, & Græci & Latini, durissimum in eum bellum gesserint. Verùm per lentam dumtaxat sæculorum efficaciam, industriamque Romanorum Pontificum, qui potentiâ creuerant plurimum, illud quod de siluestri supererat, etiam in Christianis Principibus excultum est: aucto fidelium numero, aucta simul est veræ Fidei veneratio, pietasque in ea operibus exercenda. Et quamquam crescente Christianorum frequentiâ, crescceret imperfectorum multitudo, excreuit pariter perfectorum, quemadmodum alibi ostensum est. Iam verò inter reliqua Religionis incrementa illud numerandum est, quod conflatur ex eorum frequentia, qui non satis habentes Euangelica mandata custodire, consilia quoque sunt amplexati, siue per arctiora vota Regularium, siue per laxiorem statum Clericorum. Quamobrem, vbi anteà pauci erant qui vellent se iis nexibus deuincire, quos secum affert ex conscientiæ honorisque lege Clericorum conditio, nunc innumerabiles recensentur. Et quamquam frequentia in hoc ipso, perinde ac in ceteris rebus præstantibus, illius æstimationem minuerit; non tamen idcircò nostræ conditionis pœnitendum nobis est, nec veteres inuidendi. Profectò Reipublicæ infelicitas est ea præstantiæ æstimatio,

quæ

quæ prouenit ex raritate : aliter fortunatiores haberentur prouinciæ rerum caritate laborantes, quàm rebus affluentes, quoniam in illis maiori sunt in pretio naturæ bona. De cetero fatendum proculdubio est, egregium esse Religionis opus electionem sacri status, cui nec licita sint, nec honesta, neque à quo possideri ampliùs possint bona plurima, magno in pretio à reliquis mortalibus habita, & innocenter possessa. Hac positâ veritate, quis non intelligit, quàm pio, quàm vtili sit exemplo, quòd tanta hominum frequentia huiusmodi iugo se subdat, nullâ sibi prouentus Ecclesiastici adiectâ mercede? Quantò crebriùs precationibus collaudatur Deus, adoratur sacrificiis, prædicatur è suggestibus, celebratur in voluminibus, ex quo tam multi ipsius cultui se irreuocabili sponsione deuouerunt? Haud equidem opportunum censeo, vt huic militiæ quicumque voluerit indiscriminatim nomen det, qui aut litterarum expers, aut morum corruptione pernicioſus, aut impulsus cupiditate immunitatis obtinendæ, non studio exercendæ Religionis. Quòd si hoc accidat, non est vitium legum, quæ satis id vetant; sed est executorum culpa, qui leges non seruant. Quid ampliùs conari potest Ecclesia, quàm has Ordinum collationes committere iudicio Episcoporum in singulis Diœcesibus, enumerare dotes, quæ opus sunt vt homines ad Ordines sacros ritè admittantur, & hunc delectum verbis grauissimis Antistitum conscientiæ commendare? Sed quamquam multi Episcoporum videantur in eo nimiùm aut negligentes aut indulgentes; inficiandum tamen non est (cùm ferè sperandum non sit, vt humana imbecillitas rectum arctumq; in medio teneat) impensiùs honorari Deum, ac pietatem coli ab hac Sacerdotum multitudine, quæ multos irreligiosos indignosque complectitur, quàm eueniret, si ij tantùm admitterentur, quibus bona Ecclesiastica obueniunt, compluribus religiosis ac dignis viris exclusis; adeoque sufficiens non esset Sacerdotum numerus Ecclesiæ ministeriis, animarumque culturæ. Quapropter inter duo extrema excessus ac defectus, donec idonea ratio reperiatur vtriusque vitandi per ipsum opus, sicuti per legem fit, prius extremum tolerabilius est. 1562.

3 Induco in animum, à Suaui, qui pro norma Diuini humanum assumit, non autem pro humani norma Diuinum, cupiens vt Cælum terræ deseruiret, mihi obiectum iri, hanc Sacerdotum multiplicationem detrimento saltem fuisse tum bono statui politico, tum potestati temporariæ. Sed id pariter in vtraque parte falsum est.

De bono ac felici statu politico res experimento dignoscatur,

1562. collatis Catholicorum regnis cum reliquo terrarum orbe; & hoc ipsum ratio commonstrat. Quis est qui neget, bono cuiusuis Reipublicæ conferre, quòd in ea complures homines adsint obstricti ex ipsorum professione vitæ magis honestæ, magis pacificæ, magisque studiosæ, quàm reliqui; qui homines, dignitate ac doctrinâ potentes, multas sedare rixas queant, aliosque à flagitiis reuocare? Obiectabitur, Sacerdotes quosdam laicis esse peiores. Non inficior: quidam pariter ex medicis necant, quidam militum produnt, quidam cibi veneno inficiunt; nec propterea denegandum est ægrotis medicorum auxilium, nec ciuitati custodia militum, nec famelicis ciborum subsidium. Nimium fallitur qui de legum sanctionumque vtilitate deliberaturus, adhibet pro norma *certum* & *semper*, quæ in humanæ libertatis operibus minimè reperiuntur. Mensura vnica quæ haberi possit, est *consuetum* & *sæpiùs*. Opponetur, Clericorum multitudine propagationem ciuium impediri. Ita est: sed væ nostris prouinciis, nisi complures etiam, qui sacris non initiantur, à nuptiis abstinerent: ipsis planè contigeret quod patrifamilias, qui maiorem re familiari progeniem alit. Nullum est acutius irritamentum ad contentiones, quàm parum cibi, & plurimum famelicorum; quotidie paupertas & indigentia plurimorum (qui si coalescant in vnum, prævalent & imperant) reuocaret in medium leges Agrarias, quæ tantum intulere negotij Romanæ Reipublicæ: & oporteret ad nouas semper deducendas colonias animum adiicere; aut ad nouas terras acquirendas, quemadmodum fecerunt Hunni, Wandali & Gothi: at verò Clericorum Ordo stirpis diuitias ac decora conseruat, adeoque nobilitatem, ac spiritus honoris auidos alit: simul efficit, vt qui coniugali sunt expertes consortio, tranquillam suique contentam vitam agant, quà Religionis amore, quà iucundâ possessione illius reuerentiæ, quæ in cunctis familiis togæ haberi solet.

Nec minùs falsum est huiusmodi detrimentum in temporaria 4
potestate. Hæc reipsa minimè debilitatur, si res penitus introspiciatur, ob frequentiam Sacerdotum, qui immunitate ab illius foro potiuntur. Etenim huiusmodi homines immunes, gens inermis sunt, non bellicosa, & ad certamina, quæ viribus exercentur, inepta; adeoque totum detrimentum redigitur ad satellites inferioresque magistratus; sed Princeps tutiori quàm anteà dominatu fruitur, pacatiorem obtinens ditionem, & cum ampliori frequentia eiusmodi subditorum, qui populum ad pietatem conformantes, sensibus obedientiæ ac fidei illum imbuunt, & à tumultuosis consiliis auocant.

cant. Hinc obseruamus, ne in iis quidem Principibus, in quibus 1562.
anxietas tuendæ iurisdictionis profanæ concertauit cum Ecclesiastica libertate, de pluribus rerum capitibus graues fuisse concitatas turbas in permissam Sacerdotum multitudinem.

5 His, quas diximus, dissertationibus tamquam suis prolatis, alias etiam refert Suauis, tamquam à Patribus habitas. In aliquibus auctorem non indicat, in aliis nominat, sed infelici mendacio. Etenim loquentem inducit Gabrielem le Veneur, Gallum, Episcopum, inquit ille, Viuariensem, eo tempore quo hic ibi non aderat, nec alius Gallicæ nationis præter Parisiensem: præterquam quòd reuerà illius Antistitis sedes non fuit Viuariensis, sed Ebroicensis; Viuariensis autem Episcopus erat Iacobus Maria Sala Bononiensis. Prætereà quædam sententia, quam idem incerto cuipiam adscribit, filia planè est incerti parentis, nimirum spuria & non legitima. Quis vmquam potuit rationi consentaneum ducere, sicut ille comminiscitur, ibi aliquem auctorem fuisse, vt sacris initiarentur homines mendici, qui adigantur, vice Breuiarij, ferræ aut ligoni manum admouere? Paupertatem esse matrem industriæ, & diuitias otij, frequenter interuenit; assentior: sed non minùs frequenter interuenit, cum industria pauperum, fraudem ac sordes ab indigentia coniungi, & ab eadem subtrahi studium nobilissimarum artium, & honoris æstimationem; animi scilicet affectiones, quæ faciliùs cum otio diuitum associantur. Animo recolatur, num prudentiores Respublicæ magistratus præcipuos mendicis Senatoribus concredant; num leges æquè mendiculos ac diuites admittant ad ferendum testimonium fide dignum in causis maioris momenti. Ipsi pueri in ludo litterario nónne addiscunt à Virgilio, famem esse malesuadam, & ab Horatio versus illos:

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quoduis & facere & pati,
Virtutisq; viam deserit arduæ?

Interrogetur criminum Iudex, in quibusnam frequentiora sint flagitia, in mendicis, an in diuitibus? Præterquam quòd ea Suauis ratiocinatio, quam in diuitias inducit, hîc locum non habet. Ecclesia in Clericis opes haud requirit; egestatem excludit, tenui patrimonio contenta est, quod ad naturæ seruiendum, non ad exaturandam luxuriam satis sit. Quæ Politicæ, quæ Philosophiæ ratio non affirmauit, huiusmodi conditionem virtuti magis accommodatam, quàm mendicitatem minimè voluntariam? Dixi, *minimè voluntariam*; siquidem voluntaria, quam Regulares amplexan-

1562. tur, à Sacerdotio non arcetur, quippe quæ contemptum non parit, quin potiùs venerationem addit; nec ad turpia facinora ſtimulat, vt quæ ſimul cum rei familiaris poſſeſſione, eius acquirendæ & voluntatem & potentiam amouet: quocircà æquè impedit ea vitia, ad quæ lucrum extimulat, & quibus pecunia inſeruit.

Hæc igitur ſenſa ſapientes illi Præſules haud protulere. Sed ita 6
res euenit[a]. Fuit aliquis ex Patribus, qui de minuendo Sacerdotum numero verba fecit, ita vt ad eos tantummodò coarctaretur, quos poſſeſſio prouentus Eccleſiaſtici ad Eccleſiæ miniſtrandum compelleret: ita præſertim Fuſcararius ſuadebat, adducto ad id confirmandum Canone Chalcedonenſis Concilij, qui tametſi pro Latina illius temporis tranſlatione aliud ſonaret, oſtendit ille in originario Græco ſermone id affirmari, adiecitque, Sacerdotes abſque prouentus Eccleſiaſtici nexu equis planè fræno ſolutis æquiparandos. Sed illi acriter obſtitere Antiſtites Regni Neapolitani, Dalmatiæ, Græciæ, aliarumque regionum, vbi Eccleſiaſtici reditus pauciſſimi ſunt, & plerumque tenuiſſimi; adeoque ſatis eſſe nequeunt, niſi multi ſimul coniuncti, ad alendum Preſbyterum qui eos poſſideat. Quare ſi plures illic Sacerdotes non eſſent, quàm quotquot illis prouentibus ali poſſent, rudes earum nationum populi nimiùm ſilueſcerent ex cultorum penuria, & paulatim Dei notitia vix in ipſis permaneret. Itaque ſtatutum eſt, vt cùm vniuerſalis lex præſcribi non poſſet, id Epiſcoporum iudicio committeretur, qui ex titulo patrimonij eos dumtaxat ſacris initiarent, quos Eccleſiis ſuis neceſſarios vtiléſve cenſuiſſent; atque in illius Decreti fronte ratio deleta eſt, quam Patres ad id conficiendum delecti appoſuerant, nimirum, *ad moderandum numerum Sacerdotum.*

[a] Acta Paleotti.

Articulus qui intra duodecim propoſitos ſubſequebatur, ſecun- 7
dùm priorem ſeriem (nam hæc poſteà mutata eſt) agebat de conferendis Ordinibus gratis. Præmittit pro more Suauis animaduerſiones ſuas: ac primò quidem Orientis Eccleſiam vituperat, quòd numquam abuſum perpurgauerit in accipienda mercede ex Ordinum collatione, ob quam à Deo puniri pronuntiat iugo Saracenorum. Sed hoc ipſum opponitur ex aduerſo irriſionibus, quibus ipſe non ſemel eos deluſerat, qui tamquam ſupplicia ſcelerum agnouerant impiorum clades, huiuſmodi iudicia quaſi arrogantia deridens, vtpote quæ ſibi perſuadeant, Diuinæ prouidentiæ arcana à ſe introſpici. Inde in Occidentis Eccleſiam dentes conuertit. Dicit, Ab illa circa annum milleſimum, ſeiunctis Ordinum collationibus à collationibus Sacerdotiorum, confidentiùs abiectum fuiſſe pudo-

rem

rem exigendæ pecuniæ pro secundis: atque hanc prauam consuetudinem vix esse sperandum vmquam ablatum iri, nisi denuò Christus remigret ad euertendas *mensas nummulariorum*, eosque à templo depellendos. Aptissima verborum schemata ad inflammandum irâ in idiotis studium pietatis! Atat, cùm Suauis iurisdictionis Ecclesiasticæ causas agebat, an non subtiliter distinguebat sacrum ministerium à temporariis reditibus, contendens, in hos prouentus potestatem aliquam in laicis magistratibus permanere? E contrario vbi hæc distinctio haberet vim ad tuendam dignitatem, seruandumque ius Præsulum Ecclesiasticorum, eam obliuione obuoluit, confunditque sacra cum profanis, quò detestetur cuncta pecuniaria emolumenta, quæ ipsi corradunt ex collatione bonorum Ecclesiasticorum, tamquam Simoniæ delictum, Diuinæ prohibitioni contrarium. Vnusquisque vir cordatus rei æquitatem perpendat. Credimúsne, si Deo collibitum fuit, vt in Sacerdotiis fundandis statuatur congruens merces prouentuum labori Sacerdotum inferiorum; odio illi esse, quòd iidem prouentus protendantur etiam ad remunerandam operam Præsidum Ecclesiasticorum, quæ opera necessaria est vt illi minores & rectè delecti sint, & benè directi? Quid magis rationi consentaneum, quid magis vsitatum, quàm dum Collegium, Seminarium, & quodcumque Communitatis genus fundatur, velle vt ex eorum reditibus alimenta suscipiant pro ipsorum gradu Rectores & Administratores? Quod cùm variis modis effici possit, vnus ex magis consuetis ac suauioribus est, si quid emolumenti conferatur ei qui locum concedit, ab eo qui impetrat cùm primò beneficium illud consequitur, quandoquidem in illius adeptione modicus huiusmodi sumptus ei grauis non est. Neque aut pretij nomen huic sumptui conuenit, aut cum eo coniunguntur pretij incommoda, cùm sumptus extra mensuram sit minor vtilitate perceptâ, semperque certâ & immutabili; adeoque contingere hinc non potest, vt in electione anteferatur qui plus offert, ei qui plus meretur. 1562.

Firmatâ iam æquitate ex humanis rationibus, inquiramus, an id quidquam aduersetur Diuino interdicto.

8 Vult Suauis, id esse Simoniæ opus, vetitæ à Deo vniuersè, propterea quòd bonum Diuinum cum profano commutatur. Si non commutatur sacrum cum profano, cùm fructus percipitur ex fundis Ecclesiasticis ad recompensandum Ecclesiasticum ministerium, cur censendus erit sacrum cum profano commutare, & sacrilegam exercere mercaturam is, qui intra limites ab Ecclesia præscriptos

1562. aliquam accipit remunerationem ob nauatam à se operam in iis eligendis, qui sacro ministerio pro dignitate fungantur? At verò ad conferendos sacros Ordines, quorum collatio merum cælestis gratiæ donum impertit, inconueniens erat quæcumque temporarij emolumenti solutio, adeoque Tridentini Patres sanctissimè statuerunt, vt Episcopi, ne ab illis quidem qui sponte offerrent, quidquam acciperent ob collationem siue Ecclesiasticorum Ordinum, siue primæ tonsuræ; pariterque nihil acciperent ob litteras dimissorias; atque vt Scribæ, vbi publica stipendia ipsis haud soluerentur, nonnisi decimam vnius aurei partem in laboris & rei præbitæ compensationem acciperent.

In quo duo sunt obseruanda. Alterum, in forma priori dici, 9
Transgressores tamquam Simoniacos esse puniendos, sed hoc posteà fuisse derasum, cùm Simonia non sit oblati ac gratuiti doni acceptio. Quamobrem illius dicti loco positum est, Ne valeret in oppositum quæcumque consuetudo, seu verius abusus & corruptela, vtpote Simoniacæ prauitati fauens. Quod meritò dictum est, quia sub ea voluntarij specie aliquid violenti latere posset, aut ex metu ne offenderetur Episcopus, aut ex pudore ne consuetudini satisfieret. Pœnæ autem non auctæ, sed confirmatæ sunt, cùm statueretur, transgressores pœnas à iure inflictas ipso facto incursuros. Alterum notatu dignum est, eam permissionem Scribis habitam, quæ in prioribus Decretis erat vniuersalis, fuisse coarctatam, Gallis petentibus, ad eas Diœceses, vbi laudabilis consuetudo non esset, ne quid etiam acciperent Scribæ; eam enim consuetudinem dixerunt in ipsorum regionibus vigere.

In articulo sequenti proponebatur, vt destinaretur in quolibet 10
fundo Ecclesiarum Cathedralium seu Collegiatarum aliqua fructuum pars quotidianæ distributioni, hoc est, cuidam massulæ inter eos diuidendæ, qui quotidie sacris functionibus seruiunt, quod alliceret ad ministerij assiduitatem. Cuinam in suspicionem incidisset, huic rei propositæ, adeò consentaneæ pietati ac disciplinæ, calumniam affigi posse? Et tamen Suauis, veterum Sophistarum exemplo, quibus oblectamento erat exercitatio eloquentiæ in rebus pessimis commendandis, & in optimis vituperandis, inducit Lucam Bizantium Episcopum Catharensem, cui adhæserint alij, reprobantem huiusmodi consilium vt iniquum, imò vt sacrilegum. Iniquum quidem, propterea quòd fundatorum ordinationem in illis prouentibus peruertebat: nec satis esse, quòd Ecclesiæ fas sit voluntates vltimas commutare; cùm in ipsa maior potestas non appareat

in

in rem defunctorum, quàm viuentium. Sacrilegum verò, quoniam ad sacrosancta opera lucro profano alliciebat. Quapropter eâ propositione reiectâ eximebant (inquit ille) Bizantius, & alij cum eo, esse potiùs obstringendos qui bonis Ecclesiasticis fruebantur, ad Ecclesiæ ministerium censuris, fructuumque priuationibus, aut ex parte, aut omnino, & etiam ipsis Sacerdotiis ademptis. 1562.

11 Ad primum obiectum opus mihi est vt repetam id, ad quod aliàs attingendum idem Suauis ansam porrexit. Quî fieri potest, vt illis Patribus exciderit è memoria, postremarum voluntatum mutationem in politicis legibus concedi cunctis supremis Principibus, & neutiquam animaduerterint, huiusmodi potestatem & æquitati & necessitati esse accommodatam? æquitati, quia priuilegium potiùs est, à Republica ciuibus concessum, quòd ipsi dominium exerceant in orbe terrarum, postquam locum non obtinent in ore terrarum, & postquam dominium in ea quæ sunt in orbe terrarum, pertinet ad nouos incolas huius domicilij, pro naturæ vicissitudine; atque ita videmus longè arctiores esse leges in potestate testandi, quàm alia sanciendi, quæ viuente sanctionis auctore in opus deducantur. Quocircà mirum non est, tributam fuisse iurisdictionem Principi Reipublicæ, derogandi nonnumquam ad vtilitatem præsentium voluntati præteritorum, penes quos ampliùs non supereſt dominium in bona à se relicta. Dixi pariter, Hanc potestatem esse necessitati congruentem. Etenim multa euèniunt haud opinabilia, in quibus is qui sanctiones statuit, si viueret, secundùm eos fines, quorum gratiâ illas statuerat, easdem mutaret, perinde vt ab omni prudenti homine fieri solet, conditionibus variantibus. Oportet igitur, vt vltimæ voluntates fatum immutabile nequaquam sint; sed vt aliquis supersit in terris, cui fas sit eas in illis mutationes facere, quas defunctus, si viueret, prudenter feciſſet pro fine quem intendebat. His vniuersalibus legibus constitutis, quarum ignoratio pudori deberet esse Suaui, adeò vt auderet viros doctos in doctissimo conuentu loquentes inducere, perinde quasi reliqui omnes eas leges similiter ignorarent. Ipsas rebus peculiaribus aptemus. Num fortè inducemus in animum, si conditores Sacerdotiorum ad vitam reuocarentur, conquesturos, quòd cernerent, cùm ipsi rem suam Diuino cultui destinassent, contingeretque vt complures illâ fruerentur, & hunc Dei cultum negligerent, fuisse ab Ecclesia attributam quamdam fructuum partem eorum dumtaxat emolumento, qui piæ illorum voluntati obsequuntur?

12 Supereſt, vt de Sacrilegio differamus, quod opponebatur (narrat

1562. rat Suauis) quia constitutio illa inuitabat homines illicio terreni lucri ad seruiendum Deo. Quò nobis huiusmodi opinionem in illis Patribus persuadeat, opus est vt simul persuadeat, ab ipsis pariter improbatum, quod vetustissimâ consuetudine comprobauit Ecclesia, & cum ea vniuersè Theologi, adeoque illos nobis suspectos reddat insinceræ sententiæ, & temeritatis in ea proferenda. Num longè aberat ab illorum Præsulum notitia, fuisse iam diu in Ecclesia distributionum vsum, quæ plurimis in locis priùs constitutæ fuerant, cuius rei mentionem facit Concilium in eodem Decreto? Fuisse vsum eleëmosynæ pro Missis, quâ cuncti Sacerdotes ad celebrandum allicerentur?

Præterquam quòd Suauis in recitata sententia, quam illis Epi- 13
scopis apponit, eos inducit non modò sine doctrinæ, sed etiam sine rationis sanitate, ipsos simul proponens quasi auctores alterius consilij, quod multò magis continebat ea duo capita, quæ ab illis, prout ipse narrat, obiectabantur impugnatæ Decreti propositioni, tamquam absurda. De priori capite id ostendamus. Volebant, inquit ille, vt ij, qui bonis Ecclesiasticis fruebantur, compellerentur ad ministrandum Ecclesiis fructuum subtractione. Id verò idem non erat, quod velle, vt pecuniarum emolumentum stimulus ad Diuinum cultum accenderet? Ita sanè: nec alio discrimine à sanctione proposita, nisi quòd vna lucri promissione alliciebat, altera iacturæ minis stimulabat. Atqui si nefas est seruire Deo lucri terreni desiderio, minùs nefas non erit, illi seruire terrenæ iacturæ metu. Quoniam si præmij spes est affectio mercenarij, metus est affectio mancipij.

Idem ipsum probemus de altero obiecto, quod in derogando 14
voluntati mortuorum, qui bona legauerant, situm erat. Hoc pariter deprehendetur clariorem præ se ferre speciem in Decreto ab illis desiderato, quàm in oppugnato. Etenim cur illorum voluntati alterum Decretum aduersabatur ex sententia Patrum, quos Suauis commemorat, quia pars quædam fructuum, quos fundator attribuerat vni Sacerdotio, detrahebatur negligenti illius Sacerdotij possessori, ac diligenti collegæ præbebatur? Huiusce rei loco ponamus puniri negligentiam subtractione fructuum, quemadmodum Suauis narrat ab illis fuisse propositum. Percontor: In eo casu fructus subtracti eántne restituendi cadaueri fundatoris, & in eius sepulchrum proiiciendi? Minimè putauerim; sed in alios vsus erogandi. Iam verò quis inficiabitur quemcumque alium vsum magis alienum futurum ab institutione conditoris, quàm si destinarentur

rentur illi tamquam collegarum præmium, cum conditione, vt re- 1562.
ipsa inseruirent eidem Ecclesiæ, ad cuius cultum ille Sacerdotium constituerat? Si quis igitur ex Episcopis ita ratiocinatus est, rationis penuriam sanè præ se tulit; quòd saltem de compluribus credibile non est. Quod si nemo collegarum hoc ratiocinationis vitium illis ob oculos ponere potis fuit (sicuti credendum nobis esset, si Suaui crederemus) omnes rationis penuriam præ se tulere. Ad facti narrationem reuertamur.

15 Hoc Decretum primò ita confectum erat, vt Episcopis impertiretur facultas destinandi quotidianis distributionibus portionem quamdam, à Synodo minimè definitam, reddituum qui memoratis Ecclesiis traditi fuerant. Dein verò cùm animaduersum fuisset, per leges nouam coarctationem inducentes, tantum sibi detrahi efficaciæ in executione, quantum tribui potestatis arbitrio executorum, qui plerumque aut timidi sunt, aut indulgentes; huiusce facultatis concessio in præscriptam necessitatem commutata est, & incerta distributionis portio in tertiam partem redacta (vbi tamen non esset ad hunc vsum destinata maior pars) & saluâ auctoritate seueriores pœnas infligendi, crescente contumaciâ. Oportet vt lex discat à natura; quæ satis gnara quàm æquè labor displiceat ac prosit homini, ipsum ad laborem excitauit, & consuefecit necessitate suo victui per laborem consulendi.

CAPVT X.

Decreta habita de multiplicandis ministris, tituliſque Parœciarum: de multis in vnicam redigendis: de consulendo Parochorum insciticæ & improbitati: de transferendis ad Ecclesias principales Sacerdotiis collabentibus, & irreparabilibus: de potestate Ordinariorum in Sacerdotia commendata: de Quæstorum abusu; & varia ab Episcopis prolata in postrema emendationis sanctione.

1 SEx articuli, quos in huius capitis titulo numerauimus, in variis cœtibus post vltimam Sessionem sunt expensi. Cùm autem Decreta de his sex, ac de tribus antecedentibus, à selectis Patribus[a] conuentui proposita sunt, Leonardus Aller Philadelphiæ Antistes, & Episcopi Eistatensis Suffraganeus, qui nuper illuc aduenerat, longâ oratione Patres cohortatus est, vt ad statuendas disciplinæ leges Præsules Germanicos præstolarentur, eosque ad

[a] Præter Acta Paleotti extat in litteris Vicecomitis ad Borromæum, 3. Iulij 1562.

1562. Concilium inuitarent, cui, quippe Oecumenico, illis abſentibus progrediendum non erat, aliter non morum correctionem confecturi erant, ſed eam præcipitem acturi. Hæc verò propoſuit per eam acerbitatem, atque animi impetum, vt pluribus ſtomachum mouerit, ſibi autem loquenti ſupina rerum geſtarum ignorantia, hoc eſt, ſolemnium inuitationum quæ præceſſerant, intolerabiliorem reddebat audacem arrogantiam verborum. Alij, vt perperàm de rebus doctum, excuſabant, & rectum eius animum comprobabant. Scribit Suauis, & verè, quoſdam opinatos, à Cæſarianis effectum eſſe, vt ea quæ memorauimus Aller diceret: ſed ſuſpicio falſa erat. Etenim non ſolùm hi probè nouerant immenſam operam à Pontifice impenſam per ſuos Nuntios, præſertim apud Germaniæ Præſules; ſed mens Cæſaris omnino aduerſabatur conſilio emendationis protrahendæ, vt conſtat ex litteris quas attulimus, ab ipſo per eos certè dies ad Legatos ſcriptas.

Epiſcopus Veglenſis improbauit legis relaxationes ad ſuſcipien- 2
dos ſacros Ordines extra conſtituta tempora; neque veritus eſt addere, cùm illæ aut aliæ relaxationes ad ſe deferrentur, ſe quærere ſolitum, an illarum causâ quidquam pecuniæ fuiſſet perſolutum, & in eo caſu nolle ſe illas exequi. Quinque Eccleſienſis, Ferdinandi Orator, variis modis ſignificauit, capita pro reformandis moribus propoſita magni momenti non eſſe, & auctor erat, vt ampli Epiſcopatus in plures diuiderentur: narrans, in Cæſaris prouinciis quoſdam eſſe qui ad ducenta paſſuum millia protendebantur, ad quos nec oculus nec manus vnius Paſtoris extendi poterant; quæ omnia ad manſionis neceſſitatem referebantur.

Alius in Hungaria Epiſcopus dixit, priùs eſſe auferendas tenebras à ſole, dein verò à ſtellis. Hæc dicta anxietatem animi in Romanæ Aulæ ſtudioſis augebant, ac poſtremum præcipuè ſuſpicionem excitabat, morum reparationem ab illis expetitam eò tendere, vt leges in aliena domo præſcriberentur, non exciperentur in ſua: ſed cùm eſſent pauci, ac ſine aſſeclis, qui hoc pacto loquebantur, non confutati ſunt, ſed neglecti.

Inter propoſitos articulos, is qui ſequebatur, ſpectabat ad Paroe- 3
cias, aliáſve Eccleſias, vbi Baptiſmus conferebatur, in quibus ob animarum copiam, ſeu ob diſtantiam difficultatémve locorum, vnus Parochus haud ſatis erat. Præſcriptum eſt, vt in priori caſu cogerentur ab ordinario Curiones ad ſufficientem adiutorum numerum aſſumendum; in altero, nimirum ſi populus vniuerſus commodè conuenire non poterat ad excipienda Sacramenta, audiendaſque

diendasque sacras precationes in vno eodemque templo, nouæ Parœciæ extruerentur, etiam veteribus Parochis inuitis, & inter vtrasque limites diuiderentur, & nouis Curionibus sufficientes prouentus tribuerentur, subtracti à prouentibus Ecclesiæ principalis; atque vbi hæc satis ad hoc non esset, ad eos suppeditandos populi cogerentur. 1562.

4 Huic postremæ parti, narrat Suauis, aduersatum fuisse Eustachium Bellaium Episcopum Parisiensem, obiectantem, in Gallia Ecclesiasticis non permitti, vt collationem rei temporariæ laicis præscribant, cùm pronum ostenderet animum ad credendum, ab Apostolo concedi ministris Ecclesiæ solam veniam accipiendi victum à populis, non potestatem illius exigendi. Nullam hac de re mentionem comperio: & mirum sanè videtur, à Bellaio perspectam non fuisse clarissimam hanc demonstrationem, si Ecclesiæ potestas est obstringendi populos ad suscipienda Sacramenta, eamdem posse illos obstringere ad omnia præstanda Sacramentorum administrationi necessaria, cuiusmodi primo loco est congruens ministrorum victus. Quod de hoc articulo legi, solum est, quòd in exemplo priori Decreti concedebatur Ordinariis facultas constituendi nouas hasce Parœcias, causâ priùs cognitâ, & re cum Capitulo agitatâ. Id oppugnarunt Hispani, affirmantes, difficile esse hac tempestate in eámdem sententiam conuenire Episcopos & Canonicos: quoties illis iniungitur, vt opus aliquod conficiant cum horum consensu aut consilio, compedes ipsis iniici, quò ad rem exequendam conueniant. Tunc Parisiensis, aliique, temperamentum huiusmodi proposuerunt, vt ad deliberandum vocarentur non omnes Canonici, sed seniores; cui tamen consensum non est, nec obsisti potuit Hispanorum torrenti, Cæsarianis aucto. Quapropter in hoc aliisque multis capitibus deleta fuit obligatio, quæ præscribenda erat Episcopis, deliberandi cum suis Canonicis; siue id ex iurisdictionis zelotypia fieret, siue ex sincera animi sententia, ab experimento dictata; siue etiam (pro eo quod accidere solet cùm obscura expenduntur) proprius illorum amor depingeret in eorumdem mentibus tamquam conducentius ad bonum, quod erat conducentius ad priuatum. Additum etiam est illi Decreto, vt Ordinarij in eo se gererent tamquam Sedis Apostolicæ Delegati; idque vt remouerentur obstacula immunitatum ac priuilegiorum: quæ ratio posteà in reliquis capitibus adhibita est; nobis verò satis erit, huiusce rei notitiam lectoribus semel exhibuisse.

5 Quemadmodum regionis amplitudo quibusdam in locis persua-

1562. sit Parœciarum partitionem ; ita prouentuum angustiæ in aliis, Patres impulerunt ad eas copulandas : similiter ad coniungenda quædam Sacerdotia, quibus animarum cura non adnectebatur, cum aliis quibus adnectebatur : ad quod opus erat obicem retentionum tolli, & Episcopis reddi potestatem, quam in eo habent Iure Diuino. Atque hic erat articulus qui sequebatur.

Hanc coniunctionem, dicit Suauis, in difficultatem haud incur- 6
suram fuisse, si relinqueretur populo auctoritas, quam æquum esset vt ille possideret in rebus huiusmodi constituendis. Egregiè profectò se haberet regimen rerum Ecclesiasticarum, si cura illis consulendi demandaretur vulgo, ex ineptis rusticis conflato! Quod tritius adagium, quàm illud : Pueris & communitatibus oportet conferri beneficia, ipsis inuitis ? Si populis & sapientia & facultas inesset ad seipsos regendos, tam amentes non fuissent, vt sibi Principes imposuissent. Sed Suauis ad votorum suorum metam collimabat, hoc est, ad Democratiam in Ecclesia. Ratiocinio fabellam affigit, narrans, Marinum Archiepiscopum Lancianensem verba fecisse aduersus potestatem Episcopis concedendam copulandi Sacerdotia Pontifici reseruata ; propterea quòd detrimento id fuisset Cancellariæ Magistratibus, qui sua inde emolumenta coëmerant, adeoque illis iustè spoliari non poterant ; sed eam curam esse relinquendam Romanæ Curiæ, vbi rationes omnium expenderentur. Et quidem progressurum in eo argumento Marinum fuisse, quoniam & Marini, & ipsius consanguineorum huiusmodi Magistratus intererant, nisi Archiepiscopus Messanensis, qui ad eius latus considebat, ipsum admonuisset, nihil iniussu Pontificis confectum iri. Facile est hac ratione historias conscribi, quæ in satyras cuiuspiam migrent, si quis pro sua libidine res gestas comminiscatur, & illas in malam partem pro sua pariter libidine trahat, nec adductis probationibus, nec ipsâ re veri speciem per se referente hominibus rerum ciuilium peritis ; sed solùm vulgo, qui vtique neque verisimilitudinem discernit in narrationibus Amadigis & Palmerini, adeoque tam auidâ voluptate illas legit. Ad me peruenit Marini sententia de his articulis [b], vbi ne verbum quidem est eorum quæ Suauis narrat ; sed id quod propositum fuerat, simpliciter ibi comprobatur. Et planè ridiculum est, quòd quispiam sibi persuadeat, Marinum, eorum quæ Romæ fiunt adeò peritum, adeò Legatis intimum, opus habuisse vt ab Hispano doceretur, nihil decretum iri à Synodo de Sacerdotiis Pontifici reseruatis dissentiente Pontifice.

[b] Inter monumenta Barberinorum.

Super eo capite adiectum est formæ Decreti, vt Sacerdotiorum 7
coniun-

coniunctiones fierent absque detrimento possessorum viuentium, 1562.
quandoquidem nimis dura ac difficilis euadit illius legis obseruatio, quæ multos nihil peccantes spoliet rebus possessis; maximè verò cùm illis spoliati, remanent nudi, perinde ac compluribus in eo casu contigisset.

8 Eadem habita est ratio in alio articulo, in quo proponebatur remedium, Parochis vitio aliquo laborantibus adhibendum. Nam vbi vitium absque ipsorum culpa inerat, quemadmodum in ignorantibus suauiter consultum est, solumque data potestas Episcopis, illis coniungendi necessarios adiutores ad tempus, quibus impertiretur congruens fructuum portio: sed non ita, vbi vitium in nequitia situm erat, quemadmodum in Parochis praui exempli; sed statutum est, vt debitis correctionibus præmissis, tandem amouerentur.

9 Cùm animaduersum esset, multa templa & sacella, in quibus Sacerdotium aliquod fundabatur, decursu temporis collabi, deliberatum est de transferendis illis Sacerdotiis in Ecclesias principales, seu in alias propinquas. Et ad exemplar Decreti primò conceptum variæ sanctiones adiectæ sunt, quò seruaretur tum memoria Fundatorum, Sanctorumque, quibus ea dicata fuerant, tum eius iura, qui dominium in ea obtinebat; nec minùs, quò si quæ ex his templis collabentibus essent Parœciæ, quocumque tandem modo reficerentur. Præscriptum insuper est, vt post habitam translationem, loca iam sacra possent quidem in vsum ciuilem conuerti, sed non in sordidum, atque vt ibi Crux erigeretur, tamquam exercitæ illic pietatis vestigium.

10 Sacerdotia alicui à Pontifice per commendationem concessa, nonnumquam, vtpote ab omni inferiore iurisdictione immunia, conuersâ immunitate in licentiam, indignè neglecta reperiebantur ab iis quibus commendabantur. Hoc incommodum præbuit argumentum articulo sequenti. Multa Suauis obloquitur in commemoratum vsum Sacerdotiorum commendatorum, seu potiùs ea repetit, de quibus suprà disseruerat. Sed mihi repetere non libet ea quæ iam suprà ipsi respondi: solùm monebo, id quod Suauis optasset, vt nimirum omne Sacerdotium mansioni non connexum, multoque magis pensiones, de medio tollerentur, quò iniecto cunctis Ecclesiasticis redditibus hoc vinculo, vniuersalis quædam Ecclesiæ Regia non floreret; cuius cunctis incolis & administris liceret ingentia præmia sperare, studiisque ac supremis Reipublicæ negotiis operam impendere, non adstricti se per oppidula priuatis altaris ac Psalmodiæ exercitationibus penè exules mancipare.

1562. Decretum itaque est, vt huiusmodi Sacerdotia commendata, sive non regularis essent institutionis, sive etiam regularis, vbi obseruantia non vigeret, ab Episcopis per annos singulos inuiserentur, qui eorum etiam fructus ad fabricas reparandas, aliaque explenda onera conuerterent: vbi verò in huiusmodi Sacerdotiis vigeret obseruantia regularis, admonendi priùs essent paternè ab Episcopis eorum moderatores; quod si sex post admonitionem mensibus illi negligenter se gererent, inesset Episcopis facultas, perinde ac inerat Regularibus moderatoribus, inuisendi Sacerdotiorum loca, & Religiosos obstringendi, vt ea præstarent ad quæ præstanda proprij instituti legibus compellebantur. 11

Postremâ trutinâ expensæ sunt deprauatæ consuetudines eorum, qui profitebantur munus promulgandi Indulgentias, aliasque Apostolicæ Sedis largitiones ad pietatem spectantes, & colligendi à populis eleëmosynas ad extruendam S.Petri Basilicam, variaque templa, & ad alia pia opera conficienda. In huiusmodi hominum conditionem complures Patrum acriter inuecti sunt: Materiam ab ipsis præbitam hæresi Lutheranæ: innumerabiles eorum fraudes esse, & exquisitas technas, quibus à simplici plebis pietate pecuniam emungebant: omnino proinde abolendam esse professionem illam, quæ fidem adimebat pietati, dum eam quasi nequitiæ laruam assumebat. Sed neque deerant qui huic sententiæ repugnantes respondebant: Triticum eradicandum non esse, quòd cum eo lolium admisceretur, sed mixturâ purgandum: Quæstorum operâ multis nosocomiis consuli, aliisque piis locis, & conscientias plurimorum hominum releuari, quibus nimis graue foret Romam adire, vt à Pontifice absoluerentur: in Conciliis Lateranensi, Viennensi, Lugdunensi hæc incommoda fuisse perspecta; sed illis consultum, coërcito, non extincto Quæstorum exercitio. Proposuerunt Legati tamquam medium temperamentum, vt vetarentur Quæstores promulgare Indulgentias, eleëmosynas corradere, aut quidquam aliud exequi sine Ordinarij societate, vel hominis ab illo designati, atque vt huiusmodi sociis quæcumque lucri communicatio interdiceretur. Sed nondum quiescebant ij, qui deprauatissimum illum vsum auersabantur; quin vociferabantur, per tale Decretum illorum numerum auctum iri, fraudulentiâ nequaquam correctâ: exemplo è tribus Synodis petito benè probari voluntatem in Ecclesia, sed simul defectum virium, ad hoc pessimum hominum genus corrigendum. 12

Dum ea de re consulebatur, peruenit Archiepiscopus Lancianensis 13

nensis cum litteris, quibus Pontifex Legatis significabat, suæ mentis esse, vt tam infame ministerium omnino tolleretur. Quapropter qui plus minúsve illud tuebantur, sententiam mutarunt, seu quòd iudicio Pontificis se conformarent, seu quòd in eo sustinendo intenderant potissimè ius & emolumenta Pontificis sustinere. Vniuersorum itaque comprobatione Decretum confectum est, translatâ facultate promulgandi, quo par est tempore, Indulgentias, aliasque sacras largitiones, in Ordinarium, & in duos ex collegio Canonicorum, qui etiam colligerent fideliter eleëmosynas, & oblata in pios vsus subsidia sine vlla mercede; vt tandem cælestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant. Vsque adeò interdum oportet bona quædam è medio tollere, cùm pullulantibus inde malis plus ea detrimenti afferunt, quàm si per se mala forent. 1562.

CAPVT XI.

Decreta & Canones Fidei expensa & correcta in conuentu generali. Disputationes de capite sexto S. Ioannis. Nouæ difficultates à Salmerone & à Torres excitatæ pridie quàm Sessio haberetur. Sententiarum varietas in ipsa Sessione, eiusque exitus. Grauia Suauis errata.

1 INter consilia de disciplina, quemadmodum dicebamus, examen doctrinæ inferebatur, iis expositis, quæ ad eam explicandam selecti Patres refecerant. Hi quò plenius illis satisfacerent, qui cum Granatensi censuerant merè repeti in Canone tertio de integritate Eucharistiæ sub vna solùm specie sumptæ, id quod à Iulij Concilio statutum fuerat, tres alias illius formas conceperant, in quarum singulis significare conabantur id quod ceu nouum definire mens erat; atque omnes tres collegio sunt propositæ ad habendum delectum.

2 In his tribus digestis exemplis damnabatur, quisquis negasset, *Totum & integrum Christum, auctorem & fontem omnium gratiarum, sumi sub vna specie, quòd, sicut aliqui temerè affirmant, non sumatur secundum institutionem ipsius Christi sub vtraque specie.*

Seu qui negaret, *In vna specie sanctissimæ Eucharistiæ sumi veram & legitimam rationem Sacramenti, quia institutio Christi non seruetur.*

Aut qui diceret, *In vna specie solùm sumi cœnam dimidiatam, ita vt non sumatur verum ac legitimum Sacramentum, quia non sumitur tota Christi institutio.*

Prima

1562. Prima forma selecta est, mutatâ dumtaxat voce illâ *temerè* in *falsò*, propterea quòd temeritas non semper dicti veritatem excludit, sicut excludit falsitas.

[a] Totum habetur partim in Actis Paleotti, partim prolixa littera Vicecomitis ad Moronum, & in altera Iadrensis ad Cornelium Card. 16. Iulij 1562.

Verumtamen Guerrerus doctrinæ [a] definitionibus non acquie- 3
uit. Etenim cùm explicandum esset in primo illius capite, quo pacto ex sacra Scriptura necessarius haud ostendebatur vsus Sacramenti sub vtraque specie, afferebantur multa testimonia ex Christi sermone in capite sexto S. Ioannis, vbi Christus indifferenter sæpè nominauerat modò simul esum suæ carnis, & potum sui sanguinis, modò solum esum suæ carnis, quo nobis ostenderet, etiam posterius satis esse. Hîc oppositit Guerrerus, quod pariter priori Decretorum formæ narrauimus obiectum fuisse à Sala Episcopo Viuarienſi, in eo capite S. Ioannis intelligi à multis Patribus non esum, & potum *sacramentalem*, sed *spiritualem* carnis & sanguinis Christi: proinde contrariam interpretationem non esse à Concilio statuendam. Atque in ea disputatione tantam argumentorum copiam apposuit mensæ super parato Decretorum illorum tenore, vt ea concoqui non posse intra biduum videretur, quantum scilicet erat temporis vsque ad præstitutam Sessionem. Quocircà Seripandum, qui illi peculiari cœtui de doctrinâ Præses aderat, ingens incessit metus cunctationis, Concilio parum honestæ; eumdemque subiit suspicio, quòd illam moram Granatensis obstacula molirentur. Quamobrem nihil ille cunctatus, argumentum dè integro exorsus est suâ quâdam loquendi ratione, quam planè, dum hæc scribit Mutinensis Episcopus ad Moronum, *singularem* & *admirabilem* appellat. Et sanè libenter, ad confutandum hîc Suauem, qui sermonem illum Seripandi deridet, dicens, Perinde eum verba fecisse, ac si disseruisset in schola, huiuscemodi testem adduco: nam Suauis ipse illi Episcopo, quem paulò anteà nominarat, existimationem doctrinæ ac sinceritatis attribuit, tametsi in eo loco Fuscararij laudes dirigat ad vituperationem Pontificis; cui minùs acceptus is credebatur, quippe seueram in articulo de mansione sententiam secutus.

Cœpit itaque Seripandus modestè dicere: Si ipsius socij, qui 4
Decreta illa elaborarunt, auditi tunc essent, expositæque eorum voce maturæ meditationes ab ipsis habitæ in singulis Decretorum verbis, dubitationem omnem difflatum iri. Duo esse litigia de illo capite S. Ioannis; alterum cum hæreticis, An ibi ex Diuino præcepto, & ex necessitate salutis, cunctis Fidelibus præscribatur Eucharistiæ sumptio sub vtraque specie: alterum inter Catholicos, An

ibi

ibi sermo sit de Communione sacramentali, an de sola spirituali. 1562.
Priorem controuersiam attingi à parati Decreti sententia, atque ab ea ostendi, quo pacto, etiamsi ponatur ibi locutum fuisse S. Ioannem de ipsa sumptione Sacramenti, falsa sit consecutio hæreticorum pro absoluta necessitate Calicis ad salutem: de posteriori controuersia nihil in eo Decreto statui, nihil proferri; aliam in ipso significationem concipi non posse, nisi ab ingeniis cauillatorum, ac maleuolentium. Ne committerent, vt Sessio toties prolata, nec sine nota, & tunc per tantam omnium expectationem optata, denuò spem aliorum deciperet, fidemque ipsorum promissis adimeret cum immenso Concilij dedecore.

5 Aliam mutationem proposuit Thomas Stella, Iustinopolitanus Antistes, in eodem articulo, vbi dicitur: *Etsi Christus Dominus in vltima Cœna hoc venerabile Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit; non tamen ea institutio & traditio eò tendunt, vt omnes fideles statuto Christi Domini ad vtramque speciem accipiendam astringantur.* Optabat enim, ne Synodus vteretur in eo affirmando tam ieiunâ ratione; sed vt declararet verba Christi: *Bibite ex eo omnes;* (vnde deducunt hæretici vniuersalem Calicis necessitatem) non ad cunctos fideles dicta fuisse, sed ad Apostolos, & in ipsis ad solos Sacerdotes.

6 Cùm igitur augeri obiecta viderentur, Bouius Episcopus Ostunensis, & Naclantus Clodiensis, inter præcipuos qui Decreta composuerant, loquendi facultatem petiere, ac plenam de opere vniuerso rationem reddidere pari & factorum & dictorum suorum commendatione. Nihil tamen confectum est, cùm eo manè sententiarum dictio absolui non posset: sed satis apparebat, reliquas difficultates quasi euanescere, solumque nubeculis obuolui multorum animos de iis quæ Granatensis proposuerat, tum quòd res ipsa id merebatur, tum quòd illi vigor accedebat ex viri auctoritate, & assectarum numero.

7 At verò Seripandus, expediendæ rei sollicitus, quò se flexibilem ostenderet, & hac arte, suaui quidem sed efficacissimâ, flexibilem quoque redderet aduersarium, dixit: Vbi alij venisset in mentem ratio aliqua circumspectior & tutior, quâ se abstineret Synodus à præscribenda hac illâve interpretatione Christi verborum in laudati S. Ioannis capite, se & collegas libenter eam accepturos. Itaque egressus è consessu, ad Guerrerum misit Iadrensem Archiepiscopum, quò deliberaretur de aliquo alio cautiore dicendi modo: & post multa excogitata, & expensa, inter eos conuenit, vt adderetur

1562. retur Decreto de iam dicto S. Ioannis capite: *Vtcunque iuxta varias sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur.* Allatum id fuit eodem die ad nouum generalem conuentum, ibi satis quidem, sed non concorditer comprobatum. Opponebant, non esse pro dignitate Concilij, vt dum caput adeò celebre sacræ Scripturæ producebatur, sententiæ ambiguitas attingeretur, simulque apertis verbis in ancipiti relinqueretur: magis decoram videri formam priorem, in qua de controuersia nulla erat mentio. Fuit etiam qui putaret, cùm de re valde arbitraria deliberandum esset, nonnullos ad repulsam fuisse compulsos ab indignatione in Granatensem, quasi vellet supra ceteros sapere & eminere. Laudem tamen ille promeretur. Etenim ea cautio ab hominis sapientia prudentiaque profecta est; & patuit, in maiori Iudicum parte minùs gratum proponentem impedimento non fuisse, quò minùs res proposita acceptaretur.

Sed Suauis de re malè doctus hîc labitur: ait enim, has quas di- 8
ximus voces in medio positas à Guerrero fuisse per æstum disceptationis in eodem illo consessu, in quo ipse propositi Decreti tenori contradixit, ac similiter in eo prolatas fuisse ex improuiso sententias: *Vnde* (sic ille scribit) *videntur illa per vim adiecta.* Verùm res alio modo verè peracta est, & maturo sedatoque consilio. Nec solùm in eo aberrat, quod contigit illi conuentui; sed narrat etiam, positum esse in parato Decreto, *Licuisse Ecclesiæ vsum Calicis mutare, exemplo mutatæ formæ in Baptismo*; & Episcopum Aliphanum assurgentem dixisse, Hoc esse blasphemiam: Baptismi formam mutari non posse; & super iis quæ Sacramenta constituunt, cuiusmodi sunt forma & materia, nullam inesse potestatem in Ecclesia: de quo habitis vtrimque multis sermonibus, tandem statutum fuisse, vt ea particula tolleretur. Deo laudes, quando Suauis confidit se incredibilia quæque persuasurum! Seripando, ac tam multis magni nominis Theologis ex variis nationibus numquam redierat in memoriam id quod traditur in primo Theologiæ alphabeto, materiam & formam Sacramentorum mutari non posse. Res ita processit: in exemplo Decreti, in illum cœtum de quo loquimur allato, relatoque in Acta à Palcotto, Baptismus ne nominabatur quidem; sed fuerat de ipso habita mentio in antecedente forma, & iam multo anteà cœtui proposita, sicuti narratum est. Neque propterea doctis illis viris vmquam contigerat, vt mente conciperent, nedum dicerent, formam Sacramentorum variatam fuisse, aut posse variari. Hæc erant prioris illius scripti verba: *Tametsi Sacramenta insti-*

institutа fuerint, Christo eorum auctore; tamen modus vtendi illis Eccle- 1562.
siæ reseruatur, quæ in Sacramentis administrandis consilio ac ratione agens ipsorum ritum variat, sicuti sibi rectum videtur. Ostenditur hoc à Baptismi Sacramento, toties in suo ritu variati; nam cùm is aliquo tempore per tres immersiones celebraretur, vnicam etiam admisit: similiter immersio, versio, & effusio suum ritum mutarunt.

Ita docti illi viri loquebantur: neque ab eorum linguis, multoque minùs ab eorum calamis prodibant enormia illa deliramenta, quæ Suauis ipsis audet appingere. Sed quemadmodum de iis agentes diximus, optabatur à Patribus maior expeditio, & minor materia cauillationibus aduersariorum. Quamobrem tum ea particula, tum aliæ plurimæ sunt abrasæ. Verum est, in eo postremo conuentu accidisse, vt in explicanda doctrina [b], confirmata fuerit verbotenus memorato exemplo Baptismi; sed quod spectabat ad ritum, non autem ad formam: cui exemplo Aliphanus restitit, affirmans Baptismi ritum numquam fuisse mutatum in Ecclesia; & modicam ex eo laudem reportauit.

b Epistola arcanis notis Vicecomitis ad Borromæum, 16. Iulij 1562.

9 Compositâ quam narrauimus controuersiâ de sexto capite S. Ioannis, sperauerant Præsides, lites omnes diremptum iri, nec alium vllum obicem obstiturum Sessioni biduo pòst celebrandæ. Die postero, septimâ ante solis occasum horâ adierunt Osium Alfonsus Salmeron, & Franciscus Torres, dixeruntque, ipsis, quippe Theologis Pontificiis, dissimulandum non esse; videri sibi in præparatis Decretis quædam inesse eo Concilio minimè digna, & correctionis indigentia. Osius re collegis significatâ, obtinuit vt duo illi Theologi audirentur coram quibusdam doctis viris, qui fortè ibi tunc aderant [c], nimirum, Ioanne Iacobo Barba Neapolitano, Episcopo Interamnensi, à sacello Pontificis, quem inter Theologos adhibitos à Paulo III. in rebus Concilij numerauimus [d], Fuscarario Mutinensi, Corciomero Almeriensi, Treuigiano Veronensi, & Petro Soto, vt si huiusmodi obseruationes censerentur esse grauis momenti, conuentui proponerentur. Hæ quatuor erant.

c Præter allatas scripturas in epistola Legatorum ad Borromæum, 16. Iulij: & in altera Iadrensis Archiep. eodem die.

10 In commemorando mandato quod Christus in Cœna tradidit, *Bibite ex hoc omnes*; minimè declarari, quam ob causam inde non iniiceretur vniuersalis necessitas Fidelibus vtramque speciem accipiendi: ea verò causa erat (aiebant illi) quemadmodum studuerat stabilire Salmeron multis probationibus in sua priori sententia, quam adduximus, Quoniam mandatum illud non ad omnes Fideles referebatur, sed solùm ad omnes Apostolos, & in ipsis ad omnes Sacerdotes; ad quod probandum multum roboris collocabant in

d Lib.8.c.1.

1562. argumento deducto ex verbis quæ sequuntur: *Quotiescumque bibetis, facite in meam commemorationem.* Propterea quòd id facere, est proprium Sacerdotum.

Dedecori esse Concilio, si dubitationem illam relinqueret de capite sexto S. Ioannis, nec pro certo affirmaret, Christum in eo sermone de vera Sacramenti susceptione fuisse locutum; quandoquidem non habebatur in Euangelio validius testimonium, ad ostendendam obligationem iniunctam à Redemptore ad hoc Sacramentum vsurpandum.

Duobus testimoniis in secundo capite productis vim non inesse ad comprobandam in Ecclesia perpetuam potestatem *ea variandi, seu mutandi in Sacramentis, saluâ illorum substantiâ, quæ suscipientium vtilitati, vel ipsorum Sacramentorum veneration pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Quæ testimonia desumpta sunt ex prima ad Corinthios, alterum in capite 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; alterum ad hoc ipsum exequendum in capite 11. vbi quibusdam præscriptis ad vsum huiusce Sacramenti subdit Paulus: *Cetera cum venero disponam.* Opponebant ipsi in priori loco, à quo pendet posterior, sermonem non esse de Sacramentis, & etiamsi de his sermo fuisset, *dispensatori* non esse potestatem mutandi, sed merè exequendi.

Idoneam non esse probationem adductam in quarto capite, cur infantes non egeant Eucharistiæ sumptione; nimirum quia gratiam per Baptismum iam adepti, illam amittere nequeunt eâ ætate. Etenim, tametsi nequeant infantes tunc gratiam amittere, possunt eam augere, & huiusmodi incrementum illis minimè impediendum videri. Quare volebant, vt alia ratio adduceretur, quæ illius interdicti conuenientiam ostenderet: hæc autem erat, quòd infantes nequeant Panem Eucharisticum à communi discernere; adeoque seipsos probare non possunt ad illum dignè comedendum, sicut Apostolus præcipit.

Præsides petiere quid Theologi iam nominati sentirent. Hi verò re accuratè perpensâ, postremò concordi voce affirmarunt, cuncta fuisse benè confecta, nec emendatione, nisi fortè in tertio loco, indigere. 11

Ad primum obiectum responsum est, Difficulter definiri posse, ea verba Cœnæ fuisse directa à Christo solùm ad Apostolos, & in ipsis ad solos Sacerdotes; cùm tam multi essent Doctores, inter quos S. Thomas numerabatur, qui ad alios extendebant. Quapropter contraria interpretatio, tametsi pernicioſa non esset, non tamen

men tamquam certa proponenda erat; maximè quòd S. Paulus ad Corinthios narrat, eam institutionem habitam in Cœna tamquam communem Sacerdotibus ac laicis. Proinde opportunius agi non posse à Concilio, quàm, suo cuique statu expositioni relicto, stabilire exclusionem illius necessitatis vniuersalis sumendi Eucharistiam sub vtraque specie, quam hæretici contendebant, in Ecclesiæ auctoritate & consuetudine. 1562.

12 Ad secundum soluendum, dictum est: Cùm eâ geminæ interpretationis opulentiâ de S. Ioannis testimonio Ecclesia frueretur, quarum vtraque probationem ab hæreticis inde deductam impugnabat, ad vnius tantummodò paupertatem non esse redigendam; præsertim cùm ante Bohemorum hæresim scholis consuetum esset, sumptionem Eucharistiæ tueri sub vna tantùm specie, & coarctatam ad solos adultos, respondendo, in eo sermone de spirituali communione Christum loqui. Et reipsa complures & insignes Doctores in ea erant sententia. Quocirca obiici non poterat, interpretationem huiusmodi esse nouam, & emendicatam, quo se illi defenderent ab argumentis hæresis recentioris.

13 Plus dubitationis tertia difficultas præ se ferebat: Ex vna parte in testimoniis productis solidum reperiri fundamentum videbatur. Etenim vox Græca *Mysterium*, in Ecclesia solet accipi pro *Sacramento*, & à maiori interpretum parte recitatis verbis S. Pauli huiusmodi significatio tribuitur. Hoc concesso; ibi distingui ab Apostolo hæc duo munera, *Ministri* & *Dispensatoris*, duobus Græcis vocabulis, quorum alterum importat *executorem*, seu *Subdiaconum* & *subseruientem*, sicut explicat Synodus Laodicena; alterum quod refertur præcipuè ab Apostolo ad Sacramenta, valet *œconomum*, quod deductum ex Græcis radicibus οἶκος & νομὸς, idem significat quod *Dispensator domus:* Executori suapte naturâ nouam auctoritatem non concedi, sed concedi œconomo: illum verò existimari fidelem dispensatorem & œconomum, qui per eiusmodi potestatis vsum res aptè disponit ad finem, hoc est, ad heri dignitatem. Ex altera parte videbatur hæc vniuersa ratiocinatio fines probabilis ac verisimilis haud excedere: quare temperata fuit formula in illis testimoniis adducendis, & vbi priùs dicebatur: *Id Apostolus manifestò testatus est*; dictum fuit: *Id Apostolus non obscurè visus est innuisse.*

Ad postremam difficultatem responsum. In ea ratione, quam duo illi Theologi tamquam basim constituendam censebant, Concilium fundari non posse. Quamuis enim illa à præclaris Doctoribus adducta fuisset; vbi tamen communi Ecclesiæ nomine recipe-

1562. retur, improbatum iri absolutè veterem vsum Eucharistiæ infantibus tradendæ. Quare ad excludendam illius necessitatem, ab hæreticis affirmatam, & damnatam à Synodo, nullam adduci posse probationem magis perspicuam, quàm quòd nullo alio Sacramento infantes indigeant præter Baptismum, vt, si decedant, ad cælum conuolent. Hoc posito, vtrumque vsum esse arbitrarium Ecclesiæ, & per probabiles rationes ipsi licere modò hunc, modò illum eligere, sicuti dicebatur in Decreto. Res adeò notabilis, & in cunctis publicis, priuatisque monumentis Synodi recensita, Suauem latuit.

Inter huiusmodi disputationes ita compositas tempus adfuit po- 14
stremi conuentus generalis cogendi; in quo Decretis omnibus vltima linea posita est, simulque statutum, futuræ Sessioni diem 17. Septembris esse destinandum, quando æstiui caloris molestia, ac Patrum lassitudo, ob cœtus habitos bis quotidie[e], breuius temporis spatium negabant ad ea elaboranda quæ nouæ illi functioni destinabantur; retentâ sibi facultate tum eâ vice, tum reliquis omnibus, contrahendi protrahendíve diem præscriptum Sessionibus, etiam extra Sessiones, vbi Synodo consentaneum id putassent.

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 16. Iulij 1562.

Iam dimissus erat conuentus, & qui conuenerant abituri surre- 15
xerant; cùm vox obstrepens audita est Arriæ Gallegi, Girundensis Episcopi, viri decrepiti, dicentis: *Reuertite Patres, & audite me.* Legati libertatis rationem maiestati anteferentes, iterum consederunt, & ad subsellia Patres reuocarunt. Questus est Gallegus, quòd cùm Patres multa grauia protulissent, & in opus deducta non essent; nisi remedium admoueretur, haud leuem in Sessione crastina tumultum futurum. Patienter à Legatis responsum; Si quid mali in Decretis deprehendebatur, vtique corrigendum esse, & admonendos de eo Patres operi delectos: sin autem ieiuna, minimeque plena videbantur, animaduertendum, id quod in vna Sessione confectum non est, in altera perfici: quamcumque appendicem cuiuis legi esse rem tanti ponderis, vt paucarum horarum deliberatio satis illi non sit. Atque hoc pacto senex ille conquieuit.

Non tamen quieuerunt duo Theologi, qui paulò anteà doctri- 16
næ iam digestæ repugnarant; & vrgentes id quod primo loco obiecerant, in quo solidiorem à se rationem adduci rebantur[f], eam in illo cœtu loquendi efficaciam adhibuerunt, vt non modò complurium Patrum, sed Legati Osij, & Madruccij Cardinalis animos ad se pertraxerint; qui ambo cum reliquis Legatis collocuti obtinuerunt, vt in primo Decreto ita verba mutarentur. *Non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, vt omnes Christi Fideles statuto Domini*

[f] In scripturis citatis.

ad

ad vtramque speciem sumendam adstringantur; sed illi solùm, quibus dictum est: Hoc facite in meam commemorationem: hoc est illis, quibus potestatem dedit conficiendi, offerendiq; suum corpus & sanguinem. Non tamen opportunum censuere Legati, eam mutationem solemniter Sessioni proponere, nisi admonitis priùs Patribus, & sententias priuato ritu rogatis: cumque aliud tempus haud concederetur singulis, manè in templo ante sacrificium rem significandam curarunt. Sed quamquam multis id probaretur, à plerisque reiectum est, ac potissimùm à Mutinensi, & Granatensi: hic verò, vtpote in S. Thomæ doctrina plurimùm expertus, illicò tertiam Summæ partem ad se deferri iussit, ibique locum nactus est in quæstione octogesima, articulo duodecimo, vbi S. Doctor verba illa Christi in Cœna etiam ad laicos extendit, dum per ea probat latam à Deo legem fuisse cunctis Fidelibus Eucharistiæ suscipiendæ. Atque in eo loco, tametsi Caietanus conetur ostendere, sustineri adhuc posse, eam legem non Dei, sed solius Ecclesiæ legem esse, adeoque S. Thomæ rationes tamquam probabiles, sed solubiles admittat, earumque singulis responsum reddat; tamen mandatum illud à Christo pronuntiatum in Cœna, ab eo coarctatum non fuit ad solos Sacerdotes (quod ipsi Caietano fauissent) sed aliâ defensione se tueri studet. 1562.

17 Vbi Legati exaudiuerunt coortum ex ea nouitate ingens murmur, aduersus quàm functionem ac locum decebat, & contra conceptam ab ipsis expectationem, cùm eam mutationem singulis proponi iusserant, silentium fecerunt, iniunxeruntque, vt ibi à longiori disputatione desisteretur; si quid enim aliud Patribus occurreret, commodè de illo agi posse in articulis de *Missæ sacrificio.*

18 Suauis dum hæc recensèt, iterum atque iterum tenuem notitiam suam de rebus Synodi patefecit. Primò, dum dicit: *Dum res Diuina celebrabatur, ab Alfonso Salmerone & Francisco à Turre Iesuitis, sermones habitos, ab altero cum VVarmiensi, ab altero cum Madruccio, à quorum tergo illi aderant, vt in primo capite doctrinæ*, &c. narrans appendicem, quam illi persuadere nitebantur, esse necessariam; & subiicit: *Absolutâ Decreti lectione rem priùs à VVarmiensi, dein à Madruccio fuisse propositam.* Ex quibus neque verum quidquam fuit, neque possibile.

Non verum: nam in primis non dicam Acta, & monumenta calamo scripta, quæ per manus passim abiere; sed ipsum Concilium, Antuerpiæ typis editum[g], ostendere illi poterat, Franciscum Torres id temporis in Societate Iesu non fuisse; nec eam ingressus est nisi post tertium ab absoluto Concilio annum[h]. Quòd si fortè Suauis in aliqua adnotatione negligenter in chartam proiecta legit id

g Ann. 1564.

h Ingressus est 25. Decembris anno 1566. vt in Bibliotheca scriptorum Societatis Iesu, edita à Philippo Alegambio.

1562. id quod non erat, oportebat vt sciret, sicuti ex quolibet ligno non conficitur Mercurius, ita neque ex qualibet inquinata schedula historiam confici. Præterea cuncta duorum Theologorum postulata pridie contigerunt, & singulis Patribus proposita sunt in templo, antequam sacrificium decantaretur, quemadmodum narrant Paleottus, Archiepiscopus Iadrensis, & Episcopus Mutinensis, qui interfuere; & comprobatur ab Actis authenticis, quæ in Arce Romana seruantur, in quæ res gesta diserrè relata est: & sacrificio peracto collectæ sunt sententiæ, antequam Decretum legeretur.

Affirmaui, dictum Suauis non modò non verum, sed ne possibile quidem esse. Id ex eo clarè comprobatur, quòd res proponendæ communi nomine proponebantur aut ab Episcopo celebrante, aut interdum minùs solemniter ab eo qui Synodo à secretis erat, aut in aliquo casu extra ordinem à primo Præside, qui non erat Osius, multoque minùs Madruccius; adeoque neutri eorum potuit eo die contingere, vt hoc munere fungeretur.

Iterum errat in affirmando, *rem propositam à maiori parte fuisse re-* 19
iectam, non propter ipsam in se, sed propter modum quo ex improuiso proponebatur. Omnino ex opposito. Iam multi eruditi Patres satis priùs dispexerant, & inter se perpenderant articulum illum anteà plurimùm agitatum, & in ipso templo, sicuti narrauimus, Guerrerus ad se deferri iussit librum S. Thomæ, cuius verba protulit propositæ appendici contraria.

Tertiò aberrat à vero, dum refert, *Eadem de causa reliquis Legatis haud placuisse, sed ob loci dignitatem absque maiori motu dixisse, rem ad Sessionem proximè futuram repositum iri.* Si reliquis Legatis illud additamentum haud placuisset, quo pacto potuissent Osius & Madruccius auctoritate propriâ illud proponere? Hæc porrò vniuersa errata, vbi nullâ aliâ probatione refellerentur, breuiter conuincuntur ab vnica periodo epistolæ, quam scripsit Seripandus ad Borromæum [i] de illius Sessionis euentu, sicuti de singulis scribere consueuerat. Sed nullus color à Suaui relinquitur in otio ad depingendam quamcumque actionem illius Synodi, tamquam imprudentem ac tumultuantem; quæ sunt duæ conditiones, per quas auferetur veneratio, & inducitur despectus.

[i] 16 Iulij 1562.

Sed ad functionem: Celebrauit solemniter Marcus Cornelius, 20
Archiepiscopus Spalatrensis[k]: è suggestu verba fecit Andreas Duditius Sbardellatus, Antistes Thininiensis, qui se continere non potuit quò minùs obliquè Patres cohortaretur ad concessionem Calicis, quem ipsius regiones ardentissimè sitiebant. Posteà communicato

[k] Præsertim Diarium, 16. Iulij 1562.

per

per schedulas, quod diximus, additamento, collectisque suffragiis ab eo qui erat à secretis, elatâ voce ab eodem relatum est, maiori Patrum numero illud minimè placere, adeoque Decreta dogmatum absque additamento vulgatum iri. 1562.

21 Posteà Bauarici Oratoris mandata excepta sunt: tum Archiepiscopus sacris operatus, suggestu conscenso, memorata iam Decreta recitauit. Cardinales dixerunt absolutè, *Placet*, præter Osium, qui cùm aduersari collegis, & idipsum, cuius anteà auctor fuerat, reuocare nollet, rem in Pontificis iudicio reposuit, dicens: *Si placebit sanctissimo Domino nostro, mihi quoque placebit:* idemque responsum dedit Ælius Patriarcha Hierosolymitanus. Stella Iustinopolitanus Episcopus non comprobauit in primo capite verba, Granatensi petente, adiecta, de testimonio desumpto ex capite sexto S. Ioannis, *Vtcumque*, &c. Et cum eo conuenere Didacus de Leon Carmelitanus, Episcopus Colombriensis, & Ioannes Munnatones Ordinis S. Augustini, Episcopus Segouiensis. Nec præterea Stellæ placuit ratio, capite quarto allata, de neganda infantibus Eucharistia; sed petiit, vt eius loco altera apponeretur, quam ipse Apostolicam nominauit, quasi desumptam ab Apostoli mandato, *Probet seipsum homo*. Sophisticum quibusdam visum est, quod Philippus Maria [1] Campeggius Episcopus Feltrensis obiecit, cui molestum erat, quòd varia Christi dicta apud S. Ioannem recitarentur, in quibus interdum fit mentio carnis simul & sanguinis, interdum carnis solius, aut solius panis; cùm idem affirmaret, ea secundùm formam quam obtinebant in Euangelio se quidem venerari; at quâ formâ in Decreto ponebatur, sibi non probari, vt qui opinabatur, ibi minùs aptè produci. Quod ab eo fuisse dictum fertur, quia illa perinde afferri arbitrabatur, ac si Redemptor sibi contradixisset: cuius tamen rei ne vmbram quidem in illis Concilij verbis quicumque alius præter illius oculum deprehenderat. Verùm quemadmodum à quorumdam oculis scintillæ lucis emicant, ita ab quorumdam etiam oculis ambiguitatis vmbræ videntur emitti. Posteà ad reparandam disciplinam Decreta recitata vniuersis Patribus simpliciter placuerunt, septem exceptis, qui in alio alius loco postulabant tenues mutationes, & relatu non dignas. Decreto, quod futuram Sessionem denuntiabat, vnanimes assensere. In hoc Patrum choro, perinde ac in choro modulantium, discrepantia ac intensio vocum, auribus eruditioribus præstantiore quâdam harmoniâ personabat.

[1] Acta Paleotti, & prædicta epistola Mutinensis ad Moronum, 16. Iulij 1562.

1562.

CAPVT XII.

Animaduersiones expenduntur, à Suaui famæ publicæ assignatæ, de Dogmatum ac Disciplinæ Decretis memoratis.

SVauis in scenam more suo adductâ vniuersali famâ, de narratæ Sessionis successu dicit, Numquam à Concilio tantam sui expectationem excitam fuisse, quantam id temporis, ob Patrum Oratorumque frequentiam; sed rem ipsam communi voce montium partui æquiparatam. Communis huiusce vocis ne tenue quidem murmur tam multiplex tot Commentariorum echo reddidit. Certum est, articulos in ea Sessione firmatos, ex iis fuisse qui acerrimè à Germanis hæreticis oppugnabantur: per leges quoque disciplinæ, ab ea latas ad auferendam abiectam mendicitatem Sacerdotum, fraudulentiam exempli pessimi eorum qui gratias ad pietatem spectantes promulgabant, lucrum pecuniarium sacros Ordines conferentium, negligentiam Ecclesiasticos redditus possidentium, penuriam Pastorum apud gregem fidelium, licentiosam immunitatem commendatas Ecclesias obtinentium, & per alias etiam consimiles sanctiones, plurimo puluere vultum Ecclesiæ absterssum fuisse. Verum etiam est, nec à me dissimulatum, optauisse primùm Patres, vt ipsorum examini robustius pabulum apponeretur, veritos ne post leuiora illa fercula mensæ tollerentur. Sed nec ipsis, nec aliis viris sapientibus mirum visum est, quòd Leges & Decreta initium ducerent à facilioribus, quæ difficilioribus viam sternunt, cùm ceteroqui prudens sit imitatio naturæ (à natura sæpiùs exempla peto, vt notissima simul sint, simul etiam ducta ex effectore perquam beneuolo, hoc est ex Deo) inchoatio ab opere remissiore, quò inde ad vehementiora gradus fiat. Quare multi philosophantium docent, quemcumque montem (ne à Suauiana similitudine discedamus) in sua ruina progredi subinde per omnes lentitudinis gradus possibiles, antequam ad impetum illum perueniat, qui vrbes opprimit, fluminumque cursum conuertit. Is qui patienter adhuc septem menses perdurauit, expectationem minime fraudatam, sed superatam vidit tot ac tam grauibus definitionibus & morum emendationibus, quot & quales à multis aliis Conciliis simul confectæ non sunt, tanto Christianæ pietatis incremento, quantum fortasse nullâ vmquam aliâ ratione post hominum conuersionem ad Fidem euenire visum est. 1

Iam verò ad obiecta peculiatia descendamus. Addit: *Notabatur præci-* 2

præcipuè duorum articulorum dilatio: mirum quippe videbatur, cùm per quatuor anathematismos quatuor Fidei dogmata constituta fuissent, declarari non potuisse articulum, quòd concederetur vsus Calicis ex iure Ecclesiastico. Compluribus quoque videri de illo priùs agendum esse, siquidem eo concesso cunctæ disputationes cessarent. 1562.

Hæc non erat ratiocinatio, sed ex malignitate delirium. O solidissimam consecutionem! Potuit facilè statui, non esse iuris Diuini quòd res quædam fiat; igitur eadem, quin etiam maior erit facilitas ad decernendum, an ea res concedenda an prohibenda sit per legem humanam. Id si valeret, omnes Senatuum ac Rerumpublicarum deliberationes facilè & intra momentum expediri possent; quandoquidem indubitatum illic esse solet, rem illam, de qua deliberatur an ferenda lex sit, aut habendum Decretum, nec præceptam nec interdictam esse Diuino præscripto. Cùm de hoc sermo erit, rationesque ponderosissimas recitabimus, à quibus suspensa trutina tenebatur, manifestò liquebit, quantum huiusmodi sanctio meditationis ac temporis indigeret. Sed reuerà complures illi, quibus videbatur, id vbi concessum fuisset cunctas disputationes ablatum iri, nonnisi opifices ac mulierculas esse oportebat, quibus conceditur ab hæreticis tribunal in Religionis controuersiis. Fingamus nunc ab Ecclesia vsum carnium permitti singulis anni diebus; num idcircò cessaret disputatio cum hæreticis, potestásne in ea sit illius interdicendi quibusdam certis diebus, quemadmodum priùs fecerat? Perge porrò: Num agebatur de concedendo Calice, nisi quibusdam nationibus; reliquæ verò nec petebant, nec optabant? Quo pacto igitur cum iis cessabat disputatio, an diuinum præceptum transgrederentur?

3 Addit præterea: *In tertio doctrinæ capite fuisse admodum ponderatam ipsius clausulam; Nullâ gratiâ necessariâ ad salutem defraudari fideles, qui vnam speciem solùm accipiunt; cùm id videretur fateri Synodus, gratiam minimè necessariam amitti. Hic verò dubitabatur, an sit auctoritas humana, quæ possit impedire Diuinam gratiam superfluentem minimeq; necessariam; & vbi ea auctoritas esset, an charitas hæc ad bonum consequendum obstacula permittat.*

Mira sanè dialectica; & tamen à Suaui alibi quoque in rebus similibus vsurpata: Decernitur, hominem, cui vsus Calicis interdicitur, nullâ gratiâ ad salutem necessariâ fraudari; ergo fatetur Synodus, aliquâ gratiâ non necessariâ fraudari. Qui, viso ante mensem Petro, diceret; *Altero ab hinc mense Petrus non erat mortuus*; num idcircò fateretur, Petrum hodie esse mortuum? Quænam frequen-

1562. tior loquendi ratio, non solùm inquam in scholis & in tribunalibus, sed in colloquiis domesticis, quàm affirmare aut negare aliquam rem sub conditione, sub qua certa sit affirmatio aut negatio, & adhuc in ancipiti manere, quidnam esset eâ conditione sublata? Pudet me lectorem in his nugis tamdiu detinere, præsertim cùm satis compertùm fuerit, & tunc & quouis tempore hanc fuisse Patrum sententiam; quin plerosque propendisse in opinionem illi gratiæ inæqualitati contrariam. Quare postmodum etiam plerique Catholicorum Doctorum [a] idipsum censuere, nihil ambigentes ne verba Concilij oppositum faterentur; vsque adeò vt Bellarminus docuerit, potiùs [b] deduci ex Tridentino probabilem argumentationem, quòd gratia æqualis sit in vtroque casu, eamque sententiam tam firmo inniti fundamento auctoritatis, vt citra omnem dubitationem è suggestu asseueranter prædicari possit. Id satis est ad argumenti ineptiam ostendendam: sed placet aliâ ratione eius fallaciam patefacere.

a Bellarminus, Vasquez, Suarius, & ferè reliqui omnes.

b Lib.4 de Eucharistia cap.23.

Fingamus cum Suaui, in ea Sessione Patres oppositam partem 4
fuisse fassos, & statuisse. Quid hoc ad id, quod ipse intendebat, conferret? Dubium videbatur, inquit ille, an Ecclesiæ aut ex auctoritatis defectu, aut certè ex lege charitatis, liceat legem ferre, quâ superfluente gratiâ quisquam priuetur. Hîc ex se quisque mediocriter eruditus animaduertit affectatam dubitationem, quâ hallucinentur vulgi oculi, & in errorem trahantur. Æquè pariter dubitari poterat de vetito Ecclesiastico, ne plusquam semel eodem die sumatur Eucharistia, neque post sumptum cibum, iis saltem, quibus ad eam vsque horam naturale ieiunium à valetudine non permittitur: hæc enim omnia aliquâ exuberante gratiâ hominem priuarent. Ita pariter se habet prohibitio, quâ vetantur Sacerdotes eodem die sacrificium iterare, perinde ac die Christi natalis conceditur. Idem vsuuenit in interdicto, ne præbeatur Eucharistia ægrotis vomitum patientibus, & ne quispiam vniuersè Eucharistiam sumat, nisi manu Sacerdotis ea porrigatur: idem in ritu, quo sexta feria sanctioris hebdomadæ Eucharistiæ sumptio laicis negatur. Et sanè cùm & probabilis sit, & insignium Theologorum auctoritate fulciatur ea sententia, quâ dicitur, ab Eucharistia gratiam augeri non solùm quo tempore ea suscipitur, sed etiam quo perdurat in stomacho, dubitari posset ex ratiocinatione Suauis, an egerit Ecclesia aut vltra potestatem, aut certè contra charitatem, præscribendo, vt conficerentur ac distribuantur Fidelibus species panis tam tenui ac subtili formâ. Cuicumque Theologo, quin cuique homini cordato lumen

lumen ineſt, quo perſpiciat, ab huiuſmodi legibus de ritibus Eucharistiæ rationem haberi proximè, non de ſolo gratiæ incremento in homine, qui Sacramentum ſuſcipit, ſed etiam de eiuſdem Sacramenti dignitate ac veneratione. Dixi *proximè:* nam ſi vltrà ratio habeatur, deprehenditur, à veneratione ſenſum pietatis excitari in homine ſuſcipiente, & ab hoc ſenſu ſæpè compenſari multis partibus detrimentum illius gratiæ, quam fuiſſet homo lucratus per vſum nimis familiarem, & ſine ritibus ab Eccleſia præſcriptis. Porrò quînam ad venerationem Sacramenti ſpectaret interdictus laicis vſus Calicis, haud difficulter animo cogitatur. Gerſon Pariſienſis Cancellarius id amplè demonſtrat; nobis verò breuî aderit occaſio hac de re loquendi. Nunc Suauem ſequamur, qui pergit ſcribere: 1562.

5 *Duo præ ceteris multorum ſermonibus argumentum præbuere: alterum, obligatio iniuncta, credendi veteres Patres numquam exiſtimaſſe Euchariſtiæ ſumptionem infantibus neceſſariam. Etenim vbi agitur de Hiſtoriæ veritate, agitur de facto, & de præſcripto, vbi auctoritas vim non habet, quæ iam facta immutare nequit. Atqui notum eſt legentibus Auguſtinum, ab eo nouem in locis, non vno verbo, ſed longâ oratione affirmari, neceſſariam eſſe paruulis Euchariſtiam, & in duobus ex illis eius neceſsitatem æquari Baptiſmi neceſsitati: quin ab eodem non ſemel dici, eam exiſtimatam ac definitam ab ipſa Romana Eccleſia fuiſſe tamquam neceſſariam ad paruulorum ſalutem, adducto in eam rem Innocentio Pontifice, cuius epiſtola adhuc extat, quæ perſpicuè loquitur. Et mirum videbatur, quòd Synodus citra neceſsitatem hac ſe difficultate implicauerit abſque exitu, & cum periculo quòd ab aliquibus affirmaretur, aut Innocentium aut Concilium erraſſe.*

6 In primis, ſi Suauis ſententia fuit (quod ipſius verbis ſignificari videtur) non poſſe ab Eccleſia tamquam Fidei dogma declarari ſeu veritatem ſeu falſitatem certæ cuiuſdam rei geſtæ (quippe quæ non extet in diuinis Litteris, quarum Eccleſia interpres eſt, quæque, cùm ſit præterita res, nulli iuriſdictioni ſubiicitur) ſatis appareret, tantumdem ab ipſo ignorari, quantum non credi auctoritatem Eccleſiæ. Num ipſi ſtatuere non licet, eſſe Fide credendum, non euenisſe in aliquo certo homine id quod Deus in ſacris Paginis affirmat numquam in quocumque hominum euenturum, exempli gratiâ, quemdam ex Cælitibus in tartara non cecidiſſe? Iam verò cùm à Deo in ſacris Litteris reueletur, Eccleſiam eſſe columnam & fundamentum veritatis, eamdemque numquam in Fide deceptam iri; ex vi huiuſce Diuini effati potuiſſet quidem Synodus definire, Eccleſiam, quamuis illa ſæculis prioribus conſueuiſſet Euchari-

1562. ſtiam paruulis tradere, in ea conſuetudine non erraſſe, quaſi falsò crederet, id eſſe ad ipſorum ſalutem neceſſarium.

Sed hæc omnia ſunt à me dicta potiùs ad oſtendendam Suauis 7
inſcitiam, quàm ad tuenda verba Concilij, quod, quidquid nonnullis viſum fuerit, reuerà numquam ibi egit de iis quæ intenderint & opinati ſint veteres Patres in præbenda infantibus Euchariſtia; ſed dixit: *Vt ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nullâ ſalutis neceſsitate id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt.* Non igitur loquitur Synodus de intentione & opinione, quæ in illis eſſet qui hoc peragebant; ſed docet, hoc ipſum neceſſarium ad ſalutem non eſſe. Atque ita intellecta ſunt ea verba, præſertim à Claudio Saintes Epiſcopo Euricenſi, qui cùm ad Concilium veniſſet inter Theologos regios paucis menſibus poſt ea promulgata Decreta, non potuit eorum ſententiam ſatis cognoſcere. Hic in erudito volumine, quod inſcribi-
[c] In repetitione 6. tur, *Repetitiones rerum exagitatarum de Euchariſtia*, opinari [c] non dubitauit, memoratam conſuetudinem aliquorum ex antiquis Patribus, præbendæ infantibus Euchariſtiæ, ortam fuiſſe ex dubitatione ac religionis ſenſu, quòd illa etiam paruulis eſſet neceſſaria, adeoque voluiſſe illorum ſalutem in tuto collocare. Nec huiuſmodi opinio Saintes, tametſi à Franciſco Suares impugnata [d], ab ipſo
[d] Diſp.62. de Euchar. ſect.4. tamen improbatur non modò vt hæretica, ſed ne vt diſſona quidem verbis Concilij in hac parte, ſed ſolùm in alia; nimirum, quatenus Concilium dicit, ſanctiſſimos illos Patres habuiſſe probabilem cauſam ad hoc faciendum pro illius temporis ratione; quæ probabilis cauſa non agnoſcebatur à Saintes, factum errori vnicè tribuente; quamquam idem alioqui circumſpectè ſe gereret, hunc errorem haud adſcribens vniuerſæ Eccleſiæ, quæ ex Diuina cuſtodia errori non ſubiacet, ſed illis ſolùm partibus, quæ conſuetudinem huiuſmodi ſeruarunt. At verò reuerentiore iudicio, & abſque erroris nota illis Patribus inuſta, hæc probabilis cauſa eſſe poterat, ſeu, vt arbitratur laudatus Suares, minor infantium Chriſtianorum numerus eâ tempeſtate, qui eas circumſpectiones admitteret, per quas irreuerentia Sacramenti euitabatur; ſeu, vt alij ſibi perſuadent, cùm eo tempore Euchariſtia ſub vtraque ſpecie laicis permitteretur, facile erat infantibus panem conſecratum vnà cum vino pariter conſecrato deglutire, quod hodie ampliùs fas non eſt.

At quid reſpondebimus nouem illis locis S. Auguſtini, & illi tam 8
apertæ Epiſtolæ Innocentij I. vbi Suauis oſtendit affirmari hanc neceſſitatem tradendi infantibus Sacramentum Corporis Chriſti,

adeo-

adeoque Innocentio simul & Augustino Concilium aduersari? 1562.
Concedam aduersario suprà quàm postulat. Dicit, ab Augustino duobus in locis æqualem necessitatem poni in Eucharistia, & Baptismo: ego verò adiicio, eamdem ab eo poni necessitatem. Hodiéne primùm in Scholis innotuit, intellectum fuisse ab Augustino caput sextum S. Ioannis non de ipsa solùm in re susceptione Eucharistiæ (siue etiam de illa intellectum ab ipso fuerit néene, de quo disceptatur, nec nostrâ interest) sed de coniunctione, quâ nobiscum Christus mysticè sit vnum corpus per Baptismum ac Fidem? Eo testimonio probauit S. Doctor contra Iulianum Pelagianum Baptismi necessitatem, non modò quo regnum cæleste homo ingrediatur, sicuti Pelagiani sacris Oraculis conuicti tandem fatebantur; sed ad obtinendam vitam æternam, quod illi negabant; adeoque aduersus eosdem probauit esse peccatum originale, cuius solùm causâ necessarius est Baptismus. Idcircò postquam in lib. 3. *De peccatorum meritis, & remissione*, cap. 4. produxit effatum Christi, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam*, concludit: *Non necessitas sine vlla ambiguitate proclamat non solùm in regnum Dei non baptizatos puellos ingredi non posse; sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui vt incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur.* Et hanc fuisse Augustini sententiam, tradidit S. Thomas[e]: nec vlla opinio concipi poterat adeò remota à principiis Augustini, quàm quæ diceret, Siue non remitti statim peccatum originale Baptismo; siue postquam remissum est, redire paruulos in Diuinam inimicitiam absque ipsorum culpa, vbi contingeret quod ante mortem Eucharistiam haud suscepissent: ex quibus pronuntiatis alterum concedere cogitur, qui affirmat, paruulis necessariam esse ad salutem Eucharistiæ sumptionem. Quocircà in hac vnica ac prævalida ratione ad excludendam huiusmodi necessitatem inniti Concilium voluit.

[e] Tert part. q. 80. art. 9. ad 3.

9 Progrediamur: Quid dicit Epistola Innocentij Romani Pontificis, quam Suauis obtrudit? Ea legitur ad Patres Mileuitanos scripta, & est 26. inter ipsius Decretales, quæ pariter locum habet nonagesimum tertium inter Epistolas Augustini: in ea hæc habentur: *Illud verò quod ab illis* (loquebatur de Pelagianis) *vestra fraternitas asserit prædicari, paruulos æternæ vitæ præmiis etiam sine Baptismatis gratiâ posse donari, perfatuum est; nisi enim manducauerint carnem Filij hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hoc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cessare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi*

1562. *nisi Baptismate conferendum.* Ecce quo pacto exigat communicationem carnis Iesu Christi in paruulis Innocentius, cuius Epistola verè affirmatur à Suaui clare loqui; sed aduersus falsa ipsius dicta. Nec huiusmodi obseruationes de illis testimoniis excogitatæ postea fuerunt, ad ea defendenda quæ imprudenter Tridentini Patres pronuntiassent. In manu mea est producere responsum [f] Episcopi Mutinensis ad Moronum, qui planè significauerat, hæc à quibusdam obiecta Decretis doctrinæ Romam delatis; in quo is narrat, ea dicta Augustini & Innocentij, aliaque multa, fuisse Tridenti exagitata non mediocri subtilitate, ostenditque per rationes à me adductas, quisnam esset legitimus eorum sensus. Addit etiam, illic fuisse admodum reprehensam temeritatem Erasmi, qui suis in scholiis explicat Epistolam Innocentij secundùm interpretationem, quæ pro certa ponitur à Suaui. Sed mirum non est, hunc de Innocentio sequi distortas Erasmi interpretationes, quandoquidem, sicut Tridentini Patres notarunt [g], hæretici Centuriatores vel ipsa irreuerentiæ verba inde sibi desumpsere.

[f] 3. Augusti 1562.

[g] Habetur in epist. citata Episcopi Mutinensis.

Postremò alterum narrans, quòd ex ipsius affirmatione multos sermones excierit super doctrinæ Canonibus, ita scribit: *Alterum erat secundus anathematismus, declarans hæreticum esse, qui dicit, Ecclesiam iustis causis haud permotam fuisse ad Eucharistiam absque Calice tradendam: quod idem est ac fundare Fidei dogma in humano facto; ac mirum existimabant, fateri, hominem non nisi humano iure teneri ad obseruandum Decretum; sed iure Diuino cogi ad credendum illud esse iustum, & quòd statuerentur tamquam Fidei dogmata res, quæ mutantur indies.* Inanis argumentatio! Si dogma Fidei est, Ecclesiam in rebus seu Fidei seu morum errare non posse, quippe quæ regitur à Spiritu sancto; est etiam dogma Fidei, eamdem ad ferendas leges de Sacramentorum distributione non posse absque iustis causis moueri. Argumenta verò, quibus per allata verba Suauis argumentatur, homine scientiâ prædito indigna sunt; cùm omnis humana ac noua lex, quemadmodum S. Thomas obseruat, suam vim omnem trahat ab æterna Dei lege, quæ nos iubet hominibus obedire, eorumque temporarias sanctiones seruare. Non modò non dissentaneum, sed necessarium est, vt ex Diuino præcepto insit in nobis debitum credendi, nos saltem in genere humanis legibus obligari, atque huiusmodi debitum esse inuariabile, quamuis lex pro vario iudicio & arbitrio Superiorum sit variabilis. Ceterùm euenire potest, vt nobis liceat certæ alicuius humanæ legis iustitiam per firmum Fidei assensum non credere; cuiusmodi, exempli causâ, sunt leges illæ, quas san-

sanciunt Principes laici, aut etiam Episcopi, & ipse Pontifex, non quatenus Pontifex: Deus enim minimè reuelauit, se velle semper huiusmodi sanctionibus assistere. Potest quoque contingere, vt per hanc firmam fidem cogamur credere iustitiam alicuius generis legum humanarum, vbi Deus perpetuam suam custodiam alicui humano legislatori promiserit, perinde ac promisit Ecclesiæ in legibus Religionis. Ceterà, quòd lex variabilis sit, nihil impedit ne variari non possit fides, quâ credatur legis conuenientia pro ea tempestate quâ illa perdurat. Profectò Diuinæ etiam leges cærimoniarum & iudiciorum variabiles fuerunt, & ad tempus: & tamen dogma Fidei est, ambas fuisse iustas, & rationi consentaneas. Quod autem Synodus huiusce legis causas non attulerit, nec mirum est, nec dignum quod castigetur. Id quotidie peragunt sapientes iudices ac legislatores, ad subtrahendam populo cauillorum materiam; cùm præsertim eiusmodi causæ satis in comperto essent, & à scriptoribus per typos impressæ. 1562.

11 A Fidei dogmatibus progreditur Suauis ad binas criminationes confingendas de disciplinæ Decretis, alteram vniuersalem, ob argumentorum leuitatem; peculiarem alteram, de nouis Parœciis instituendis, vbi veteres non essent satis. Vtrique suprà responsum abundè. Solùm, quoniam adiicit secundo loco, ad nouas Parœcias erigendas, non populum, sed Ecclesiasticos diuites esse obstringendos; libenter eum fuissem percontatus, An vmquam compererit, vbi stipendium statuitur medico, seu ludimagistro in aliquo oppido, desumatur illud ex prouentibus diuitum dumtaxat, & non potiùs pauperum ac diuitum, proportione, in quorum vniuersale commodum illi stipendio conducuntur. Num ea Iurisconsultorum regula inaudita est: Qui commodum sentit, oportet vt incommodum sentiat? Diuites idcircò sunt diuites, quòd sua liberè possideant, & debeant pauperibus ex charitate non ex iustitia subuenire. Præterquam quòd profugium illud ad popularium collationem decretum est in supplementum, vbi antiquæ Parœciæ reditus non sufficerent ad nouam etiam dotandam. Quare Decreti vsus perrarus fuit; nec qui grauabantur, tametsi semper queruli, huius oneris causâ vociferati sunt. Patrocinari pauperibus quasi diuexatis, seditiosorum mos est, quò illos sibi affectas comparent; qui cùm præ aliis minus habeant, plures sunt, adeoque præ aliis plus possunt.

1562.

CAPVT XIII.

Inter Mantuanum & Simonettam reconciliatio. Litteræ Regis Catholici de Continuatione & Manſione. Pontificis reſponſum ad epiſtolam Italicorum Præſulum, qui affirmarant, manſionem eſſe Iuris Diuini. Eiuſdem mandata Legatis tradita ſuper eo negotio. Præſcriptus Theologis ordo; ſed non ſeruatus. Articuli de Sacrificio propoſiti.

POſtquam euaſere Legati ex obſidione curarum ob Seſſionem, licuit ipſis tempus ſolertiamque conuertere ad alia Synodi progreſſibus profutura. Ingens ſemper deſiderium præ ſe tulerat Simonetta recuperandi ſibi animum Mantuani; non ſolùm ob viri excellentiam, admonitionemque Pontificis, ſed quòd ſperabat, ſimul cum amicitia eiuſdem operam ac ſenſa ſecum coniunctum iri, ratus, ea quæ hactenus à Mantuano peracta fuerant [a] in manſionis quæſtione, potiùs ſuaſu Seripandi, quippe Theologi in ea ſententia defixi, quàm ſuopte ſenſu peracta: nec eſſe adeò difficile, remoueri ab homine quæ ipſi aliunde ſint impreſſa, quàm quæ ab ipſius ingenio dimanant. Quapropter ſtatuerat illum adire, & per efficaciam illius obſequij, vi præſentiæ vociſque animati, vnius horæ ſpatio id perficere, quod per plures menſes conciliatorum operâ, vt ſic loquar, inanimatâ confici nequit. Sed Vicecomes rem protraxerat, quò priùs eſſet certior, ne huiuſmodi machina, quæ maxima erat, incaſsùm admoueretur. Demum cùm iam certus ab Oliuo & Epiſcopo Scarampo fuiſſet redditus de parato ad id animo Mantuani, illi aperuit Simonetta, ſignificatum ſibi fuiſſe à Mantuano, velle cum ipſo communicare partem epiſtolæ, ſibi arcanis potis Româ conſcriptæ, de Calicis conceſſione; (&, quantum arbitror, ea erat, quam priùs diximus fuiſſe ſcriptam ad Principem Legatorum die nono Iulij.) Tunc Vicecomes ipſum cohortatus eſt, vt acciperet opportunitatem illius fidentis amiciſque colloquij ad res præteritas reuoluendas; & in plurimis rerum geſtarum errore deterſo, & in cunctis animi ſinceritate patefactâ, ſtuderet obductas offenſionum nubeculas diſſipare. Itaque die decimonono Iulij, quo primus poſt Seſſionem quintam conſeſſus habitus eſt, & articuli à minoribus Theologis expendendi propoſiti ſunt, Simonetta, dum abiret è templo, vbi conuentus habebantur, ſe vltrò per amicam fidentiam Mantuano, qui illic propè habitabat, conuiuam obtulit.

[a] Extant conct. in binis litteris Vicecomitis ad Borromæum, 17. & 20. Iulij 1562.

tulit. Plures inter eos iacti sermones mutuâ gratificatione: & quoniam generosior indoles facilè placabilis est, Gonzaga se pacatum ex animo fassus est: quin cùm vellet Simonetta se purgare, quòd quidam Præsules sibi familiares in Mantuanum oblocuti fuerant, hic interpellauit, dicens ea de re sermonem aliàs se habituros: quo silentio indicauit, ac posteà Oliui & Scarampi voce significauit, non aliam à se castigationem peti, nisi emendationem. Atque eamdem posteà mansuetudinem ac prudentiam in hoc seruauit cum Borromæo [b], qui per Gonzagam Cardinalem ipsi significarat, velle se cum Pontifice agere, vt Sanfelicius Synodi Curator stipendio priuaretur, quòd eam quæ par esset de eo rationem in sermonibus non haberet: cui rescripsit, Non esse tempori consentaneum rerum publicarum cursum perturbare hisce priuatæ offensionis significationibus: quod placuit plurimùm Borromæo tum actionis honestate, tum etiam vtilitate. 1562.

[b] Ex epistola Borromæi ad Mantuanum, 20. Augusti 1562.

2 Operi valdè profuit, vt concordibus rotis mèliùs incederet, epistola Regis Catholici, ad Piscarium nocte, quæ narratam reconciliationem præcesserat, illuc delata [c]. In ea Philippus Rex, patefactâ propensione animi tum ad reliquis Principibus gratificandum, tum ad pacificum Concilij progressum promouendum, significabat de Continuatione, cùm ipse animaduerteret tam validam Cæsaris Regisque Christianissimi repugnantiam, adeoque turbamenta quæ possent ex eiusmodi declaratione suboriri, velle vt sui desisterent a postulato; cùm sibi satis esset, ne quid fieret quod illi aduersaretur. Quod autem ad mansionem attinebat: laudari quidem à se Religionis studium in Episcopis; videri tamen sibi eam decisionem haud opportunè tunc euenturam: quare suam esse mentem, ne illius postulationem vrgerent. Granatensis inspecto illius epistolæ sensu de mansione, respondit: *Benè est: Pontifex hanc definitionem minimè vult: & Rex quanti illa interfit, minimè scit. Eius consiliarij sunt Archiepiscopus Hispalensis, & Episcopus Conchensis, qui mansionem non curant. Equidem obsequar, à contestatione abstinendo, sed non desistam ab huius declarationis postulato, quoties opportunitatem nactus fuero: in quo Regem haud offensum iri certò scio.*

[c] In iisdem arcanis litteris Vicecomitis ad Borromæum, & fusiùs in epistola Lansaci ad Regem, 14. Iulij 1562.

3 Eodem die decimo nono Marinus Lancianensis Archiepiscopus attulit Pontificias litteras [d], quibus responsum reddebatur Episcopis, qui per commemoratam epistolam, sicuti indicauimus, apud Pontificem excusarant res à se gestas in disputatione de residendi præscripto, easque Beccarello Archiepiscopo Raguseni tradidit, vtpote dignitate præcipuo, dum Sebastianus Leccauela Archiepiscopus

[d] Eadem epistola Mutinensis ad Moronum, & alia Iadrensis ad Cornelium Card. vtraque 20. Iulij 1562.

1562. scopus Naxiensis aberat: atque eumdem rogauit, vt collegas conuocaret, quò Pontificis sensa cognoscerent ab illius voce, qui litteras detulerat. Itaque in templo maximo post vespertinas preces coram omnibus litteræ Pontificiæ resignatæ sunt. In his continebatur[e]: Haud parum fuisse acceptum Pontifici pium ipsorum animum, Sedi Apostolicæ addictum. Quod spectabat ad declarationem, quam ipsi habendam curauerant, cuiusnam esset iuris Pastorum mansio, certum sibi esse, pro sua quemque conscientia disseruisse: id sibi minimè displicere; quin velle se suam cuique in Concilio libertatem concedi; sed simul optare, vt à mutuis inter se offensionibus, maliq́ue exempli occasione cauerent; cùm præsertim non ignorarent Patres, quo pacto expositi obuersabantur subdolæ hæreticorum nequitiæ, qui oculis intensissimis quidquid ab ipsis ageretur obseruabant. Illos igitur ad hanc coniunctionem moderationemq́ue se paternè cohortari; reliqua verò Lancianensi committi, quæ is suo nomine significaret. Verbis deinde vsus est Marinus ad fiduciam amoremq́ue compositis: quare cùm ex litterarum, tum ex nuntij verbis perspectum fuit omnibus, optimum à se locum obtineri in opinione beneuolentiaq́ue Pontificis: quod sanè pergratum ipsis accidit. Marinus nono post suum reditum die Pontificias litteras illis reddidit, non sine sollicitudine, ac suspicione quadam illorum Præsulum[f], qui non ignorabant, eas litteras iamdiu fuisse datas[g]: & cùm huiusmodi scripta facilè vulgentur, fama est, illorum exemplaria etiam Venetiis ad eos fuisse perlata. Dilationis auctor fuerat Vicecomes[h]: non tamen causam apertè comperio; sed fortasse ea fuit, siue quòd vellet delibare priùs in Præsulum opera animorum sinceritatem, expectato Sessionis imminentis exitu, siue ne id eo tempore perageret, quo indigentiæ potiùs quàm benignitatis indicium esset.

Pontifex edoctus tum de reconciliatione inter duos Legatos, 4
tum de animo delinito in Episcopis Italicis, & de Regis voluntate, Hispanis eius nomine denuntiata, in spem certam venit, posse commotos de articulo mansionis humores concoqui per soporem; præsertim quòd Vargas, acceptis à Rege litteris[i] consonantibus, Pontificem rogarat, vt de illa quæstione silentium haberetur. Pius itaque Præsidum operam ad id popposcit, regiis litteris, quas Vargas acceperat, illis arcanò communicatis: simul Vicecomiti significauit, Cùm certum esset, Hispanos ab incepto destituros, verisimile videri, Italos, qui eousque Hispanorum humeris se ferri siuerant, postulationem pariter deserturos[k]: Legatos quidem priùs nuntiasse,

rem

e Datis Kalendis Iulij, 1562.

f Litteræ Seripandi ad Borromęum, 16. Iulij 1562.
g Kalendis Iulij.
h Epist. Vicecomitis ad Borromęum, 13. Iulij 1562.

i In arcanis notis Borromæi ad Vicecomitem, 5. Augusti 1562.
k Litteræ Legatorum ad Borromęum, 20. Iulij 1562.

rem in obliuionem adduci non posse; sed summam spei in eo versari, quòd obtineretur, esse in Pontifice reponendam; tamen post compertam Philippi Regis mentem, difficultatem ad eam omnino sopiendam non agnosci. Aperiret igitur Vicecomes rerum statum ac spei fundamentum Nolano Episcopo, aliisque Mantuano intimis; sed ne vllo quidem nutu indicaret, plenam in illius sinceritate fiduciam non haberi, aditu & ipsis & illi relicto ad arguendum: si prævalidis obstaculis amotis res non procederet, id adscriptum iri Mantuano, quòd addictos sibi Præsules non permouisset. Huiusmodi argumentis vsus est Pontifex. 1562.

5 Porrò obseruandum est, de Regiis ad Piscarium litteris nihil innotuisse Legatis eo die, quo illas accepit Vicecomes: nam eodem die [l] ad Borromæum litteras scripsere, in quibus admirabantur, quòd Hispani, qui Continuationis declarationem acerrimè curabant, ea in re obmutuissent: ac præterea significarunt, à Cæsare, qui pro more illi aduersabatur, admonitos se fuisse, ipsum effecturum, vt Rex Catholicus, sui fratris filius, acquiesceret, nec vllus ex Hispanis Episcopis aut ministris postulationem iteraret. Ita sæpè minores quoque administri parci sunt in iis, quæ norunt, communicandis cum aliis altioris ordinis ministris eiusdem Principis, quò magis habeantur solertes inuestigatores, ac probè docti de rebus; cùm ægrè reperiatur, qui in agendo sui Principis negotio non æquè studeat suum agere.

[l] Duæ litteræ Legatorum ad Borromæum, 20. Iulij 1562.

6 Verùm quod ad mansionem spectabat: Legati tametsi posteà resciuerint ea quæ scripserat Rex Catholicus [m], exposuerunt Pontifici, non propterea fiduciam haberi posse rei silentio terminandæ: Hispanienses Episcopos communiter respondisse eodem, de quo nuper diximus, Guerreri tenore: quocircà vnicam rationem, & honorificam, & minimè arduam ad eam agitationem in Synodo tranquillandam, esse, si detur opera, vt concorditer Patres negotium integrum in Pontificis arbitratu reponerent. Accessit ad id Vicecomitis responsio, per quam narrabatur Borromæo [n] sententia epistolæ, ab Hispanis Episcopis ad Regem scriptæ super ea re, præterquam à Mendoza, ab Augustino, & ab aliis sex, qui negarunt illi subscribere, & à quibus notitia surrepit; ac posteà eius epistolæ exemplar, cuiuscumque fuerit opera, subtractum est. Ibi vt animi perturbatio mentem peruertit, ita veritas non leuiter ab ipsis peruersa, affirmantibus, duas ex tribus Præsulum partibus eam definitionem velle; & tamen ne ad dimidium quidem suffragia peruenerant, sicut alibi ostensum est. Vbi res Concilio committeretur,

[m] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 30. Iulij 1562.

[n] In epist. Vicecomitis ad Borromæum, 6. August. & exemplar mittit in altera, 13. Augusti 1562.

1562. vix decem ex centum octoginta Patribus ab huiusmodi definitione dissensuros; & dein vix quatuor eam esse iuris Diuini negaturos (sed reuerà vtrique capiti plurimi repugnabant) Oratores pariter in id conuenire; quamquam reipsa nec Hispanus nec Lusitanus, qui ab illis nominatim numerabantur, nec alij complures postulato institissent. Tum de Legatis communiter conquerebantur, dicentes, declarationem confici potuisse ex numero sententiarum, quas anteà Patres dixerant: sed Præsides, ad eam euitandam, ex arte vsos fuisse eo nouo suffragiorum genere super vnica tantummodò interrogatione, cui vnica tantummodò responsio esset reddenda. Atque ita consilium illud à Legatis susceptum recidit, pro eo ac notauimus, in sinistram opinionem duplicis contrarij artificij apud duas contrarias partes. Dein amplificabant necessitatem, ne articulus ille sine decisione præteriretur, vt qui ex seipso ingentis erat emolumenti ad reparandam Ecclesiasticam disciplinam, quique post euulgatam iam famam eorum, quæ postremò contigerant, futurus fuisset grauissimæ offensioni, si obrutus silentio cerneretur. Eapropter Regem orabant, vt omnem moueret lapidem apud Pontificem, vt is Concilio liberè committeretur. Hæc erat earum summa litterarum, quæ tam grauiter rem ipsam permutare videbantur, vt Brugora, ibi Piscarij minister, & cui Vicecomes intimus euaserat, studuerit persuadere Piscario, cuius operà ea quæ diximus Patribus commissa fuerant, ad rescribendum ex se Regi, eumque ab errore deducendum de iis quæ falsò assumebantur. Nec reticuero conditionem quamdam, alioquin haud memorabilem, vt exemplo illa sit, quo se quisque nauiter abstineat ab extruendis molibus super iis quæ acceperit, quamuis dicta ab hominibus rerum benè conscijs ac veridicis, qui tamen in multis conditionibus recensendis plerumque falluntur. Vicecomes ex aliorum narratione sententiam illius epistolæ ita Romam conscripserat [o], vt cùm postea verum illius exemplar calamo exscriptum accepit, minùs fidele aliqua ex parte deprehenderit illud quod sibi alienâ linguâ descriptum fuerat.

[o] In epistola arcanis notis scripta die 13.

Ea Præsulum Hispanorum duritia defloruit in Pontifice spem 7
adeò viuidam; eique palàm fecit, nequaquam impediri à frigore Mantuani, ne ignis quasi per antiperistasim extingueretur. Idcircò Legatis [p] iniunxit, si Patres super eo negotio silerent, ipsi pariter silerent; si pauci loquerentur, non haberent in pretio; si complures, ipsi curarent vt res in Pontifice reponeretur.

[p] Variæ litteræ Borromæi ad Legatos.

Interea nihil operæ à Synodo remittebatur [q]. In cœtu diei de- 8
cimi

[q] Acta Paleotti, & arcis Æliæ, 15. Iulij 1562.

cimi noni, sicut diximus, propositi fuerunt tredecim articuli de Sacrificio, minoribus Theologis expendendi, qui in conuocatione Iulij iam fuerant parati. 1562.

1. *Vtrùm Missa sit sola commemoratio sacrificij in Cruce perfecti, an verum sacrificium.*

2. *Vtrùm Crucis sacrificio deroget Missæ sacrificium.*

3. *An per ea verba, Hoc facite in meam commemorationem, iusserit Christus Apostolos offerre suum corpus & sanguinem in Missa.*

4. *Num sacrificium, quod fit in Missa, prosit solùm sumenti, sed offerri non possit pro aliis, tum viuis tum defunctis, nec pro ipsorum culpis, satisfactionibus, aliisq; indigentiis.*

5. *Vtrùm Missæ priuatæ, in quibus Eucharistiam sumit solus Sacerdos, & non alij, licitæ non sint, ac tolli debeant.*

6. *An repugnet institutioni Christi miscere in Missa aquam cum vino.*

7. *An Canon Missæ contineat errores, ac tolli debeat.*

8. *Num laudabilis sit ritus Ecclesiæ Romanæ proferendi secretò & voce submissâ verba consecrationis.*

9. *An Missa nonnisi linguâ vulgari, quæ ab omnibus intelligatur, celebranda sit.*

10. *Num sit abusus, quasdam certas Missas quibusdam certis Sanctis tribuere.*

11. *An remouendæ sint cærimoniæ, vestes, & alia signa externa, quibus Ecclesia vtitur in celebratione Missarum.*

12. *Num idem sit, Christum immolari pro nobis, & præberi nobis comedendum.*

13. *Num Missa sit dumtaxat sacrificium laudis, & gratiarum actionis, an etiam sacrificium pro viuis ac defunctis.*

9 Postridie in conuentu quædam statuta sunt ad decorè, ordinatè, ac celebriter rem agendam [r]: ac primò quidem Mantuanus grauiter conquestus est [s], quòd quidam, vbi alicuius sermo aliquanto prolixior videbatur, studerent pedum strepitu illi finem imponere: id eo confessu indignum esse, & vbi ampliùs accideret, Legatos illicò abituros, quippe qui rem adeò indecoram ferre non possent ob Pontificis personam, quam ibi gerebant. Dein quasdam agendi rationes proposuit, quas Præsides excogitarant; & primo loco ad res celeriter digerendas dixit, Posse semihoræ terminos præscribi, quos minores Theologi non excederent, sed à Cærimoniarum Magistro statim admonerentur vt desisterent: inter ipsos Theologos ordo dignitatis, quem aliàs retulimus, seruaretur. Atque his adiectæ sunt aliæ sanctiones in locutorum diuisione, quæ à me non scribentur,

r Diarium 20. Iulii, & fusiùs Acta arcis Æliæ, eodem die.

s Litteræ iam memoratæ Mutinensis ad Moronum, & Iadrensis, 20. Iulij 1562.

1562. bentur, quandoquidem ab illis plerumque exercitæ non fuere, deficiente reliquarum fundamento, hoc est, obligatione semihoræ præscriptæ.

Huic obligationi restiterunt Patrum nonnulli, propterea quòd 10
non omnes Theologi digni erant vt æquè audirentur, cùm aliqui ibi adessent, quibus neque conueniens neque conducibilis erat illius spatij definitio. Sed Præsides responderunt: His proinde ac reliquis vniuersè liberum futurum exhibere scripto selectis Patribus, quæ sibi supererant, & visa fuissent digna vt exponerentur. Verumtamen in obicem insuperabilem confestim offensum est. Salmeron, qui inter Theologos Pontificios primus erat, negauit velle se vllâ temporis lege coarctari, dicens, Vbi agebatur de Decretis, Spiritus Sancti nomine conficiendis, non aliam esse adhibendam mensuram in explicanda sententia, nisi quam S. Spiritus afflatus dictasset: satius esse in rebus tanti momenti tacere, quàm mutila loqui. Et quamquam Legati dicerent[t], spectatâ ipsius singulari conditione non tam stricte cum eo actum iri, ille perstitit in quouis limite repudiando. Quare in primo cœtu solus integrum spatium occupauit, idemque in subsecuto à Torres peractum. Quamobrem ne incurreretur in inuidiam nimis notabilis personarum acceptionis, oportuit nouam illam restrictionem prorsus auferre. Ex quo Legati aliquam animi acerbitatem in Salmeronem concepere: non quidem propter ipsum, quemadmodum ad Borromæum scripsere; sed propter necessitatem, in quam ab illius exemplo coniecti erant, suæ dignitati aliquid detrahendi, officiendique celeritati processus, sublatâ iussione, & ne inchoatâ quidem executione.

[t] Litteræ Legatorum ad Borromæum, & Iadrensis ad Cornelium, 29. Iulij 1562.

Suauis huius facti telam non præterit absque suarum fimbriarum 11
additamento. Dicit, duos hosce Iesuitas magnâ petulantiâ iussa fuisse transgressos, cùm obiiceret Salmeron, sibi, quippe Theologo Pontificio, tempus præscribendum non esse; eumdem tamen, per integrum temporis spatium locutum, nonnisi communia quædam & memoratu non digna protulisse. Quatuor Suauis dicta hîc falsitatis reuincuntur ab authenticis monumentis, à me productis. Non duo, sed vnus erat Iesuita: non legem petulanter transgressi sunt, sed facultatem à Legatis obtinuerunt: Salmeron illi præscripto non repugnauit tamquam Theologus Pontificius; sed declarauit, se tacere malle, quàm in argumento tanti ponderis non promere quidquid sibi conscientia dictasset: & tantum abest quòd communia attulerit, vt non modò eius sermo magnis laudibus commendatus appareat in quadam Archiepiscopi Iadrensis epistola,

stola (tametsi alioquin eiusdem prolixitatem improbet) sed, sicuti narrat Paleottus, ab ipso tunc celebris quæstio excitata sit, Num Christus seipsum pro nobis in Cœna immolauerit; & ea quæstio etiam, pro eo quod ipse Suauis affirmat, Theologos ac Patres diuturnâ disputatione detinuit. Quicumque doctissimi illius scriptoris volumina super Euangeliis legerit, non poterit non mirari Suauem, qui ex maledicendi libidine nihil veretur se ignorantem prodere, ausus carpere quasi communia quædam elocutum eiusmodi virum, qui præcelso illi conuentui promeritus est interesse tamquam primus Pontificis Theologus. Veriùs obiectare illi potuerat, Romæ minimè placuisse oppugnatam ab eo præscriptam temporis limitationem, cùm [u] optauisset Pontifex, vt primus ex suis Theologis exemplo aliis præluceret, ideoque Legatis iniunxit, vt Salmeronem ea de re in posterum commonerent: sed ipsi, antequam hæc acciperent mandata, difficultate persistendi inter eos fines agnitâ, rem significarunt Pontifici, à quo ipsorum arbitrio commissa est. 1562.

[u] Duæ litteræ Borromæi ad Legatos, 29. Iulij, & 6. Augusti 1562.

12 Decretum pariter in cœtu 20. diei fuit, vt Patres aliqui deligerentur, qui doctrinæ Decreta digererent, & alij qui colligerent abusus corrigendos, ad Sacrificium spectantes. Vterque delectus Legatis à Patribus remissus: illi verò spectatissimos ex variis nationibus Theologos ad alterum opus selegerunt, nec minùs excellentes doctrinâ ac prudentiâ ad alterum conficiendum, qui minores Theologos consulerent. Fuit qui proposuit, vt adhiberentur Canones sub Iulio parati [x]: sed obiectum est, in rebus nondum definitis haud oportere à Synodo centum octoginta Patrum conscientiam suam reponi in eo quod sexaginta Patribus visum fuerat. Prærogatiua tum numeri tum ætatis satis est, vt ipsa prærogatiuis reliquis præferatur, tum ob causam magis acceptam, tum ob victoriam minùs oppugnatam: ex minori siquidem excellentiæ titulo ea præfertur, quàm prærogatiua quæ in virtutis meritique præstantia sita est.

[x] Extat in epist. citata Mutinensis ad Moronum.

1562.

CAPVT XIV.

Lanſaci ſtudia apud Regem, vt Præſules ac Theologos mitteret. Litteræ Reginæ, quibus à ſe mitti ſcribit; ac moram petit, ſed cum repulſa. Profectio Fabri in Galliam, eiuſque ad Reginam litteræ. Earum examen. Cæſaris ardentiſſima poſtulata pro Calicis conceſſione.

DVm hæc in Concilio agebantur, poſt habitam Seſſionem Lanſacus Orator Regem edocuit [a] de iis omnibus quæ geſta fuerant. Se purgauit, quòd vehementiùs non inſtitiſſet, vt noua celebratio declararetur, cùm ſibi in comperto eſſet, vbi ad extremos conatus ipſe deueniſſet, ſuo diſceſſu, niſi rem impetraret, denuntiato, vice noui Concilij nullum planè Concilium habitum iri: Italos numquam conſenſuros, numquam Hiſpanos, ſed potiùs Synodum diſſoluturos: & Germanis ipſis ſatis eſſe, ſi neutra pars decerneretur. Hiſpaniæ Regem iuſſiſſe à poſtulato Continuationis deſiſti; ſed mirum non eſſe, illum non curare vt obtineret verbo quod re obtinuerat, cùm iam Synodus progreſſa eſſet ad ſancienda dogmata, quæ ſedente Iulio ſupererant. Conſultum à ſe fuiſſe, ne quid inferretur detrimenti Galliæ conſuetudini in Calicis negotio: elaborari articulos Sacrificij, quos ad ipſum Regem mittebat: is, ſi quam in iis aliiſve peculiarem rationem haberet, tempeſtiuè ſignificaret: potiſſimùm verò, ne ampliùs moraretur miſſionem illuc Præſulum ac Theologorum, qui partes ipſius ſuſtinerent. Statutum fuiſſe, vt de quouis articulo tres Theologi à ſingulis Principibus miſſi loquerentur, à ſingulis Principum Oratoribus ſelecti: eâ ſe facultate vti non poſſe, cùm ibi ſuæ nationis Theologi non adeſſent. Amplificabat etiam, quantùm tribueretur in Concilio menti Pontificis, præſertim ab Italicis Epiſcopis: Hiſpanos anteà præferuidos, poſteà tepefactos & hebetatos: Cæſarem, qui poſtulatorum emendationumque volumen miſerat, reieciſſe poſteà in Legatos, vt pro ipſorum arbitratu partem aliquam Synodo ſubinde proponerent. Quare niſi Gallicorum Præſulum cohors accederet, vires Gallicæ nimis enerues ibi iacere, parumque ſperandum eſſe de articulis à Rege traditis in Oratorum mandatis. 1

Aliquot poſt dies Reginæ [b] litteræ ad Lanſacum delatæ ſunt, quæ die 23. Iulij ſignatæ fuerant. In his ſignificabat, ante Septembris exitum adfuturos Tridenti quadraginta Gallos, partim Epiſcopos, 2

[a] Litteræ Lanſaci ad Regem, 19. 23. & 24. Iulij 1561.

[b] Epiſt Lanſaci ad Reginam, 14. Auguſti 1562. & Fabri ad eamdem Lanſburgo in Sabaudia, 22. Auguſti 1562.

scopos, partim Abbates, quos Lotharingus Cardinalis adducturus esset; atque idcirco Sessionem vsque ad illorum aduentum protrahendum curaret. In huiusmodi quoque sententiam pariter ad Mantuanum scripsit. Exposuit itaque Lansacus Legatis, & coràm & scripto[c] ipsis tradito, Cupere Christianissimum Regem, vt illius Synodi definitiones ab Ecclesiæ Romanæ aduersariis reciperentur, quoniam aliis opus his non erat. Ad id plurimum profuturum, si vnà cum eo venerando conuentu reliquarum Christianarum nationum, Galliæ quoque Præsules in illas definitiones concurrerent: hos eousque præpeditos necessariis nexibus, quos ipsi Legati comprobarant: illic Regis mandato ad exitum Septembris vt tardissimè adfuturos. Eapropter à se peti, vt ad id vsque temporis Sessio prorogaretur; atque ita euenturum, vt Protestantibus, quorum causâ potissimùm Synodus coacta fuerat, minor esset obtentus festinationis accusandæ. Et ne videretur Christianissimus Rex (qui primus apud Pontificem, apud Cæsarem, & apud Catholicum Regem eam conuocandam curauerat) velle tunc, vt ea per otium dissolueretur, proponi ab ipso, interim posse stabiliri aut leges disciplinæ, aut articulos adhuc pendentes de vsu Calicis, qui postulabatur à Cæsare. 1562.

c Latinè impresso cum responso in memorato libro litterarum Gallicarum.

3 Hæc epistola molestiam Legatis incussit: nam ex altera parte moras trahere ipsis non licebat ob acceptas Pontificis iussiones, & spectatâ dignitate Concilij, toties huiusmodi promissis delusi, atque incommodis singularum Ecclesiarum, & discrimine, quod semper affert cunctatio ingentibus præualidisque conuentibus. Ex altera parte nimis æqua postulatio videbatur, vt breui temporis spatio exspectaretur colors tam ampla tam præclaræ nationis, vnà cum Cardinali tam sublimi natalibus, doctrinâ ac prudentiâ. Moram igitur ad respondendum petiere[d]; non quò de assensu dissensúve deliberaretur, sed quò rationes validissimæ, ac mollissima verba excogitarentur, quibus simul bonus color, & non malus sapor inderetur repulsæ. Paulò pòst scripto responsum redditum est[e], quò postulato itidem scripto responderet; præcipuè verò breuitati studuerunt, quippe quæ quantò illa ad persuadendum ineptior, tantò ex circumspectione accommodatior est. Illius sententia hæc fuit. *Episcopos Galliæ antequam Synodus aperiretur, decem circiter menses expectatos fuisse: post eius inchoationem, quæ Gallorum potissimùm causâ habita erat, Patres sex menses supersedisse rebus grauioribus agitandis. In præsentia iam inceptum de illis agi; nec vtique decorum esse ob quamcumque conditionem pedem referre, cùm videretur id fieri non posse sine Concilij ignominia, &*

d Litteræ Legatorum ad Borromæum, 10 Augusti 1562.

e Litteræ Legatorum ad Borromæum, 14 Augusti 1562.

1562. *sine multis grauibusq; incommodis tot Præsulum, qui iam conuenerant. Sessionis prorogationem, quæ præcipuè petebatur, Legatorum potestati absque Patribus non subiacere; adeoq; extra Legatorum facultatem esse ipsius promissionem.*

Non propterea despondit animum Lansacus, sed ad Reginam 4
scripsit [f], ab ea se petere, vti certiorem ipsum redderet, essétne reuerà illi Præsules & Lotharingus aduenturi, & iam iter arripuissent: nam si res ita se haberet, etiamsi Legati postulatum excluissent, sibi tamen impetrationem se polliceri; si non aliter, saltem obnuntiando, nisi Galli Præsules expectarentur, illius Synodi Acta se pro non legitimis habiturum. Verùm quoniam existimabatur, in ampla illa Aula (vbi negotia vel maxima decrescunt, perinde ac ingentia flumina in mari) ad conuertendos animos ad ea quæ valdè procul aderant, adeoque parum efficacia ad permouendum, satis non esse debilem in paginis impressionem, statuerunt collegæ [g], vt Faber tertius Orator in Galliam pergeret, ac Reginæ palàm faceret & rei grauitatem & festinationis necessitatem. Sed per viam contigit Fabro, vt à domesticis negotiis ad suam patriam vocaretur, de quo collegas monuit; simulque per familiarem hominem ipsorum litteras ad Reginam misit, ac per eumdem significanda curauit, quæ ipse habebat in animo coràm proferre. Quàm siniſtra de Fabri religione fama esset, alibi palàm fecimus, & quam animi affectionem haberet in Ecclesiasticorum rituum conseruationem, & in Concilij dignitatem, ipse iam ostenderat in acerba oratione ab ipso habita in conuentu, alia ab illa cuius exemplar anteà communicarat, per asperam Patrum indignationem: quare memorata huiusmodi hominis epistola conflata fuit sententiis, quæ gemmarum speciem Suauianis oculis præ se ferunt: quemadmodum placet mihi eius summam fideliter referre, ita ne grauentur alij mecum illam sincerè perpendere.

[f] Memorata epist. die 14.

[g] In memoratis litteris Lansaci & Fabri ad Reginam.

Initium ducebat ex querimonia, quòd sperari non posset in Syn- 5
odo fructus optatus concordandi sententias oppositas, & pacificandi dissidia Religionis, cùm adessent ibi quidem complures præcellentes viri, & Itali & Hispani; sed maior numerus nec eam quæ satis esset virtutem, nec eam voluntatem haberet. In hæc priora illius imaginis lineamenta parumper figamus obtutum. Quod spectat *ad eam quæ satis esset virtutem*, scire ipsum oportebat, in ingenti quadàm communitate fieri non posse, vt maior numerus ex iis constet qui præcellunt. Satis est, agnitos à Fabro fuisse in Synodo multos viros præcellentes. Etenim in quouis collegio his tandem

dem viris reliqui rem permittunt. Quod ſpectat *ad voluntatem*, obſeruetur, an in quibuſdam articulis, quos Faber optabat, tum quò allicerentur Proteſtantes, nonnullis ad eos conciliandos indultis, tum ad permutandos ritus ac regimen Eccleſiaſticum, variarent inter Patres ſententiæ, an omnino de repulſa conuenirent. Vbi pauci, & ij quos ipſe præcellentes appellat, ad id parati fuiſſent, exiſtimare potuiſſet, potiorem cognitionem, melioremque voluntatem in minori numero ineſſe; ſed cùm omnes probarentur concordes, oportebat eas aut bonas aut prauas æquè in omnibus iudicare. 1562.

6 Querebatur poſteà, à Legatis ſibi dumtaxat facultatem proponendi fuiſſe retentam. Verum id eſt, ob rationes ſuprà adductas: hoc non obſtitit, quò minùs Orator quilibet, & quilibet Epiſcopus exponeret Synodo ſemper quod ipſi placuiſſet. Id in comperto fuit non ſolùm ex articulo de manſione, non ſolùm ex libello Cæſareo; (qui, tametſi argumenta Præſidibus moleſtiſſima contineret, ideò propoſitus non eſt, quòd initio Cæſaris Oratores ad rem protrahendam flexi ſunt, poſteà verò Ferdinandus ipſe, ad omittendam) ſed ex opere ipſorum Gallorum, qui & ad primum ingreſſum tam grauia, Legatiſque diſplicentia in medium attulerant, & poſteà alia produxerunt, quandocumque collibitum ipſis fuit, quemadmodum in proceſſu narrabimus. Atque idcircò Lanſacus, legationis Princeps, in memorata epiſtola ad Regem ante menſem ſcripta non excuſauit retardatam à ſe propoſitionem articulorum, qui ſibi commiſſi fuerant, ob eiuſmodi impedimentum; ſed quia rerum conditiones haud ſibi viſæ fuerant idoneæ ad expetitum ſucceſſum.

7 Neque pariter conqueſtus eſt Lanſacus de eo quod per acres querimonias addebat epiſtolæ ſuæ Faber; nimirum, quòd minimè permitteretur Oratoribus collegium vniuerſum alloqui, præter primum acceſſum, ſed aliis vicibus ſolùm Legatos: quod poſteà miro artificio Suauis amplificat, arguens inde extremam in Concilio ſeruitutem, quando ne aures quidem liberas obtineret. Profectò Suauem non latebat, id eſſe moris etiam apud Reſpublicas maximè liberas, vbi Oratores legationis negotia in magno ſupremoque Conſilio nequaquam exponunt; ſed audiuntur à ſelectis Senatoribus, qui dein aut per ſeipſos reſpondent, aut referunt ad maximum conuentum pro opportunitate res propoſitas. Quin hoc etiam adeſt diſcrimen, quòd nec apud huiuſmodi Reſpublicas licet Oratoribus Senatores alloqui priuatim, nec vllus eſt Senator, qui Oratorum partes agat in Conſiliis: at verò in Synodo licebat Oratoribus pro ſuo arbitratu agere cum quouis Epiſcoporum, licebat vni

1562. eidemque Oratorem & Episcopum esse, quales reipsa erant Cæsariani, ac postmodum alij quoque fuere, & cuilibet Oratorum aderant in conuentu Præsules ipsius Principi addicti, paratique ad cuncta eiusdem postulata exponenda. Et sanè huiusmodi consuetudo, vt Oratores ad Respublicas missi cum paucis agant, non cum pluribus, non modò communis est, sed necessaria. Pleraque negotia, & ea quæ maioris momenti sunt, proponi non possunt, eisque responsa reddi liberè, coram multitudine; ac proinde admissio ad colloquium eâ priuatâ ratione, non est coarctatio libertatis ipsi conuentui, sed libertatis dilatatio ipsis Oratoribus. Ceterùm non experimento constiterat, quandocumque voluerant vel acerbissima quæque proponere, solemnem illis audientiam factam, sicuti Cæsareis Bononiæ Pauli Tertij ætate, & Gallis Tridenti Iulio Pontifice?

Tum affirmabat, vnicum præsidium esse posse, Lotharingi Car- 8
dinalis, Gallorumque Præsulum aduentum. Benè habet. Sed ij, quippe maiori studio doctrinâque Religionis præditi quàm Faber, longe alij fuere quàm ille eos sibi pingebat. Res collatione patefiat. Dicebat ipse, ab illis articulis iam paratis de Sacrificio, aditum Protestantibus perpetuò occlusum iri; at verò si quid mutaretur, ac leniretur, sibi polliceri, facilè euenturum, vt simul quod præcipuum est nostræ Religionis conseruaretur, simul ad frugem illi reducerentur. Num fortè huiusmodi vmquam pigmenta proposuerunt Lotharingus & Episcopi Galliæ? Ac nimis quidem crassè errabat ille & in facto & in iure. In facto, quoniam planè constitit, ex tot colloquiis habitis à Cæsarianis, & in libris vtrimque vulgatis, dissidia inter Catholicos & Protestantes non in quibusdam pusillis versari, sed in Fidei cardinibus: in iure, quia in Fide nihil est pusillum; punctum quodlibet æquè ac sphæra ingens est: & qui aberrat in puncto, aberrat in toto.

Quod si hoc non succederet (pergebat ille) saltem emendatio- 9
nem disciplinæ vrgente Lotharingo benè processuram. Etenim Hispani recto erant animo, sed capite carebant, hærebantque attoniti ad recentem Regis castigationem: & initio dixerat, non solùm obtineri non potuisse ab Oratoribus, vt Synodus id concederet quod sacræ Scripturæ, & primæuæ Ecclesiæ consonabat, sed ne id quidem, quod Decreta Canonesque Pontificum complectebantur.

Si Fabri ita scribentis sententia erat, præsentes Ecclesiæ ritus Diuinis Litteris aduersari, fuisset planè locutus tamquam hugonottus.

tus. Sin autem dolebat, cunctas res Ecclesiasticas redigi non posse ad vsus ætatis Apostolicæ, neque pariter ad ea omnia quæ variis temporibus statuêre Pontifices; mirum admodum est, quòd tam egregius Iurisperitus admirationem præ se tulerit, cùm documentum notissimum sit, leges & consuetudines humanas, tametsi legitimas & sacrosanctas pro aliqua tempestate, rectè pro alia variari: & vbi etiam id ex parte contigisset hominum vitio, nónne illi compertum erat, quàm difficiles ac periculosæ sint ingentes vel in melius mutationes, adeoque id quod consuetum est, si tolerabile sit, cuicumque nouitatis commodo præferendum esse? Quæ Respublica, quod Regnum, quæ Natio vellet possétve in præsentia remigrare cunctis in rebus ad eos mores, easque leges, quibus cùm primò condita sunt, vtebantur? Oportebat vt ipse animaduerteret, an id suis in prouinciis effici potuisset. Sunt hæc reuerà inaurata vocabula aut seducentium aut seductorum, & sub ostentatione medicinæ euadunt toxica publicæ tranquillitati. 1562.

10 Magis quàm Oratores Gallici cœperunt Cæsarei acquiescere Legatis ac Pontifici. Tridentum Româ redierat Arriuabenus [h], eò missus à Mantuano, ipsum, sicuti narrauimus, excusaturus: & retulerat inter cetera, cupere Pontificem, vt Synodus Cæsari gratificaretur, Calice illius prouinciis concesso, quod iteratis litteris Borromæi Cardinalis [i] confirmatum est. Rescripserunt Legati, in eadem se quoque esse sententia; sed aliquid ambigere de successu in Concilio. Faciliorem ab ipsis etiam existimari viam, quam Pontifex etiam probarat, vbi Patrum contentio prænosceretur, id esse, vt ibi generatim decerneretur, posse in eo leges relaxari, vbi certæ quædam conditiones simul coirent: iudicium verò, an huiusmodi conditiones in hoc alteróve casu adessent, in prudentia Pontificis reponi, qui, vtpote in altiori loco constitutus, res meliùs discernebat; &, vtpote præditus auctoritate perpetuâ, & quæ etiam post Synodum duraret, plus potestatis obtinebat, cuius vi præscriptæ conditiones retinerentur. Adiecerunt Legati, se quoque aliquid conaturos fuisse, vt Synodus illud per seipsam indulgeret; sed ab eo conatu abstinuisse, quòd ignorarent, qualis inde futurus esset aut effectus aut interpretatio tum ibi tum alibi.

[h] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 4. Augusti 1562.

[i] Ad Legatos in communi, & ad Mantuanum nominatim.

11 Biduo post hæc responsa à Legatis ad Pontificem scripta, ipsos adiit Quinque Ecclesiarum Antistes [k], sciscitaturus, quid à Pontifice super eo negotio accepissent. Aiebat ille, Stimulari se singulis litteris à Cæsare: ab eodem scribi, vix ampliùs contineri posse populos suos, alioquí Sedis Apostolicæ studiosissimos, quin in absurdum

[k] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6. Augusti 1562.

1562. dum aliquod prolaberentur. Supra modum eos triſtitiâ affectos, quòd poſtrema Seſſio, à qua exoptatam conceſſionem ſperabant, huiuſce fructus ſterilis euaſiſſet; id verò ita fuiſſe interpretatos, vt ipſa dilatio penè deſperationem pareret. A Bauariæ Duce in poſtremis Comitiis ſubſidia contra Turcam ægerrimè obtenta fuiſſe, & ſolùm pollicendo & ſua & parentis ſui validiſſima poſtulata ad id ipſis à Synodo impetrandum. Vbi primùm illic innotuit Pij IV. creatio, inæſtimabilem fuiſſe lætitiam, propterea quòd confiderant, ſe huiuſmodi indulgentiam conſecuturos à nouo Pontifice, vt qui ſuis oculis & auiditatem & neceſſitatem in illis prouinciis inſpexerat. Legati propitiam voluntatem Pontificis illi teſtati ſunt: de qua dixit Epiſcopus ſe pariter certiorem redditum ab Oratore Cæſareo, qui Romæ degebat. Poſteà demonſtrarunt incertam euentus aleam ob propenſionum ſenſorumque varietatem. Quare ipſi propoſuerunt eamdem agendi rationem, quam vt idoneam Pontifici perſuaſerant: ſed non item perſuaſere Oratori, opponenti, populos hinc deducturos fuiſſe, Concilium libertate non frui, nec ab eo facultatem obtineri ad beneficium impertiendum: quin quando Pontifex rem Synodo commiſerat, ſi hæc rurſus illam in Pontifice reponeret, artem & verſutiam ſuſpicaturos in iis, quibus vt plenè fiderent, Religionis vtilitas poſtulabat. Quare alia ratio excogitata eſt, vt petitio eiuſmodi conditionibus conueſtita Synodo proponeretur, quæ illius aſſenſum faciliorem redderent; nimirum inter ceteras, vt illi populi obligarentur ad credenda, obſeruanda ac propugnanda quæcumque Synodus decreuiſſet. Siquidem Patres, conſpicati tam amplum emolumentum Eccleſiæ, ac decus Concilio inde redundaturum, ſimulque animaduertentes, in vnum ibi coaleſcere auctoritatem gratificationemque tum præſentis Cæſaris, tum futuri, ad rem indulgendam ſeſe flexiſſent. Atque huiuſmodi rationi ſatis Draſcouizius libentiſſimo animo acquieuit, actis abundè gratiis, exhibitiſque promiſſis.

Rediit [1] haud ita multò pòſt is Archiepiſcopus Pragâ, quò 12 ad Maximilianum coronandum ſe contulerat, ſicuti dictum eſt, iterauitque Ferdinandi poſtulata ad Calicem impetrandum, teſtatus in reliquum tum litteras tum opera Legatorum Cæſari fuiſſe pergrata.

[1] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 13. Auguſti 1562.

Huiuſmodi erant ſenſa, affectus, & vota Pontificis, reliquorum Principum & Oratorum, dum minores maioreſque Theologi operam nauabant ſtabiliendis Decretis in quæſtionibus de Sacrificio,

crificio, quorum per eos planè dies, in quos incidit reditus Pragensis Archiepiscopi, digesserunt pro communiori sententia Canones & doctrinam. Sed eorum amplitudo, quæ dicta & agitata sunt, quæque contigerunt in peculiaribus ac generalibus cœtibus, antequam Sessionis fructus matureſceret, adigit me, vt aliquid quietis præbeam Lectoribus, measque narrationes redordiar; cùm sæpè ipse rerum ordo ac distinctio varietatis, voluptate non minùs quàm cessatio, mentem recreet: menti siquidem vt quæ cibo suo saturari nequit, sicut accidit corpori, numquam cibi satietas, sed eiusdem iterata frequentia nauseam affert. 1562.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

ARGVMENTVM.

CONSILIA *minorum Theologorum, ac posteà Patrum, de Sacrificij articulis; & quæstio ibi excitata, An Christus seipsum in Cœna immolauerit. Non modica sententiarum rationumque varietas de Calicis concessione, propositâ cœtui Cæsare postulante. Controuersia, Num Apostoli Sacerdotij Ordinem in Cœna susceperint. Parata ad mores reformandos Decreta; sed cum querimonia complurium, ob illorum lenitatem. Abusus in Missæ sacrificio correcti. Suspiciones ob Gallorum Præsulum aduentum proximum. Cunctatio postulata ab Oratoribus Galliæ ac Cæsareis, Tridenti ac Romæ, sed non impetrata. Noua Decreti forma de vsu Calicis, in cœtu minimè probata, ac tandem res in Pontificem reiecta. Oratorum conuentus à Cæsarianis coactus. Diuersæ inter eos sententiæ: quædam à variis Oratoribus simul Legatis significata. Sessio sexta, seu vigesima secunda. Sententiarum varietas. Exhibita à Syro Patriarcha obedientia, & in ea actione Lusitani Oratoris contestatio. Quæ Suauis opponit tum interdicto Missæ celebrandæ sermone vulgari, tum auctoritati Episcopis concessæ ad commutandas in operibus piis extremas voluntates, tum potestati Pontificis in legibus relaxandis, expensa. Legatorum epistolæ ad Pontificem de necessi-*

necessitate grauis emendationis, eiusque mandata. Articuli de Ordinis Sacramento minoribus Theologis propositi, & forma ipsis præscripta. Quæstio excitata, Num, & quo pacto Episcopi sint instituti Presbyteris superiores, iure Diuino. Studia Legatorum ad eam sopiendam, ne quæstio de Mansione rursus excitaretur; sed frustrà. Tria ab ipsis Pontifici proposita ad rem componendam; & quodnam illi probatum. Noua contentio de loco inter Oratorem Helueticum & Bauaricum ad tempus sedata. Polonus Orator exceptus. Altempsij Legati profectio. Consilium Pontificis de Legatis addendis, sed omissum. Graue certamen super noua quæstione, quam diximus. Mandata à Rege Catholico Hispanis Præsulibus tradita, Sedi Apostolicæ propitia: & à Cæsare scripta suis Oratoribus ad morum correctionem, & coniunctionem cum Gallis. Sessio his postulantibus dies quindecim prorogata; idque priùs probatum, dein improbatum Pontifici, & qua de causa: sed serò. Lotharingi Cardinalis aduentus.

CAPVT PRIMVM.

Theologorum conuentus de Missæ sacrificio. Variæ Patrum sententiæ de præmittenda explicatione doctrinæ. Quæstio suscitata, An Christus in Cœna seipsum pro nobis immolauerit.

1 VIGESIMOPRIMO Iulij minorum Theologorum cœtus inchoati, in quibus nec iudices nec corona locutoribus defuere. Etenim [a] inter alios cœtus, in eo primo, in quo solus Salmeron verba fecit, auditores adfuere omnes Legati, Madruccius Cardinalis, Oratores Cæsarei, Gallici, ac Veneti, centum quinquaginta septem ex Patribus, centum circiter minores Theologi, & præter hos duo ferè capitum millia. Reliqui deinceps habiti sunt; omnesque conuenere in agnoscenda Missa tamquam vero noui Testamenti sacrificio. Sed dum in hanc narrationem Suauis ingreditur, in ipso limine labitur, affirmans, in conuentu vigesimâ quartâ Iulij habito Georgium Ataidam Lusitani Regis Theologum dixisse, Vnicum illius dogmatis fundamentum in concordi Patrum traditione inniti, & ab eodem fuisse negatam vim probationibus, quæ deduce- 1562.

[a] Diarium, 21. Iulij 1562.

1562. bantur ex facto Melchisedech, ex celebri Malachiæ testimonio, & ex verbis Christi ad Apostolos in Cœna: Protestantium argumenta efficaciter ab eo producta; sed eneruiter reiecta, adeoque in sinistram suspicionem illum incidisse: eâ tamen purgatum fuisse ab iis, quæ illius collegæ ac ciues attulerant; sed paulò pòst inde recessisse, ac proinde non extare eius nomen in catalogis post Concilium impressis.

In primis Georgius Ataida, Comitis Castaneræ filius, nec eo die, 2
nec vmquam de argumentis illius Sessionis sermonem habuit, vt liquet ex Diariis & Actis. Deinde non modò è Concilio tunc non recessit, quòd in ea disputatione minùs aptè se gesserit; sed comprobatur, ibi commoratum fuisse quinque posteà menses, cùm Borromæus per epistolam suam, petente Oratore Lusitano Romæ scriptam Legatos [b] rogat, vt illi & honorem exhibeant & fauorem; simulque optimam de ipso existimationem præ se fert. Is etiam post Synodum promotus in Lusitania fuit ad nobilem [c] Ecclesiam Visei; habitusque planè fuit in multo maiori pretio, quàm ille haberetur, qui ab Oecumenica Synodo recessisset, quòd ibi ob modicam doctrinæ sanitatem haud placuisset.

Iam verò res longè aliter quàm narrat Suauis contigit in altero 3
Theologo Lusitano Francisco Forero, ex Ordine Prædicatorum, cuius sermo habetur in Actis illius diei [d]: & ea, quæ illi euenere, narrantur ab Archiepiscopo Iadrensi, & Mutinensi Episcopo, qui interfuere [e]: nec ille discessit è Synodo, sed vsque ad exitum ibi perstitit, eiusque nomen recensetur in Concilio posteà typis edito Antuerpiæ ac Louanij. Quin absolutâ Synodo, à Pontifice adhibitus idem fuit vnà cum Archiepiscopo Lancianensi, & Mutinensi Episcopo, graui & honorifico molimini, Tridenti non omnino perfecto, reformandi Missalis ac Breuiarij, formandique Catechismi: fuit etiam à secretis Conuentui, destinato ad indicem absoluendum: quapropter in procœmio in Operis fronte, illius nomen inscriptum legitur [f].

Præterea inficiatus ille non est, Scripturæ testimoniis, quod in- 4
tendebatur, probari, sed ratione aliâ à communi explicauit tum id quod Christo tribuitur ex similitudine Melchisedech, tum verba à Deo dicta apud Malachiam ad Hebræos [g]: *Munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Insuper id quod à Christo dictum est Apostolis in Cœna, voluit Forerus vt vim haberet ad eam consecutionem trahendam

non

b Litteræ Borromæi ad Legatos, 23. Decembris 1562.
c Vide Aloysium Granatam in secunda parte Symboli, cap. 7. in particula, cui titulus est, *De aliis miraculis notabilibus ætatis nostræ.*
d Acta arcis Æliæ.
e In litteris ad Cornelium & Moronum Cardinales, 27. Iulij 1562.
f De ipsius virtute & eruditissimis Operibus consule Xistum Senensem in Bibliotheca sancta, ad ipsius nomen.
g Cap. 1. versu 10. & 11.

non ex meris litteræ conditionibus, sed ex vnanimi Patrum interpretatione; à quibus tamen, aiebat ille, ita intelligitur, sed non affirmatur, hanc ipsorum intelligentiam esse Fidei dogma. Idcircò colligere studuit, Sacerdotum institutionem, potestatemque sacrificandi ipsis traditam, traditione quidem, non autem Scripturæ verbis comprobari; quod longè abest ab eo, quod fusè refert Suauis tantâ confidentiâ, perinde ac si suis ipse oculis ab auctographo exemplar exscripsisset: sed proprium est mendacij, quamuis à timore plerumque progeniti, socium esse temeritatis. 1562.

5 Reliqui Lusitani animaduersâ molestiâ, quam eo die Foreri sermo in cunctos diffuderat, studuerunt honorem plausumque nationi suæ recuperare, confirmantes communem locorum Scripturæ, quæ fuerant adducta, interpretationem, & responsa à Forero prolata reiicientes; non tamen per modum damnantium, sed explicantium ipsius dicta: præcipuè verò triduo pòst egregiam dissertationem habuit Melchior Cornelius[h], Theologus à Sebastiano Rege missus, vbi notauit, testimonium Malachiæ ita intelligi à secundo Concilio Nicæno, Actione quartâ: obseruauit, à Christo, cùm esset Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, panem & vinum immolari debuisse; cumque idem Apostolis dixisset, *Hoc facite*, ipsis proinde illum imposuisse, vt panem ac vinum immolarent: suaque dicta non modicâ eruditione ac doctrinâ confirmauit.

h Præter Acta, fusè est in Diario, 17. Iulij 1562.

6 Conuenerant de cunctis articulis Theologi: quare à selectis Patribus Canones ac Decreta digesta sunt, quæ sexto Augusti[i] cum reliquis Patribus priuatim communicata, quò per aliquot dies illa perpenderent; & vndecimo die generali confessui sunt proposita. Duæ hîc præcipuæ controuersiæ subortæ sunt.

i Diarium, & Acta, 6. & 11.

Altera, de qua leuiùs disceptatum est, An esset ante Canones apponenda aliqua doctrinæ declaratio. Partem negantem Castanea sustinuit: Id aduersari consuetudini superiorum omnium Synodorum; imitandam esse præcipuè Synodum Apostolorum, quibus satis fuit dicere: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Ita sapientes iudices agere, qui rationes latis sententiis non apponunt: id aptius esse ad conseruandam Concilij auctoritatem, omnemque ansam oppugnatoribus amputandam. Huiusmodi doctrinam videri inutilem ad permouendos hæreticos, quippe nixam traditionibus, quas illi aspernantur; superuacaneam Catholicis, qui excipiunt vsurpantque sine dubitatione cunctos Missæ ritus, ac satis nouere, ea omnia antiquitati & auctoritati conformari. Ad hanc sententiam accessere Episcopi Clodiensis & Stabiensis: alter, vt illam roboraret, dixit,

1562. Noſtræ diuturniſſimæ poſſeſſioni opus non eſſe alio fundamento ad eam ſtabiliendam: alter, Tranſmiſſam fuiſſe Iulij III. ætate formam quamdam iam paratam doctrinæ ſuper eo argumento, & ab hæreticis aduerſum illam multa obiecta ac vulgata fuiſſe, quibus euenire poſſet, quò minùs tunc ſatisfieret vt par eſt, ob breuitatem temporis ac ſcripturæ, de iis articulis, adeoque ſubiri diſcrimen minuendæ potiùs quàm augendæ firmitudinis definitionibus. Idem pariter opinabatur Epiſcopus Quinque Eccleſiarum, admonens, ſatius eſſe modum imponere tot libellis, ſæpè inter ſe repugnantibus, de huiuſmodi argumento iam editis, qui in Eccleſiæ agro euadebant potiùs aut contentionum zizania, aut ſuperfluitatis palea, quàm floſculi formoſitatis.

k Acta, ac litteræ Iadrenſis, 10 Auguſti 1562.

7 Ex altera parte Callinus k Archiepiſcopus Iadrenſis, Ruberius & Blancus, alter Senogallienſis, alter Aurienſis Antiſtes, Io. Baptiſta Oſius Reatinus, & Alexander Sfortia Parmenſis, qui poſteà inter Purpuratos eluxit, & de quo inter primas Pauli IV. turbas locuti ſumus, breuem aliquam explicationem voluiſſent, quæ ad merè declarandos Canones, non ad eos comprobandos, nec ad hæreticos conuincendos vim obtineret: Rem ampliùs integram non eſſe; iam innoteſcere, admotam aliàs à Concilio manum fuiſſe huic doctrinæ operi: ea tunc ſi retraheretur, viſum iri reprehenſionibus aduerſariorum cedere, ſimulque aut opus ipſum perfici non poſſe, aut opifices ſatis non eſſe: vtrumque indecorum Eccleſiæ. Seruandam tamen breuitatem ſobrietatemque, laudatam ex iis quæ primæ ſententiæ fautores attulerant.

8 Sed tertia opinio vicit: Ponendam eſſe in fronte Seſſionis doctrinam pro thematis dignitate, quâ doctrinâ confirmatæ viderentur definitiones, & ea quæ opponuntur, abiecta. Ita cenſuit Paulus Iouius Nucerienſis Epiſcopus; & pro hac parte pugnarunt acriter Stella, Fuſcararius, Bouius, & Proſper Rebiba Epiſcopus Troianus: Prætermitti non poſſe omnem explicationem doctrinæ ob rationes adductas à propugnatoribus ſecundæ ſententiæ: nec pariter breuem eſſe adhibendum ſermonem, ne aduerſariorum argumenta inſolubilia viderentur. Si Concilium eum morem tenuerat in ſuperioribus argumentis, longè id impenſius agendum tunc in eo argumento, non expenſo ab anteactis Conciliis, amplo ac difficili, & à variis ſectis oppugnato. Adiecit Franciſcus de Gado, Antiſtes Lucenſis in Hiſpania, Deberi fidelibus non modò definitiones eorum quæ eſſent credenda, ſed non minùs Paſtoribus & Concionatoribus deberi doctrinam eorum, quæ ab ipſis tradenda ſunt populis

pulis ad dogmatum explicationem & confirmationem: nec eam expositionem doctrinæ melius alibi ab Ecclesia præstari posse, quàm in Oecumenica Synodo, vbi sapientiæ flos conuenit, vbi quæ singuli nouerint cunctis communicantur, & vbi veritatis Spiritus præsens est. 1562.

9 Castaneæ argumentis respondebant Petrus Camaianus Fæsularum Episcopus, & Didacus Couarruuias Ciuitatensis: Non solius iudicis partes agere Synodum, sed simul magistri ac parentis, & oportere, vt doctrinâ magis quàm gladio hæresim ipsa profligaret. Id Fuscararius corroborabat ex eo quod communiter scholastici tradunt in procœmio Magistri Sententiarum: Fidei quoque dogmata exornanda esse atque illustranda rationibus, non quasi nostræ Fidei fundamentis, sed tamquam munitionibus aduersus obiecta non credentium. Aiebat Stella: Non ex eo quòd hæretici traditiones reiicerent, deserendum esse à Concilio vsum huiusmodi prævalidarum probationum; stultum esse litigatorem, qui in sua intentione stabilienda tacet id quod potissimùm conuincit, eò quòd aduersarius illius despectum præ se ferat. Idem comprobabat Gadus: Quoniam reuerà nequeunt etiam hæretici huiusmodi probationes respuere, vbi reiectâ ipsarum efficacitate non habent vnde reliquas, quibus ipsi vtuntur, tamquam veteres agnoscant: vndenam ipsis innotescere, nisi ex Traditione, Euangelium ab ipsis acceptum, illud idem esse quod à sacris Auctoribus dictatum est, & ab Apostolis promulgatum? Denique ad Synodorum superiorum consuetudinem respondebat Iulius Magnanus, ex Minorum Ordine Episcopus Caluensis: Præter recentissimum ac validissimum exemplum ipsius Tridentini Concilij in præteritis Sessionibus, etiam in Ephesino Canones obscuriores adiectâ doctrinæ luce fuisse à Cyrillo declaratos. Verumtamen ij omnes cupierunt, vt exemplar propositum, quod ne suis quidem auctoribus satis probabatur, reconcinnaretur[l]; vtque, quando complures eruditi libri de huiusmodi argumento conscripti fuerant, opus Concilij esset, vt ita loquamur, coronis quædam, quâ perficeretur ædificium.

10 Dum hac de re disputabatur, excitata fuit secunda & maior quæstio, An Christus seipsum Patri obtulerit sacrificium in Cœna, an solùm in Cruce. Ea de re nihil in paratis Decretis habebatur; propterea quòd illis formandis præerat Seripandus, cui numquam visum est[m] operæpretium esse, huiusmodi definitionem assumere; sed videbatur in doctrina Iulio sedente digesta positum id fuisse. Et Salmeron, cui Sotus in eo aduersatus est, cùm sententiam de articulis

l Litteræ commemoratæ Archiepiscopi Iadrensis, & Acta Paleotti.

m Epist. Seripandi ad Borromeum, 6. Septembris, & epistola iam dicta Iadrensis, & altera, 13. Augusti 1562.

1562. culis proferret, rem fusè affirmando agitarat, suasque rationes posteà Patribus scripto exhibuerat: & nonnulli rebantur, non posse rectè fundari articulum, nimirum, Eucharistiam esse *propitiatorium sacrificium*, in eo argumento, quòd Christus fuerit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, hoc est, panis ac vini, si relinqueretur ambiguum, an Christus vmquam obtulisset *propitiatorium sacrificium* per panem ac vinum. Verùm cùm Decreta Patrum conuentui sunt exposita, extemplò variæ super ea controuersia sententiæ exortæ sunt; & sicut res in quæstionem vocatæ attentionem animi ad se fortius trahunt quàm manifestæ, quibus ingenium nihil de suo tribuit, nec potest partes maximè delectabiles inuentoris agere, complures studium ratiocinationemque ad hoc argumentum conuerterunt. Nec id mirum accidit; Natura quippe vel maximè propriam hominis in eo posuit affectionem Spei, quæ suum quoddam peculiare bonum in ipsa boni arduitate plurimum amat.

CAPVT II.

Variæ sententiæ, earumque fundamenta, de memorata quæstione, & alia in Decretis expensa & composita.

SVper disputatione, de qua diximus, quatuor in classes Patres diuisi. In primam abiit Madruccius Cardinalis, & cum eo Petrus Antonius de Capuo Archiepiscopus Hydruntinus, Castanea, & alij complures, affirmantes, Christum pro nobis seipsum in Cœna sacrificasse, idque Scripturæ oraculis, Patrum testimoniis, auctoribusque Græcis ac Latinis confirmantes: & addebat Castanea, id etiam in libello *Interim* Germanici contineri. Ioannes Antonius Pantosa Episcopus Literarensis considerauit verbum à Christo ad Apostolos dictum, & in ipsis ad Sacerdotes: expensum quoque ad id ipsum à Melchiore Cornelio, *Hoc facite:* quod verbum pro certo ponit rem quamdam omnino consimilem rei præceptæ, anteà peractam, & posteà indicatam, cùm id importetur illo pronomine *hoc*. Iam verò Christus, aiebat ille, præcepit Apostolis, & in ipsis præcepit Sacerdotibus, non solùm vt Eucharistiam acciperent, nec solùm vt consecrarent, quod satis non erat ad illos Sacerdotes constituendos; sed vt offerrent sacrificarentque pro nobis & pro nostris peccatis. Igitur ipse in ea actione, quam nobis imitandam proposuit, obtulit sacrificium propitiatorium. Id confirmauit productâ S. Thomæ doctrinâ, quòd in extrema formæ prolatione fit simul à Sacerdotibus & consecratio & oblatio & sacrificium:

crificium: vnde colligebat, idipsum à Christo perfectum fuisse in illis verbis proferendis; aliter haberent illa efficaciam in nobis, quam non habuerant in Christo. 1562.

2 Eidem opinioni tam constanter adhæsit Bellaius Parisiensis Antistes, vt diceret, à S. Spiritu Patrum animos fuisse commotos ad illum articulum expendendum, qui erat fundamentum nostræ Religionis, & sacrificij à Christo oblati: è Cœnæ sacrificio initia traxisse sacrificium Crucis; ibi cœptam, hîc perfectam immolationem; sed vtrumque sacrificium in eumdem finem collimasse: eoque progressus est, vt affirmaret, dubitaturum se fuisse, an ipse hæreticus foret, si aliter sentiret. Quandoque humana mens suâ ipsius caligine adeò obnubitur, vt eam pro claritate habeat, assumpto quod dubium est pro certo; vt accidit vallium incolis, quibus non apparet nebula quâ obuoluuntur, satis illi perspecta, qui eminentibus è collibus eò visum dirigit.

3 Gaspar à Casalio Episcopus Leirienſis bis abundè hac de re verba fecit, intentus enodandæ difficultati potissimæ, quæ obiectabatur. Ea erat: Per hanc sententiam multum detrahi Crucis sacrificio, perinde quasi ante illud Seruator Patri humanæ salutis gratiâ se immolasset. Et in hanc sententiam locutus est: Christi oblationem fuisse vnicam respectu rei oblatæ, sed modos offerendi fuisse multos ac varios. Etenim quemadmodum S. Thomas docet [a], Redemptoris passio, quamuis vnica, multis processit passibus: vnus fuit Iudæ proditio, alius venditio, alius ipsius in Cœna ministerium, atque ita diuersa cruciamenta vsque ad mortem, per quam completa est: igitur Cœnam fuisse partem quamdam Christi cruciatuum. Porrò sicuti antegressis promeritis dempta non est, quin potiùs aucta efficacitas per meritum Crucis; ita potuisse Christum Patri se offerre in Cœna, & sacrificium in Cruce perficere, eâ ratione quâ ipse suis reliquis operibus merendo vixit, & in Cruce merendo mortuus est. [a] 3.part. q.83.art.5. ad 3.

Iacobus Gibertus de Noguera Episcopus Aliphanus dicebat, Satis esse ad hanc definitionem fundandam multorum Patrum auctoritatem, quandoquidem Synodus Ephesina ipsorum testimoniis, tametsi eâ tempestate recentiũ, duas in Christo naturas cõprobarat.

4 Pro eadem sententia disputarunt Petrus à Monte Episcopus Lucrensis, Carolus Bouius Austunensis, Marcus Laureus Dominicanus Campanensis, Franciscus Zamora, & Didacus Lainius, alter Minorum Obseruantium, alter Societatis Iesu supremus Moderator.

1562. De hoc postremo, quem Ordinis mei Fundator socium habuit, primumque in eo regendo successorem, quædam quasi filij pietas me cogit, vt hîc parumper subsistam, ad famam tam venerandi capitis à mendacibus Suauis maculis detergendam. Aduenerat antea [b] Lainius è Gallia, quò perrexerat cum Estensi Legato, sicuti dictum est; cui multò priùs iniunxerat Pontifex [c], vt illum Tridentum mitteret; & ab eo responsum fuerat, id effectum iri. Etenim tametsi Lainius ob eximias animi dotes copiosum Parisiis fructum ederet, quem pariter vbique locorum edidisset, tunc in Gallia manibus magis quàm linguâ opus erat. Varia tamen quæ contigerant ad id vsque temporis, eius missionem Tridentum retardauerant. Et quidem à Pontifice [d] demandatum postremò fuerat Legatis, vt ipsum ad dicendum admitterent non solùm tamquam supremum Ordinis Præsidem, sed simul tamquam Pontificium Theologum, perinde ac ipse & Salmeron bis aliàs in Synodo fecerant; atque vt humaniter illum haberent, quantum hominis doctrina, probitas & integritas merebantur. At verò Suauis dum de Lainij aduentu mentionem facit, narrat illum eò peruenisse 14. Augusti. Tres eiusdem Societatis conatos fuisse eum reliquis Religiosorum Ordinum summis Rectoribus præferre, postremo loco minimè contentum; & idcircò nequaquam recensèri in catalogis eorum, qui Concilio interuenere. Id planè mendaciorum summarium est. Initium à tenuiore ducamus. Eius aduentus non incidit in 14. Augusti; sed, si loquamur de die quo peruenit Tridentum, is fuit vigesimus tertius Iulij, vt vidimus [e]. Si de eius ingressu in conuentum, vigesimo primo Augusti, secundùm ea quæ referunt Legati in scripto, quod mox proferemus. Pergamus ad solidiora mendacia. Publici Synodi catalogi Lainium connumerant inter Generales Religiosorum Præsides qui interfuere, vt liquet ex Synodo Antuerpiæ typis impressa apud Ioannem Stelsium anno 1564. hoc est planè post illius finem. Tam longè Lainius abfuit ab vltimo inter summos Moderatores gradu recusando, vt ipse illum petierit. Hoc ipsum alibi audiendum curaui [f] ex verbis Paleotti, vbi is suorum Actorum initio recenset ordinem, qui seruabatur tum in sedibus distribuendis, tum in dicendis sententiis. Sed quoniam pollicitus ibi sum magis cogentes à me probationes adductum iri, cùm ad oppositam Suauis impugnationem peruenirem, par est vt promissa persoluam. Itaque aio, Legatos ipsos id fuisse testatos in legitimis tabulis, quibus & illi, & qui Concilio à secretis erat, subscripsere Kalend. Nouemb. an. 1562. quas exhibere cuiq; id cupienti paratus sum.

[b] Peruenit 23. Iulij, vt habetur ex epistola Mutinensis ad Moronum.

[c] Litteræ Legati Ferrariensis ad Borromæum, 11. Martij 1562.

[d] Litteræ Borromæi ad Legatos, 11. Maij 1562.

[e] Litteræ Mutinensis allatæ.

[f] Lib. 15. cap. 15.

Ibi

6 Ibi dicunt: *Inaudiuisse se cum animi molestia vanum & iniquum rumorem, per varias prouincias diffusum, Lainium inuitis Patribus sese in conuentum intrusisse, simulq; fuisse conatum summis monasticorum Ordinum Præsulibus anteire. Vtrumque à vero longè abesse: ingressum illum fuisse ad ferendum iure suffragium in generali cœtu, nemine obsistente, & potiùs optantibus Patribus, & iussu Pontificis, & pro eo quod ex veteri consuetudine debebatur supremis Religiosorum Ordinum Moderatoribus. Dubitatum fuisse de loco, qui à Magistro Cærimoniarum ipsi tribuendus esset, nimirum, an infra reliquos generales Ordinum Moderatores, cùm illius Ordo esset omnium nouissimus; an suprà, quia esset Ordo Clericorum, qui Monachis præferuntur. Illum dumtaxat cupiisse, vt ipsius Ordo tamquam Ordo Clericorum agnosceretur: ceterùm modestiæ, pacisq; studio animum præ se tulisse extremi subsellij cupidum, & reipsa extremum locum petiisse. Sed à Legatis, cùm alicuius anteacti Concilij exemplum ipsis non suppeteret, quippe quòd hic Regularium Clericorum Ordo, qui latissimè iam per Christianorum Ethnicorumq; prouincias cum vberrimo animarum fructu protendebatur, post vltimum Lateranense ortus fuisset, locum illi extra Ordinem seiunctum à reliquis Religiosis Præsulibus datum fuisse, quò ibi post illos absque Clericorum præiudicio sententiam diceret, quemadmodum dixerat per summam quietem ac modestiam ex die vigesimo primo Augusti, quo die primùm ingressus fuerat.* 1562.

7 Huiusmodi fuit publicum testimonium à Legatis redditum: qui pariter, cùm ille peruenit, ad [g] Borromæum scripsere, se censuisse præcipuum illi locum deberi, eiq́ue dandum curasse, sed restitisse reliquos Præsides Ordinum Regularium. Ad hæc verò rescriptum primò [h] fuit à Borromæo, Romæ expensum iri quid esset agendum, quod ipsis posteà significaretur; sed interim quietem partium prudenter ipsi curarent: tum additum est, Certò resciuisse Pontificem, à Lainio quemcumque gradum, qui sibi tribueretur, acceptum iri, & insuper non mediocri voluptate audiuisse Pontificem, à Legatis destinatum Lainio fuisse locum seiunctum, cunctis acquiescentibus. Profectò Lainij nomen, perinde ac aliorum complurium, gratiam Suaui debet. Etenim ipsius calumniæ sunt in causa, vt à me sine affectatione scribantur, & à meis lectoribus sine tædio legantur res ab illis cum laude gestæ; quæ cùm per se priuatæ sint, ac minutæ, locum in historiæ theatro non ad pompam, sed solùm ad defensionem merentur.

[g] In epistola, 10. Augusti 1562.

[h] Litteræ Borromæi ad Legatos, 20. Aug. & 1. Septembris 1562.

8 Lainius itaque in quæstione proposita hoc pacto disserebat: Eam esse tantùm de facto, adeoq́ue non ex rationibus, sed ex testimoniis dumtaxat ferendum iudicium. Cùm igitur [i] supra quadraginta Patres,

[i] Acta Paleotti, & arcis Æliæ.

1562. Patres, tum Latini tum Græci, & tum recentes tum veteres, atque eorum complures Christi ætati propinqui, ac proinde historiam probè callentes, affirment, illum pro nobis seipsum in Cœna sacrificasse, ipsorum dictis habendam fidem. Exemplum Melchisedech, & sacrificij ab eo oblati, non fuisse completum reipsa à Christo in Cruce. Igitur, in Cœna, ea verba, *Hoc facite*, intelligi à S. Leone in sermone septimo de Cœna Domini, & ab aliis Doctoribus, vt illud idem fiat quod fecit Christus: & tamen si Christus in Cœna non sacrificasset, Ecclesia dum in Eucharistia consecranda sacrificat, faceret id quod ipse non fecit. Ostendit præterea, in eiusmodi Christi sacrificio vim expiandi fuisse; primò, quoniam Euangelij verba, per quæ legimus, affirmari à Christo suum sanguinem pro nobis effusum iri, in Græco Euangelio simul significant tempus præsens, & sonant, *Pro vobis effunditur*; quod verum esse non poterat, si ea Christi oblatio ad expiationem peccatorum pro salute hominum non fuisset. Secundò, quia si reliqui Sacerdotes, vt dicit Paulus ad Hebræos, offerunt pro peccatis, multò magis id fecit Christus in eo ipso sacrificio, quod inferioribus Sacerdotibus reliquit; idque similiter confirmauit multorum Patrum testimonio, enumerauitque simul varia discrimina inter Cœnæ & Crucis sacrificia. Denique perpendit, ab Apostolo adscribi vniuersè elationem Christi, præmiumque ipsi traditum, obedientiæ merito; adeoque cùm Christus obedierit non solùm in morte, sed etiam in cunctis suis operibus; cumque eius elatio, præmiumque ipsi traditum fuerit nostra salus, arguit quodcumque Christi opus nobis salutare fuisse, tametsi cuncta Passioni tamquam actui postremo tribuantur.

Fuerunt in secunda classe Archiepiscopi Granatensis, Bracarensis, & Lancianensis, qui opinabantur, Redemptorem in Cœna sacrificasse quidem, sed sacrificium merè Eucharisticum, hoc est laudis & gratiarum actionis, non satisfactionis & expiationis, veriti, ne aliter derogaretur Crucis sacrificio; neque pariter declarabant, illic seipsum obtulisse.

His accessit Albertus Duinius Veglensis Antistes, qui duas in Christo rationes oblationis distinxit, alteram vniuersalem, & ab ipso adhibitam in cunctis vitæ suæ operibus; alteram peculiarem, ob remissionem nostrorum peccatorum, & non habitam ante Crucem. Studuit sententiam suam corroborare auctoritate sancti Thomæ [k], & apertiùs Oecumenij dicto, quod productum fuerat ab Hosio in capite quinquagesimo tertio suæ vulgatæ confessionis.

[k] 3.par.q.47. art. 9. & q.73.art.5.

Idem

Idem sentiebat Fuscararius, obseruans, sacrificium Eucharisti- 1562.
cum, quod meras laudes gratiarumque actionem complectitur, esse suapte naturâ nobilissimum, cùm sit holocaustum quoddam, quod totum ad adorationem Dei refertur; quamcumque guttulam sanguinis Christi redimendis hominibus satis fuisse, sed iustitiam Diuinam imperasse, *vt mors morte tolleretur*, quemadmodum concinit Ecclesia. Huic sententiæ non solùm Oecumenium adstipulari, sed videri sibi, posse iureiurando se affirmare, illi adhærere pariter Augustinum.

Andreas Moccenigus Episcopus Nimosiensis aiebat, certum esse, sacrificium Cœnæ, itidem ac cuncta reliqua Christi opera, fuisse nobis propitiabile; sed à Christo nonnisi per Crucem nostrarum noxarum remissionem obtentam fuisse: ibi victoriam integram reportatam; anteà multarum arcium, vt ita dicatur, adeptionem habitam. Quare si post Cœnam, & ante Crucem aliquis ex Apostolis obiisset, nondum apertum in cælum aditum nactus esset.

Eadem opinio pro certa habebatur à Didaco de Leon Augustiniano, Episcopo Conimbricensi.

10 Tertia classis in doctrina ponendum censebat, Christum se Patri obtulisse in Cœna, sed minimè dicendum, hac illâve ratione id peractum. Cùm enim id in quæstione versaretur, nec vllum euidens Scripturæ oraculum vrgeret, Canonem aut Decretum de eo conficiendum non esse, nisi certè priùs id à minoribus Theologis solerti operâ fuisset expensum. Huiusmodi erat consilium Naclantis ac Drascouizij; & complures ex assectis secundæ sententiæ posteà huic assensere.

11 Quarta classis ex iis Patribus conflabatur, qui duas partes studebant opinamento medio concordare; idcircò ea in multas partes abibat, cùm expromeret vnusquisque quid ipse sentiret, nec nisi seipsum auctorem haberet: eâ ratione, quâ quis nonnisi sui ipsius assecla esse vult. Inter hos fuere, qui secundam opinionem defenderant: sed si singulorum sensa recenserem, plus tædij quàm vtilitatis afferrem.

12 Res tandem hunc exitum tulit [l]. Cùm initio complures repugnarent declarationi huiusce oblati, quo hîc se Christus quocumque modo obtulisset, postremò contigit aduersùs quàm euenire solet in subtilioribus disputationibus, in quibus sui quisque ingenij conceptus amans, in propugnata sententia inhæret firmiùs. Etenim ferè omnes in primam sententiam abiere, etiam qui acerrimè illi restiterant.

[l] Litteræ Iadrensis, 24. Augusti 1562.

1562. Alia capita sunt agitata, ac præcipuè, An essent celebrandæ Missæ linguis vulgaribus. Fuit qui dixit, Pernicioſam haud sibi videri Dalmatiæ consuetudinem, vbi post lectionem Euangelij Latini, idem legitur idiomate Dalmatico, ad populi eruditionem. Omnibus tamen probata est interdictio celebrandi Missam vulgari sermone. Quin Episcopus Nimosiensis retulit, in sua Diœcesi ab hæreticis, cùm plurima Ecclesiæ bona occupassent, eorum restitutionem oblatam fuisse cum certis quibusdam pactionibus, præsertim verò cum hac conditione; sed rem fuisse reiectam. 1j

Actum quoque in transcursu, An Decretis doctrinæ par Canonibus auctoritas esset tribuenda. Aduersabantur Fuscararius & Blancus, aientes, suos in hisce rebus gradus esse; sufficere, si oppugnatoribus inureretur temeritatis & scandali nota, non item hæreseos. Oppositum suadebat Hosius Reatinus Antistes: sed de hoc maturum plenumque consilium non est habitum.

Blanco denique non probabatur, quòd ad Canones apponeretur tamquam Fidei dogma, à Christo collatum fuisse Sacerdotij ordinem Apostolis per ea verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Consueuisse Concilia veritatem declarare, non interpretationes præscribere, productis sacrarum Litterarum, aut sanctorum Patrum testimoniis.

Hæc potissimùm in propositis Decretis & Canonibus obseruata sunt: conuentumque est, vt arctarentur, ac limarentur, adhibitâ curâ tum ponendi quæ cunctis placerent, tum auferendi quæ alicui displicerent. Cùm aptum in conuentibus adiumentum sit, vt plerique singulis morem gerant in rebus minutioribus omittendis, quo singuli pleroſque sequantur in præcipuis sanctionibus statuendis.

CAPVT III.

Propoſita, poſtulantibus Cæſarianis, conceſſio Calicis cœtui generali. Rationes ab ipſis allatæ.

NOndum absolutus erat sermo de Seruatoris sacrificio in Cœna, cùm in eodem conuentu datus est aditus alteri quæstioni magis salebrosæ, quamuis minùs subtili. Acerrimè vrgebant Cæsariani, vt Ferdinandi petitio pro vsu Calicis proponeretur. Quare Legati rem diutiùs haud protraxerunt. Et quamquam anteà Borromæus ipsis significasset [a], ad faciliorem concessionem reddendam, profuturam forsitan fuisse limitationem tractationis ad solam Bohemiam, vbi persistebat vetus ac præcipua repu- 1

[a] Apparet ex epistola Legatorum ad Borromeum, 20. Augusti 1562.

repugnantia Euchariſtiæ ſub vnica ſpecie ſumendæ, reſponſum à Legatis fuerat: Cùm Cæſaris poſtulatio ad cunctas Imperij ditiones extenderetur, nunc per eam rei propoſitæ reſtrictionem vereri ſe, ne, dum ipſi gratificari ſtuderent, eum potiùs offenderent. At verò per idem tempus reſtitere alteri Cæſaris poſtulato, quod [b] per Delfinum Nuntium detulerat: id fuit, Vt definitiones de Sacrificio protraherentur, tantiſper ſaltem, dum Cæſar in propinquis Comitiis vltimos adhiberet conatus ad mittendos Tridentum Proteſtantes. De quo reſcripſerunt, Ob cauſas ſæpiùs allatas ſuperſedere ampliùs non poſſe citra Eccleſiæ dedecus ac detrimentum: electum fuiſſe argumentum illud, quod ætate Iulij fuerat intermiſſum, quo reipsâ haberetur tacita continuatio, pro eo ac inter Cæſarem & Catholicum Regem conuenerat. Eò igitur impenſiùs Legati ſtuduere promptum ad alteram petitionem animum præ ſe ferre; ac proinde die vigeſimo ſecundo Auguſti rem Patribus propoſuere. 1562.

[b] Altera Legatorum epiſtola, eodem die.

2 Mantuanus honorificis formulis poſuit ob oculos, quàm benemeritus de Eccleſia Cæſar eſſet, quantumque oporteret ipſi morem gerere in eo quod ad eiuſdem Eccleſiæ commodum poſtulabat, præſertim cùm Synodus illius patrocinio frueretur. Poſtrema hæc dicta reprehenſionis argumentum præbuere quibuſdam, aut ex cautioribus, aut ex pronioribus ad cauillandum, quaſi Pontificiæ dignitati detraherent, & quaſi Legatus ratione ſanguinis traheretur ad proferendas voces auctiores ſocero nepotis ex fratre; quamquam reuerà illæ ad ſolum patrocinium laicarum virium dilucidè referrentur, cùm Tridentum ſupremo Ferdinandi dominio ſubiaceret, atque illius oppidis cingeretur. Et ſanè in toto illius Concilij decurſu emicuit in Mantuano is tantummodò Principum reſpectus, qui ad emolumentum Eccleſiæ conducebat, quemadmodum ſtellæ tantum, & non amplius, ſolem intuentur, quantum conferat non ad ampliorem ipſarum irradiationem, ſed ad Orbis terrarum emolumentum.

3 Duo ſcripta confecerant Cæſaris Oratores ad viam impetrationi ſternendam: alterum prolixius, breuius alterum; petieruntque à Legatis, & obtinuerunt [c], vt ſcriptum breuius cunctis Patribus ſimul cum poſtulato proponendo traderetur. In eo habebatur: Iam vſque à primo interdicto Concilij Conſtantienſis retentum à Bohemis pertinaciter fuiſſe vſum vtriuſque ſpeciei in Euchariſtiæ ſumptione, nuncupatis idcircò *Sub vtraque ſpecie*, eoſdemque obſtitiſſe inflexibiles rationibus, conſiliis, & armis; nec plebeios ſolùm,

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 27. Auguſt. 1562.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

1562. lùm, sed nobiles ac dynastas, & eorum complures, ad quos ex veteri consuetudine spectabat publicorum Magistratuum exercitatio. Eapropter Synodum Basileensem sese inclinasse ad Calicis vsum certis conditionibus positis restituendum. Id pariter indulsisse Romanos Pontifices Paulum & Iulium Tertium, facultate ad id commissâ Nuntiis in iis prouinciis, tametsi varia, quæ contigerant, executionem impediissent. Ipsum Ferdinandum, cùm ex Diuina beneficentia sibi euenisset, vt Archiepiscopus Pragensis post centum quadraginta annos in gradu reponeretur, petiisse à Pontifice, vt illi facultatem concederet ad Sacerdotium eos promouendi, qui vnà cum Calice Eucharistiam accipiebant, adeoque Calistini appellabantur. Pontificem verò haud indignam, quæ exaudiretur, existimasse petitionem, à quâ pendere poterat illius inclyti regni ad Ecclesiæ sinum regressio; sed eam ad Concilium reiecisse. Probam illius Nationis voluntatem ex eo argui posse, quòd numquam ad eam vsque diem Sacerdotes admiserint nisi non coniugatos, sacrisque initiatos à Catholicis Episcopis; quodque publicas pro felicitate Pontificis, sacri Collegij Episcoporum, ceterorumque Ecclesiasticorum Ordinum precationes haberent. Hoc impetrato, facilè reduci posse ad rectam Fidem in aliis minutis rebus, in quibus aberrauerant. Admirationis argumentum non esse hanc adeò tenacem ipsorum voluntatem, quando doctissimi quidam viri etiam inter Catholicos dubitationem præ se tulerant, quòd vnius speciei sumptio tantum gratiæ non conferret, quantum vtriusque. Cauendum esse, ne seueritas nimia illos ad Lutheranorum sectam impelleret. Votum hoc non paucis improbisque hominibus inesse, sed innumeris ac piis, in Hungaria, in Austria, in Silesia, in Stiria, in Carinthia, in Carniolia, in Bauaria, & aliis Germaniæ prouinciis. Concessisse Paulum III. cunctis Germaniæ Episcopis facultatem Eucharistiæ sub vtraque specie porrigendæ cuicumque ex pietate id cupienti: quamquam ne id quidem ex quibusdam obstaculis postea effectum fuisset. Non peti hoc priuilegium pro hæreticis, vt qui auctoritatem Synodi non agnoscebant, sed pro Catholicis, obsequentibus Ecclesiæ filiis. Sperandum tamen esse, per eam concessionem ad frugem reuocatum iri complures etiam ex hæreticis, nec ab eorum paucis paratum ad id animum declarari: in eamdem postulationem conuenire duos Episcopos, omnium Hungariæ Præsulum Procuratores: illic violentiam inferri Sacerdotibus, vt vtramque speciem præberent, adeoque quosdam ex metu abscessisse, alios eiectos ab Episcopis fuisse ob oppositam contumaciam

in

in Ecclesiam, ac proinde timendum esse, ne regnum illud repul- 1562.
sam passum, in ethnicismum præceps abiret.

4 Scriptum, de quo diximus, per Patrum manus circumlatum est, & Legatorum primus in confessu duos hosce articulos proposuit. Prior fuit:

An usus Calicis, flagitatus à Cæsare pro vniuerso Imperio, & hereditariis ipsius ditionibus, concedendus esset cum sequentibus conditionibus:

Vt quicumque vellet sub vtraque specie Eucharistiam sumere, acciperet, ac profiteretur animo ac linguâ doctrinam vniuersam, cunctosq; ritus Ecclesiæ Romanæ, & omnia Decreta præterita ac futura præsentis Concilij, eaq; integrè obseruaret.

Vt Pastores & Concionatores prædictarum Nationum crederent, ac docerent, consuetudinem ab Ecclesia comprobatam accipiendi Eucharistiam sub vna tantum specie, esse bonam atque laudabilem, dignamq; vt obseruetur, vbi in eo eadem Ecclesia legem non relaxaret.

Vt obedientiam profiterentur Romano Pontifici tamquam Ecclesiæ capiti.

Vt obedientiam pariter reliquis fides Præsulibus exhiberent.

Vt id solùm illis concederetur, qui contriti, peccata confessi fuissent secundùm Ecclesiæ ritum; atque vt Ordinarij summam diligentiam adhiberent ad longè arcendum à Calicis distributione hominem quemcumque sacrilegum aut profanum.

Posterior articulus fuit: *An hæc facultas esset Episcopis concedenda tamquam ab Apostolica Sede delegatis, quibus liceret id in suis Diœcesibus committere Curionibus cum conditionibus recensitis.*

5 Antequam in sequentibus cœtibus Patres rogarentur sententias, innotuit Oratoribus, difficultatem nonnullis iniici ab ipsa petitionis amplitudine, quæ cùm ad cunctas Imperij terras extenderetur, Senas quoque, aliaque multa Italiæ oppida complectebatur, præter varia loca Liburniæ, Dalmatiæ, ipsamque Tridentinam Vrbem[d]: quamobrem quò facilior redderetur, ad Germaniam & Hungariam posteà coarctata est. Pridie quàm suffragatio ea de re inchoanda erat[e], Episcopus Quinque Ecclesiarum sermonem habuit ad Patres, in quo rationes summatim à nobis narratas amplificauit. Dixit, Rem suspicioni obnoxiam non esse, quòd Cæsar iam senex, ac breuî ante Diuinum tribunal sistendus, vellet quidquam efflagitare nisi quod arbitraretur ad Dei gloriam cessurum. Nec similiter in tantæ prudentiæ Principe, post tam diuturnam intentamque regendi exercitationem, credendam esse ignorationem illius quod in suis subditis ad animarum salutem conduceret. Non aliud velle Cæsarem, nisi quod liceret per Ecclesiæ dignitatem, pro qua vitam pro-

[d] Acta arcis Æliæ, 27. Augusti 1562.

[e] 27. Aug. ex Actis arcis Æliæ, & in epist. Iadrensis, quamquam priùs sit posita, 23 Aug.

1562. fundere præstò erat: sed Ecclesiæ morem esse, in rebus arbitrariis, & à Deo non præscriptis, leges variare pro conditionum varietate. A Synodo Constantiensi vetitum illud fuisse priùs constitutum; posteà id ex parte relaxatum à subsecuto Concilio; sed eodem vetito per Pontificem Pium II. ad vim pristinam restituto, fuisse concessam à Paulo III. ac Iulio III. facultatem illius abrogandi: interim fuisse Græcis indultum non vsum modò Calicis, sed varios præterea ritus, ab Ecclesia Latina diuersos; idque per summam prudentiam, exemplo Moysis, qui nonnulla permisit populo suo propter duritiam cordis. Vnam dumtaxat rationem obiici posse, nimirum, Periculum fundendi sanguinis Christi. Huic occursum iri per Præsulum vigilantiam: sed tandem, quando Christus rectè effusum duxerat suum totum sanguinem in hominum salutem, haud illi molestam futuram aliquam eiusdem effusionem, quæ humano vitio contingeret in eo ministerio, vbi hoc pacto consuleretur innumerabilium animarum saluti, quæ eodem ipso sanguine redemptæ sunt. Ita perorauit Antistes, vt illis populis fieret satis, qui ægrotorum insanientium instar, ab amico ac perito medico potionem pro sua libidine violenter petebant.

CAPVT IV.

Non modica sententiarum varietas in generali Conuentu, de Calicis concessione.

VIdebatur in eo argumento, in quo lumen rationis nullâ poterat infici tincturâ ab animi affectione & vtilitatis cupidine, nec agitabantur subtiles Scholarum quæstiones, sed beneficium quoddam arbitrarium, & à tot Principibus, tot Regnis efflagitatum, expectanda esse magna sententiarum concordia. Verumtamen vix vmquam adeò illæ variarunt. Lectori gratiùs futurum puto id suis oculis singulatim cernere, quàm narrationi meæ vniuersè credere: præsertim quòd hinc intelliget id quod singulos permouebat, cùm interdum nos magis oblectet, si varios fructus decerpentes ex variis arboribus degustemus, atque inde plantarum terrarumque varietatem discernamus, quàm si confusos in vno eodem calatho illos haberemus in mensa. Verùm minutarum rerum recitationem cauebo, quæ semper accidit molesta lectoribus non otiosis, in vita temporis egentissima, & rerum obiectarum locupletissima.

Madruc-

1562.

2 Madruccius[a] suadere studuit, posse Synodum, ac debere petitioni assentiri, nec esse in causa Cæsari, vt diceret: *Quid potui amplius facere vineæ meæ, & non feci?* Cùm à Concilio Basileensi concessus fuisset vsus Calicis, quo Bohemi reuocarentur ad Fidem, multò magis esse concedendum à Tridentino, non solùm ad hæreticos reuocandos, sed ad Catholicos retinendos.

[a] Pars horum sententiarum fusè habetur in prædictis monumentis Io. Baptistæ Argenti; pars compendio in Actis Paleotti, & Arcis Æliæ, & in pluribus litteris Iadrensis Archiepiscopi.

3 Non ita Ælius Hierosolymæ Patriarcha: is, præmissâ Ferdinandi, eiusque in Ecclesiam meritorum commendatione, rei propotæ dissensit, siue ratus nihil esse potentius ad temperandam contradictionis amaritiem, laudum dulcedine, siue studens efficaciorem reddere contradictionem, quasi vi rationis expressam animo reluctante. Dixit, Validas persistere easdem causas, quibus iam ad illud Decretum Patres Constantienses permoti sunt. Ex concessionibus postmodum habitis à Synodo Basileensi, & à Paulo III. nullum fructum esse decerptum. Georgium Bohemiæ Regem petiisse à Pio II. hanc relaxationem, missis per præclaram legationem viris acceptis Pontifici, qui eam Prouinciam, dum minori esset in gradu, adierat, adeoque illius conditionem non credebat, sed pernoscebat; & tamen ab ipso repulsam tulisse: quæ cùm ignorationi rerum, aut animi asperitati adscribi non posset, prudentiæ consilium erat existimanda: certiora saltem argumenta pietatis, demissionis animi ac Fidei illarum Gentium requiri.

4 Cum Ælio consensit Barbarus, electus Aquileiæ Archiepiscopus. Optimum à Cæsare animum geri, sed non item fortasse ab iis, quorum importunitate Cæsar commouebatur. Petrum Dresdensem, Misnienſem anno 1414. originem dedisse huic errori, quòd vtriusque speciei sumptio esset ad salutem necessaria, eumque ceteris Ioannis Wicleffi erroribus adiecisse: quem errorem illicò amplexati Ioannes Hussus, & Hieronymus Pragensis, concionibus disseminarant, præcipuè verò Iacobellus pariter Misnienſis, à quo liber ea de re conscriptus est. Hoc falsum dogma nactum fuisse, non induxisse hæresim in Bohemiam, solumque ab eo posteà auctam & confirmatam. Quapropter vbi populis illis id indulgeretur, verendum esse, ne arguerent, perinde ac aliàs post similem concessionem argumentati fuerant, colligentes ex verbis Christi, sub specie panis esse solum corpus, & sub specie vini solum sanguinem. Præterquam quòd de petitorum animo non liquebat, nec liquere à quonam id peterent: si à Concilio, nemo aderat cum ipsorum mandatis; sin à Cæsare, qui pro ipsis Concilium deprecaretur, qualia demissionis & obedientiæ argumenta Ecclesiæ exhibebant? Vbi Patres id ipsis

1562. indulsiſſent, extemplò alias nationes idem poſtulaturas, vociferantes, Se non minùs, quin eo magis beneficium illud ſibi promereri, quò ipſi obſequioſiùs Eccleſiæ obtemperarant. Nec incommodum hucuſque ſolùm deuenturum: eo exemplo illius indulgendi, quod Eccleſiaſticâ ſolùm lege prohibetur ad populorum quietem, Principumque gratificationem, confeſtim excitatum iri vehementiſſima poſtulata pro Sacerdotum coniugio, obiectantia, non poſſe aliter hos verſari ſine ſuſpicione, & cum ſincera fiducia in ædibus laicorum. Petitum iri amotionem imaginum, adductâ in medium vulgi propenſione in idololatriam; adeoque quò motus fluminis ſederetur, vniuerſum Eccleſiæ pelagus commotum iri. Neque eam indulgentiam è re Cæſaris futuram: etenim ſi tunc Bohemi difficiles erant ad conferendas illi ſuppetias in Turcam abſque illa conceſſione indebita, & intra Cæſareæ poteſtatis fines haud contenta, eius poſteà adeptione, ſe formidabiles ac victores expertos, in poſterum tum in ſacris tum in profanis auſuros leges ipſi præſcribere. Populorum peruicaciam eſſe quamdam hydropicorum ſitim, quæ negato potu ſolùm extinguitur. Denique audire ſe, id à Cæſare peti pro Germania vniuerſa; & tamen ſibi compertum eſſe, cùm Patriarchatus ſuus non parum intra fines Germaniæ protenderetur, multos ibi eſſe populos ab ea appetitione alienos, & inter ceteros, in pago admodum frequenti impetum fuiſſe factum Parocho, quòd in Euchariſtia præbenda Calicem populo porrexerat.

Ad duos Patriarchas acceſſit tertius, hoc eſt, Triueſianus Venetiarum. 5

Archiepiſcopus Hydruntinus ad poſtulatum flectebatur, ſed cum triplici reſtrictione. Prima erat, Vt limitaretur ea conceſſio iis dumtaxat, qui in ipſo Miſſæ ſacrificio Sacramentum ſumerent, ne poſteà neceſſe foret conſecratum ſanguinem conſeruare. Altera, Vt id fieret ſolùm iis diebus, quibus aliis ſub vnica ſpecie non dabatur Euchariſtia; quò diuerſitas euitaretur, quæ diſſidij origo eſt. Tertia, Vt hoc priuilegium non aliter impertiretur quàm cùm aſſenſu Pontificis, quippe ſupremi Rectoris Eccleſiæ, meliuſque rerum conſcij.

b Suffragium Granatenſis, præter Acta Paleotti, recenſetur in arcanis litteris Vicecomitis ad Borromæum, & fuſiùs in epiſt. Iadrenſis, vlt. Auguſti 1562.

E contrario Granatenſis adeò dehortatus eſt, ne res Pontifici committeretur, quemadmodum & Hydruntinus indicauerat, & rumor erat; nonnullos velle vt affirmaret [b], Argumentum illud eſſe eiuſmodi, ad quod ſolum expendendum oportuiſſet à Pontifice Concilium cogi, quo tanti ponderis, tamque vniuerſale negotium decerneretur ſuffragiis præſtantiſſimorum omnium in Eccleſia virorum. 6

rorum. Se nondum satis certo animo esse, & longiori spatio ad per- 1562.
pendendum indigere. Parum sibi negotij facessere effusionis periculum, quoniam experimento habebatur, id perrarò accidere in vino ad abluendum os post sumptam Eucharistiam, maioremque diligentiam in sanguine adhibitum iri: parum sibi difficultatis iniici à Gentium numero, pro quibus flagitabatur; etenim vbi hoc foret vtile instrumentum ad eas reconciliandas, vitandum non erat, quippe quod mutationem afferret simplicis cuiusdam ritus, qui ad fidelium vtilitatem potest prudenter variari. Solùm hærere se pendentem animi, ne post huiusmodi concessionem insolentiora alia postulata prorumperent. Optari à se, vt clariùs innotesceret, an hæc indulgentia opportunè succederet: ad id adhibendam esse diligentiam exquisitiorem tum per pia opera (nempe precationes, ieiunia, & eleëmosynas, ad lumen à Deo impetrandum) tum per humanam operam cum Episcopis Germaniæ, qui, quoniam aberant, Metropolitanos adirent, habitoque ea de re consilio, ad Synodum pro ipsorum conscientia referrent. Quod si vellent petitioni satisfacere, ad solam Bohemiam id restringendum.

7 Multa ad repulsam argumenta coaceruauit Castanea: Nullam sibi videri deesse ex rationibus, propter quas in illud Decretum venerat Ecclesia, quin potiùs eas esse auctas accessione vnius rationis tam validæ, quàm opportunum est in omni Republica, & Ecclesiastica potissimùm, nihil nouare. Quod si mutatio in cunctis legibus, vtpote noxia populorum venerationi, vitanda est; multò magis omnem vmbram à ritibus Eucharistiæ procul arcendam eâ tempestate, quâ tot recentes hæreses pullularant de eo Sacramento, quibus omnis nouitas ex Ecclesiæ parte colorem obtendisset. Præter hanc nouam & efficacem rationem pristinas omnes, pro eo ac ipse dixit, firmas persistere. Iamdudum negasse Nestorium, contineri totum Christum sub qualibet specierum, sed solùm corpus sanguine vacuum sub specie panis, & sanguinem seiunctum à corpore sub specie vini: hinc ortum habuisse ritum sumendi vnicam speciem. Hanc pertinacissimam petitionem vtriusque speciei tendere ad excitandam illam hæresim, iam sepultam. Motam fuisse Ecclesiam à periculo, ne vinum consecratum effunderetur, aut acesceret; adeoque stomachi ciendi fieret occasio, & ab aliis incommodis, quæ tam venerabilis Sacramenti dignitati detraherent. Quînam posse id in præsentia vitari, dum fidelium numerus vni tantum Curioni subiectus modicus non erat, & qualis primæuis sæculis, cùm propterea absque eiusmodi incommodo sumptio Calicis vsurpaba-

1562. tur? sed aliquo in oppido contingebat, vt vni eidemque Parocho centum animarum millia committerentur, quemadmodum euenire suæ Diœcesi Parisiensis affirmarat. Quænam amphoræ, imò quænam dolia tam frequenti cateruæ suffectura? Per eam concessionem, quæ petebatur, alimentum, non medicinam allatum iri illorum hominum infidelitati: si reuerà credidissent, Christum integrum, & integram Sacramenti naturam in qualibet specie contineri, tam peruicaces haud perstituros fuisse in vtraque expetenda. Sibi regredi in memoriam id quod à S. Leone gestum aliqui tradiderant, qui cùm animaduerteret, hæresim Manichæorum glisscere, Christo non verum corpus, sed solùm ad speciem & apparens tribuentem, iusserat in sacra synaxi Calicem etiam populo præberi, quò eâ ratione rudes quoque intelligerent, inesse Christo verum corpus, non autem commentitium & exangue. Verùm à se eam narrationem non affirmari, quandoquidem sermo quartus Quadragesimæ, qui ad id afferebatur, vbi rectè legeretur, id non sonabat. Verùm ita si foret, exemplum mirificè congruere: etenim cùm doceret Lutherus, integram institutionem Christi sub vna specie minimè contineri, rationem efficaciorem non suppetere ad ostendendam etiam idiotis contrariam veritatem, quàm vt eam in Eucharistiæ sumptione reipsa exercerent. Petrum Dresdensem, & Iacobellum non alio modo effecisse, vt illi populi ab Ecclesia Romana desciscerent, quàm concionibus suadentes eam esse impiam; quippe quæ cum Euangelij violatione laicos dimidio Sacramento priuasset. Nullo conditionum emolumento compensari detrimenta, quæ ab eiusmodi Concilij lege manarent. Non esse leges instar concessionum, quas sub conditione indulgent Principes: vanescentibus siquidem conditionibus, illæ pariter euanescunt. Suâpte naturâ leges esse perpetuas, ac semper loqui; proinde conditiones quæ apponerentur, negligi posse, & in desuetudinem abire; sed persistere perpetuò illius Concilij sanctionem, quasi affixam vniuersalis Ecclesiæ columnis, & oculis posteritatis expositam. Præterquam quòd Synodi non consueuerant proprias vni populo leges edere, sed Christianis omnibus communes. Quare satius esse rem in Pontifice reponere, qui per suos Nuntios certior redderetur de statu huius illiúsve regionis, ac de iis quibus singulæ indigerent, & pro temporum rerumque opportunitate concederet reuocarétve peculiaria priuilegia, perpetuis communibusque legibus nequaquam latis.

Archiepiscopus Pragensis quatuor hominum genera distinxit: 8

perfe-

perfectos Catholicos, manifestos hæreticos, & à neutris ipsorum Calicem postulari: Catholicos simulatos, qui per eam simulationem sibi gratiam Cæsaris aliorumque Principum conquirere arbitrabantur; & his esse negandum: Catholicos imbecilles, & malè fundatos in Fide, qui Calicem petebant, quòd errarent; & his pariter gratificandum non esse, quoniam à pietatis sensu petitio profecta non erat, cùm illorum plerique ad supplicium rapi sibi viderentur, quo tempore ab Ecclesia ad annuam peccatorum expiationem, sumptionemque Eucharistiæ cogebantur: sed ob Fidei penuriam ea petebant. Petitorum conditionem Synodo compertam non esse: mitterentur proinde decem ex ipsis, à Concilio ac Pontifice delecti, qui quod animarum saluti profuturum cernerent, reipsâ perficerent. 1562.

Atque huic postremæ parti consensit etiam Bolanus Episcopus Brixiensis; sed auctor erat, petendum à Pontifice, vt ipse delectum integrum missionemque Patrum haberet.

9 E regione oppositа fuit Archiepiscopi Lancianensis sententia. Indulgendum esse nationum illarum infirmitati, nec adhibendam cum ipsis eam curationis seueritudinem, quæ ad mortem illas pertraheret. Ita Moysen se gessisse in permittendo Iudæis repudio; ita scribere Magnum Gregorium ad Episcopum Moguntinum.

Ad id confirmandum Octauius Preconius, è sancti Francisci familia Archiepiscopus Panormitanus, dixit: Cuncta mala præsentia Religionis prouenisse ex duritia aduersus inflammata studia animorum impietate imbecillium, & in sensu repulsæ vehementium. Hoc pacto à Luthero, quòd sibi munus promulgandarum Indulgentiarum derogaretur, Ecclesiam fuisse peruersam: Saxoniæ Ducem, ob repulsam petitæ relaxationis indignatum, Lutheri patrocinium suscepisse: exemplum Regis Britannici magis patere, quàm commemorationis egere.

10 Meminerint lectores nostri illius, quod alibi monuimus, vitio nobis vertendum non esse, si quando in dictis congregatorum rationes minùs validas recitamus, fundamentisque minùs vel in historia vel in scientia firmis innixas. Veritas, quam præstare debet narrator, sita non est in conformatione verborum, quæ narrat cum eorum obiectis; sed in conformatione verborum cum rebus quæ narrantur: nec mihi libet vnum verum defendere per dissimulationem alterius veri, inter quæ repugnantia numquam est. Lapsi quidam sunt in Concilio (lapsum non obtego) in varios errores aut in re gesta, aut in doctrina, aut in argumentatione: vbi enim eorum

1562. rum singuli erroribus obnoxij non fuissent, opus non erat complures vnà conuocare, vt alij alius lucem afflaret, nec inter eos vnquam dissensio extitisset. Pergamus.

Mirum fuit, aliquos ex Germanis, qui omnes paulò antè illius postulati studiosi credebantur, posteà se illi aduersos declarasse. Inter hos fuit Leonardus Hallerus Philadelphiæ Antistes, & Suffraganeus Eistatensis Episcopi, dicens, Repulsam periculosam fore, sed indulgentiam pernicioſiorem futuram. Munus esse Concilij, consuetum & vniuersale retinere, nouum ac singulare recusare. In quo tam multas rationes congessit, perinde ac si hoc ipsum esset illarum regionum, vbi natus erat, suffragium. Quocirca [c] cùm æstimaretur Hallerus sinceræ conscientiæ, testis omni exceptione maior visus est aduersus suorum Germanorum postulata, altumque vestigium in animis collegarum impressit: cùm is præsertim ex ea natione vnicus non fuisset, qui eiusmodi sensa depromeret. Nam Ioannes Colosuarinus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Conadiensis, alter Procuratorum Hungarici Cleri, cùm se in familiaribus colloquiis aperiebat, ancipitem præ se ferebat animum de petitionis conuenientia. Hercules Rettinger Episcopus Lauantinus, statim ac ea de re agi cœptum, abiit è Concilio, Germaniamque repetiit: quod ab eo effectum credebatur, ne redigeretur in angustias, aut animos suorum ciuium aut suam animam offensurus.

[c] Vnus Legatorum ad Borromæum, vltimo Augusti 1562.

Procuratores complurium Germanicorum Antistitum, qui superuenerant, publicè sententiam non ferebant: quod Legatorum operâ factum est, qui de Massarello conquesti sunt [d], quòd illos admisisset in cœtum die vigesimo Iulij, ad eam ferendam: cumque is se purgaret litteris Pauli III. qui eam Procuratoribus Germanorum Præsulum concedebat, huiusce facultatis exercitium suspenderunt, ac celeriter quæsierunt, impetraruntque à Pontifice peculiarem huiusmodi facultatis abrogationem [e], commoniti à Treuigiano Veronensi Episcopo (qui post paucos dies obiit, cunctis ob egregias viri dotes affectis tristitiâ [f]) de illatis Basileensi Concilio detrimentis à Procuratorum frequentia. Sed hoc ipsum posteà iterùm agitatum est, sicuti fusè suo loco dicetur. Itaque hi Germanici Procuratores, à quauis publica expositione suarum sententiarum excluſi, & priuatim tantummodò colloquentes, adeoque liberiùs, indicabant, eam concessionem Germanorum saluti minimè profuturam à se putari. Hinc verò multi aliarum nationum Episcopi arguebant, non sine graui causa à Concilio in ea prouincia celebrato, & cui Cæsar Germaniique Principes tantum

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 16. Aug. & 3. Septembris 1562.

[e] Abrogationis Diploma signatum est 26. Augusti 1562.

[f] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 3. Septemb. 1562.

operæ

operæ impenderant, cuiusmodi erat Constantiense, id vetitum fuisse. 1562.

13 Alij tamen aliter arbitrabantur; & inter eos Naclantus Clodiensis Episcopus sex rerum monumenta perpendit: Id quod petebatur; atque id fas esse, & per aliquam ætatem ab Ecclesia concessum: Eum qui petebat; & hunc esse Cæsarem, maximum optimumque Principem: Illos, in quorum gratiam petebatur; & hos non esse hæreticos Ecclesiæ contemptores, sed Catholicos, Ecclesiasticæ Iurisdictionis veneratores; sperandum tamen esse, multos hæreticos per huiusmodi indulgentiam ad sanitatem redactum iri: Id à quo peteretur; & hoc esse Concilium Oecumenicum, conuocatum ac pendens à Pontifice tamquam ab Ecclesiæ capite: Formam quâ petebatur; & in ea contineri optimas conditiones, quibus deficientibus, quod sub conditione concedebatur, illicò defecturum erat: Demum tempus quo petebatur; & in eo dumtaxat in difficultatem offendi, perinde quasi debacchante tunc tam audacter hæresi aduersus Ecclesiam, hæc videri posset per eam concessionem perduellium contumaciæ cedere, ipsisque arrogantiam præbere ad magis impatibilia postulanda. Verumtamen sentire se ad eam gratificationem flecti à triplici causa: A norma charitatis, quæ nobis suadet, ne, quantum ad nos attinet, vllo in gradu deficiamus ab eo quod in aliorum salutem effici possit: Ab auctoritate Cæsaris, in quo propter summam rerum peritiam error credi non poterat, & ob summam pietatem fraus timeri nefas erat: Et ab exemplis Concilij Basileensis, & Pauli III. qui eidem indulserant postulato.

14 Huic postremo argumento itum est obuiàm à Beroaldo Episcopo S. Agathæ, dicente, Quin potiùs concessionem Pauli III. ex qua nullus extitit fructus, cùm vnici vox hæretici ad cuncta corrumpenda satis fuisset, posse documento esse, ne improsperi euentus exemplum sequerentur.

Opponebat quoque Stella: Quemadmodum homini infideli Baptismum petenti non statim conceditur, sed priùs eruditur in Fide, eiusque constantia probatur; ita de illorum obedientia, qui hactenus inobsequentes Ecclesiæ fuerant, experimentum per aliquod tempus esse capiendum, eorumque mentem corrigendam, antequam illis Christi Sanguis propinaretur.

Eadem opinatus Martinus Aiala, Segouiensis Antistes, admonuit, accedendum esse ad Sacramenta cum ingenti animi sinceritate, & nullâ conditione quæsitâ: neminem concubinatus reum ad sacram mensam admitti, nisi anteà concubinam dimiserit; ita pari-

1562. ter eos admittendos non esse ad mensam Domini, nisi priùs de ipsorum veraci conuersione liqueret.

Ex altera parte Fuscararius disseruit: Hîc aptari vetus adagium: *Malum, sed necessarium.* Id esse malum, persuaderi sibi tot sapientum hominum auctoritate; idem esse necessarium, Cæsaris & experientiæ testimonio. In deliberationibus confugiendum esse ad fontes illius virtutis, quam Theologi *Euthymiam* appellant (sic ille eam nominauit) cuius munus est quid opportunum sit diiudicare; eosque fontes esse tres, Rerum præteritarum memoriam, Præsentium intelligentiam, & Prouidentiam futurarum.

De præteritis adduci posse varia exempla, petita ab antiquitate, quæ tamdiu solùm voluerat leges permanere, quamdiu viderat fructûm ex illis decerpi. Constitutionem in Apostolorum Concilio habitam ad abstinendum ab esu suffocatorum, desiisse adhuc ipsis Apostolis viuentibus. Ex Origene, homiliâ vltimâ in Genesim, & ex Hieronymo, in dialogo Attici & Critobuli, colligi, primæuam Ecclesiam existimasse, omnium bonorum spoliationem esse præceptam, & tamen illius vsum defecisse, antequam Apostolorum vita deficeret. Idem animaduerti in impedimentis matrimonij, quæ sæpiùs in Ecclesia variarunt. Velle se de aliis rebus exempla præterire; sed ea solùm producere, quæ suppetebant ex historiis ad id quod agebatur. Post vetitum Constantiensis, existimasse Synodum Basileensem, Eugenium IV. &, nisi memoria laberetur, etiam Callistum, oportere eam legem Bohemis relaxari, & Calicis vsum concedi. Obiici: Quid profuit ea concessio? respondere se verbis Apostoli: *Multum per omnem modum:* ex Concilio Basileensi vsque ad Georgij regnum vixisse Bohemos in Ecclesiæ vnitate, innumeris proinde malis euitatis. De duobus conuenisse inter se eos ipsos veteres, qui concessionem improbabant; alterum erat, vt in vetito persisteretur, donec affulgeret spes aliunde ad Ecclesiam remigrandi. Constare ex commentariis Cardinalis Papiensis, huiusmodi fuisse iudicium Pij II. Pauli II. & Sixti IV. spem conciliationis futuræ etiam absque hac concessione, enutritam fuisse apud eos Pontifices ex paruo Calistinorum numero, & ex odio capitali quo illi à reliquis vexabantur: sed eam spem in præsentia extinctam agnosci. Alterum in quo concordarant, qui Calicem aliâ tempestate negandum censebant, esse, ne is absolutè negaretur, sed vt diceretur, Oecumenicum Concilium præstolandum: hoc pacto ex certissimis testibus se resciuisse, sermonem fuisse habitum Pontificis nomine in Comitiis Augustanis ac Ratisponensibus, & in iis ipsis, ex

quibus

quibus prodiit libellus *Interim* Caroli V. Eumdem sermonem fuisse adhibitum antiquioribus temporibus secundùm narrationem Scriptorum æqualium, quorum verba recitauit. Eam igitur concessionem haud repugnantem videri præualidis Conciliorum Pontificumque sententiis: oportere tamen haurire consilium ex altero fonte, nimirum ex rerum præsentium intelligentia. Hanc, quoniam à Patribus perfectè non habebatur, & sita erat in ipso facto, ex testibus vnicè trahendam esse. Qui negabant præsentem rerum statum eiusmodi esse cui congrueret concessio, dubitanter loqui: contrà verò à Cæsareis eius conuenientiam asseueranter affirmari: hos igitur ex Iurisperitorum norma luculentiores testes esse; nec admodum valere suspicionem illam, quòd Calicem cupientes sincerâ Fide non essent, sed simulatâ. Doceri nos exemplo Christi in porrigenda Iudæ Eucharistia, famam hominis sceleratissimi, nondum patefactis eius flagitiis, anteferendam esse dignitati Sacramenti, cuius candor inter nullas sordes contaminatur: maluisse Dominum corpus suum in ore sacrilego collocare, quàm inferre detrimentum existimationi occulti proditoris. Ex rerum præteritarum memoria, præsentiumque notitia oriri prouidentiam futurarum. Compertum esse, cùm in Synodo Basileensi ea indulgentia retardabatur, perstrepere vndique quiritantium voces. Id si contingebat, dum cuncti Bohemos detestabantur, quid tunc euenturum fuisse, cùm iidem tam multis fautoribus stipabantur? Vbi Georgius Rex à Pio II. repulsàm accepit, eos populos corruisse præcipites in Fidei desertionem, rationibus surdam, armis indomitam. Id si contigit eâ tempestate, quâ vniuersus illis orbis terrarum aduersabatur, quid euenturum fuisse, quandò præualidis confederatis muniebantur? Exclamari: Eâ concessione habitâ, hæreticos triumphaturos: quid autem? num præter hoc ex aliis capitibus ad maledicendum ipsis argumenta deesse? tristitiâ potiùs ipsos affectum iri, seiunctis à se, & coniunctis cum Ecclesia tam multis assectis, adeoque parui faciendum triumphum, quem hostes non solùm ante victoriam, sed post cladem acceptam canerent. 1562.

Timotheus Iustinianus Chius, Dominicanus, Calamonensis Antistes, in idem propendebat, testatus, cùm ipsius Ecclesia esset in Græcia, à compluribus etiam Calice Eucharistiam sumi, absque vlla sanguinis effusione, ab aliis solo pane, & ex iis ab aliis azymo, ab aliis fermentato, neque tamen vllam inde discordiam nasci: proinde firmos non esse duos illos obices, qui tamquam perualidi opponebantur.

16 Episcopus Leirensis Lusitanus considerandum proposuit, vni

1562. parti fauere auctoritatem Caietani Cardinalis, & Ruardi Tapperis, qui eam conceſſionem diſſuaſerant; alteri, auctoritatem Synodi Baſileenſis, & Pauli III. qui eam indulſerant; hanc verò præferendam eſſe, præſertim cùm ea promoueretur à multis Principibus religionis ſtudioſiſſimis, tamquam vnicum remedium illorum populorum ſaluti, ceteroqui deſperandæ: quare monitum Apoſtoli ſeruandum eſſe: *Excipite eum, qui eſt infirmus in fide.* Atque cum eo conſenſere Robureus, Salas, & Mocenigus, qui eiuſdem Apoſtoli exemplum adduxit, circumciſionem Timotheo permittentis.

17 Inter prolixiores, famâque digniores diſſertationes poſtulato aduerſantes ea fuit, quam habuit Io. Baptiſta Oſius Romanus, Epiſcopus Reatinus, æquè Canonum ac Hiſtoriarum peritus. Præmiſit, Synodi munus non eſſe leges relaxare, ſed eas conſtituere, aut abrogare; ac proinde ſuper poſtulata relaxatione ibi decernendum non eſſe, ſed conſilium tantummodò Pontifici præberi poſſe. In Synodo Baſileenſi legem haud fuiſſe relaxatam, ſed confirmatam legem Conſtantienſis: & quamquam nonnulla cum Bohemis pacta fuiſſent ſancita, non tamen licere præſenti Concilio per eas pactiones procedere, de quibus non agebatur; ſed ſolùm ſecundùm articulos à Cæſare propoſitos. Nec pariter locum dari ad deliberandum, an oporteret legem omninò delere; cùm enim ea in Seſſione antegreſſa commendata fuiſſet, non modicæ leuitati tributum iri Synodo, ſi deleretur in præſenti: ſolùm igitur ſpectato conſilio quod Pontifici dandum eſſet, certam eſſe regulam, hominum conſtitutiones relaxationis eſſe capaces, ſed habendam eſſe rationem, cuius meminit [g] Gelaſius: Vt perſiſtat integritas, & ne quam decolorationem aut detrimentum patiantur reliquæ partes, ad quas relaxatio non extenditur. Indifferentem iam vſque ab Eccleſiæ primordiis fuiſſe morem Euchariſtiæ accipiendæ, ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie, quemadmodum ex multis Patribus colligebatur; ſed hæreſim Neſtorij fuiſſe in cauſa, vt ab Epheſino Concilio ſumptio ſub vtraque ſpecie prohiberetur, quo extingueretur in animis falſa illa perſuaſio, ſicuti ab ipſo Legato Oſio notatum fuerat in ſuo Dialogo *de Communione ſub vtraque ſpecie:* hanc fuiſſe generatim conſuetudinem Eccleſiæ in iis prohibendis, aut imperandis iis, quæ in ſe ſpectata vtrumque vſum indiſcriminatim admitterent. Huiuſce rei duo ſimilia exempla adduci ab Oſio iam laudato in altero ipſius Opere [h]. Alterum, cùm idem Neſtorius docuerat, Mariam non Dei, ſed Ieſu matrem eſſe, illicò fuiſſe præſcriptum à Concilio, vt ea Dei Mater appellaretur: alterum, in quadam è Synodis Tole-

g C. Et ſi illo prima, quæſt. 7.

h De expreſſo Dei verbo.

Toletanis, quam refert Gratianus, quò iretur obuiàm errori Donatistarum, Baptismum iterantium, interdictum fuisse Catholicis, Magni Gregorij auctoritate, ne quis ter immergeretur, quod priùs in eo Sacramento licebat, quò species omnis amoueretur multiplicati Baptismi. Ebionitas credidisse, necessariam esse Christianis veterum legalium rituum obseruationem; & statim ad tollendam illius speciem in vsu azymorum, statutum fuisse vt in fermentato sacrificaretur, pro eo ac etiam nunc à Græcis vsurpatur. Ab Apostolis quoque, ne cum Iudæis conuenirent, mutatum fuisse diem festum Sabbati in Dominicum, decretumque, ne ante æquinoctium Pascha celebraretur. Rem non absimilem, vt alij insinuauerant, referri communiter de sancto Leone, quæ ex quarto illius sermone de Quadragesima desumebatur: ea erat, quò Manichæorum errorem, verum corpus Christo negantium, extingueret, iussos ab illo etiam laicos in Eucharistiæ sumptione sanguinem quoque suscipere. Atque eiusdem fortasse rei gratiâ renouatam eamdem iussionem fuisse, iniunctâ sacrilegij pœnâ, à Gelasio[i] Pontifice, qui Leoni propinquus fuit; tametsi Canon ille in alias quoque sententias trahi posset. Eâ hæresi abolitâ, rediisse libertatem tradendæ non celebrantibus Eucharistiæ vtroque modo, donec excitato recenti Bohemorum errore, sumptionem Calicis esse definitè iuris Euangelici, à Constantiensi Concilio ea fuerat interdicta. Cùm igitur tunc vt maximè ratio legis permaneret, par esse, vt lex pariter perduraret, atque vt eadem illæsa persisteret, & per contrariam relaxationem minimè vulnerata, cùm Iurisperitorum effatum sit[k], *Ne lex relaxetur, nisi secundùm actum, & secundùm exemplum locum habeat ratio legis.* Iam verò in regionibus, quarum gratiâ eiusmodi relaxatio petebatur, non modò hanc legis rationem perdurare, sed excreuisse. Etenim post hæresim Petri Dresdensis, dum Germania puram Fidem retinuerat, numquam per centum annos ab ea vsum Calicis postulatum, Bohemos execrata. Tunc verò exorso Luthero, qui eam etiam inter alias hæreses tradiderat, corruptisque eius veneno illis prouinciis, cœptum ab illis esse id importunè efflagitari, adeoque dubitari posse voluntatis mutationem à fidei mutatione profectam. Exemplum Synodi Basileensis in oppositum retorqueri: nam tametsi dum adhuc erat legitima, & cum Eugenio coniuncta, pactiones firmaret; eas tamen à Bohemis numquam fuisse seruatas; & Ioannem Rochezanam, præcipuum ipsorum Sacerdotem, oppositum pro concione vulgasse, & vulgandum curasse, atque à Sigismundo Cæsare sex articulos, Ecclesiæ vnitati contrarios extraxisse: cumque

1562.

i Cap. *Comperimus*, de Consecratione, dist. 2.

k Iurisperiti in cap. *Neophytus*, 6. dist.

1562. cumque id in Pontificatu Nicolai V. continuaretur, missum ab eo illuc fuisse ad illos populos ad frugem reuocandos beatum Ioannem de Capistrano, ac posteà Nicolaum Cardinalem Cusanum, dein verò à Callisto III. ad idem peragendum admotum Cæsarinum Cardinalem, sed semper incassum, sicuti habebatur apud Ioannem Cocleum in Hussitarum historia: nec fructum meliorem decerptum esse ab indulgentia Pauli III. cuius Nuntios nemo vmquam adierat ad vsum Calicis impetrandum: quin hæretici eas Pontificis facultates per typos impressérant, adiectis ipsorum commentariis, scribentes, Quemadmodum *Papistæ* in hoc suum errorem agnouerant, ita de reliquis peracturos. Tum in medium protulit præcipuam alteram causam, quâ permota fuerat Ecclesia, videlicet, periculum ineuitabile effusionis, expensum à Caietano, & Alfonso de Castro in verbo *Eucharistia*. Neque capiendum esse propositum à quibusdam remedium, præbendi Panem consecratum intinctum vino, quemadmodum apud Græcos mos est. Fuisse id interdictum à Iulio Pontifice [1], cùm Christus vtramque speciem separatim Apostolis præbuisset. Alterum incommodum accedere, probè obseruatum à Gabriele, in lectione octogesima quarta sui Operis de *Canone Missæ*, vbi huius ritus conuenientiâ copiosè demonstratâ, audet affirmare, seditionem inter Christianos disseminatum iri ab eo, qui huiusmodi priuilegium aliquibus impertiret, propterea quòd sibi quisque arrogaret par meritum illius obtinendi; atque id experimento iam innotescere Synodo, cùm in comperto esset, quò tenderent in ea re Gallorum postulata. Veritatem adductarum rationum probè intelligi ab ipsis Germaniæ Præsulibus; ab vno illorum Patribus audientibus eas intrepidè in cœtu expositas fuisse: sciri, adesse illic Procuratorem præcipui cuiusdam Archiepiscopi ex illa natione (Salisburgensem significabat) cum disertis mandatis contradicendi; sed submurmurari, eum silere coactum. Multa dein exempla congessit cautionis ab Ecclesia adhibitæ, antequam hæreticos, qui resipuerant, ad Eucharistiæ sumptionem admitteret, & firmitatis in retinendis suis ritibus, vbi iam fuerant inducti. Concluſit, adesse causam suspicandi id quod idem Osius Cardinalis obseruabat in sua Opella *De celebranda Missa vulgari idiomate:* nimirum, ad duos improbos fines petitionem ab illis dirigi: alter erat, vt ostentarent Romanam Ecclesiam cum ipsis communicare; alter, aut Patres à reliquis Catholicis seiungere, aut certè seditionis escam spargere.

[1] Cap. *Cum omne*, de Consecratione, dist. 2.

Hæc oratio adeò commouit Ioannem Muuantonium Augusti- 18
nianum

nianum Episcopum Segorbiensem, & iam Hispani Principis magistrum [m], vt pro eo ac ipse publicè significauit, cùm anteà sententiam aliam destinasset, scriptam in pagina quam è sinu eductam tenebat, audito Reatino sententiam mutauerit. 1562.

[m] Apparet ex epist. Iadrensis, vltimo Augusti 1562.

Vltrà progressus est Richardus Vercellensis Canonicus Regularis, Abbas Præuallensis: pronuntiauit, eam Calicis petitionem hæresim sapere. Sed eius dictum extemplò grauiter est castigatum à Mantuano, hominem commonente, à Pontifice & Concilio postulata quæ saperent hæresim, in consultationem minimè adduci. Ille verò inconsiderantiâ animaduersâ, dum propinquus sibi Abbas verba faceret, è subsellio egressus, & ante Legatos prouolutus in genua, veniam poposcit, ac posteà id quod dixerat, absque mora publicè retractauit. Prolixum deinde scriptum vulgauit, prout fieri solet, cùm sententiæ defensio simul etiam auctoris defensionem complectitur: in eo conatus est rationes pro repulsa confirmare, simulque superiora sua dicta explicare, omni culpâ à Cæsare remotâ, eâdemque reiectâ in eorum importunitatem, qui Cæsarem impellebant vt in eo deprecatorem ageret. Declarauit quoque, sententiam suam Patrum sententiæ à se subiici.

19 De hoc homine digressionem habet Suauis, reliquis, quibus vtitur, parem, cùm omnes nauiter ac verè secundùm artem digestæ sint; omnes enim ad suæ fabulæ propositum conducunt. Narrat, Richardum decimosexto Augusti percontatum fuisse Gallicos Oratores, an illius regni Episcopi aduentarent, eosque sollicitasse ad operam ad id nauandam: & hucusque verum narrat, cùm [n] Lansacus ipse Iacobo Lomellino Episcopo Mazzarienſi retulisset, Abbatem summo manè huiusce rei gratiâ suas fores pulsasse. Sed minimè verum narrat de obiectis illis artibus, quas Romanæ Aulæ apponit, dum idem affirmat, tum ob idipsum, tum ob suspiciones, quæ posteà exponentur, actum fuisse cum summo Richardi Præside, vt ipsum ante Gallorum aduentum Tridento remoueret; sed vigesimo quinto Nouembris morte præuentum fuisse. Verùm contra huiusmodi cuniculos licuerat Suaui legere in eodem litterarum Vicecomitis volumine, vbi primam partem legit, quo pacto Simonetta [o] cunctatus non est apertis modis Abbatem percontari, cuius rei gratiâ eo ille munere functus esset, quod nihil ad ipsum attineret; & quo pacto ille respondérat, merâ se curiositate ad id impulsum, & quò supremum moderatorem suum de eo certiorem redderet; neque quidquam præterea in re illa peractum. Sed videamus porrò quidquid Suauis de eo scribit, seu potiùs somniat, & posteà si non

[n] Litteræ arcanis notis Vicecomitis ad Borromæum, 17. Augusti 1562.

[o] Arcanæ notæ Vicecomitis ad Borromæum, 20. Augusti 1562.

1562. non ipsum, eos quidem certè qui ipsi credunt, luce veritatis excitemus.

Addit, eumdem Richardum in refellenda Calicis concessione valdè innixum fuisse Synodo Basileensi, quæ huiusmodi prohibitionem comprobarat: & obiurgatum fuisse ab Imolensi, cùm vellet is eo pacto corrigere simile testimonium Synodi Basileensis, à se priùs adductum, vt proinde vehemens inter eos contentio exorta fuerit. Ita scribere, perinde planè est, ac, sicuti dicebam, somniare, hoc est, simulacra falsa & absurda componere ex rebus veris atque conspectis. Richardus differens de Calicis argumento, quantum comperio perlectis eius dictis, quæ in Acta referuntur, numquam suam sententiam fundauit in Synodo Basileensi, quæ, quod spectat ad dogma & interdictum vniuersale, Constantiensem dumtaxat confirmat: cumque illa Synodus legem Bohemis relaxasset, potiùs adducebatur in medium ab iis qui ad indulgendum petitioni propendebant; quod ab iis extra reprehensionem fiebat, tum ob auctoritatem Patrum, qui earum concessionum tempore illic interuenere, tum quia post primam concessionem [p], habitam anno 1433. Eugenius cum Concilio se coniunxit, comprobauitque quæ ibi confecta fuerant ad eam vsque diem de tribus capitibus, quorum vnum erat, vt Bohemorum reconciliatio curaretur. Quin cùm denique Ferrariam illud transtulit, facultatem ipsi super eo argumento decernendi per aliquot dies Basileæ reliquit. Sic igitur Richardi negotium se habuit. Aliquoties Hieronymus Guerrinus Tifernas [q] Imolensis Antistes eos culparat, qui in rebus ad dogmata spectantibus testimonium Synodi Basileensis adduxerant, tametsi illi reuerà id agerent haud comprobantes siue eiusdem Synodi contumaciam in Pontificem, siue ipsius auctoritatem, sed tamquam cœtum doctorum hominum afferentes. Postmodum idem in Conuentibus habitis de Sacrificio non modò eam Synodum adduxit, verùm etiam magnoperè euexit; & hoc ipsum egit Richardus, sed in aliis pariter argumentis, quæ ad Calicem minimè spectabant, nihil propterea reprehensus ab Imolensi: progressusque eò est, vt diceret, de prærogatiua inter Concilium & Romanum Pontificem se suam mentem aperturum, vbi ea de re ageretur. Visus est eosdem sensus in præferendis Pontifici Conciliis indicare Io. Baptista Migliauacca Astensis Seruorum B. Virginis Præses supremus; neque tamen hinc effectum est, vt in ipsos vlla fieret animaduersio, quamquam Guerrinus præcipuè, in Pontificia ditione ortus, in eadem duas Episcopus ciuitates regeret: adeò religiosè Pontifex integram

p Vide inter alios Augustinum Patritium Canonicum Senensem in Hist. manuscripta Concilij Basileensis, quæ est in Biblioth. Vatic. & Concilium Florentinum, recenter vulgatum ab Horatio Iustiniano, postea Cardinali.

q Notæ arcanæ Vicecomitis ad Borromæum, vltimo Augusti 1562.

tegram Synodo libertatem seruabat. Ac nimis certè obuium cuiuis cogitanti est, vbi voluisset Pontifex, vt à summo Richardi Præside is è Concilio remoueretur ante Gallorum accessum, qui mense Octobri illic peruenturi erant, haud certè permissurum, vt vsque ad extremum Nouembris ibi Richardus moraretur, hoc est ad extremum illius vitæ, sicuti Suauis ipse commemorat. 1562.

21 Sed vt ad rerum seriem reuertamur: Lainius, qui postremus sententiam dixit[r], hæc sensa deprompsit: Hunc à se fructum egregium percipi ex eo quòd omnium postremus loqueretur, quòd non modicam priùs lucem ex omnium animaduersionibus hauriret: obseruatum à se fuisse, id accidere Patribus quod medicis, qui omnes in eo conueniunt, vt ægroto sanitatem restituant, sed dissident in præscribendis ad eam consequendam medicinis. Duas agitari posse quæstiones: alteram, Delendum ne esset Constantiense Decretum; alteram, An oporteret Calicem concedere quibusdam certis nationibus. Vbi prior agitaretur, id à Concilio efficiendum esse perinde ac ab altero Concilio lex fuerat sancita: vbi verò posterior, vsum Calicis esse concedendum à Romano Pontifice, cuius munus est expendere conditiones proprias locorum, temporum, atque hominum; quod Reatinus pariter notarat. Præmisit denique, vtrumque ritum suapte naturâ, sublatoque Ecclesiæ interdicto, licitum esse, quoniam variis tempestatibus vterque vsus fuerat exercitus.

[r] Partim in Actis in Arce Ælia, partim in Actis Paleotti, partim in litteris Iadrensis Archiepiscopi, 7. Septemb. 1562.

Hisce fundamentis iactis, quod ad priorem quæstionem attinebat, censuit, Decretum Constantiense delendum non esse; quippe quod satis causæ non erat, vt ipsum hæretici transgrederentur: numquam enim Ecclesiam censuisse ea de causa suas leges abrogare; aliter, leges quoque de ieiunio, de die ad celebrandum Pascha constitutæ, essent abrogandæ.

Ad alteram dubitationem progressus, negauit, causas ad relaxandam legem sibi sufficientes videri: vnicam, quæ afferebatur, esse eorum Catholicorum id postulantium imbecillitatem; sed considerauit, si ea ratio admitteretur, relaxationem communem omnibus futuram, quoniam vnusquisque se imbecillem esse causaretur: Moysis exemplum, quod producebatur, qui repudium Hebræis permisit ob duritiam cordis, vim non habere; aliud esse legem mitem ab initio condere, ratione habitâ communis populo debilitatis; aliud, eam postmodum eneruare in corruptorum hominum gratiam: per alterum præpediri, per alterum enutriri subditorum malitiam: Sacramentum Altaris præbendum non esse

1562. peccatoribus, quales hi sese ostendunt, vt qui cum hæreticis conueniunt in huiusmodi ritu, & Ecclesiæ non obsequuntur; sed tantummodò sanctis præbendum. Et idcircò priscis temporibus Diaconos in Eucharistia porrigenda fuisse solitos dicere: *Sancta sanctis.* Laxamentum legis in hoc ad suscitandam confidentiam valere, quâ nequiùs alia flagitentur, vnde cunctæ leges Ecclesiæ auferantur. Huius voti auctores fuisse hæresiarchas, quorum petulantiæ ac superbiæ non indulgentia sed repugnantia medebatur. Eos populos, qui tam vehementer hoc postulabant, nihil credere de Concilij aut Pontificis auctoritate, vtramque reipsâ inficiatos, sed solùm impunitatem sui delicti quærere, cùm vetarentur à Principe Calicem in sacra mensa vsurpare, quem optabant impunè adhibere. Ordinem suum debere plurimum Cæsari, complurium Collegiorum fundatori, plurimum Bauariæ Duci; sed quò illis magis erat obnoxius, eò fortiùs se compelli ad eisdem respondendum consilij fidelitate. Affirmauit, non admodum se moueri laudatorum Principum opinione, qui nec obtinebant, nec, quippe religiosissimi, sibi arrogabant rationem vllam in sacris negotiis: rei notitiam captandam esse per Episcopos, quorum munus est ex diuino præscripto res sacras curare. Ne nimiùm formidarent Patres aut hæreticorum alluuionem, aut aliorum malorum, quæ ipsis infausto metu prænuntiabantur: casus hosce diuino imperio cunctos adnecti: fiduciam in Dei Filio, cuius agebatur causa, collocarent: Ecclesiam illius fundatam sanguine, numero quidem posse diminui, sed perire non posse. Eâ concessione vellicatum iri appetentiam aliis nationibus ad idem postulandum; adeoque tametsi admitteretur, oportere consilium votumque Principum laicorum sequi, audiendam tamen esse aliorum Regum Principumque Catholicorum sententiam. Exemplo Synodi Basileensis respondit; Primum errorem imputari deceptori, secundum deceptori simul ac decepto, tertium, soli decepto; indicans fortasse, illum fuisse primum errorem, adeoque excusabilem: secundum, id quod Paulo Tertio sedente contigerat, & illud pariter excusationem aliquam merebatur: at verò post exemplorum huiusmodi documenta Tridentinum errorem inexcusabilem fore.

Hi fuerunt sermones memoriâ digniores. Etenim Sbardellatus 22
Episcopus Titinienſis, vnus ex Procuratoribus Cleri Hungarici, longissimam quidem orationem habuit, sed quæ pondus moli par non habuit, & quâ suæ potiùs voluntatis ardorem, quàm causæ bonitatem persuasit. Silentio prætereundum non est, Drascouizium,

Quinque

Quinque Ecclesiarum Antistitem, ne quid intentatum ad rem promouendam relinqueret, præter petitionem adhortationemque à se tamquam ab Oratore habitam, voluisse posteà sententiam suo loco dicere tamquam Præsulem[f]. Visum ipsi fuerat, multos nimis animosè obstitisse, & nonnemínem à re ad homines fuisse transgressum: etenim inter alios Ægidius Falcetta Cingulanus[t], Episcopus Caurlensis, qui paulò pòst ad Ruitonontiensem Ecclesiam translatus est[u], incredibiliter infensus concessioni, conquestus fuerat, permissos adesse sententiarum dictioni Oratores illorum Principum, quorum ea causa intererat, & aliquos, minitantis potiùs quàm suadentis modo, infelices Concilio progressus ex ea repulsa vaticinatos fuisse. Quibus dictis Falcetta quibusdam visus est primum Legatum petere, qui hoc in re proponenda exposuerat; sed reuerà ictus cadebat in Drascouizium, cuius fuerat hoc vaticinium. Et Mantuanus illud non tamquam verum affirmarat, sed tamquam dictum recitarat. Itaque Drascouizius conatus priùs concinnis modis obiecta cuncta dissoluere, aliquid questus est de Reatino, affirmauitque, illum doctè quidem disseruisse, eiusque dicta efficacia futura fuisse ad ipsum Drascouizium permouendum, nisi notitia de rebus Germaniæ falsitatem illius speculatricis ratiocinationis ostendisset. Dein quasi Falcettam indicans ratione quadam inter iracundam ac pacatam, quæ arrogantiæ odio submoto, & conciliata grauitatis æstimatione, non minuit sed auget efficaciam, adiecit; Quædam iactata fuisse, quæ ipsum penè ad duellum prouocare poterant; sed velle se patienter ea tolerare. Tum, quemadmodum præcelsis animis mos est asseuerantiùs sustinendi sua dicta, quibus acriùs repugnari sentiunt (siue id sui decoris gratiâ, siue ad repugnantium offensam præstent) non modò non reuocauit, sed iterauit, vbi postulatis haud indulgeretur, satius futurum fuisse, si numquam Synodus coiuisset. 1562.

23 In huiusmodi quæstione ferè omnes adeò diffusè verba fecere, vt cùm res vigesimo octauo Augusti proposita fuisset, dicendis sententiis ante vesperam sexti Septembris non fuerit impositus finis[x]. Solidior difficultas & communiùs æstimata videbatur esse, damnum ac periculum cuiusuis mutationis in re graui, conspicua & vniuersali; experimentum, quòd minimè custodirentur conditiones, quas Concilium Basileense, & Paulus III. concessioni apposuerant, vnde neque conducibiles euaserant; incommodum inducendi in ritus Ecclesiæ varietatem, semper vnitati pernicioſam; quòd persisterent nihil mutatæ, & communes Germaniæ eædem rationes, quæ

[f] 2. Septembris, vt in vna ex tribus litteris Vicecomitis ad Borromæum.
[t] Acta Paleotti, & notæ arcanæ Vicecomitis ad Borromæum, & epist Iadrensis, vltimo Aug. 1562. & 30. Ianuar. 1563. vt in Actis Consistorialibus.
[x] Legatorum litteræ ad Borromæum, 7 Septembris 1562.

1562. Synodum Constantiensem permouerant, præsertim verò periculum effundendi sanguinis, difficultas illius conseruandi, incommoda eius deferendi ad ægrotos in agris, vini penuria multis in prouinciis; vt proinde, si lex pro illis regionibus reuocaretur, visa fuisset certa consecutio, seu tunc seu nunc contra prudentiam actum; quòd appareret species rei incredibilis, ardentissima huiusmodi postulata ab æstu pietatis enasci, & non potiùs ab opinionis errore; dubitatio, ne indulta illis petitio nationes alias ad illud ipsum inflammaret, crearetque nouas difficultates; notitia, quòd iidem populi ad alia absurda laxamenta adspirarent, & præcipuè ad Sacerdotum coniugia; adeoque huius rei impetratio minimè quietos illos redderet, sed potiùs audaciores & importuniores. Hæ rationes ex vna parte, ex altera spes fructus, & iacturæ formido, viuidissimis coloribus ante omnium oculos expressæ, sicuti diximus, ab Episcopo Quinque Ecclesiarum, simulque auctoritate Cæsaris, Gallorum, ac Bauari corroboratæ, inter se ita conflixere, vt in nulla alia re proposita sententiæ tam variæ ac tam perplexæ vmquam prodierint; vsque adeò [y], vt qui à secretis erat, nequiuerit per primum tabellarium certam earum notam Romam mittere. Etenim aliqui ambiguè locuti, & interrogati, cuinam consilio definitè adhærerent, recusarunt clariorem sententiam ferre, quasi maluissent differre quàm iudicare. Neque iudiciorum varietas variis nationum affectionibus verti poterat, quandoquidem patuit, cùm in Synodo tunc adessent duo soli ex Gallia, Eustachius Bellaius, & Petrus Danesius Antistites, alter Parisiensis, alter Vaurensis, eos inter se discordasse, illum concessioni repugnantem, hunc assentientem.

[y] Prædictæ Legatorum litteræ, 7. Septemb.

Post diuturnam diligentiam, & accuratum examen, Patres qui illis cœtibus numero centum sexaginta sex interfuere, in octo partes diuisi sunt [z]. Quatuordecim auctores erant, retardandum esse Decretum: triginta octo repulsam probabant: vigintinouem concessionem; viginti quatuor rem esse in Pontifice reponendam censebant: triginta & vnus primum articulum admisere, secundum reiecere, hoc est, in concessionem propenderunt, non tamen Episcopis committendam, sed vt eius executio Pontifici relinqueretur. Vnus perstitit medius: decem in partem negantem inclinarunt, sed rem Pontifici committentes: nouemdecim concessionem ad Bohemiam & Hungariam coarctarunt; adeoque vix in eo argumento tot sententiæ potuissent anteà concipi tamquam possibiles, quot reipsâ pullularunt. Quod vsuenit in iis quæstionibus, tam practicis quàm theoricis, in quibus duræ vtrimque difficultates obuersantur,

[z] Acta authentica Arcis Æliæ.

uersantur, cùm pro se quisque tunc aspiret vtilitati & gloriæ in aperiendo calle medio ac plano inter ardua & confragosa; quamquam sæpiùs nouus ille callis, dum cuncta deuitare creditur, offendit in cuncta; hinc verò vnusquisque viam ab alio malè patefactam auersatus, eiusdem simul audaciam imitatur, simul ipsi per euentum improsperum assimilatur. 1562.

CAPVT V.

Noua Cæsarianorum studia ad impetrandum Calicem, & noua trutina de doctrina, ac præsertim de Sacerdotio, Apostolis à Christo in Cœna collato; & varia Suauis errata.

1 CÆsariani ab iis quæ acciderant, stupore simul & lumine sunt affecti: stupore quidem, quoniam multæ rerum conditiones tam validam fiduciam ipsis intulerant, vt vix certa firmitas dici non posset: complurium Principum postulatio, Pontifex propitius, Legati fautores, ipsum argumentum arbitrarium, ac nulli noxium; officia ac studia summa: & tamen exitus is fuit, qui fuisset expectandus, vbi cunctæ quas retulimus conditiones ex opposito præcessissent. Lumine affecti, quia compertum illis fuit, quanto ampliùs sperandum ipsis erat ab auctoritate ad vnum restricta, quàm in plures diuisa; cùm longè facilius homini contingat persuadere menti, & permouere voluntatem vnius capitis, quàm multorum; præterquam quòd sæpè idem ille, in quem vnicum coit potentia, quanto propterea illis plurimis maior est, in quos ob aliam regiminis rationem ea dispertitur, tantumdem ob ipsam magnitudinem aliis Principibus indiget, plusquam indigeant complures tenuiores. Vnde fit, vt Respublicæ & multò difficiliores sint Monarchis ad concessiones, & multò proniores ad repulsas. Quare licuit Principibus certum ab eo exemplo documentum capere, multos Episcopos illorum vota promoturos fuisse, si per ea Episcoporum potestas eueheretur Aulæ Romanæ demissione; sed in reliquum vniuersam Synodum longè arctiorem Pontifice Romano in concessionibus futuram; adeoque fauor ille quantulus-cumque, qui postulato in dicendis sententiis obsecundarat, ipsum aut comprobando, aut non improbando, sed in Pontificem reiiciendo, profectus fuerat ab opera ex Pontificis voluntate ab eius ministris impensa, postquam negotium præceps ruere visum est, nisi manus protenderetur [a].

2 Hoc itaque experimentum effecit, vt Cæsariani se aliò verterent.

[a] Constat ex arcanis litteris Vicecomitis ad Borromæum, 3. Septembris 1562.

1562. Repudiarant initio consilium ipsis propositum à Legatis, vt nimirum Synodus rem Pontifici decernendam remitteret; quasi honorificentius sibi, subditisque acceptius arbitrati, si quemadmodum vsus Calicis ab vna Synodo sublatus fuerat, ita restitueretur ab altera, fortunatumque sibi exitum indubitanter polliciti. Sed ex huius rei fallacia se deceptos agnouere, coactique sunt ad reiectum consilium confugere, sicuti mox narrabitur. Aliquid ipsis detrimenti proueniisse credibile est à studiis Vargæ [b], qui non modò Pontificem dehortatus erat ne illud concederet, dicens, petitores posteà promissis neutiquam perstituros; sed etiam ad Pagnanum, Piscarij administrum Tridenti scripserat, id vtique Regi detrimento futurum, propterea quòd hoc ipsum in Hispanis sub specie pietatis appetentiam huiusmodi nouitatum excitaret; has verò subditorum appetentias, siue ipsis fiat siue non fiat satis, semper cum perturbationis periculo in regnis copulari. Proinde per litteras admonitum à se Regem fuisse, & interim se à Pagnano petere, vt suæ nationis Præsules coërceret. Verùm vti Vargas apud illos nec plurimâ auctoritate, nec plurimâ gratiâ pollebat, perinde haud comperio plurimum ab eo confectum, cùm id temporis nihilo feruentiores in oppositum Hispani visi sint, quàm alij ex aliis Prouinciis.

[b] Arcanæ litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 30 Iulij 1562.

Muuantones, sicuti dictum est, propitium suffragium parauerat; etsi audito Reatino illud improuisò mutasset: reliqui magna ex parte ambiguè locuti sunt. De Guerrero ac de Aiala legitur [c], suam illos opem Drascouizio fuisse pollicitos: sed Episcopus Nioquensis dixit [d], Guerreri promissionem tetendisse ad coniungendos secum Cæsarianos in petenda declaratione de mansione; prædixitque, illum reipsa promisso non responsurum: nec prædictio in irritum cecidit. Etenim Guerrerus [e] hinc nonnullos ad concessionem hortatus est, hinc in ferenda sententia incertum se ac diuturnioris indigum temporis ostendit; & per eam quasi mixtam agendi rationem, quæ sincera visa non est, nec suorum vituperationem, nec Germanorum querelas effugit: at verò is qui alteri oppositarum partium palàm adhæret, illius beneuolentiam consequitur tamquam ipsi propitius, & æstimationem vtriusque partis tamquam intrepidus ac sincerus.

[c] Arcanæ litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 17. Augusti 1562.
[d] Eiusdem ad eumdem arcanæ litteræ, vltimo Augusti 1562.
[e] Aliæ eiusdem ad eumdem, eodem die.

Antequam ad aliud argumentum progrediar, aliqua Suauis errata notabo. Primum quidem leue, sed indignum veniâ ob temeritatem, quâ tam frequenter in illud prolabitur: erratum inquam in diebus signandis, quandoquidem ipsi nec erat necesse ad hæc minutiora descendere, nec aderat notitia ad ea veraciter proferenda; 4

&

& tamen audet eadem tam sæpè casu notare, quo suadeat archi- 1562.
uum illarum omnium rerum gestarum in suo capite contineri. Affirmat itaque, conuentus super eo negotio fuisse quinto Septembris absolutos: verùm & Diarium, & litteræ Legatorum, & alia plurima monumenta passim vulgata palàm faciunt, vsque ad vesperam sexti diei perduraſſe. Alterum & grauius erratum est, quòd adscribat Episcopo Camptembergensi in Stiria (cùm Synodo ne adesset quidem huiusmodi Antistes) id quod dixit Episcopus Caurlensis, & ante illum Episcopus Philadelphiæ [f], Procurator Episcopi Eistatensis, aduersus interuentum Oratorum Cæsaris, ne adessent, dum ea de re deliberaretur. Tertium est, vbi narrat, Hispanos etiam Præsules petiisse à Legatis, vt in ea causa remouerent à cœtu Episcopos, qui simul Oratores Cæsaris aderant; cuius rei ne vestigium quidem extat in Actis, litterísve pleniſſimis tum Legatorum tum Vicecomitis ad Borromæum: quamquam, ne verum dissimulem, nonnemo ex falso rumore, sicuti & credibile & frequens est, id suis priuatis litteris scriberet; adeoque excusatio in eo Suaui debetur. Quartum est, dum Cauensem Antistitem inducit ea dicentem, quæ reuerà non ille, sed Caurlensis dixit, conquestus de sinistro vaticinio, & quasi minis iniectis Synodo à Drascouizio, vbi repulsa acciperetur. Liceret adiicere maligna Suauis commenta, quibus deformaret quantum posset quamcumque rem gestam à Salmerone ac Lainio, collaudatis luculenter in iis cœtibus inter alios à viro docto, qui animum non certè illorum studioſiſſimum in reliquis præ se fert, quippe in præcipuis controuersiis ab eis discrepans, nimirum ab Archiepiscopo Iadrensi. Sed hac in re adeò patet affectatio, & interdum contradictio Suauiani Operis, vt illa satis sit apud quemlibet non hebetem lectorem ad reddendum efficax contra seipsam responsum. Partes igitur narratoris resumamus.

[f] Epist. Iadrensis, vltimo Augusti 1562.

5 Intentus animorum conatus, quo in cœtu generali consulebatur de Calicis concessione, nulli erat impedimento, quò minùs alia argumenta in peculiaribus cœtibus agitarentur; & in eam formam redacta videbantur, vt illa cunctis satisfactura spes fuerit. De Christi oblatione selecti Patres ea digesserant, quæ communiùs probabantur, omissis litigiosis, dicentes, sicuti nunc habetur, Redemptorem in Cœna se obtulisse in sacrificium Patri sub specie panis & vini; sed quo genere sacrificij, haud exprimebant. Itaque Decreta doctrinæ, & Canones illis respondentes ad conuentum maximum delata sunt septimo Septembris [g]: cumque initio is absque discordia progrederetur, impegit posteà in durum obicem in Granatensi,

[g] Acta Paleotti, & epist. Legatorum ad Borromæum, eo die.

1562. natenſi, tametſi vnus ex illorum formatoribus hic fuiſſet, ſed opinione ſuis collegis contrarius, ideoque deinde ipſi operi magis aduerſus[h]: quamquam fuit qui crederet, illum ſe magis contrarium, quàm in animo erat, ſimulaſſe, quò Seſſionem ita retardaret, & Galli expectati ſuperuenirent, quibuſcum ſperabat coniunctè procedere in moribus reformandis. Improbauit ille oratione longiſſimâ tertium Canonem, qui nunc ſecundus eſt, vbi definitur, collatum fuiſſe Apoſtolis à Chriſto Sacerdotium in Cœna verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Afferebat in medium[i] pro ſententia oppoſita Nicolaum Cabaſillam libro primo de Miſſæ ſacrificio, qui opinatus eſt huiuſmodi poteſtatem fuiſſe traditam die Pentecoſtes, & cum eo S. Germanum, Iſichium Preſbyterum in libro primo Commentariorum ſuper Leuitico, Armacanum, arbitratum, quo tempore fuerant conſtituti Apoſtoli, fuiſſe eodem Sacerdotium illis collatum, S. Thomam, & Scotum, qui putat, executionem illis fuiſſe conceſſam in capite vigeſimo S. Ioannis, ita vt poteſtatem illius conficiendi obtinuerint in Cœna, ſed conficiendi poſtquam Spiritum Sanctum accepiſſent: ac tot rationes in aciem deduxit, vt non parum dubitationis iniecerit, ne contendendum eſſet, diuque protrahendam doctrinæ comprobationem, adeoque neceſſe foret Seſſionem differre. Sed exitus ſpem proſperitate ſuperauit: cùm enim perpauci Guerrero conſentiſſent, Decreta plenè comprobata ſunt, idque per ſummam breuitatem atque concordiam vnico manè. Tantum detrahitur non beneuolentiæ modò, ſed æſtimationi, quæ pro beneuolentia creſcit aut decreſcit, ex eo quòd credatur quiſpiam nimis æſtimator ſui, & parum communitatis.

Aiala Segouienſis Epiſcopus repugnauit, vbi pronuntiatur, Miſ- 6
ſam offerri non ſolùm pro peccatis, ſed pro aliis neceſſitatibus; obiecitque, hinc argumentum præberi variis ſuperſtitionibus; & in eamdem ſententiam iuere viginti quinque: ſed denique longè maiori numero cedentes, in leui controuerſia acquieuere.

Non ita conquieuit in altera maioris ponderis Guerrerus[k]. Is 7
vnà cum Archiepiſcopo Bracarenſi, & cum Epiſcopis Segouienſi & Almerienſi poſtridie Legatos adiit, cauſatuſque conſcientiæ ſtimulum, expoſuit: Sibi ac ſociis Canonem illum de Sacerdotum inſtitutione probari non poſſe; rem nec agitatam fuiſſe in conuentibus minorum Theologorum, nec in conſeſſibus Patrum, ſolùm leui manu tractatam: Præſules aliquot non modicæ exiſtimationis diſſentire: quem diſſenſum in Seſſione palàm fieri par non erat.

Qua-

h In litteris Vicecomitis ad Borromæum, 7. Septemb. 1562.

i Acta Arcis Æliæ, & litteræ Iadrenſis, 17 Septemb. 1562.

k Acta Paleotti, & litteræ Iadrenſis, 10. Septemb. 1562.

Quapropter satius esse, articulum illum in proximam Sessionem reiici, vbi dogmata de Ordinis Sacramento stabilirentur, tamquam ad locum magis proprium, tempusque opportunius, quò, præmisso studio ac trutinâ rei consentaneâ, definitio cum plausu & honore concordiæ confici posset. 1562.

8 Osius Legatus, qui suis in libris eam sententiam tradiderat, ipsam placidè tuebatur, obiecta dissoluens, & oppugnationibus quatuor Hispanorum obsistens. Reliqui Præsides existimarunt, repulsam minus claram, magisque moderatam non modò æquiorem, sed etiam solidiorem futuram. Idcircò dixerunt, se morem illis gesturos, dummodò quæsitæ variationi assensus generalis conuentus præiret, sine quo penes Legatos non erat quidquam ex rebus iam statutis mutare. Ita ratione Concilij habitâ Hispanorum appellationem tacitè refellebant, ipsis appellantibus reiectis ad illud idem tribunal, à quo se grauari putabant: quod rescripti genus durissimum accidit litigantibus, & tamen de illo conqueri ipsis non licet, cùm idem tribunal non solùm est maximè competens, sed maximè potens.

CAPVT VI.

Capita reformandæ disciplinæ digesta: abusus in Missa correcti.

1 QVò perficeretur Sessionis apparatus, stabilienda supererant disciplinæ Decreta, & emendandi abusus in Sacrificio. Priorum cura demandata fuerat præcipuè Simonettæ, qui videbatur pro more veterum cautorumque medicorum nonnisi lenia medicamenta præscripturus [a]. Proposita capita quatuordecim [b] fuere, non vndecim, sicuti Suauis narrat. Causa cur posteà ad vndecim fuerint redacta, hæc fuit, quoniam duobus ex illis lex apponebatur, pensiones coarctans, ne scilicet in posterum id oneris imponeretur Episcopis, & Parochis, quorum alteri non supra quingentos aureos ex annuo prouentu perciperent, alteri non supra quinquaginta. Sed Episcopi vocabulum pensionis abominati, quippe ipsorum auribus animisque permolestum, negarunt illud sibi adiectâ etiam limitatione probatum iri. Et quamquam opponeretur, à Conciliis Lateranensi & Viennensi, & à Tridentino pariter sub Paulo & Iulio pensionum consuetudinem fuisse receptam, non tamen acquieuere. Quapropter conuentum est, vt sanctiones ea de re aliàs ex professo statuerentur. Sed quemadmodum res humanæ bo-

a Acta Paleotti.
b In cœtu 10 Decembris, vt in epist. Vicecom. ad Borrom. eodem die.

1562. nis maliſque permixtæ ſunt, & vnuſquiſque paſſus damna partis quam ſequitur, eam cupere ſolet quam ipſe non experitur, ita tunc vſuuenit [c]. Quare Quinque Eccleſiarum Antiſtes Orator Ferdinandi dixit, Sibi probatum iri vſum penſionum etiam in Germania, quò viris benemeritis ſubueniretur, & illis Epiſcopis nimij luxus materia ſubduceretur.

[c] Litteræ Iadrenſis, 14. Septembris 1562.

Tertium caput è quatuordecim ſubtractum, ſtatuebat, vt cauſæ 2
quæ vigintiquatuor aureorum ſummam non excederent, omnes in prima inſtantia ab Ordinario cognoſcerentur vſque ad latam ſententiam. Sed non acquieſcebant Epiſcopi, poſtulantes, vt idem omnino de cunctis cauſis decerneretur. Temperamentum propoſitum eſt, vt conſtitutio ad pretium quinquaginta aureorum ampliaretur pro Germanis, qui vt remotiores, ita maiora patiuntur incommoda, dum ad Forum Romanum compelluntur. Verùm obſtitêre Actores Piſcarij, epiſtolâ Regis productâ, in qua plurimùm commendabat, vt illæſa præſtarentur ipſius priuilegia pro Siciliæ Monarchia, cui aiebant huiuſmodi Decretum obfuturum, cùm ipſi concedatur, vt omnes cauſæ cuiuſuis pretij in prima inſtantia in ipſo regno cognoſcantur. Ita ſanctio pendens ſubſtitit, & ex dilatione, ingentis fœnoris fructus Epiſcopis prouenit, quod alibi exponetur. Tunc autem, dum ſermo haberetur, vt aſſolet, de iis quæ Hiſpaniæ Actores obiecerant, complures Patrum vera non exiſtimabant ea priuilegia, ſed à Romanis Pontificibus, cùm Siciliam poſſidebant, Legatis ſuis conceſſa, ac poſtmodum à laicis poſſeſſoribus illius regni ſibi arrogata. Sed de hoc per incidentem occaſionem actum eſt.

Decreta igitur ex quatuordecim ad vndecim diminuta ſunt: & 3
quò præferretur aliqua ratio, habita de iis quæ Cæſar memoratis libellis perpenderat, duo ab illis deſumpta ſunt, atque alterum in primo capite de morum emendatione poſitum eſt, alterum in correctione abuſuum in Sacrificio. Horum omnium capitum tenorem deſcribemus perinde ac ſtabilitus & propoſitus fuit, iis exceptis, in quibus notabiliùs variatum eſt.

I. In primo renouatæ ſunt cunctæ Iuris Canonici ſanctiones de vi- 4
ta & honeſtate Clericorum, ac de prohibitione, quâ ipſis interdicuntur luxus, comeſſationes, choreæ, aleæ, tali, ceteriſque luſus, ac negotia laicorum, pœnis Ordinarij arbitrio relictis, negatoque appellationis confugio in huiuſmodi cauſis, ad morum correctionem ſpectantibus.

II. In ſecundo præſcriptæ ſunt conditiones neceſſariæ illi qui ad 5
Epiſcopi

Episcopi munus est promouendus, & inter alias, vt ante sex men- 1562.
ses in Ordine sacro sit constitutus, vt Doctor sit Theologiæ, seu Canonum, ab aliqua Academia ex merito inter Doctores adscriptus, aut inde testimonium accipiat, se ad eas facultates tradendas idoneum esse. Quæ postrema particula fuit adiecta, ne carentes non doctrinâ, sed pecuniâ, excluderentur; qui post impensum studium in aliquibus Academiis, vbi sumptus ad Doctoris lauream consequendam grauissimus est, gradum illum accipiunt, quo vulgò *Licentiati* dicuntur. Fuit etiam additum, vt Regulares huiuscemodi testificationem ab ipsorum Moderatoribus subscriptam afferrent. Episcopi Segouiensis, Ostunensis, Lucensis, & Aquensis optabant in eo Decreto, vt ante Episcopatum Sacerdotium exigeretur. Sed animaduersum est, oppositum statui ab Innocentio cap. *A multis*, tit. *De ætate & qualitate*, & ab Vrbano Can. *Nullus*, distinct. sexagesimâ, quibus satis est Ordo Subdiaconi. Nihilominus adiectum est, opus esse vt hic Subdiaconi character saltem dicto iam spatio præcederet, cùm haud satis decorum videretur, vt ad supremum Ordinem Ecclesiasticum ascendat is, cui paulò anteà integrum erat ad laicorum statum regredi. Suadebant alij in Episcopo gradum Doctoris, absolutè nixi Pauli verbis ad Timotheum: *Oportet Episcopum Doctorem esse*. Sed illis ostensum est, per ea solùm importari habilem ad docendum, quod colligitur ex voce Græca διδακτικὸν, quæ id significat, & nihil vltrà.

6 Quò caput tertium intelligatur, sciendum est, Lusitanos & His- 111.
spanienses exposuisse, in ipsorum Ecclesiis multos esse gradus, quorum possessores nimis liberè Diuinum obsequium negligebant, adeoque oportere vt multationibus è desidia excitarentur. Et quamquam alij contradicerent huic oneri, vtpote in huiusmodi Sacerdotiorum fundationibus minimè contento, existimarunt plerique, ex iure Diuino, & æquitate naturali fructum illorum Sacerdotiorum integrum relinquendum non esse desidum possessorum vtilitati. Medium itaque susceptum consilium, concessâ quidem Episcopis facultate, non tamen iectâ ipsis necessitate ad id innouandum; quippe quod eiusmodi erat, vt variis in locis à variis rerum conditionibus aut ad id ipsum impellerentur, aut ab eo depellerentur. De forma excogitatum initio fuerat, vti massa quotidianarum distributionum constitueretur pro eo quod paulò anteà effectum erat in Ecclesiis, quas *Collegiatas* appellant: sed posteà consentaneum visum non est; vt cùm huiusmodi dignitatum prouentus sint admodum inæquales inter se, pinguiorum possessor discrimen subiret

1562. iret ingentis iacturæ, ac modici lucri; & ex aduerso tenuiorum possessor plus lucri posset accipere per vnius diei diligentiam, quam iacturæ per complurium negligentiam. Præscriptum igitur est, vt vbi constitutę iam non fuissent in huiusmodi dignitatibus quotidianæ distributiones, tertiam partem complectentes, liceret Episcopo illas statuere, præscribendo arbitratu suo iis qui Sacerdotio fruebantur, quantum ab illis Ecclesiæ seruiendum esset: quod si omitterent, eo die distributionibus priuarentur, easque ille conuerteret in vtilitatem fabricæ, vbi hæc egeret, aut in aliud pium opus. Si cui verò huiusmodi dignitatum nulla ineesset in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata iurisdictio aut administratio, nec vllum aliud munus, sed extra vrbem in Diœcesi iniuncta illi esset animarum procuratio, cui vellet per seipsum operam nauare Sacerdotij possessor, mansio, huiusque procurationis exercitium efficerent, vt is haberetur perinde ac si illi Ecclesiæ præsens adesset.

IV. Nimis alienum à ratione videbatur, obtineri à compluribus mu- 7
nera illorum propria, qui obstringuntur insolubili sacræ militiæ cingulo, trahique ex illis emolumenta & priuilegia; & tamen liberum ipsis esse, vt ad laicorum vitam redirent, eorum multis aut ad nuptiarum coniunctionem, aut ad armorum exercitationem transeuntibus. Ad hanc laxitatem restringendam, positum fuit in quarto capite, vt nemo Sacerdotium possidens in Cathedrali aut Collegiata, seu non Regularis, seu Regularis is foret, ius suffragij haberet in Collegio, nisi Subdiaconus saltem esset; atque vt ij, quibus ex munere certis quibusdam diebus Sacrificium etat celebrandum, aut Euangelium Epistoláve decantanda, susciperent intra annum, nisi legitimè præpedirentur, Ordinem illi ministerio consentaneum, & huiusmodi functionibus per seipsos præscriptis diebus fungerentur; nec in posterum ea Sacerdotia concederentur nisi habenti tum ætatem, tum reliquas habilitates ad illa exercenda.

V. Compertum est, frequenter peccatum fuisse in vsu legum rela- 8
xandarum, earumque relaxationes sæpè subtrahi Aulæ Romanæ, rebus falsis pro certis assumptis, atque in opus deduci ab executoribus aut vera parum callentibus, aut parum religionis studiosis, debilitatâ idcircò legum auctoritate, corruptâque disciplinæ integritate. Id materiam quinto capiti præbuit, in quo præceptum est, vt cunctæ legum relaxationes, concessæ locis extra memoratam Aulam, committerentur impetrantis Ordinario, atque vt *Gratiosæ*, hoc est, ad forum litigiosum haud pertinentes, non exercerentur reipsa, nisi priùs Ordinarij, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, summatim

matim & extra iudicium cognouissent, eas nec expositione falsi, nec occultatione veri fuisse impetratas. 1562.

9 Ad auferendum aliud simile absurdum, in sexto præscripta fuit eadem cognitio ab Ordinariis habenda, antequam conficerentur postremarum voluntatum mutationes adiecto monito, eas nonnisi *ex iusta ac necessaria causa* concedendas esse. VI.

10 Quemadmodum suam quisque iurisdictionem libenter extendit, nonnumquam ambitione, sæpè quoque religionis studio, dum recti animi sui certus sibi persuadet, à se tutiùs quàm à quouis alio commune ius administratum iri; ita non rarò maiores Præsules fines suos transgressi causas Ordinariis per appellationem subtrahunt. Idcircò sancitum est in septimo, vt Legati, Nuntij, Primates, Metropolitæ, ad quos prouocatur ab Ordinarij sententia, obseruarent sacras Constitutiones, & eam præsertim Innocentij IV. quæ incipit, *Romana*, aliter ipsorum Actis nulla insit auctoritas. VII.

11 Ob minorem humanæ pietatis feruorem, compertum erat, pia opera, ab iis præscripta qui posteà decesserunt, sæpè negligi fraudarique ab administratoribus. Quò huic malo mederetur, in octauo imperatum est, vt Episcopi in cunctis casibus à Iure permissis huiuscemodi operum executores essent, siue ita præscripta ea fuerint vt adhuc viuo præscribente vim habeant, siue illo demortuo. Foret in eorum potestate inuisere Nosocomia, Collegia, Sodalitia laicorum, etiamsi *Scholæ* aut alio nomine nuncupentur, Eleëmosynarum æraria, vulgò Pietatis Montes, & quæcumque locorum piorum genera, tametsi eorum procuratio ad laicos pertineret: breuiter, quidquid institutum est ad obsequium Dei, ad animarum salutem, ad pauperum alimentum. Huic Decreto restitit pariter Actor Piscarij [d] eo nomine, quòd inde quoque priuilegia Siculæ Monarchiæ læderentur; quare de illo expungendo deliberabatur. Sed quoniam Orator Lusitanus vnà petiit [e], vt exciperentur Nosocomia, aliaque huiusmodi loca, quæ sui Regis tutelâ fruebantur, in quo negligentia præsumi non poterat per Episcoporum vigilantiam corrigenda, mutato consilio restrictum fuit Decretum, adiectâ exceptione omnium huiusmodi locorum, quæ sub ipsius Regis patrocinio fuissent constituta. VIII.

12 Multæ quoque fraudes afferebantur in administratoribus prouentuum, qui templis aliisque piis locis construendis destinabantur. Lex igitur in nono sancita est, vt nullo habito respectu cuiusuis oppositi priuilegij adstringerentur huiusmodi administratores ad reddendam in annos singulos Ordinariis illorum rationem. IX.

d In dicta epistola Vicecomitis ad Borromæum, 16. Septemb. 1562.

e Acta Paleotti, & eiusdem Vicecomitis literæ, 17. Septemb. 1562.

1562. X. Complures scribæ, auctoritate Regiâ, Cæsareâ, aut Pontificiâ constituti, arrogabant sibi idcircò immunitatem ab Episcopo in eo ministerio, ac sæpè comperiebantur inepti, aut aliquo vitio laborantes. Id in causa fuit, vt in decimo cuncti subiecti fuerint examini Ordinariorum, quibus facultas esset aut in perpetuum, aut ad tempus illos ab eo munere in causis Ecclesiasticis remouendi.

XI. Bona, quæ certum dominum non habent, nec similiter certum obtinent defensorem, adeoque aut violentiæ aut fraudi sæpè subiacent (atque id accidit redditibus Ecclesiasticis, aliisve ad pia opera destinatis) quantò delictum magis allicit facilitate ac vtilitate, quantoque Dei gloriæ, proximique charitati opponitur, tantò magis necessarium visum est, vt homines horrore pœnæ inde retraherentur. Ea de causa stabilitum est in postremo capite, vt rei tam iniquæ occupationis, siue per vim, aut per supposititias personas, siue alio modo ea bona occuparentur, incurrerent in sacrorum interdictionem, quæ à Romano solùm Pontifice auferri posset, nec eâ vmquam absoluerentur vsque ad integram restitutionem. Præterea si fortè in ea bona ius aliquod dominij obtinerent, illicò ipsum amitterent. Quòd si quis Ecclesiasticus illi noxæ consensisset, præter sacrorum interdictionem spoliaretur possessis Sacerdotiis, ineptus ad illa imposterum obtinenda, eique Ordinum vsus interdiceretur pro arbitratu Ordinarij. Optassent quidam, vt exprimeretur in eo capite[f] inter delicta pœnis subiecta, nomen *Confidentiæ*. Ad id, ne in alia intempestiua litigia incideretur, prudenter responsum est, huiusmodi crimen satis comprehendi ab illis vocibus, *per suppositititias personas*.

[f] Acta Pa-leoti.

Abusus similiter sunt propositi (quamquam in Decreto ab eo probroso vocabulo Patres abstinuerint) qui variis in locis in Missæ sacrificium irrepserant: ij priùs fusè descripti, deinde in nouem capita redacti sunt. Verumtamen pleriſque non videbatur pro dignitate Concilij descendere ad sanctiones adeò minutas, magisque priuatæ cuiusque Ordinarij curæ consentaneas, cùm euenire posset, eas cunctis regionibus haud opportunas fore. Respondebant alij, Ex auctoritate Concilij plurimum venerationis ac roboris illis accessurum; quod verò ad singulares alicuius loci conditiones attinebat, satis consultum iri, traditâ Ordinariis facultate, vt earum executionem pro arbitrio temperarent. Vicit tamen sententia Aialæ Segouiensis Episcopi, vt in vnico Decreto ad tria solùm capita restringerentur, ad Auaritiam, ad Irreuerentiam, & ad Superstitionem.

Ad

16 Ad arcendam auaritiam interdicta sunt pretia, mercedes, conuentiones, vt in rem nostram Sacrificia celebrarentur, vetitis quoque importunis eleëmosynæ petitionibus. Et quamquam fuisset animaduersum, vsitatum subsidium celebrantibus non præberi pro Sacrificij pretio, sed ad alimentum Sacerdotis, ex communi doctrina Scholasticorum, Iurisque sacri Consultorum, ac præsertim Abbatis Panormitani; fuit tamen qui suadebat, id esse prohibendum in illis Sacrificiis, quæ ob aliquem fortuitum euentum fiunt, & certo loco, certisque diebus haud alligantur. Sed ea sententia asseclas non habuit. 1562.

17 Quò irreuerentiæ mederentur, præceptum est, ne permitteretur aut Sacrificij celebratio Clerico vago & ignoto, aut ei interesse liceret homini palàm criminoso. Dissertum est de arcendis publicis meretricibus, saltem absoluto Euangelio; sed executio grauioribus offensionibus subiecta visa est. Et quoniam functionis reuerentiæ plurimum confert loci maiestas, priuatis in ædibus Sacrificij vsus fuit interdictus, solumque permissus in templis, sacrisque locis, cultui diuino destinatis, inspectis designatisque ab Ordinario, adeoque vt antequam Sacrum inchoetur, ij qui adsunt, exteriori corporis formâ ritè compositâ, assistentis etiam animi pietatem præ se ferant. Prohibita est in cantibus & harmonia quæcumque lasciui atque impuri mixtura. Actum est etiam de remouenda omnino à Sacrificiis musica; sed plerique, ac præsertim Hispani, eam commendarunt, quippe ex antiquo tempore ab Ecclesia vsitatam, atque ad infundendos suauiter in animos pietatis sensus aptam, dummodò tenor cantilenæ, & verborum sententia religionem sonent, & alter alterius intelligentiam non impediat. Præscriptum quoque fuit, vt à Sacrificio longè abessent profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, adeò vt Domus Dei verè dici possit *Domus orationis*.

18 Ad superstitionem tollendam vetiti sunt Sacerdotes operari Sacris extra horas consuetas, aut aliis ritibus quàm receptis ac solitis in Ecclesia, atque vti certo quodam Missarum aut candelarum numero. Iniunctum quoque, vt doceretur populus, quis esset, & vnde proueniret Sacrificij fructus; ac per eam opportunitatem admoneretur etiam de frequentandis Parœciis suis, saltem diebus Dominicis, Festisque maioribus. Primò complures propendebant ad eas Missas interdicendas, quæ vulgò *Siccæ* nuncupantur, hoc est, cùm adhibitis ceteris precationibus ritibusque, minimè consecratur: sed posteà mutatum est consilium, auctore potissimùm Drascouizio,

1562. zio, cùm animaduersum esset, in nauigationibus, aliisque rerum conditionibus, cùm Sacerdotis, vel sacræ supellectilis defectu sacrificare non licet, eam aspectabilem Sacrificij expressionem plurimum conferre ad excitandam in animis pietatem, qui vt etiam supra sensus euehantur, sensibus indigent.

Adiectum est præter res expositas, Ordinariis facultatem tribui, tamquam à Sede Apostolica delegatis, statuendi quidquid in ea re consentaneum putarent, obstringendique populos censuris, tametsi priuilegia & appellationes obstarent.

Quamquam cælum incorruptionis expers sit, nihil est in terris tam pronum ad corruptionem, quàm quæ maximè cælestia sunt.

CAPVT VII.

Complurium Episcoporum querimoniæ ob leuia de disciplina Decreta. Variæ suspiciones ex proximo Gallorum Præsulum aduentu. Postulata Galliæ Oratorum, Tridenti ac Romæ interposita, ad retardandas sanctiones, illic reiecta, hîc Præsidum arbitrio remissa. Pares Cæsarianorum petitiones. Legatorum consilium. Nouæ propositionis forma parata de Calicis concessione.

QVæ de reformanda disciplina fuerant proposita, per se quidem haud grandia, multò magis decreuerunt eorum oculis qui aut abundantiâ voluntatis, aut penuriâ experientiæ ab amplissimo illo conuentu paucos intra dies aliam hierarchiam, alium rerum ordinem sibi spoponderant, ac tenuiora postmodum euaserunt, recisis tribus præcipuis memoratis capitibus. Neque videbatur, post tot menses, ac tot Sessiones, tandem aliquando à Concilio gressibus quasi pueri debilis timidique esse incedendum. Accidit itaque [a], vt ea in confessu compluribus irrisionis potiùs indignationisque, quàm examinis argumentum extiterint. Certior ea de re factus est Borromæus per arcanas notas à Vicecomite [b], ac liberiùs per communes litteras à Legatis [c], fortasse quò Pontifex famæ zelotypiâ, quæ affectio plus quàm in ceteros dominatur in Principes, imponeret Simonettæ, præcipuo illius ædificij architecto, vt inciperet ipsum supra solum attollere, nec materiam præberet adagio, *Qui serò dat, diu non vult.* Qui liberiùs acriusque obloquebantur, erant Transmontani cuiusuis regionis, quippe quibus

[a] Præter alias scripturas epistola Iadrensis Archiep. 24. Septemb. 1562.
[b] 16. Sept. 1562.
[c] 13. Sept. 1562.

quibus cùm ineſſet minor communicatio cum Aula Romana, minor pariter inerat & beneuolentia & notitia. Pariſienſis Epiſcopus exprobrabat, formoſiores ponderoſioreſque morum emendationes anno ſuperiore in Galliæ conuentibus fuiſſe confectas: quin per acerbiorem collationis formam componebat leues diſciplinæ leges Tridentinas, cum adeò grauioribus Baſileenſibus. Aiala dixit, Rem aſſimilari poſſe curationi medicorum, qui ægroto prævalidis remediis indigenti exteriorem aliquam inunctionem admouent. Ioannes Suarius Auguſtinianus, Conimbricenſis Epiſcopus, & Pariſienſis, quem diximus, ſignificarunt, emendationem in capite atque in membris habendam eſſe. Ad hanc ſententiam adiecit Franciſcus Blancus Epiſcopus Aurienſis, Pontificem quoque obſtringi legibus Concilij, non quidem ſecundùm vim *coactiuam*, ſed ſecundum vim *directiuam*, prout Canonum Doctores loquuntur, cùm Synodus in caput ſuum poteſtatem non habeat, ſed idem caput naturæ lege teneatur, vt ſe cum reliquis membris conformet in eo quod ipſum non dedeceat ob propriam capitis conditionem. Et quemadmodum fieri ſolet, vt ex multorum ſermonibus in cœtu mirificè creſcat audacia in ſingulorum linguis; eâdem libertate vtilitatis ſtudia actioneſque in ſuis profanis Principibus perſtrinxerunt. Proinde Blancus idem inuectus eſt in nimia Cruciatæ priuilegia, ad quam moderandam, ſicuti vidimus, Pontifex plurimùm propendebat, modò cum bona Regis Catholici pace, aut motu proprio Synodi id efficeretur. Et Draſcouizius, qui aliàs improbarat electiones Epiſcoporum, quæ interdum contingebant, & monitus ea de re fuerat à Præſidibus, ſuam mentem tunc aperuit, ſe nimirum fuiſſe locutum de nominationibus ad Eccleſias habitis à profanis Principibus, cùm ij nonnumquam proponerent homines nec doctos nec dignos; vt propterea eſſent à Pontifice reiiciendi, quippe quòd melius tiaræ conſuluiſſet, ſi capiti alicuius è ſuis famulis illam impoſuiſſet. 1562.

2 Hi obloquentium ſuſurri, aliique iam à nobis ſparſim expoſiti effecere, vt Gallorum Eccleſiaſticorum aduentus, adeò ſollicitatus à Pontifice, à Legatis adeò optatus, tunc ab vtriſque formidaretur, verentibus, ne cum Hiſpanis Tranſmontaniſque coniuncti, ad noua quædam obtinenda, minimè conuenientia, vim impenderent. Et iam ex Galliæ & Antuerpiæ litteris rumor [d] manauerat, à Lotharingo Cardinali non modò Calicem poſtulatum iri, ſed ſacrarum imaginum amotionem. Nec admodum grata ipſi Pontifici nuntiabantur de iis, quæ animo agitabant illi Præſules, eorumque Dux Lotha-

[d] Ex arcanis litteris Vicecomitis ad Borrom eum, 17. Septemb. 1562.

1562. Lotharingus: magnum numerum Præsulum coire cum quamplurimis [e] Doctoribus, quò cum aliis variarum nationum consociati, possent Italicos Præsules opprimere; quamquam Ferrariensis Cardinalis scriberet ex opposito, eam frequentiam haberi ex æmulatione Hispanorum, de quibus Lemouicensis Antistes, ex Hispanica legatione regressus, narrauerat Parisiis, aliam Præsulum plenam cohortem parari, Tridentum petituram; se tamen credere, eos reipsa non ituros, cùm tam multas difficultates in præcedentium missione experti fuissent; vnde fieret, vt in Gallia frequentiæ studium vnà cum æmulatione deferuesceret.

[e] Arcanæ literæ Bortom. ad Legatos, 22. Augusti 1562.

Verùm de Lotharingo eiusque consiliis suspicio, vmbras altissimas densissimasque diffuderat. Hinc iactabatur, eum nolle prouinciam illam suscipere: hinc ea ipsa dissimulatio indicio erat, sub negotio quò maior dabatur opera vt minùs corticis detegeretur, eò amplius profunditatis latere, cùm certò sciretur, eum non solùm habere in animo Tridentum adire, sed confidere, præter Gallos, Germanorum & Hispanorum etiam se acturum Principem: quæ verisimilius erat illum assecuturum ob adhibita à Lansaco studia, quò Vaticanæ Purpuræ fieret particeps Archiepiscopus Granatensis, atque is posteà simul cum Lotharingo Synodi Legatis adderetur. Verùm id quod supra reliqua suspiciones auxerat, fuerat epistola, quæ in manus Pontificis deuenerat, à Lotharingo scripta suo chirographo ad Ducem Wirtembergensem: officij ac submissionis plena ea cernebatur, Ducemque securum reddebat, Regios Consiliarios de Prædicantibus nihil vmquam aliud cogitasse ac voluisse, nisi statum ciuilem componere, & auctoritatem Regiam sustinere. Plurimum ad id posse conducere conuentum idoneum, & fructuosam morum emendationem; ad quod efficiendum præ se ferebat Lotharingus animum cupientissimum conueniendi in aliquem conuentum, quem in Germania Cæsar conuocaret. Affirmabat, in Synodo nihil decretum iri de dogmatum controuersiis, nisi ad proximam hiemem: id se pro sua virili parte conaturum, & in idem conuenire mandata Gallicis Oratoribus tradita. Hæc itaque à Lotharingo scripta ex quadam sua gloriæ cupidine, & quò ipse communis tranquillitatis auctor videretur, prout ex iis quæ gessit compertum est, suspicionem rationi maximè consentaneam incutiebant, quòd ipse noua foueret molimina, in quæ & sui Regis auctoritas, & aliorum Principum Præsulumque Transalpinorum studia conspirarent; vt proinde non promoturus ille Synodum, sed ipsam oppressurus esset. Idcircò Lotharingi & Gallorum accessus ingentem

tem metum inferebat Pontificiis, eumque vehementiorem Religionis ſtudioſioribus. Quapropter etiam Seripandus, vir alioquin ab humana vtilitate vel maximè alienus, & potiùs in ſtudio Religionis immoderatus [f], neceſſariam putare cœpit aut Synodi abſolutionem ante illorum aduentum, propoſitâ Borromæo Cardinali rei conficiendæ ratione, aut certè illius tranſlationem in eiuſmodi locum, vbi poſſet adeſſe Pontifex, qui per maieſtatem ſuauitate temperatam, ſibi Epiſcoporum animos deuinciret, magis ipſis gratificaturus, etſi parum ſuâ manu porrigeret, quàm ſi plurimum per ipſos conficiendum permitteret: vbi verò Synodus protraheretur longiùs, Seripandus ipſe, aut defeſſus aut pauidus, dimiſſionem petebat, cùm iam prope finem dogmatum deuentum eſſet, quibus dumtaxat idoneus cenſeri poterat. 1562.

[f] Litteræ Seripandi ad Borrom. 6. Septembris 1562.

4 Per eam opportunitatem, quâ Romæ conſiderandos ille propoſuit tumultus ab aduentu Gallorum imminentes, ſummoperè commendauit Borromæo Cardinali Mantuanum, qui Lanſaco iterùm flagitanti prolationem, eâ libertate, eâ conſtantiâ, eâ dignitate repulſam dederat, vt ſcripſerit Seripandus, optaſſe ſe, illius reſponſioni vniuerſum Collegium præſens adeſſe. Res ita ſe habuit.

5 Significauerat Lanſacus Præſidibus [g], certum exploratumque ſibi eſſe, Lotharingum Cardinalem cum comitatu ſexaginta circiter Epiſcoporum, præter aliquot Theologos egregios Sorbonenſes, adfuturum Concilio ante Octobris exitum; ſimulque quàm poterat efficaciſſimas preces nomine Regis adhibuerat, quò tam breui temporis ſpatio doctrinæ definitio protraheretur; quod aiebat nulli futurum detrimento celeritati, cùm interim poſſent rerum argumenta digeri, quò maior poſteà ipſarum numerus decideretur: & quò præcipuum petitioni obſtaculum arceret, plurimis rationibus ſtuduerat certos reddere Præſides, Lotharingum ac ſocios eo animo accedere, vt in vnum cum ipſis coaleſcerent, iiſdemque ac illi animis atque operâ id conficerent, quod in Dei obſequium & Eccleſiæ commodum conduceret. Verùm Legati, quemadmodum ſuprà indicatum eſt, & ſua ipſorum ſenſa, & mandata Pontificis admodum oppoſita poſtulatis habebant: quin eo quod pro freno priùs adhibebatur, in calcaria conuerſo, ab ipſo rumore de Gallis aduentantibus impellebantur ad maximè feſtinandum, quò illos præuerterent, ad id quoque ſtimulati ſuperuacaneis quidem, ſed frequentibus adhortationibus Borromæi [h]. Adeò vt Romæ

[g] Extant cuncta in epiſt Legatorum ad Borrom. 3. Septembris, & in altera Lanſaci ad Inſulanum, 7. Septembris 1562.

[h] Apparet ex dictis litteris Borrom. ad Legatorum ad

Legatos, 22. Auguſti, & aliis antecedentibus & conſequentibus, & ex aliis reſponſionibus Borrom. 27. & vltimo Auguſti, & 3. Septemb. 1562.

1562. mæ displiceret, eos adhæsisse suadentibus, ante Canones esse præmittendam explicationem doctrinæ, quasi sarcinas celerem progressum impedientes. Quamobrem in rebus in posterum sanciendis statutum est, tametsi posteà non omninò præstitum, explicationem omitti: & iam quò Cæsari celeriter satisfieret, excerpta fuerant ex volumine, quod ille miserat, varia capita, proponenda in secutura Sessione, in qua erat animus coniungendi duo Sacramenta, Ordinis & Matrimonij, nondum expensa; aut certè in duas Sessiones sibi proximas diuidendi, quò Galli theatrum ingrederentur post finem dramatis, aut ad vltimam scenam.

Itaque ad Lansaci postulatum Legati apud animum suum certi 6
responsionis, consuetum ad eam reddendam spatium petiere, quò illam benè perpensis rationibus instruerent; posteà verò per Mantuanum eam reddidere secundùm alterius priùs datæ sententiam, graui Oratoris molestiâ, qui animaduertens paratarum rerum massam adhuc indigestam, & quæ, prout ipse opinabatur, digeri non posset eo breui tempore quod ante Sessionem præscriptam superat, adeoque prolationis necessitatem agnoscens, & tamen accuratissima studia, quæ adhibebantur, quò per ipsam operam à breui spatio diuturnum æquaretur, in suspicionem incidit haud fallacem, eorum consilium non esse, vt res protraheretur ad expectandos Gallos tamquam optatos adiutores, sed consilium esse, vt festinaretur ad ipsos præuertendos, quasi formidatos aduersarios. Suam hanc opinionem aperuit ipse per litteras Insulano Romæ degenti[i], conqueſtus, id consilij nimis aduersari promeritis illorum proborum Præsulum, & illius optimi Cardinalis.

i In prædicta epistola, 7. Septembris.

Et quidem Legati satis animaduerterunt, Tridenti susceptum 7
ab ipsis consilium acerbius accidere palato, quàm præ se ferebat oris motus, cùm per repulsam ac festinationem Rex atque natio ipsorum illis despici viderentur. Quare tametsi Lansacus in postulatis regio nomine exponendis tantumdem modestiæ, quantum efficaciæ adhibuisset, dubitarunt Legati[k], ne illa ad hanc augendam fuisset adhibita, quò per accessionem beneuolentiæ facilior impetratio redderetur; & vbi deuentum esset ad opus, & preces animaduerterentur inutiles, ad denuntiationes secessionemque fieret transitus, non sine graui perturbatione ac periculo schismatis. Addebatur, indicia conspici à Legatis, Cæsarianos quoque instituros postulato, cùm fuisset à Borromæo missum ad Legatos exemplar epistolæ, sicuti dicebatur, à Cæsare ad eos scriptæ, tametsi nondum ad ipsos delatæ, quâ illi vehementer flagitabantur hanc moram de argumento

k In epistola Legatorum ad Borromæum, 4. Septemb. 1562.

mento Sacrificij, tantisper dum conuentus Francofurti destinatus absolueretur. Idque à Cæsare fieri credebatur, quemadmodum anteà indicauimus, quòd vereretur, ne prægressa illorum dogmatum sanctio Septemuirorum Protestantium animos adeò perturbaret, vt obstacula iniiceret electioni, quâ ipsius filius Romanorum Rex renuntiaretur, ad quod in eo conuentu votis omnibus aspirabat. Et sanè maiori adhuc sollicitudine premebantur Præsides, quòd in exemplo epistolæ, quam diximus, affirmabatur, in eadem vota cunctos Principes conuenire: quare videbatur Cæsar concorditer cum Gallis, & fortasse cum aliis nondum patefactis se gerere. 1562.

8 Eapropter Legati sui esse muneris censuerunt, ea omnia per expeditum tabellarium significare Pontifici: verùm ne quid apud illum gratiæ existimationisque sibi detraherent quasi trepidi ac titubantes post tot ab eo confirmatas iussiones, in hanc sententiam scripserunt: Cùm ipsi iuberentur à Pontifice, ne quid moræ interiicerent cuiusuis efflagitantis causâ, se quidem obtemperaturos fuisse, nisi nouis mandatis aliud sibi præscriberetur. Idcircò de iis quæ interuenerant, ipsum à se maturè moneri, quò si fortè vellet ex eiusmodi notitia sua mandata siue absolutè siue sub conditione ante Sessionem mutare, in ipsius esset potestate. Et contigit, vt similem postulationem acceperit Pontifex ab Insulano[l]: sed easdem illi rationes obiecerat, quas Tridenti Lansaco Legati.

[l] Acta Paleotti.

9 Per eos planè dies Pontifex præclarâ commendatione in Senatu exornauerat Mantuanum, cuius prudentiæ dicebat à se acceptam referri plurimam concordiam, in quam Patres conuenerant; nec opportunitatem omittebat suæ beneficentiæ ipsis Episcopis exhibendæ, concessâ illis sæpiùs Sacerdotiorum collatione, quæ mensibus iuri suo addictis vacabant: & quamquam eorum complures id quasi artem interpretarentur quò illos sopiret, non tamquam beneuolentiam quò ipsis benefaceret; tamen apud hos etiam conducibile illuderat: etenim semper demum eos diligimus, qui nobis gratificantur, & honorem exhibent.

10 Verùm Pontifex ad aduentum noui Præsidum tabellarij, graui curâ correptus est, & perpensis vndique incommodis ac periculis [m] consilia moderatiora suscepit, Legatisque rescribi iussit; Quamuis ipse Gallos minimè aduenturos putaret, tamen considerabat, satius esse vberiorem in eos etiam comitatem præstari, qui perperàm eâdem vtebantur; eoque magis, vbi agitur de rebus tam ingentis momenti in Diuinum obsequium, ac bonum publicum; præterquam quod cernebantur eò simul ferri vota Cæsaris: nec reipsa

[m] Epist. Borrom ad Legatos, 11. Septembris, cuius postea fit mentio in arcana epist. Vicecomitis ad Borrom. & in litteris Legatorum ad eumdem, 14. Septemb. 1562.

1562. graue detrimentum agnoscebatur in retardandis Decretis de Sacrificio, quæ ad Sessionem futuram seponebantur, ad quam nec plus minúsve parabantur reliqua argumenta; adeoque nihil ea de causa protraheretur Concilium. Idcircò eam moram in Legatorum Patrumque iudicio à se reponi, in quorum arbitrio vt reponeretur, idem Lansacus petierat: quod in se erat, huiusmodi concessionem sibi non improbari.

Tridentum peruenit ea responsio die decimo quarto manè, nimirum tertio ante præfinitum Sessioni diem, eaque confestim à Mantuano ostensa est Vicecomiti, qui cunctis eloquentiæ suæ neruis Legatos ab ea cunctatione dehortatus est. Ipsi verò prolixo habito consilio in eamdem sententiam conuenere, Borromæo rescribentes, se post collatum illius epistolæ tenorem cum superioribus mandatis, existimasse, mentem esse Pontificis, promulgationem Decreti de Sacrificio retardandam non esse absque obstaculo præualido atque cogente: vbi verò huiusmodi necessitas vrgeret, dilationem à Pontifice neutiquam damnatum iri: se igitur ad eam normam operaturos. Sperare quidem, tam durâ necessitate minimè præpediendos, mandatum verò arcanissimè occultaturos. Quod arcanum à Legatis custoditum, indicat errorem Suauis, scribentis, non solùm id ipsis commissum Lansaco Romæ illud postulante, sed eidem à Pontifice responsum fuisse, illud ipsum Patrum suffragio permitti. Quin in Acta Paleotti, vti adnotauimus, relatum est, datam fuisse Oratori repulsam à Pontifice. Sed Suauis ignorantia tum de his Actis, tum de voluminibus litterarum, quæ vltrò citroque inter Legatos & Borromæum scribebantur, effecit, vt absque magnetica pyxide nauigaret, & sæpè vnam pro altera regionem signaret. Memoratam spem Præsides fecere Pontifici, ipsos minimè præpeditum iri, propterea quòd cùm Pontificium responsum rediit, diminutus in ipsis fuerat metus futurarum in Sessione turbarum. Ex Gallorum parte minæ haud exaudiebantur: epistola Cæsaris, de qua dictum est, numquam ad ipsos deuenerat; & Episcopus Quinque Ecclesiarum magnâ modestiâ vtebatur, pro eo quod vsuuenit ne vociferetur, cui rogare necesse sit. Tunc ille, vt cùm maximè & desiderio & studio impetrandi Calicis feruescebat, omnique fiduciâ in Præsidum fauore collocatâ, postquam Episcoporum duritiam expertus fuerat, nolebat illos in altera causa tamquam oppugnator irritare, dum oportebat eosdem in altera tamquam patronos suos inuocare. Præterquam quòd cunctationis impatiens, cuius causa paulò pòst innotescet, ipsos ad aggressionem exti-

extimulauit, integro exercitu non expectato. Etenim si rei propositio vsque ad Gallorum aduentum fuisset prolata, fautorum frequentia & auctoritas procliuiorem concessioni viam strauisset. Omnes igitur conatus ad celerem consequendam victoriam ille conuerterat[n], cupidus saltem, vt Synodus per seipsam Bohemiæ Calicem indulgeret: quod consilium aliàs propositum à Pontifice, Præsides tunc amplexati non fuerant, quippe quod nimis infra petitionem ac spem Cæsarianorum videbatur. Atque idcircò nonnemo[o] in Drascouizio, qui alioqui partes omnes solertiæ ad rem perficiendam expleuit, maiorem in temperando postulato prudentiam desiderauit. 1562.

[n] Ex litteris arcanis Vicecomitis ad Borromeum, 14. 16. & 17. Septembris 1562.

[o] Acta Paleotti.

12 Etenim si principio illud ad Bohemiam coarctasset, cùm ad id etiam accessissent tum ij omnes Patres, qui absolutè illi suffragati sunt, tum ij, qui cum huiusmodi limitatione consensere, tam plenum agmen vnà conflassent, vt multos ex titubantibus, & sub conditione fauentibus, ad se pertrahere potuissent; præsertim quia erga solos Bohemos suam vim efficacissimam obtinebat exemplum Synodi Basileensis: & se inclinante Pontifice ad id consilij indicandum, Legati liberiùs studuissent illud suâ operâ promouere, lucraturi ea de causa complurium suffragia, qui rem in Pontifice reponebant, & qui proinde illius consilio acquieuissent. Et ceteroquin id satis esse Cæsari videbatur, vt qui acerrima omnium postulata à Bohemis accipiebat; præterquam quòd habetur in narratione Musotti, datum sibi fuisse negotium à Lotharingo (cùm ipse in familiam ab eo adscriptus post mortem Seripandi, ab eodem Romam missus est, sicut indicabitur) vt Pontifici significaret causam potissimam, cur adeò Ferdinandus exarserat in eo petendo, fuisse spem trahendi hoc pacto Maximiliani, sui primigenæ, ad Eucharistiæ sumptionem, à qua duos iam annos abstinuerat. Quare id si verum fuit, quod equidem affirmare non ausim, etiam concessio ad solam Bohemiam restricta Cæsarem sui præcipui voti compotem fecisset. Aliorum opinio fuit, à Drascouizio ex arte dilatatas fuisse petitiones, rato, in hisce negotiis transigendis parem esse rationem ac in contractibus agitandis, in quibus ad iustum obtinendum, immoderatum petendum est: atqui subtiliori quadam ratiocinatione vtebantur. Obseruabant ex opposito, rem benè procedere in iis quæ alter postulat ab altero Principe, vtpote qui postquam plurimum negauit, ad emolliendam acerbitatem repulsæ, minùs se difficilem ad parum concedendum se præbet: sed non ita, vbi res est cum hominum cœtu, qui si semel in alterum extremorum

1562. rum cucurrit per argumenta à se producta atque audita, illi parti fauentia, tam firmiter in eo pedem figit, vt ad omne medium pene inflexibilis euadat.

Atque huiusmodi tunc esse statum Concilij Præsides intelligebant. Quamobrem Drascouizium, tametsi per summum laborem, ab eo consilio retraxerunt; non tamen ipsius postulatum adeò moderari poterant, vt illud probabilis impetrationis spem faceret. Ipsum cohortati sunt, vt expeditiorem agendi rationem iniret, in quam maior pars animi propensionem indicarat, nimirum, vt rei deliberatio committeretur Pontifici, cui liberiùs licuisset petitioni indulgere, postquam Synodus, quamuis illam minimè comprobasset, non tamen pariter eam improbarat, sed in ipsius arbitrio reposuerat; quàm licuisset anteà, cùm se reprehensionibus obiectasset ob derogationem legis ab vno Concilio constitutæ, non auditâ alterius denuò coacti sententiâ. Sed auiditas vltra modum appetentior plurimi, nonnumquam sibi fit obex ad consequendum quod sufficit. Drascouizius post multam suspensionem petiit, saltem vt postulata proponenda à Paleotto, iam iterum ex Præsidum monitis digesta, ita reformarentur, vt Synodus dum concessionem Pontifici remitteret, sui etiam pondus consilij superadderet. Legati verò tametsi & intelligentiæ suæ lumine, & aliorum admonitu repulsam præsagirent, nihilominus vt Oratori morem gererent, postulati mutationi consenserunt [p], conspicati, numquam illi tamquam idoneum consilium probatum iri id quod ipse repudiabat, nisi vbi experiretur ineptum id quod amplectebatur. Ad hanc itaque sententiam redacta est rei proponendæ formula: *Cùm animaduerteret Synodus, se non posse per seipsam quod postulabatur decernere, illud in summi Pontificis arbitrio reponebat; qui præmissis diligentiis, quas opportunas censuisset siue cum conditionibus iam recitatis, siue cum aliis, pro sua prudentia rem concederet, rationi consentaneam ratus etiam secundùm sententiam, consilium & comprobationem Synodi.* Sæpè magis necessarium est bono publico, vt nos quispiam diligat, quàm vt idem bonum obtineat, adeoque honestum est in eo etiam amico morem geri, quod ipsius obstiturum bono prænoscitur.

[p] Litteræ arcanæ Vicecomitis ad Borromæum, 17 Septemb. 1562.

CAPVT

1562.

CAPVT VIII.

Disputatio & susceptum consilium de Calicis concessione. Oratorum conuentus habitus apud Archiepiscopum Pragensem. Variæ inter eos sententiæ. Quædam ab ipsis significata Legatis ante postremum cœtum, & Legatorum responsa. Difficultas in eodem cœtu de Doctrinæ argumento.

1 CAlicis propositio, in nouam formam mutata, conuentui habito decimoquinto Septembris proposita est; sed offendit in eadem & penè in maiora obstacula, quàm anteà impegerat ea quæ absolutam concessionem continebat[a]. Eædem namque rationes, quæ dissuaserant Synodo ne huiusmodi nouitatem illa indulgeret, ipsam pariter dehortabantur ne Pontifici id consilij daret. Præterea quidam addebant, temerarium fore, si Superiori consilium non petenti illud obtruderetur. Quocircà collectis suffragiis, sexaginta nouem numerata sunt concessioni propitia, septuaginta nouem illi aduersantia, & quatuor dubia; atque inter priora non pauca erant, quæ comprobationem tam arduis conditionibus obstringebant, vt potiùs improbatio videretur.

a Cuncta extant in Actis Paleotti, & Arcis Æliæ, præter litteras Legatorum, & Vicecomitis ad Borrom. 16. Septemb. 1562.

2 Deiectus itaque hoc nouo infortunio Drascouizius, rem omnem operæ Mantuani commisit. Qui ad extremam tabulam confugiens, celeriter aliud simplex Decretum conficiendum curauit, quo dicebatur: *Cùm sancta Synodus duos articulos prædictos de vsu Calicis examinandos atque definiendos reseruasset, nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optimè consultum volens, decreuit integrum negotium ad S. D. N. esse referendum, prout præsenti Decreto refert; qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus vsum Calicis fore iudicauerit.* Et sanè notatu dignum est, eam particulam, *optimè consultum volens*, & reliqua fuisse posita ex industria, vt significaretur, eos populos, qui deerrantes noluerant ad Pontificis auctoritatem confugere, melius corrigi non posse, quàm dum in ea reponebantur.

3 Relatum fuit hoc Decretum decimo sexto Septembris manè in cœtum, à quo abfuit Drascouizius, vbi Mantuanus breui quidem, sed neruoso procœmio dixit: Dum propiùs instaret Sessionis celebratio, Legatos non mediocri affectos esse molestiâ ex querelis ab Episcopo Quinque Ecclesiarum allatis nomine Cæsaris, cuius auctoritatem expostulabat Orator illius conuentus repulsis non

1562. modò neglectam, sed contemptam fuisse ; cùm potiùs, dum illa amplificandæ Christianæ Religioni operam dabat, omni ope adiuuanda ac promouenda esset. Ex ægrimonia hinc orta illum nec eo die in conuentum venisse, nec die postero Sessioni adfuturum. Propterea Legatos, habitâ temporis, necessitatis, communisque tranquillitatis ratione, ad Patres deferre nouam formam Decreti, quò res Pontifici committeretur. Pro certo haberent, Pontificem æqui boniquè facturum quidquid ipsi statuissent: intenderent animos, pro eo ac par erat, in tantum negotium : considerarent, quantum conferret Religionis commodo Cæsaris gratia ; Cæsarem verò non sui ipsius, sed publicæ Christianæ rei vtilitate moueri.

Incredibile est, quantâ animorum molestiâ Mantuani sermo fuerit auditus, quasi mixtus reprehensione de præteritis, & violentiâ de futuris. Archiepiscopi Rossanensis & Iadrensis admirationem præ se tulere, quòd Cæsar id ex ipsorum manibus per vim metumque vellet extorquere. Gaspar Ceruantes Hispanus, Archiepiscopus Messanensis, de huiusmodi importunitate, quasi Concilio iniuriosa, questus est. Parisiensis Episcopus declarauit, malle se conscientiæ suæ quàm reliquis rebus consulere, ideoque non assentiri Decreto. Illud pariter cum ea propositionis formula reiecerunt Antonius Augustinus, Bouius, & Campeggius. Martinus de Corduba Dominicanus, Episcopus Dertusensis, scholasticis vsus vocabulis ita dixit: Decretum sibi displicere secundùm conscientiam, placere secundùm homines, quasi inuoluntarium mixtum. Ægidius Falcetta Episcopus Caurolensis in hæc verba prorupit; Velle se protestari de nullitate, & abire à Concilio, si huiusmodi Decretum admitteretur. Et iam querimoniæ contra Cæsarem in tumultum abibant, cùm Simonetta prudenti acceptâque dicendi formâ expositi, conqueri Cæsarem, quòd cùm Synodus duos illos articulos se petente reseruasset, nunc Patres ne responso quidem ipsum esse dignatos. Idcircò eam quisque sententiam pacatè ferret, quam dignitati Synodi, & Ecclesiæ vtilitati profuturam putaret.

Per hæc verba delinitis Patribus, & quasi restitutis in libertatem, cuius tuendæ conuentus hominum studiosissimi sunt, rumor resedit, dictisque tranquillè sententiis, octo supra nonaginta Decreto consenserunt, triginta octo dissenserunt. Tanti refert quâ viâ rei obiectæ imago feratur in oculum, siue mentis, siue corporis ille sit, ad eiusdem rei speciem dissimilandam.

[b] In epistola Legatorum, & arcanis notis Vicecomitis ad Borromæum, 16. & 17. Septemb. 1562.

Non tamen [b] Cæsariani posteà paria grati animi officia Legatorum operæ rependere visi sunt. Etenim eodem die, paulò post habitum

tum cœtum, Oratores Principum rogarunt, vt in domum Archi- 1562
episcopi Pragensis, quippe omnium Oratorum antesignani, conuenirent, ad communis emolumenti negotium. Interesse recusarunt Veneti ac Florentinus; hic, vt Legati crediderunt, ob litem potioris loci cum Heluetio; illi, quòd non habebant Senatus mandata huiusmodi cœtus accedendi: quamuis reuerà Florentinus[c] aliam non adeundi causam ad Ducem scripserit, nimirum, cùm sciret conuentum illum insciis Legatis haberi, vereri se, ne quid ibi odiosum agitandum esset. Et paucis antè diebus[d] eidem significarat, tum ex sua, tum ex aliorum prudentium ratiocinatione sibi videri, in Transmontanis sub obtentu disciplinæ reformandæ voluntatem detegi abiiciendi auctoritatem Sedis Apostolicæ, sacri Collegij atque Aulæ Romanæ, quod à se rationi dissentaneum putabatur, præcipuè verò noxium Italiæ splendori; exteros verò ab occulta fortassis in eam æmulatione ad id moliendum impelli.

[c] In Actis, 21. Septemb. 1562.

[d] 3. & 7. Septemb. 1562.

6 Itaque in eum Oratorum cœtum conuenere præter Cæsarianos, Galli, Lusitanus, & Pagnanus, qui Piscario à secretis erat: Bauarus aberat, iam à suo Principe reuocatus ad tempus, & nondum regressus. Ibi Drascouizius prolixâ oratione illos extimulauit, vt inter se in vnum coalescerent, Legatosque vrgerent ad graues morum emendationes exagitandas, easque proponendas; Synodum sine fructu sterilescere, & in quæstorum scribarumque correctionem effundi; ad speculatrices decisiones esse conuersam, vt à rerum agendarum sanctionibus distrahatur. Huiusmodi decisiones frustrà confici, vtpote Catholicis superuacaneas, & hæreticis inutiles: vnà proinde Oratores pergerent ad Legatos, flagitarentque ab illis, vt in proxima Sessione, sepositâ trutinâ de Ordine ac Matrimonio, vnicè nauaretur opera ad expurgandam Ecclesiam tot corruptelis, moresque tam deprauatos emendandos.

7 Magno labore opus non fuit Lansaci animum, iam ad ea procliuem, accendere. Oratoribus Lusitano, & Heluetio, & Pagnano, qui à secretis erat Hispano, quippe finistræ affectionis fomitem animo non gerentibus, ignis nequaquam adhæsit; quin ij potiùs variis rationibus conati sunt flammam in aliis extinguere, aut certè temperare. Nec absque operæpretio; siquidem Cæsariani & Galli satiùs habentes, si complures moderato sed efficaci officio fungerentur, quàm si pauci vehementem sed vanum impetum facerent, decreuerunt cum Legatis agere remissiore quàm cogitatum fuerat loquendi formâ. Pagnanum tamen ad id adducere non potuerunt, qui posteà Lansaco fassus est[e], se ab eo abstinuisse, veritum

[e] Litteræ Lansaci ad Reginam, 20. Sept. 1562.

1562. tum ne per aliquod reliquorum omnium postulatum de dogmatum prolatione, officeretur sui Regis petitionibus de continuatione; cùm alia nunc peteretur procedendi ratio, ac ea quæ Paulo viuente statuta fuerat, videlicet, de doctrina cum emendatione coniungenda.

Eodem die hi Oratores adierunt Legatos ante cœtum postre- 8
mum, & in hanc sententiam locuti sunt: Quando apud se illi statuerant, res iam destinatas nec retardare, nec immutare, multùm Oratorum interesse, eas certè priùs secum communicari, quò de ipsis Principes suos tempori certiores facerent. Proinde illos rogare, vt diem futuræ Sessionis, & articulos in ea agitandos sibi patefacerent; ac præterea, quidnam consessui de morum reparatione proponendum putarent; vt ipsis liceret quæ in mandatis habebant proferre. Tum pluribus verbis exposuerunt, articulos Sessionis diei posteræ paratos esse leuissimos, indignos Concilio, & Ecclesiæ indigentiæ omnino impares.

Existimarunt Legati, Oratorum consilium non eò potissimùm 9
tendere, vt exquirerent in præsentia designatum apud Legatorum animos habendæ Sessionis diem, quò de illo suos Principes admonerent, cùm id æquè fieri potuisset post crastinam celebrationem; sed quòd timerent, ne dies à Legatis consultò eligeretur adeò propinquus, qui Gallorum Præsulum aduentum præuerteret: vnde forsitan Galli ac Cæsarei Oratores parati essent ad obsistendum & contestandum, vbi tantam proponi festinationem audirent, adeoque ad obturbandum Decretum, quod in conuentu, ac posteà in Sessione imminente conficiendum putaretur. Sed Legati ob implicatam vastamque rerum reliquarum congeriem admouere manum non potuerant celeritati, quam Oratores suspicabantur. Quapropter ex iis quæ priùs inter ipsos conuenerant, responderunt, decimum nonum Nouembris Sessioni præscriptum iri; cui nihil quod obiicerent superfuit Gallis, cùm iidem anteà disertè affirmassent, ipsorum Præsules Octobri nondum elapso adfuturos Triden- 11
ti. De articulis definiendis generatim responsum est; eos contenturos residuum quod supererat; magisque generatim de prænuntiandis morum emendationibus, quæ proponendæ erant; affirmaruntque Legati, numquam se prætermissuros id quod suo muneri par esse cognoscerent.

His auditis discesserunt Oratores. Sed hîc non substitere Lega- 10
torum molestiæ. Superuenit eodem tempore Granatensis, monuitque, multos ex Patribus, singulos singulas candelas secum gerentes,

tes, in conſeſſum venturos, obfirmato animo inde non exeundi, tametſi nocteſceret, niſi priùs obtinerent ſuſpenſionem illius Canonis, quo definiebatur Sacerdotum inſtitutio habita à Chriſto in Cœna, adeò vt eius examen ad Sacramentum Ordinis ſeponeretur. Recuſatam à ſe fuiſſe quæ ſibi offerebatur candela, ſed vnam ibi ſe reperturum, vbi opus foret, totamque noctem ibidem impenſurum. Legati omnem mouere lapidem, vt hominem dimouerent, plurimis adductis rationibus tum ex doctrina, vt ad conſenſum allicerent, tum ex prudentia, vt dehortarentur ne communi iudicio repugnaret, neque ſe cenſorem contemptoremque vniuerſi conuentus oſtenderet, quod illi vnà cum beneuolentia auctoritatem apud Patres detracturum fuiſſet, adeoque facultatem impendendi fructuosè ingentis animi dotes in aliis rebus ad Eccleſiæ emolumentum. Sed cuncta irrita. Animis ita paratis, ad vniuerſalem cœtum deuentum eſt [f]. Non interfuit eo die Seripandus, vt qui ſemper alieno fuerat animo à definitione, quòd Chriſtus in Cœna ſeipſum obtuliſſet; cùm ea ſibi videretur de re neque per ſe clara ex effatis Scripturæ, ſacriſque Doctoribus, nec in Synodo Patrum ſtudiis diſputationibuſque declarata; atque huiuſce ſententiæ ſuæ legitimum teſtimonium ſibi tradi voluit à primo Legato, eâ ipſâ poſtremi conuentus die [g]: idque ab eo effectum eſt, quantum ex arcanis litteris inter ipſum & Amulium Cardinalem [h] elicio, quò liber eſſet ab offerendis poſteà Pontifici ſuis oppoſitis rationibus; ante cuius confirmationem ſemper licitum exiſtimabat ab illis definitionibus & mente & calamo diſſentire. Sed clàm non palàm id egit, gnarus, multa honeſta opera occultanda eſſe multitudini, quæ ſæpè rerum conditiones permiſcens inde perperàm arguit. Quare ſicut ipſe ad Borromæum ſcripſit, & ſicut diſertè habetur in memorato Mantuani ſcripto, eam alioqui concordiæ ſignificationem expreſſit, vt nihil violaretur ſiue debita collegis reuerentia, ſiue publica communis ipſorum magiſtratus exiſtimatio. 1562.

11 In cœtu rebus facilioribus abſolutis, Granatenſis, qui manè facultatem petierat extra ordinem loquendi, prolixâ oratione impugnauit Canonem ſibi non probatum, quaſi contrarium S. Dionyſio in tractatu de Cæleſti Hierarchia, S. Maximo & S. Chryſoſtomo, qui collationem Sacerdotij tribuunt illis verbis dictis à Chriſto poſtquam reſurrexit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Sed Patres pertæſi quà laboris integræ diei, quà pertinaciæ hominis, communi ſententiæ reluctantis, ferè omnes exclamarunt; Perſiſtendum eſſe in eo quod ſtatutum erat. Oſius Legatus aliquid ſibi dicendum

[f] Cuncta extant in Actis Paleotti in narratione Muſotti, eiuſque Actis, 16. Septemb. & in epiſtola Archiepiſcopi Iadrenſis, 17. Septemb. 1562.

[g] 16 Septembris 1562.

[h] Ex epiſtola Amulij ad Seripandum, in volumine litterarum Muſotti, in qua dies non ſignatur, ſed videtur ſcripta Octobri 1562.

1562. putauit ad suam sententiam, quæ iam vniuersalis in Synodo euaserat, propugnandam. Idcircò geminam potestatem distinxit, à Christo Sacerdotibus impertitam, alteram ad verum ipsius corpus attinentem, alteram ad corpus mysticum, quod ex fidelibus constat. Priorem, quæ facultatem consecrandi importat, fuisse illis traditam in Cœna, nec vllum ex antiquis Patribus id negare; posteriorem, quæ auctoritatem absoluendi complectitur; eam esse quam Christus rediuiuus communicauit.

Martinus de Corduba Dominicanus, Episcopus Dertusensis, 11
præuidens quæ à Guerrero erant obiectanda, eorum confutationem parauerat magnorum Doctorum testimoniis, quæ ab eo recitata sunt, præsertim ex S. Thoma in quarto sententiarum distinct. 22. & in tertia parte quæst. 82. idem quoque præstitere Petrus Antonius de Capua Archiepiscopus Hydruntinus, & Ioannes Antonius Pantusa Episcopus Literatensis. Sed iam disceptatio in certamen perturbationemque degenerabat, cùm Mantuanus imposuit, vt ordine sententiam vnusquisque proferret. Penè omnes Canoni fauebant, & parua contradicentium cohors duas in classes abibat: alij non illum repudiabant tamquam non verum, sed tamquam immaturum; & ij erant Archiepiscopus Bracarensis, & Episcopi Segouiensis, Almeriensis, Auriensis, Senogallensis, Ostunensis, Legionensis, Ilerdensis, Famagustanus, & S. Pauli, aliàs nominati, & Hieronymus Sauorgnanus Episcopus Sibinicensis: alij dubitationem de rei veritate indicabant, præsertim Guerrerus, & Fuscarius, qui significauit, se censere id aduersari Alexandro Pontifici *in prim. suorum Decretal.* S. Augustino in quæstionibus veteris & noui Testamenti, & S. Thomæ in eadem distinct. quæ pro sententia oppositа à Dertusensi producebatur. Interim prima noctis hora iam penè effluxerat, & argumentationes contrariæ, post aliam alia, pro eo planè quod in circulis accidit, quò magis multiplicabantur, eò magis dilatabantur. Quare primus Præsidum, quò ad exitum peueniretur, statuit, vt Canonis defensores, qui erant quamplurimi, sententiam suam simplici dicto pronuntiarent, impugnatoribus, vtpote paucis, liceret rationes adducere, quibus id alteri parti persuaderent. Sed qui Canonem tuebantur, disputatione feruidi, de præscripta lege tamquam de iniqua sibi, & periculosa sententiæ conquesti sunt. Quamobrem Simonetta eos sedaturus, liberiùs quàm circumspectè, ipsos ne dubitarent hortatus est, iis Scripturæ verbis vsus: *Deus non mutatur:* sed interdum etiam aqua ingentem in ignem iniecta, migrat in ignem. Ea dicta iram non extinxere, sed

sed transtulere vehementius in aduersarios. Etenim quemadmodum victi mos est ad despectum suspicionemque cuncta trahere; ita qui Canoni aduersabantur, interpretati sunt ea verba, perinde quasi Legatus conscius aliorum voluntatis, singulos propugnatores ad firmiter obsistendum certâ victoriæ spe animare studuisset. Demum Canonis fautores tanto numero potiores fuere, vt vix triginta superfuerint aduersarij. Tunc Princeps Legatorum Patres cohortatus est, vt concordi essent animo in celebratione imminente: eò cuncti inclinarent, quò auram S. Spiritus, qui est veritatis spiritus, se conuertere animaduertebant: reuerenter exciperent communem sententiam illius confessus, qui summâ in terris auctoritate pollebat, eiusque dignitatem sustinerent, nullo edito in populum indicio discordiæ, quæ semper existimationem eleuat; cùm fieri non possit, vt inter se mentes illæ dissentiant, in quarum aliqua error non insit. Quare vbi ipsa discordia nihil dubitat de iure sententiæ, vitium in Iudicibus citra dubium comprobat. 1562.

CAPVT IX.

Sessio sexta, siue vigesima secunda. Sententiarum varietas. Obedientia, quam professus est Syrus Patriarcha, recitata; & Lusitani Oratoris contestatio. Errata Suauis de re gesta, & quæ ab eodem in Calicis Decretum obiiciuntur, reiecta.

1 DIe postero, decimo septimo Septembris, Sessio celebrata est. Sacrificium obtulit Petrus Antonius Capuanus, Archiepiscopus Hydruntinus, & latinam concionem dixit Carolus Vicecomes Episcopus Vintimilienſis. Legati arreptâ hinc opportunitate, vtrumque modo insolito collaudarunt apud Borromæum, testati de Hydruntino, in cunctis quæ per eos dies agitata fuerant in conuentibus, illum præ se tulisse doctrinam, prudentiam, ac probitatem, blandâ quadam acrimoniâ condîtas, quâ & publicum amorem sibi alliciebat, & publicum bonum promouebat. De altero scripserunt, eius orationem dulcedine ac pietate mirificè redundasse, tum ex dictionis præstantia, tum ex actionis venustate; vnde longè maiorem beneuolentiam, quàm priùs possederat, sibi comparasse: cùm Legati habuerint in eo, vt mea fert opinio, rationem de quadam inuidentia, in nonnullis excitata ob singularem Pontificis in Vicecomite fiduciam, & de quadam alienatione ab eodem Præsule, quam in aliis ingenerauerat nota ipsius cum Pontifice commu-

1562. communicatio, perinde ac si aptissimum instrumentum ad placendum Principi sit studium referendi de singulis id quod Principi displicet.

Cùm proponerentur Decreta, ea non extitit sententiarum concordia, quam Præsides optauerant & petierant. Sed numquam equidem verebor, ne molestiam afferam, quòd in aciem reuocem id quod in pugna cum Suaui Achilles mihi est: nimirum, absque præcelsa Dei prouidentia minimè contigisse, vt inflexibilis illa opinionum discrepantia, Legatis odiosa, & tamen palàm vsurpata vel cùm successus spes nulla supererat ab iis etiam Episcopis, qui cum Aula Romana arctiùs connectebantur, patefaceret simul Iudicum libertatem, & iudiciorum sinceritatem.

Ac primùm quidem de doctrina: repugnarunt quidam duobus illis articulis, de quibus plurimum in cœtibus fuerat disceptatum, hoc est, de Sacerdotum institutione in Cœna, & de oblatione, quâ ibi Christus seipsum obtulit Patri. Huic posteriori Guerrerus ac Duinius soli, sed non iidem soli priori articulo repugnarunt scriptis schedulis, cùm illis accessissent Aiala, Gadus, Blancus, & Bouius. Priores quatuor tamquam dubium, multisque antiquis Patribus contrarium improbarunt; duo postremi tantummodò tamquam à Theologis non satis expensum. Nec minùs perstitit Aiala in sua sententia, Missæ sacrificium offerri non posse ad alia obtinenda, quibus indigemus, præter satisfactionem peccatorum, causatus, haud reperiri, Christum eorum causâ fuisse mortuum in sacrificio Crucis, cui sacrificium Missæ succedit; nec eidem pariter probabatur, dici, in hoc Sacrificio perfici cuncta Naturæ Legisque sacrificia, quasi hoc derogaret Crucis sacrificio, nec sacris Litteris, legitimisque traditionibus ostenderetur. Alij dogmatibus quædam obiecere, sed minutiora, nec memoratu digna.

Emendationibus in Missæ celebratione vnicus, & legibus disciplinæ solùm quinque aliqua opposuere, sed pariter leuissima. Fuit maior eorum numerus, qui censebant, concessionem Calicis non esse in Pontifice reponendam, ferè quadraginta complexus. Aliqui tamen absolutè non abnuebant, sed solùm ne id per Decretum statueretur, sed tantummodò per litteras peculiares; atque hi sex fermè fuerunt, inter quos Episcopus Dertusensis causabatur, inde ansam porrectum iri hæreticis ad arguendum, Pontificem esse Concilio inferiorem, & Antonius Ciurebia Buduensis Episcopus eadem ex causa Decreto repugnauit, contestatus contra ipsius efficaciam. Alij duo seu tres petierunt vt si fortè Pontifex rem concederet,

deret, declararet, pro suprema potestate, quam obtinet à Christo sibi traditam, id se indulgere. Allerus Episcopus Philadelphiæ, & Eistatensis Suffraganeus respondit: Decretum sibi placere, si maiori parti placuisset. Similis fuit Lainij responsio; sed apertè addidit, sibi per seipsum non placere, vt vbi Decretum comprobaretur, esse Pontifici significandum, Synodum ausam non fuisse in ea deliberatione consilium Pontifici dare ad eam legem relaxandam. 1562.

4 Per postremum Decretum destinabatur pro more dies futuræ Sessionis, quæ habenda erat de Ordine ac Matrimonio, duodecimâ die Nouembris; quod concorditer exceptum est. Sed hoc Decretum suffragatione quidem firmissimum fuit, sed reipsa minimè firmum; cùm oportuerit posteà variis de causis illud octies prorogare, sicut in Operis processu patebit.

5 In eadem solemni functione recitata est epistola Amulij Cardinalis[a] ad Legatos, quæ priùs lecta fuerat in cœtu[b], vbi ex mandato Pontificis significabatur, fuisse ab ipso propositum in Senatu Abdisu (erat hic Monachus S. Antonij Eremitæ) Patriarcham Syriæ Orientalis prope Tigrim, electum à Clero ac populo earum regionum, virum doctum, nobilissimum pro suæ gentis conditione, diuitem, senem sexagenarium, qui Romam venerat per innumera incommoda, Turcarum etiam verbera non semel perpessum, studio dumtaxat inuisendi limina SS. Apostolorum, deosculandi pedes Christi Vicario, addiscendi Ecclesiæ Romanæ instituta, & confirmationem à Sede Apostolica accipiendi; Romæ post plurium mensium moram satis edoctum ritus, quibus anteà in leuioribus quibusdam à Catholicis discordabat, iureiurando fuisse professum obedientiam Romano[c] Pontifici, & custodiam omnium præteritarum Synodorum, ac etiam Tridentinæ; cuius rei legitimæ tabulæ missæ sunt: impertitam illi fuisse à Pontifice confirmationem, & in reditu pecuniam suppeditatam. Pium illum senem, si per ætatem sibi licuisset, ac nisi necessitas suorum populorum, in quibus ducenta ferè capitum millia numerabantur, partim Turcarum, partim Persarum imperio subiecta, se ad reditum stimulasset, ad sanctum illud Concilium libentissimè accessurum fuisse. Adiecerat Amulius: Patriarcham interrogatum de sacris Litteris acceptis, ritibusque vsurpatis ab illis gentibus, enumerasse pariter eos sacros libros quos hæretici repudiant, & commemorasse paruo cum discrimine nostra Sacramenta; præsertim verò occultam ad aures confessionem, ac similiter sacrarum imaginum venerationem: ex quo videri argumentum trahi aduersus hæreticos, qui ea quasi recentia

[a] 29. Augusti 1562.
[b] Cuncta extant, præter Acta Arcis Æliæ, in Actis Musotti, 14. Septembris 1562.
[c] 7. Martij 1562.

1562. inuenta spernebant; cùm certum esset, eos populos, vix hactenus famâ notos, non potuisse aliunde illa accipere, nisi à prædicatione SS.Apostolorum Thomæ & Thaddæi, & Marci ipsorum discipuli. Sed hęc scribebat Amulius,ex animi sui sensu à se dici,& eorum pondus ab ipsis Legatis melius expensum iri:ceterùm iussu Pontificis à se mitti Patriarchæ confessionem,& obedientiam Synodo promissam.

Lectis huiusmodi litteris, auditóque exhibitæ obedientiæ tenore, quo Patriarcha tamquam sibi obtemperantes numerabat multas Ecclesias Indiæ, in vrbibus Regi Lusitano subiectis, Orator Lusitanus denuntiauit in Sessione,Nullum super illis ius ad Patriarcham pertinere, sed solùm ad Goanum Archiepiscopum, totius Indiæ Primatem, adeóque nullum inde detrimentum huic illatum haberi. 6

Hæc in illa Sessione contigere, quorum multa, quamuis publica ac insignia, defuerunt historiæ, adeóque, sicut argui potest, notitiæ Suauis defuerunt: sed ipse eos imitatus est, qui veris gemmis inopes, quibus splendidè celebritatibus intersint, se falsis exornant, quæ obtutu non intento, nocturnóque lumine inspectæ visum decipiunt. Omittam pro more meo refellere multas eius narrationes, tametsi parum verisimiles, ac tot monumentis, quæ ad me peruenere, minimè comprobatas. Cùm enim fieri possit, vt ex illis aliqua vera sit, subire periculum nolo, ne illam improbans, ipsum grauem; silentium, ne eas comprobem mihi satis sit: aliqua solùm eius errata manifesta hîc ex transcursu notabo. 7

Dicit, præter epistolam Amulij, fuisse in Sessione alteram ipsius Patriarchæ ad Concilium recitatam.Sed hæc epistola non in alia pagina,nisi in Suauiana imaginatione fuit exarata. At è contrario (deridens ipse dissimulanter id quod à narrationibus Patriarchæ aduersus hæreticos trahebatur) aut nescivit, aut sciendum non curauit, ab Amulio prudenti consilio distinctum fuisse id quod Pontificis nomine scribebat, & quod suâ sponte differebat. Alterum sola erat obedientiæ professio habita à Patriarcha, alterum argumenta quæ ex illius narrationibus in recentes hæreses deducebantur; ac de iis scripsit, Legatos meliùs quàm se illarum efficaciam intellecturos. Quare tempus non teram in hoc litigio. Væ hominum mentibus, si argumentationes non certæ, & ad examen propositæ cogerent ipsarum auctorem ad eas propugnandas! Etenim maxima illa vtilitas omnino deficeret, quæ trahitur ex rationum communicatione, ad dignoscendum in dubiis quæ accidunt, falsum à vero. 8

Sed aliud Suauis erratum, quò grauioris est ponderis, eò infeliciùs 9

ciùs ab ipso nequitiâ permiscetur. Narrat, Decreto, quòd Christus 1562.
seipsum obtulerit in Cœna, tres supra viginti refragatos in Sessione fuisse, præter alios, qui aiebant, illud pro vero à se haberi, sed eo loco ac tempore minimè statuendum esse censebant; sententias verò non sine quadam confusione dictas, quòd multi simul loquerentur. Supra huius facti basim, immanes ille quasi moles extruit mirificas animaduersiones, quas illius ætatis hominibus de rebus à Synodo gestis adscribit; narratque, mirum nonnullis accidisse, quo pacto, cùm solita non esset Synodus Fidei dogma decernere, cui notabilis suffragantium numerus aduersaretur, fuisset articulus ille sancitus viginti tribus illi repugnantibus; nec veretur responsa ad id reddita commemorare. Profectò verum hic deprehenditur Philosophi dictum, Modicum initio errorem progressu grandescere. Qui articulo in Sessione repugnarant, non viginti tres, sed duo soli fuere, sicuti vidimus; constatque ex Actis tum Paleotti, tum Arcis Romanæ, vbi distinctè recensentur nomina ac verba singulorum, qui in eo alióve argumento contradixere. Quînam igitur tantum differebatur de dogmate definito, cui magni numeri pars obluctabatur? Quo pacto ea extitit confusio in dicendis sententiis ob frequentiam simul loquentium? Quin ab ea indecora specie adeò abstinuerunt Patres, vt ex Actorum testimonio, illi duo qui Decretum recusarunt, id non linguis sed schedulis egerint. Iam verò ad inuestigandum, quâ ratione Suauis tam turpiter prolapsus fuerit, vt inde mendaciis luculentus prodierit, haud abstinuero, quin hac vice imiter Suauianum morem, ex narrante ad diuinantem transgressus: sed hoc inter me & ipsum intererit, quòd ille cùm maximè diuinat, tunc maximè narratorem simulat; ego verò palàm edico, quod hîc apponam, meam esse coniecturam. Scriptum fuit in aliquo commentariolo Italicâ linguâ, aduersantes illi definitioni fuisse 2 ò 3. dein autem in exscribendis ex illo deinceps multis exemplaribus, sicut assolet, euenit vt in eorum aliquo omitteretur nota *o*, quæ Latinè *aut* significat, solumque ponerentur notæ numerorum 23. In hoc exemplar malis auibus impegit Suauis, & hinc errore facti deceptus, opportunitatem arripuit eidem attexendi animaduersiones illas, quasi à plerisque tunc habitas, quæ ob certam id temporis rei gestæ notitiam adulterina Suauiani capitis proles deteguntur.

10 Ex his in historia erratis progrediamur ad obiecta, quæ alieno ex ore depromit aduersus Decreta. Ac primò quidem de Calicis Decreto inducit lamentabiles querimonias nationum illud efflagi-

1562. tantium. Verùm qui narrationem noſtram legit, clarè videt quàm maturè ſe geſſerit Synodus, & quo pacto ſolis conſcientiæ retinaculis cohibita eſt, cùm omnium Principum, ipſorumque Præſidum fauor conceſſioni militauit. Quod ſi verum fuiſſet quod ibi narrat Suauis, Cæſarem poſtulationem apud Pontificem haud proſecutum fuiſſe, quòd ipſe noſceret, *eas nationes erga Pontificiam auctoritatem malè animatas, in bonam partem minimè accepturas fuiſſe quid. quid inde profectum eſſet, & experimento iam eſſe compertum, ex Pauli III. conceſſione plus detrimenti quàm emolumenti extitiſſe:* ſi hoc, inquam, verum fuiſſet, iure optimo, & ex afflatu diuino Synodus petitores ad Pontificem remiſiſſet, eaſque voces quas notauimus vſurpaſſet, hac ratione *eorum ſaluti optimè conſuli.* Dixi, *Si hoc verum fuiſſet:* nam euidentiſſimè falſum fuit, quemadmodum oſtenderunt iterata & efficaciſſima poſtulata, quæ Cæſar poſteà Pontifici detulit, à nobis pro varietate temporum recenſenda, & ab ipſo Suaui, infelicis memoriæ ſcriptore, aliquoties narrata, pro eo ac opportunè lectoribus indicabimus. Verùm ne condonato quidem illi obliuioſi vitio inexcuſabili, vt aliàs eidem exprobraui, in eo qui mentiendi artem exercet, abſolutus adhuc eſſet pronuntiati mendacij, nimis conuicti à patentibus facti conditionibus. Etenim quamquam ſiſteremus in eo, quod accidit vſque ad id temporis de quo ambo in præſentia ſcribimus, ſumma ſtudia, quibus Oratores Cæſaris, ac præcipuè Draſcouizius, ſuorum Pannonum peritiſſimus, negotium ſaltem in Pontifice reponendum curarunt, & lætitia inde ſuſcepta, cuius etiam Suauis meminit, oppoſitum ſanè probant; idque clariùs oſtendit ſcriptum, quod Ferdinandus ad Pium IV. miſit, antequam Synodus celebraretur, à nobis [d] adductum, vbi omni argumentorum ac precum robore hanc aliaſque conceſſiones pro ſuis ſubditis petiit.

[d] Vide lib. 14. cap. 23.

Ad aliam accuſationem accedamus, quam Suauis titulo ſolidioris cohoneſtat: nimirum, debuiſſe Concilium priorem ex duobus articulis reſeruatis declarare, qui erat; An rationes, quibus permota fuerat Eccleſia ad interdicendum laicis vſum Calicis, forent eiuſmodi, vt nullo pacto id cuipiam permittendum eſſet: *In hoc enim,* inquit, *articulo non de facto, ſed abſque dubio de Fide agebatur.* Quare nonniſi imbecillas rationes animaduerſas fuiſſe à Patribus dici poteſt, ſed eoſdem ex humano reſpectu à declaratione ſe abſtinuiſſe. Si hæc criminatio nomen ſolidæ meretur, ſolidus pariter ipſe ventus dicendus eſt. Quò magis intrepida, eò magis temeraria deprehenditur fiducia illa, quâ Suauis pronuntiat, *In hoc articulo non de facto,* 11

facto, sed absque dubio de Fide agi. Num arcanè concluſum latet in libris Sybillinis, Ægyptiíſve Hieroglyphicis, leges humanas, quippe quæ pro temporibus atque hominibus variari poſſunt, pendere, quod ſpectat ad earum conuenientiam, à facti conditionibus? quin ſi hoc, vt reuerà eſt, indubitatum eſt; igitur verum indubitanter eſt contrarium dicto, quod indubitanter Suauis affirmat, videlicet, in hac quæſtione miſceri factum, eamque non tamquam Fidei dogma, ſed tamquam Prudentiæ ſanctionem eſſe declarandam. Factum inquam miſcebatur, quandoquidem diſceptatio erat, an rationes, ob quas poſtremis temporibus Eccleſia Calicem prohibuerat non celebrantibus, perpenſæ præſentis ætatis trutinâ, præponderarent vtilitati, quæ trahi poſſet ex aliqua conceſſione, quibuſuis conditionibus reſtricta: cùm certum ſit, articulum illum à Patribus non fuiſſe ita digeſtum, vt de illo Fidei definitio eſſet habenda; ſiquidem numquam fuerat in dubitationem reuocatum, adeoque nec futuro examini commiſſum, an euenire poſſet caſus, in quo huiuſmodi conceſſio futura eſſet licita ac prudens; quando Synodus ipſa Conſtantienſis declarauerat, hanc ſibi auctoritatem reſeruare, Baſileenſis eâ vſa fuerat; Romani Pontifices Paulus & Iulius recèns eam legem relaxauerant, & Græcis Catholicis ſine controuerſia vſus Calicis erat permiſſus. Non omiſit igitur Synodus, pro eo quod abſque dubio viſum eſt Suaui, declarationem ſibi priùs reſeruatam alicuius dogmatis ſolùm, cùm anteà haberet in animo per ſeipſam ferre ſententiam de articulo commemorato, qui & factum complectebatur, & ad prudentiæ deliberationem ſpectabat, non ad Fidei deciſionem. Poſteà narrationum dubitatio, ſententiarumque varietas effecere, vt rem reponeret in Pontifice, quippe diſtinctiùs ac penitiùs edocto rerum præſentium conditiones, quàm Patres, plerumque illarum regionum, quibus Calix poſtulabatur, imperiti. Et ſanè obſeruare licet, à Synodo, dum in Pontificem negotium reiicitur, nuſquam vſurpari verbum, quod habendam à Pontifice definitionem ſignificet, ſed ſolùm dici, vt ille *pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipublicæ Chriſtianæ, & ſalutare petentibus vſum Calicis fore iudicauerit.* Sed falſi aſſertori ſubdola ars eſt falſum pro indubitato affirmare, vt animos ab illius trutina diſtrahat. 1562.

1562.

CAPVT X.

Disseritur de iis quæ obiicit Suauis, aut obiecta refert interdicto Missæ celebrandi vulgari idiomate, ipsius precationibus submisse pronuntiatis; auctoritati Episcopis impertitæ in Nosocomia, aliaque pia opera; permutationi postremarum voluntatum, & legum relaxationibus Pontifici reseruatis.

PEr Decreta de Sacrificio datum sermonibus argumentum affirmat Suauis; cuius rei causam profert stili obscuritatem, ob quam illorum sententiæ dignosci non poterant. Sed mirum omnino est, ab hæreticis Transmontanis, qui libris obscurioribus ac difficilioribus oblectari videntur, eos frequenter adducentes, commendantes, & interdum imitantes, non intellecta fuisse illa Tridentini Decreta, quæ inter nos mediocrem cuiuscumque hominis captum non excedunt. Addit, de prohibitione dumtaxat Missæ in vulgari sermone aliquid à Protestantibus mussitatum; sed hoc ipsum *aliquid*, à mente Suauis attractum, modica videtur exhalatio, quæ in fulgur vertatur. Vix enim vmquam super alio argumento adeò efferatus erumpit in rabiem aduersus Ecclesiam, Romanosque Pontifices, vt dicere non vereatur, *Cælum ab illis terra fuisse suppositum.* Sed vnà cum rabie satis etiam ostendit cæcitatem, quæ illius comes esse solet. Conatur ille palàm facere, cuncta idiomata olim fuisse vulgaria, adeoque aliis temporibus Missam vulgari linguâ fuisse celebratam. Num ille vmquam comperit id Catholicos inficiatos? Vocem vllam offendit in Concilio, quæ id ipsum tamquam suopte ingenio malum damnaret? In extremo Canone irrogatur anathema affirmanti linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere. Quam affirmationem sacrilega falsitas in dubitationem non reuocat, perspectâ veterrimâ consuetudine celebrandi Græco Latinoque sermone, cùm ecubi his linguis homines minimè loquebantur. Porrò ad litis cardinem veniamus. Habetur in octauo capite: *Non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari linguâ passim celebraretur.* A nullo prudentis sinceræque mentis viro negari potest, huiusmodi Decretum expedire, positâ iam inter homines tantâ multiplicatione, ac tam frequenti mutatione sermonum; idque tres potissimùm ob causas. Prima est, Quoniam non rarò ab vno idiomate alterius sententia omnino exprimi nequit: quapropter si variis in regionibus, aut in eadem variis temporibus,

poribus, variis etiam sermonibus celebrandum esset, difficile foret 1562.
eamdem prorsus sententiam retinere, adeoque vnitatem Ecclesiæ; ac semper colluctandum esset cum grauissimo labore, & inextricabilibus controuersiis, ad expendendas corrigendasque nouas interpretationes, quas oporteret identidem confici in tanta locorum sermonumque vulgarium varietate. Et compertum nobis est, quantæ fuerit operæ, & quot implicata litibus latina solùm translatio sacræ Scripturæ. Quamobrem leges ipsæ, quæ supra reliqua popularem sermonem postularent, vt à populo eas seruaturo perciperentur, eadem de causa non transferuntur in varia idiomata, sed in sua pristina lingua relinquuntur.

2 Altera ratio est, Sacerdotum per diuersas prouincias communicatio. Etenim si suo quisque idiomate celebraret, plerumque Sacerdotes extra patrium solum celebrare non possent.

Tertia respicit hæreses, ac præcipuè recentes, quæ (vti mos est iniquè litigantium ignorantes Iudices cupere) concitant idiotarum multitudinem ad ferendam de rebus Diuinis sententiam. Idcircò magnæ prudentiæ est prohibere, ne Fidei nostræ mysteria quotidie communi sermone circumferantur à vulgo, nisi pro illius captu à sacris concionatoribus per explicationem ac prudentiam temperata.

3 Videtur autem malignitatis dentibus abreptum id quod Suauis adducit ex duabus Pontificiis litteris, vt in contradictionem incurratur. Altera est Ioannis Octaui[a] ad Sfentum Pulchrum in Dalmatia Principem, vbi affirmat, non aduersari Fidei sacræque doctrinæ, quòd Missa & Canonicæ preces linguâ populari Illyricâ recitentur: idem quippe Deus, qui linguam Hebræam, Græcam & Latinam edidit, reliquas pariter ad suam gloriam constituit. Quibus verbis tacitè refelluntur veteres quidam, qui tamquam illicitum opinabantur, Diuinam psalmodiam proferri extra tria commemorata idiomata, vtpote eiusmodi, quæ in Crucis titulo fuerant consecrata. Iam verò pro certo posito, id Fidei non opponi, cordatus Pontifex non recusauit in ea rerum conditione illi indulgere, quò magis Dalmatas alliceret ad amorem studiumque nostræ Religionis & Apostolicæ Sedis obedientiam, ad quam anteà conuersi fuerant operâ S. Methodij illius Prouinciæ Apostoli, qui Romam venit, rationem suæ atque illorum fidei Pontifici redditurus, cuius litteras, quas diximus, secum retulit. Pontifex igitur, quemadmodum obseruat Æneas Siluius in libro de Bohemorum origine[b], cùm sibi compertum esset, illic non sufficere numerum ministrorum,

[a] Epist. 247. & vide Baronium anno 880.

[b] Cap. 13.

1562. rum, qui ad Latini sermonis vsum idonei forent, quò ibidem disseminarentur ac radices agerent nostræ Fidei dogmata, permisit, vt quoniam id Religioni minimè repugnabat, Missæ, Canonicæque preces celebrarentur ipsorum sermone, ac recitarentur pariter laudes quædam diuinæ, eo idiomate iam editæ à quodam Constantino Philosopho. Atque hinc etiam patet, id tunc vniuersè, & sine Pontificis concessione licitum non fuisse; aliter S. Methodius inutilem huiusmodi petitionem illi non detulisset. Altera epistola, quam Suauis adducit, eódem scripta fuit à Gregorio VII. [c] sed post annos ducentos, adeoque id temporis, quo illic religio fuerat dilatata, & simul cum ipsa sacræ Scripturæ Latinæque linguæ cognitio. Hæc autem Pontifex per eam epistolam Vratislao Bohemiæ Duci scribit: *Quia vero Nobilitas tua postulauit, quòd secundùm Sclauonicam linguam apud vos Diuinum celebrari annueremus officium, scias, Nos huic petitioni tuæ nequaquam posse fauere; ex hoc nempe sæpè volentibus sacram Scripturam liquet, non immeritò Omnipotenti Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & subiaceret despectui, aut prauè intellecta à mediocribus, in errorem induceret.* Et adiicit, tolerantiam permissionemque aliàs habitam minimè ad id sufficere, *cùm primitiua Ecclesia multa dissimulauerit, quæ à sanctis Patribus postmodum firmata, Christianitate & Religione crescente, subtili examinatione correcta sunt.*

[c] Lib. 7. epist. 11.

Quænam oppositio deprehenditur in his epistolis, aut inter se, aut inter ipsas, ac Synodum? Negauitne Gregorius VII. negauit Synodus Tridentina id quod scripserat Ioannes VIII. Ecclesiæ licitum esse cunctis sermonibus Deum laudare, ac celebrare diuina mysteria, quæ à Christo vni alteríve idiomati adnexa fuerant? Tantum abest quod inficiati sint, vt illud potiùs affirmauerint: nam Gregorius illic scripsit, id ab Ecclesia toleratum aliàs fuisse; & tamen in sacris actionibus quod prauum est, illi tolerare non licet, idemque nos Concilium docet. Nam in laudato capite octauo solùm dicit, haud sibi expedire visum esse, vt linguâ vulgari passim celebretur. Ceterùm oportet planè Suauis cum iis loquatur, qui nihil vltra vulgarem linguam didicerunt; dum productam Gregorij VII. epistolam dilacerans, vociferatur, *Probas institutiones promulgari tamquam corruptelas, & ab antiquitate tantummodò toleratas; abusus verò posteà inductos, tamquam perfectas correctiones collaudari.* Quod spectat ad primam huius conuicij partem, vbinam vmquam Gregorius veterem illam consuetudinem corruptelæ nomine deturpauit, tametsi oppositam tamquam meliorem illi prætulisset? Quod

si

si posteà correctam dixit, hoc intelligitur de re ex se licita collata cum meliore, non de illicita ex se cum licita, prout accidit in cunctis humanis sanctionibus, in quibus vsitata est inter Doctores ea loquendi ratio, quòd lex Digesti sit in Codice aut in Authenticis correcta, & quòd Canon antiquiorum Decretalium correctus fuerit in Sexto, aut in alia recentiore Constitutione; nec tamen per hoc intelligitur huiusmodi lex aut Canon fuisse corruptela. Quod attinet ad alteram conuicij partem: Num est abusus postmodum inductus, quòd vniuersè vulgari linguâ non celebretur? An fortè in vsu sunt aut vniuerso Orienti, aut certè maximæ ipsius parti aliæ veteres Liturgiæ, sacræve Missarum actiones, præterquam Græcæ aut Chaldeæ, idiomata iamdiu demortua? In vsu sunt Occidenti præterquam Latino sermone, qui in Germania, in Gallia, in Anglia, in Polonia numquam vulgaris fuit? Quînam igitur audebat Suauis huiusmodi ritum calumniari tamquam abusum, & corruptelam postmodum inductam? 1562.

5 Ad aliud pergamus. Quòd quædam Sacrificij partes submissâ voce proferantur, qui ritus ibidem à Concilio comprobatur, non ea sunt in causa quæ commiscitur Suauis, ligneum sibi signum extruens, quod feriat pro sua libidine; sed sunt reuerà maior illa veneratio, quæ rebus Diuinis oritur ex arcano, & maior ille pietatis sensus, qui excitatur & alitur à silentio; vnde fit, vt qui celebrant, & intersunt, possint attentiùs quæ aguntur mysteria meditari. Hæc autem arcani silentiique decentia in Sacrificiis, ostenditur quoque ex institutione Diuina in sua Lege veteri, vbi præsertim in capite decimo sexto Leuitici, cùm solemne Sacrificium thuris describitur, iubetur solus Sacerdos vltra velum pergere, ibique precari non modò non auditus, sed ne visus quidem à populo. Quin idem pariter naturæ lumine ipsi ethnici in suis sacrificiis agnouere. Quod si huiusmodi consuetudo sensis veterum Patrum non consonaret, sed orta esset ab vtilitate, mortalisque vitæ rationibus, sicuti Suauis blaterat; certè non extaret apud Ecclesiam Græcam, iam tot sæcula seiunctam ab obedientia Romani Pontificis. Præterquam quòd expressa legitur ea consuetudo in vetustissimis Liturgiis S. Basilij & S. Chrysostomi, tametsi de quibusdam vocibus, quæ ibi elato sono dicuntur, cuiusmodi sunt voces consecrationis, Græcus ritus discrepet à Latino.

6 Ex narratione Suauis, si parum fuit quod de Missæ Decretis disserebatur, plurimum fuit, quod de morum legibus vituperatum est. Ac primò refert, complures fuisse stomachatos in ea, quæ fuerant

1562. ſtabilita de auctoritate Epiſcoporum in Noſocomia, in Gymnaſia, & in alia pia opera. Vt cauſam patefaciat huius commoti ſtomachi, ita ratiocinatur: Initio piæ fidelium largitiones deſtinatæ ab ipſis fuerunt Noſocomiis, Gymnaſiis, & huiuſmodi ſubuentioni pauperum; ſed Eccleſiaſtici ſub adminiſtrationis obtentu ad ſe illas traxere, in ſuos prouentus mutatas. Poſteà fideles laici condidere noua Noſocomia, noua Gymnaſia, ac ſimilia opera in priorum, quæ ſibi occupauerant Eccleſiaſtici, ſupplementum. Porrò hi cùm deberent malè ablata ex antiquis reſtituere, iterum ſub fuco procurationis viam ſibi aperiunt ad poſteriores accipiendas. Num enormius latrocinium fingi poſſet, ſi verum eſſet? Sed hinc certiſſimæ quædam conſecutiones deducantur oportet. Prima: Tridentinos Patres, qui tale Decretum tam abominandi furti gratiâ concorditer edidere, fuiſſe conuenticulum quoddam rapaciſſimorum graſſatorum, ab omni fide, honeſtate, humanitate alienum. Sed huic conſecutioni Suauis ipſe, ſibi contrarius, qualis eſſe ſolet mendax, teſtis oppoſitus aduerſatur. Etenim quoties modò Patres, modò alter ex Patribus repugnarunt ſenſibus Pontificis, & vtilitati Romanæ, eorum animos extollit, ſinceramque conſcientiam commendat. Et ſanè Præſides illi, & magna ex parte etiam Epiſcopi, perſtiterunt apud hominum opinionem tam vniuerſali concordique famâ conſpicui, vt longè maior quàm Suauis auctoritas, minimi eſſet ponderis ad nobis perſuadendam tantam de illis omnibus improbitatem. Prætereà nec fieri poterat, vt Patres ad huiuſmodi peruerſitatem agendi aſpirarent, & ad ſua lucra, ipſorum ætate; cùm id temporis rerum ſtatus is non eſſet, vt Principes ac populi id paſſuri crederentur: & Suauis ipſe videtur rem lineare tamquam opus adumbratum, longinquâ poſtmodum ætate colorandum. Hoc poſito, aduertendum eſt, poſſe quidem reliquarum omnium Rerumpublicarum membra allici ab vtilitate ad parandam alienæ rei conuerſionem in vſum remoti ſæculi, non item Eccleſiaſticæ Reipublicæ membra. Siquidem in aliis ſucceſſores propriâ patriæ ſanguiniſque coniunctione cum deceſſoribus connectuntur; adeoque poſterorum emolumentum à viuentibus tamquam bonum proprium ſpectatur: ſed in Eccleſiaſtica Republica Epiſcopus quiſpiam nullum agnoſcit naturæ nexum cum futuris Eccleſiæ ſuæ poſſeſſoribus, quippe qui ex alia familia, aliaque patria genus trahunt. Quare potiùs euenire poteſt, vt ineſcari ſe ſentiat ab vtilitate ad inferendum Eccleſiæ ſuæ detrimentum, in vtilitatem & gratiam laicorum hominum, qui ſecum ſanguine ſunt coniuncti: atque huic Eccleſiaſticorum

sticorum noxæ, vtpote non infrequenti, oportuit occurrere per interdicta, ac per mulctas. Nec sum inscius, fieri posse, vt vnus aliquis, seu quòd mors illi nonnisi tamquam remotissima, & quasi per telescopium oculis obuersetur, seu quòd inaniter percupiat superstitem se in populari quadam gloria clarè victurum, seu quòd gradum, quem obtinet, immoderatius amet, ex huiusmodi studio non modò feratur in nimia, sed præcipitet in iniusta. Tamen humanæ leges, quippe accommodatæ hominibus obstrictis quidem vinculo, quo licite agere prohibentur, sed simul liberis necessitate, quâ priuentur arbitrio, non aliâ normâ dirigi possunt, nisi consideratione illius quod probabilius est ex naturali propensione, & quod frequentius est ex consuetudine communi. 1562.

7 Sed superuacanea sunt argumenta, vbi patent experimenta. Obseruemus, an centum annorum spatio, postquam Decretum illud editum est, tentauerint Ecclesiastici Nosocomiorum Scholarumque bona huiusmodi vnco ad se pertrahere, an contrà eâ ratione custodita fuerint immunia à frequentibus rapinis, per quas ab infidis administratoribus anteà carpebantur. Breuiter: optioni res exponatur, & vrna per manus pauperum, quorum beneficio talia opera sunt instituta, circumferatur; nigrorum calculorum numerus certos nos reddet, num ipsi huiuscemodi Decretum abrogatum vellent ob suspicionem, ne prouentus illos Ecclesiastici ad se deriuent ex curatoribus prædatores. Iam verò quoniam Suauis alienam agens personam piâ commiseratione deplorat miseram laicorum seruitutem, quibus hæ sanctiones omnem adimunt facultatem ad pia opera perficienda pro ipsorum arbitratu, sed solùm pro eo ac Ecclesiasticis libitum est; vellem vt percontarentur similiter Nosocomiorum Collegiorumque conditores, an se grauatos sentiant, quòd Synodus per eiusmodi administrationem Episcoporum prospexerit piis ipsorum donationibus, vt à ministrorum fraudibus tutæ sint; an mallent sanctionem illam, vtpote ipsorum libertati repugnantem, deleri. Certum mihi est, tum pauperibus, tum conditoribus, non prouidam Tridentini Constitutionem, sed simulatam Suauis commiserationem visum iri crudelem. Ceterùm Cardinalium cœtus, destinatus ad interpretanda, si quæ occurrerint ambigua in sanctionibus Tridentinis, declarauit, locum non esse huic Decreto, cùm in huiusmodi piorum operum fundatione apertis verbis excludatur Episcopus, ne illa inuisat: vbi verò non excludatur, & alij designentur executores, vnicum ipsi suffragium æquè ac illis concedi, adeò vt pro maiori sententiarum numero damnentur aut absoluantur administrantes.

1562. De præsentibus ac futuris locuti sumus; quid de præteritis alienæ rei occupationibus dicemus, quas pro certo Suauis assumit ab Ecclesia perpetratas sub hoc velamine administrationis procurationisque eorum operum, quæ in egenorum subsidium sunt instituta? Num fortè succedet huic homini, vt audacia in probationem abeat, adeoque mero ipsius dicto lectores fidem tribuant de illis tam multiplicatis, tamque execrandis rapinis veterum Ecclesiasticorum? Equidem vereor, ne hanc ille fidem assequeretur in multis ob nimiam hominum propensionem ad deteriora quæque credenda de iis, qui vitam probiorem profitentur: vererer inquam, nisi ad primum obtutum falsitas appareret. Quânam hominum ætate reperitur, ab aliqua Circe laicos omnes in caudices fuisse transformatos, qui se spoliari sinerent tam multis bonis, in tanta prouinciarum varietate, adeò vt nemo resisteret, aut certè quidquam ex aduerso mussitaret? Parcúntne veteres Historiæ Ecclesiasticorum operibus, an potiùs pro ea quam modò considerauimus hominum malignitate amplificant praua, & dubia siniſtrè interpretantur? Et tamen de huiusmodi fraudibus innumeris & grauissimis nihil loquuntur. Sed huiusce veritatis certiúsne argumentum quærimus? animum cogitationemque conuertamus ad ea loca, in quibus Ecclesiastici maximè liberam dominationem obtinent, adeoque in quibus possent ea bona sibi tutò occupare; & quid ibi accidat obseruemus. Vbi gentium ipsis permitteretur, has pias donationes in suam vtilitatem conuertere facilius, quàm in ea ditione, quæ appellatur, & est in bonis etiam terrenis *Ecclesiastica*, & sub Ecclesiasticorum dominatu? Eam inspectemus, inspectemus Romam ipsius Regiam, & cum reliquis orbis terrarum vrbibus conferamus. Affirmare nil vereor, nullam repertum iri ditiorem redditum qui destinantur & impenduntur in sumptus Nosocomiis, Collegiis, Scholis, aliisque piis operibus suppeditandos ad pauperum subsidium.

Neque sistam in eo probationum genere, quas Scholæ vocant *à posteriori*, & quæ, tametsi euidentissimæ pateant, minùs tamen obtinent de seueritate scientiæ, vt quæ ab effectis non à causis trahantur: ratiocinationem aliquanto altiùs petamus, atque, vt dicunt, *à priori*. Si velimus pro certo ponere, eos qui sua bona Deo tradidere, piè prudenterque illa donasse, inducemus in animum, donum ita fuisse ab ipsis collatum, vt solùm subuentioni pauperum consuleretur, neglecto quocumque alio laudabili Christianæ liberalitatis fine, cuiusmodi sunt litteratorum ac virtuti studentium

præmia,

præmia, alimenta ac stipendia diuinas laudes canentium, Præsulum Ecclesiasticorum splendor: breuiter, quidquid confert ad conseruandam frequentiam æstimationemque illius Reipublicæ, cuius vnicum munus est cultus, custodia, amplificatio Religionis. Quis vmquam id sibi persuaserit? Cùm præsertim hæc Respublica non sit quædam certa ratio, ab ipsis laicis distincta, sicuti perperàm ratiocinantur ij, qui eam student in inuidiam æmulationemque reuocare; sed ex illorum filiis ac fratribus conflata, atque ipsorum singulis patens, quibus libuerit se in eius album referre. Addo, dum aliis hisce piis operibus consulitur, consuli meliùs iisdem pauperibus, quàm si cuncta ipsis fuissent à donatoribus destinata. Meum dictum confirmo. Primò, Præsules, viri docti, & Sacerdotes, qui amplè huiusmodi bonis dotati sunt, bonam eorum partem in leuamentum inopum conuertunt, complures ex charitate, alij boni nominis gratiâ, cuncti ob vniuersalem illam necessitatem, quòd cùm diues omnem rem suam nequeat suum in ventrem intrudere, necesse tandem est, eam multos in pauperes dispertiat. Secundò; Cùm ipsi concionibus & auctoritate Fidem & immortalis vitæ respectum conseruent, amplificentque, in causa sunt, ne misericordiæ fons vmquam arescat, aut minuatur; quin potiùs vt noua semper & larga subsidia indigentibus diffundat, tamquam opus tam commendatum in nostra Religione ad impetrandam peccatorum veniam, ac sempiternam felicitatem. Itaque non modò re perpensâ ex argumentis, quæ commonstrantur ab ipso facto, longè abest ab Ecclesiasticis omnis suspicio iniustæ occupationis in hoc genere; sed etiam ex rationibus honestatis ac prudentiæ, quæ potuerunt ab initio voluntatem mouere piorum donatorum, credibile non est, ipsorum largitatem ad merum pauperum subsidium fuisse restrictam, quemadmodum pro indubitato Suauis assumit. 1562.

10 Pergit referre obiectas capiti sexto accusationes: nam ibi pro certo ponitur, inesse in Ecclesia potestatem voluntates vltimas commutandi. De hoc alibi verba fecimus, vbi videbatur Suauis hanc auctoritatem vniuersè inter mortales inficiari, cùm eam conferret cum potestate auferendi à viuentibus id quod possident; nunc verò ad solos Principes laicos eam coarctat: & liquidò constat de discrimine inter eorum ac Pontificis auctoritatem: quemadmodum illi Dei locum tenent, quatenus illa moderatur homines secundùm statum naturalem ac terrenum; ita munus ipsorum est dirigere Rempublicam ad felicitatem naturalem; & ad eorum iurisdictionem attinet, normam præscribere subditorum donationibus, aut

1562. viuentium aut defunctorum, ad hunc finem spectantibus: sed præterea constituit Deus suum Vicarium generalem, quatenus Deus ipse proprium quemdam hominum cœtum moderatur, cui nomen Ecclesia; qui homines per Fidem ac Baptismum capaces effecti sunt beatitatis naturam superantis, atque cælestis; ac proinde ab huiusmodi Dei Vicario par est dirigi fidelium opera, quatenus ea tendunt in finem hunc celsiorem, adeoque commutari etiam defunctorum donationes eodem tendentes, cuiusmodi sunt omnes piæ largitiones, easque in alia pia opera melius ad idem conducentia transferri. Porrò huius potestatis vsus quàm parcus circumspectusque sit Romæ, vnusquisque poterit experiri, qui tales ibi commutationes efflagitat.

Postremò narrat Suauis in eo capite, animaduersum fuisse, antiquitus facultatem relaxandi leges penes cunctos Episcopos perstitisse, sed à Pontifice eam sibi fuisse reseruatam, per speciem quòd rei grauitas id postularet: nunc verò cùm in Synodo statuatur, legum relaxationes à Pontifice eisdem Episcopis committi, satis videri, non alia de causa illam Pontifici reseruari, nisi vt petitores adigantur Romæ sibi diplomata comparare. Stultam sanè malignitatem! perinde quasi idem foret, cognitionem causæ, & executionem beneficij Episcopo committere, ac eidem relinquere liberam potestatem, quam ipse eâ non reseruatâ obtineret: vel talpa quidem discerneret ingens inter hæc duo discrimen. Quin certum est, tum priora Pontificum Decreta, sibi eam potestatem reseruantia, tum posteriorem Synodi sanctionem mirificè conspirare ad nimia legum laxamenta præpedienda; quæ sicuti moderatè obstrictoque quasi pugno concessa legem confirmant, dum tolerabilem reddunt; ita sine modo mensuraque profusa venerationem & custodiam, ipsius veluti neruos, illi adimunt. De hoc publico ex ea potestate reseruata emolumento, in memoriam reuocent lectores id quod alibi considerauimus, quò debiliorem penes manum relaxationum clauis habetur, eò facilius ac frequentius eas extrahi quà fauore, quà prece, quà metu; & idcircò benè constitutæ Respublicæ facultatem relaxandæ legis in re graui coarctare consueuerunt ad supremos magistratus; qui vt validiores, ita minùs indigentes, minusque timidi sunt, adeoque magis inexpugnabiles legum custodes. Neque hoc aduersatur vtilitati sanctionis Tridentinæ, Ordinarios destinantis ad perpendendas exequendasque legum relaxationes; cùm obseruare generatim oporteat, supremum magistratum in vno tantùm loco degere, adeoque sicut is longè abest à peculiaribus regio-

regionibus, ita casus peculiares minùs callere, quàm minores magistratus, iis in locis commorantes. Quare quantò minùs cogitur petitorum rationem habere, tantò maiori è conuerso subditur fraudis periculo. Eapropter expedit, vt postquam petitor productis petitionis suæ causis obtinuerit à magistratu supremo legis relaxationem, tamquam rationi consentaneam, positâ expositæ causæ veritate, expedit, inquam, vt hæc veritas expendatur, probeturque coram alio magistratu, qui certiorem de re notitiam habere possit: atque huiusmodi est Iudex, Ordinarius loci. Quânam igitur aptiori formâ poterat Ecclesia prospicere custodiæ suarum legum, suæque disciplinæ, quàm reseruatis legum relaxationibus in rebus grauioribus supremo moderatori, hoc est Romano Pontifici, ita tamen, vt tales ipsius concessiones ad veritatem facti discutiendam proprio loci Iudici, hoc est, Ordinario committantur? 1562.

12 Duo, tametsi aliò spectantia, tamen vt quæ imprudenter hîc è calamo euolarunt Suaui, nolo vt è manu mihi pariter euolent: etenim scriptor mendax hoc discrepat ab aliis Auctoribus, quòd ratiocinatio inniti debeat in eo quod ipse fortuitò, non consultò dicit. Eorum alterum est, Pontificem iussisse grates agi Oratori Gallico, & Heluetico, & Hispano homini, qui Piscario à secretis erat, quòd acerba Cæsarianorum Gallorumque sensa in cœtu mitigassent; nec minùs Oratoribus Veneto ac Florentino, quòd ibi noluerint interesse, eosdemque simul rogari, vt in posterum interessent, quippe quorum præsentia nonnisi prodesse poterat Apostolicæ Sedi, & praua consilia impedire; & à cunctis (sic ait Suauis) *promissa retulit, ita se peracturos; intelligentes, ab obsequio diuino id temporis postulari, vt auctoritas Pontificia defenderetur.* Iam verò si ex mandatis maximorum ac sapientissimorum Principum ita censebant illi omnes Oratores; quæ Suauis temeritas, aut quæ prauitas fuit hominis, vni ex illis subiecti, & stipendio addicti, suum sibi quasi opus proponere euersionem Pontificiæ auctoritatis, conarique non quidem vngues aut capillos resecare in aliquo articulo causarum ad forum spectantium; sed caput ac viscera in Ecclesiæ Principatu, Fideique integritate amputare?

13 Alterum est, Suauis excusatio, hîc initio libri septimi apposita, quòd ipse minutiùs non recensuerit actiones Concilij, ex defectu in plerisque partibus sufficientis notitiæ; qui defectus, inquit, admirationi esse non debet, *nam omni studio à viris perspicacissimis labor omnis impensus est ad cuncta occultanda.* Accipiamus id quod Suauis fatetur, in plerisque partibus monumenta rerum hîc gestarum

sibi

1562. sibi haud innotuisse, quæcumque fuerit causa, de qua infrà. Id certè plurimum est ad eleuandam ipsi boni historici auctoritatem. Id ostendet similitudo, quam suprà retuli tamquam vsurpatam ab aliis, & alterius rei gratiâ. Quemadmodum qui solius manus anatomiam inspiceret, ignoraretque membrorum omnium constitutionem, ne ipsius quidem manus posset reddere rationem, cùm illa totius corporis magisterio congruat, adeoque agnosci nequeat Naturæ sapientia in extruenda manu ab eo qui comparatè ad reliquum corpus eam non considerat; quod pariter in ædificiis, & in quouis opificio contingit: ita nequit historicus plerumque peculiaria quædam negotiorum ciuilium eâ formâ exprimere, quâ illorum honestas aut prauitas, prudentia aut imprudentia palàm fiat, si nesciat ipse, & non exponat reliquas partes integræ rerum tractationis: cùm humana opera speciem suam desumant à fine, bonitatem verò aut prauitatem à conditionum omnium societate.

Dum autem affirmat, tanto studio illarum rerum monumenta fuisse occultata, Suauis imitatur hominem, qui obductâ illi per noctem ante oculos membranâ, querebatur, lucernas sibi ab aliis extinctas. De Concilio ætate Pauli, præter commentarios ab ipso lustratos, supersunt apud complures volumina litterarum Ceruini Cardinalis, litteræ ad ipsum scriptæ à Cardinalibus Farnesio & S. Floræ, Acta Massarelli, qui Synodo à secretis erat, eiusdemque ephemeris, ex quibus nihil ad ipsius oculos peruenit, vt pluribus in locis patefactum est. De conuentu sub Iulio, qui breuis modicique negotij fuit, pauca extant monumenta, præter Acta, compendia variarum inter minores Theologos disputationum, & quædam autographa litterarum Pontificis ad Crescentium Legatum, quæ cuncta verè admodum recondita sunt; & non modò Suaui ignota; sed postrema, quæ rara sunt, & parui ad rei summam momenti, ne mihi quidem comperta ante primam prioris Partis editionem. Verùm de vltima Pio sedente Synodo, tam diuturna, factisque abundante, habentur in variis Bibliothecis Acta Paleotti, Diarium Seruantij, Legatorum epistolæ ad Borromæum, Cæsaris ad Oratores suos, Fuscararij ad Moronum Cardinalem, Strozzij ad Cosmum Florentiæ Ducem, Seripandi ad Amulium, cum aliis eiusdem narrationibus distinctis, ac plenis, ad primum postremumque conuentum pertinentibus, quibus ille aliâ conditione interfuit, nec minùs Acta Salmanticensis Antistitis. Hæc Acta de quibus aliàs mihi fuit habenda mentio ex transcursu pollicito, post ampliorem eorum notitiam, seruantur reipsa in Hispania, & exemplar, quod est apud me,

me, desumptum fuit ex originali, quod penes Ægidium Gonzalez de Auila historiographum extabat: inde exscribendum curauit anno 1622. Dominicus Pimentellus, Castellanæ Prædicatorum Prouinciæ moderator; qui posteà ad Ecclesiam Cordubensem euectus, Catholici Regis Orator ad Vrbanum VIII. venit; dein verò Hispalensis Archiepiscopus renuntiatus, ac denique insignitus Purpurâ Romam rediit, ad sepulchrum potiùs quàm ad Senatum, paucos intra menses, relictis egregiæ pietatis exemplis. 1562.

Et tamen hæc omnia monumenta ignorauit Suauis, ne quid loquar de tot peculiaribus scripturis, spectantibus ad hanc illámve peculiarem actionem Concilij, quæ adhuc superstites & adspectabiles, si omnes vnà componantur, sufficientes vtique sunt ad vniuersalem exactamque illius magnæ molis effigiem conformandam. Præterea litteras Iadrensis Archiepiscopi ad Cornelium Cardinalem; hæ siquidem in lucem editæ reuerà non sunt nisi post creationem Alexandri VII. ex dono heredum, sicuti narrauimus. At verò quàm facilè potuissent Romani Pontifices hæc illarum actionum testimonia maxima ex parte supprimere, præsertim cùm ea seruarentur penes viros sibi patriâ subiectos, & non quasi ex Fisci metu absconditâ, sed studiosis amicis liberè concessa? Neque obteguntur in his humanæ quædam labeculæ, quibus insperfi fuerunt aut Pontifices, aut Legati, aut Patres Tridentini, quin nonnullæ commemorantur admodum notabiles, quæ pro veritatis officio à nobis scriptæ sunt, & à Suaui ex ignorantia prætermissæ.

Quare adeò expostulandum ipsi non erat, præcisos fuisse canales, eò quòd animaduertebat, fontem suum identidem aquâ carere. Nos verò pergamus narratione palàm facere, notitias illius Operis memorabilis haud sepultas latere: illæ tamen sepultæ, & quotidianæ, videntur esse, ex quibus historiam suam Suauis contexuit; adeò deprehenduntur & corruptæ mendacio, & fœtidæ malignitate.

1562.

CAPVT XI.

Noua postulata Gallorum ac Cæsarianorum de prolatione Sessionis, morumque correctione. Legatorum responsa, significata ab ipsis Pontifici, de Correctione, & ab eo reddita in communi mandata, & priuatim Simonettæ.

LEgatis vix licuit Sessionis habitæ lætitiam delibare, cùm illam nouâ amaritie insperſam senserunt acri operâ Gallorum ac Cæsarianorum [a]; qui tametsi discreti personis se gererent, tam concorditer sententiis locuti sunt, vt se satis ostenderint de opere conuenisse. Dixerunt Galli, paulò antè accessisse tabellarium, à Christianissimo Rege celeriter missum quò ante Sessionem perueniret, mandata quædam ipsis deferentem, præcipuè vt illam protraherent; quorum sententiam Legatis aperuere. Ea erat [b]: Cùm Regi innotuissent quæ Synodus peregerat vsque ad postremam Sessionem, habitam 16. Iulij, tum in reseruanda deliberatione de vsu Calicis, tum in proponendis posteà articulis de Sacrificio; non posse se non commendare pia ad extirpandam hæresim Patrum studia: calumniam à se putari, quod quidam aiebant, præcipitari à Patribus sanctionem dogmatum, quæ inter eos omnes conueniebant; & prætermitti, aut certè segniter agi morum reparationem. Tamen pro salute regni sui, in quo Catholici, nisi opportunè consuleretur, ægrè possent ampliùs in Fide persistere, velle se, vt quædam rerum capita infrà scripta ab Oratoribus proponerentur.

Triginta annorum decursu in irritum recidisse inflicta hæreticis supplicia, siue aspera, siue mitia: hinc statuisse Regem medicinam quærere ab Oecumenica Synodo. Hactenus ciuilium bellorum causâ præpeditum Galliæ fuisse complurium suorum Præsulum illuc accessum. Ad id quod optabatur consequendum, opus esse, vt per ea Synodi initia nihil conficeretur quod seiunctos irritaret; sed vt inuitarentur humaniter, & vbi accederent, tamquam filij à parentibus haberentur; quâ ratione sperari poterat eos ad frugem reuocatum iri. Tam feruidum in præsentia dogmatum examen videri non modò superuacaneum, sed parum pertinens ad Catholicos in Ecclesiæ doctrina constantes, & omnino infructuosum hæreticis, qui inde occasionem querelarum, quasi priùs damnati quàm auditi, librorumque ad se tuendos scribendorum argumentum peterent. Vnicè igitur impendendam industriam ad reformandos mores, tam-

[a] Epist. Legatorum ad Borromæum, 21. & 24. Septemb. 1562. & narratio Musotti.

[b] Scriptum Regis ad Oratores missum, signatum 12. Septemb. 1562.

tamquam ad opus omnibus gratum: à Rege tamen & hæc mandata, 1562.
à se suis Oratoribus missa, & seipsum subiici, pro eo ac debebat, prudenti pioque iudicio Concilij.

3 Quam demissionem tam reuerentem ac religiosam tam præcelsi Regis referre non curauit Suauis in sua minuta narratione illius regij scripti[e]; quod tamen typis expressum legitur. Quin vbi dicitur in eo, videri in præsentia dogmatum examen *parum pertinens ad constantes Catholicos*, Suauis, vt depingeret in Rege contumeliam ac despectum erga Concilium, vertit Italicè, *impertinente à Cattolici*, quæ vox apud Italos *temerariam audaciam sonat*.

e In citato libro Gallico.

4 Pergebat eo scripto Rex petere moram Sessionis, aut certè promulgationis de Decretis Sacrificij vsque ad exitum Octobris, quo tempore essent ibi adfuturi Episcopi Galliæ: interim verò, vt nauaretur opera omni studio disciplinæ reformandæ. Et quoniam mussitabatur, mutatum quibusdam in rebus fuisse veterum Conciliorum morem, in quibus semper Principibus, eorumque Oratoribus licuerat exponere consuetudines suarum prouinciarum, & ea quibus illæ indigerent; postulare Regem, vt ea auctoritas seruaretur illæsa, & si quid illi oppositum peractum fuisset, reuocaretur. Quod pariter à Suaui corrumpitur; refert enim tamquam absolutè postulatam eam reuocationem, quæ in regiis litteris solùm sub conditione ponitur.

5 Adiecerunt Oratores, Reginam quoque iis de rebus ad Pontificem scripsisse: sed quoniam fieri non poterat, vt mandata de trahenda mora Tridentum tempori peruenirent, suarum petitionum summam hanc esse: Vt de duobus postremis Sacramentis nihil omnino agitaretur vsque ad ineuntem Nouembrem, aut saltem restringeretur tractatio ad solum Ordinis Sacramentum: quod si adhuc vellent de vtroque differere, id ita fieret, vt alternatim vnum aut duos dies disputaretur à Theologis de doctrina, ac tantumdem temporis haberetur à Patribus consilium de restitutione disciplinæ. Hinc ad querimonias progressi sunt, quòd articuli super ea tam serò Patribus proponebantur, vt tempus non suppeteret ad maturè deliberandum: ac insuper postularunt, vt antequam proponerentur articuli, secum communicarentur, quò possent commodè posteà exponere quidquid existimarent profuturum aut speciatim suis regionibus, aut generatim Christianæ Reipublicæ, secundùm suorum Principum iussa.

6 Drascouizius præter hæc Ferdinandi litteras protulit, in quibus narrabat, Pontificem Oratori suo Romæ spopondisse, plenam mo-

1562. rum emendationem statuere, actis Cæsari gratiis, quòd eam vrgeret. Dein postulatum iterauit, vt Legati Synodo proponerent, aut ab Oratoribus proponi sinerent volumen illud ad se missum à Cæsare. Postremò significauit, ad rem bene conficiendam opus esse ordinem Concilij mutari, numerariq́ue suffragia non pro capitum, sed pro nationum numero.

Breuibus responsum à Legatis: Postulata rationi consentanea non videri; se tamen consultiùs ac distinctiùs quàm primùm responsuros quid de singulis ipsi censerent: solùm pronuntiarunt, multa in eo volumine digna non esse quæ proponerentur; cuiusmodi erant Sacerdotum coniugia, bona Ecclesiastica iniustè occupantibus relicta; & Sacramentorum administratio hæreticis permissa ex Catholicorum defectu; per ea postulata nihil impetratum iri: & alioqui rem propositam reddituram Augustissimum Cæsaris nomen hominibus vituperabile, & odiosissimum Concilio. Verùm Drascouizius adiecit, Quamquam Præsides earum petitionum repulsam præuiderent, & aliarum etiam, qualis ea erat, vt Cardinales ad numerum vigesimum sextum redigerentur; eas tamen proponerent, quò palàm fieret, ab ipsis Cæsarem, eiusq́ue postulata plurimi haberi.

Ex his variisq́ue similibus coniecturis opinati sunt Præsides, tum Cæsarianos tum Gallos non emendationis desiderio moueri, sed prorogationis, quâ opus erat ad duos trésve annos, vt illius voluminis massa digereretur, minori tempore haud concoquenda: adeoq́ue eò tendere, vt apertam Synodum haberent quasi tormentum ad ictum instructum, vt interim maiori compendio cùm contumacibus ipsorum subditis paciscerentur. Quamobrem per certum cursorem de iis omnibus Borromæum edocuerunt, & per Musottum, qui Seripando à secretis erat, responsa Oratoribus reddiderunt, Gallis significantes[d]: Postridie Theologos incepturos agere de Ordinis Sacramento; quo ab illis absoluto, inchoatum iri deliberationem de iis, quæ ad illud Sacramentum spectabant. Inter vtrumque opus tantum temporis elapsurum, quantum ad Gallicorum Præsulum aduentum satis esset. Antequam morum leges proponerentur, eas Oratoribus indicatum iri, quò possent significare quid ipsis occurreret, siue ex propria sententia, siue ex suorum Principum mandatis. Interim verò ea capita iidem scripto exhiberent, quæ idonea existimarent, quò de illis consultiùs deliberaretur; simulque conscriptum Legatis traderent id quod anteà ipsis & legerant ex Regis mandato, & suâ voce exposuerant. Etenim

[d] Cuncta extant præter citatas scripturas in peculiari, de hac re narratione Musotti Romam missa.

in

in eiusmodi obiectis id accidit animo, quod oculis in corporibus, quò nimirum visio rectè formetur, opus esse vt ea nobis non volitantia in verbis obuersentur, sed fixa in paginis. 1562.

8 Ad hæc Oratores: Quod ad primum attinebat, nihil sibi addendum supereſſe; solùm monere, ne res ita procederet, vt cùm Episcopi Galliæ accederent, confectam reperirent; ac proinde cùm sibi satisfactum in eo esset, non oportere nouum de illo scriptum tradere præter regium mandatum, cuius exemplar, antequam illud à Musotto peteretur, missum iam fuerat ad Legatos. Nihil sibi peculiare de morum emendatione proponendum suppetere; illam à se in Patrum pio studio sensuque reponi; præterquam quòd nec ipsis de ipsa loqui liceret, antequam suos Præsules audirent. Id quod à se proponi oporteret, potissimum esset, vt veterum Synodorum sanctiones custodirentur: quod si fortè obsoleuissent, renouarentur; se tamen Legatos monitos velle, vt volumen illud à Cæsare missum Synodo proponerent, idque ob generale quoddam mandatum, quo iubebantur reliquorum Oratorum postulatis obsecundare, ac præcipuè Cæsareorum, vbi ea honesta censerent.

9 Eadem Præsidum responsa Gallis reddita, ad Cæsarianos pariter à Musotto delata sunt; sed ægrius ab illis excepta, aientibus, se speraſſe maiorem habitum iri rationem de Cæsaris postulato, integram dogmatum dilationem cupientis; præsertim cùm ad eamdem impelleret proximus complurium Episcoporum, Gallorum, Germanorum, ac Polonorum aduentus: rursumque in petitiones & querimonias non semel habitas effusi sunt.

10 Horum omnium quæ transacta fuerant, breuem narrationem conscribi à Musotto, in iisdem conficiendis ministro, iusserunt Legati, eamque cum ipsis Oratoribus communicarunt, ne postmodum in re discordarent, ac demum eiusdem narrationis, redactæ in formam ab his comprobatam, exemplar Romam miserunt: hinc illis opportunitas data [e] liberè scribendi ad Borromæum, Cæsarianos Gallosque numquam quieturos, donec proponerentur ac statuerentur quædam rerum capita contenta in volumine ab alteris allato, & in conuentu Possiacensi ab alteris habito. Risu ab illis excipi emendationes hactenus promulgatas, despiciqué vti leuissimas, ac tantâ Synodo indignas: nullam suppetere efficaciorem rationem ad coërcendos silentio obtrectatores, negantes Pontificem ex animo velle disciplinæ correctionem, quàm eas, vt videlicet attente consideraret Pontifex quæ proponebantur in eo libro, & in eo conuentu, auferretque inde cuncta Pontificali auctoritati noxia,

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 24. Septemb. 1562.

1562. nec minùs alia suprà memorata, quæ ne ipsi quidem Lutherani fuissent ausi deposcere, & aduersus quæ Legati, vbi opus foret, discrimen capitis subiissent. In reliquis ferè omnibus videri sibi posse illis Principibus ac Prouinciis satisfieri; atque ita simul satisfactum iri cunctis hominibus, quibus ex amplitudine partis concessæ compertum foret, ad partem alteram denegandam, à ratione ac necessitate se tantùm adigi. Eo pacto consecuturum Pontificem gloriam, quæ posset maxima in terris obtineri, ob reformatam ac restitutam, quod in se esset, Ecclesiam: sed necesse ad id fore, vt sibi mitterentur in tempore Decreta, quibus assensuri essent, vt simul scirent, quo pacto vsque ab initio negotij agitandi illud ab ipsis gerendum esset, simulque possent secundùm Oratorum postulata cum illis atque etiam cum Patribus paratas sanctiones communicare. Hisce litteris fortiùs incaluerunt aliæ, ab ipsis Legatis anteà [f] scriptæ (nimirum paucas ante horas quàm ad eos accederent Oratores) quibus litteris ad Borromæum perscripserant varia rerum capita, quæ à Patribus vniuersè expetebantur, addentes, Quamquam ipse anteà sibi significasset, velle Pontificem per seipsum consulere obstaculis mansionis, adeoque vt ab eo negotio se abstinerent; adhuc tamen à communibus postulatis se ad id scribendum adductos.

[f] 21. Septembris 1562.

Et sanè Pontifex suspicionibus commotus ob tumultus de desinendâ residendi necessitate, & ob liberiorem Cæsarianorum Gallorumque sermonem, apud se statuerat vti aliquâ erga Synodum restrictione ad huiusmodi sanctiones, cùm eas mallet suâ ipse manu conficere, de qua non poterant, sicuti de aliena, dubitare, ne illa impetu capto vltra signum iacularetur; sperabatque id se [g] absque Principum repugnantia consecuturum, quandoquidem reipsa seueris & opportunis legibus singula Romana tribunalia corrigebat; & insuper declarauerat, vbi Principibus satis non essent quæ ipse sanciuerat, conaturum se cuicumque nouo ipsorum postulato satisfacere, dummodo illud preces non vim præ se ferret. Quare in hanc sententiam mandata Legatis dederat, atque iterauerat. Verùm ad recentes eorum litteras mentem mutauit, præsertim admonitus à Vicecomite [h], Drascouizium duobus post commemoratum cum Legatis colloquium diebus, captâ opportunitate cuiusdam cœtus in templo habiti, ibidem remansisse, retentis secum Episcopis Hungariæ ac Poloniæ cum parte maiore Hispanorum, eosque cohortatum fuisse ad exactam emendationem Ecclesiæ, quibus aiebat Cæsarem, tunc à quauis sollicitudine militari liberum ob inducias cum Turca, omnem opem præstiturum, modò ipsi in eo concordes

[g] Cuncta apparerent præsertim in epist. Borrom. ad Legatos, 6. Aug. & in memorata Legat. epist ad Borrom. 4. Septembr. & in aliis Borrom. ad Legat. 26. & 30 Septemb 1562.

[h] Arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom. 24. Septemb. 1562.

des feruentesque perstitissent: illi fuisse grates à Guerrero perso- 1562.
lutas ob operam oblatam, responsumque, ipsos inter se de negotio acturos. Posteà verò statutum fuerat, vt sex eligerentur, qui opportuniora adnotarent, connumeratis etiam inter sex illos eodem Guerrero, Archiepiscopo Massanensi, & Segouiensi Episcopo: cùm obstitit ne id fieret Martinus Corduba Episcopus Durtosensis, affirmans, eam esse Drascouizij technam, non correctæ disciplinæ desiderio, sed quò ipsorum manibus in angustias redigeretur Pontifex, adeoque concessio Calicis, eorumdem sententiæ ac voto contraria, extorqueretur.

12 Cognouit ex his Pontifex, à cunctis aut optari morum correctionem in Synodo statuendam, aut id simulari, vt ageretur cum ipso eâ veluti machinâ deterrito, ex altiori quasi loco: quapropter mutato consilio statuit simul egregio illo opere religionis studiosis gratificari, simul eam molem euertere politicæ calliditatis. Variis igitur litteris respondit [i] aliis suo nomine & etiam chirographo scriptis ad principem Legatorum, aliis Borromæi nomine ad cunctos Legatos, in hanc sententiam: Nonnisi paulò anteà nouo postulato Episcopum Antisiodorensem Oratorem Gallicum à se petiisse, vt haberetur dilatio. Responsum à se, Synodum esse liberam, adeoque id ab ea petendum. Verùm se Legatis significare, optari à se, vt fortiter ac sollicitè definitiones morumque leges peragerentur, pro eo quod diuinum obsequium ac recta ratio postulabant post tot inutiles moras. Volumen Cæsaris, & sanctiones habitas in Gallico conuentu, attentè perlecta à se fuisse; & ea pariter, quæ ex rebus postulatis Legati scripserant, videri sibi posse concedi. Se quò illis Principibus nationibusque satisfieret, indulsisse vltra Legatorum consilium, per ea quæ in appositò scripto præbebantur. Vbi Oratores ne his quidem acquiescerent, se Legatis ipsis, ac præcipuè Mantuano permittere, vt illos limites, quantum vellent, transilirent, dummodò sine detrimento Sedis Apostolicæ. Si præterea iterum vrgerentur à Cæsarianis, vt integrum volumen illud in generali conuentu legi sinerent; illud etiam haud recusandum, dummodò id fieret ab ipsis non tamquam ea ita proponentibus, vt cogerentur Patres ad ferenda suffragia de singulis tam multorum capitum, & quorum aliqua videbantur absurdissima; sed tamquam merè significantibus, quò designarentur Præsules ex variis nationibus, qui illa perpenderent, atque inde sumerent illud solum, quod trutinâ & vrnâ dignum animaduerterent.

[i] Die 30. Septembris, & 12. Octob. 1562.

13 Super iis etiam morum emendationibus, quæ à Legatis Pontifici ostensæ

1562. ostensæ fuerant tamquam à Patribus communiter expetitæ, is responsa reddidit, illarum plurimis consensu præstito: & quamquam id videretur Pontifici, sicuti pariter Legatis, non modò sufficiens, sed amplum; tamen in vniuerso negotio facultatem impertiit Mantuano eos fines transcendendi. Affirmauit, se illi omnino confidere, solumque vniuersè dignitatem Sedis Apostolicæ commendare, & celerem illius pij operis exitum.

Scripsit præterea à Pontifex ipse peculiarem epistolam ad Simonettam[k], in qua narrauit, visam à se fuisse illius sententiam de iis quæ à Cæsare conuentuque Gallico proponebantur, ac de ceteris ad morum reparationem spectantibus; & eiusdem pio studio collaudato, suâque ipsi commendatâ dignitate, hæc addidit: *Ceterùm quod melius videbitur, agatis. Nostra enim opera numquam deerit in iis sedulò perficiendis, quæ diuino obsequio, publicæ vtilitati conferre censebuntur. Si articulus de obligatione residendi absque graui certamine absolui nequit, in nobis reponatur. Nam quocumque iure mansio præcipiatur, efficiemus vt suam quisque apud Sedem resideat, ne Cardinalibus quidem exceptis. Quod spectat ad Cæsaris librum: placet vt is Patribus legatur; sed legatur simul eiusdem Cæsaris epistola, in qua multa nobis remittit.* Postremò adiecit: *Vos plurimùm hortamur, vt in hoc pium opus constanter incumbatis; cuius felicem exitum vobis post Deum referemus acceptum, ac præcipuè Mantuano.*

k 3 Octobris 1562.

Sed quoniam à Suaui nouis semper ictibus clauus ille defigitur 14
lectorum animis, quòd Synodo facultas non inesset ne latum quidem vnguem transgrediendi eos limites, qui de quouis argumento à Pontifice diserte præscribebantur; atque huiusmodi persuasio iam vsque à Synodi tempore radices egerat in complurium animis, præter ea quæ ad postremos menses pertinent, quo tempore agger apertus est amni prævalido emendationum, & libertas innumeris argumentis clarè patuit; aliquas hîc delibandas adiiciam ex certis contrariis probationibus, quas subinde fusius adducam. Paucis elapsis hebdomadis, postquam Pontifex ea quæ diximus adnotauit super articulis sibi propositis à Legatis, hæc illis verba Borromæus scripsit[l]: *Notæ in quædam emendationis capita eâ solùm causâ missæ sunt, vt quid sentiat Pontifex, innotescat; qui tamen cuncta in vestra prudentia omnino reponit, satis certus, rem ex communi consensu & satisfactione confectum iri.* Verum quidem est, Legatos eâ facultate diu parciùs vsos fuisse; & animaduersâ rerum grauitate, eas non anteà proposuisse, quàm Pontificis mentem cognoscerent: sed hoc ipsum postremò ob diserta & iterata Pij iussa omiserunt,

l 14 Nouembr. 1562.

quem-

quemadmodùm palàm fiet. Interim ad rerum seriem reuertamur. 1562.

15 Legati responsis acceptis contenti [m], æquè festinè atque arcanè in opus incubuere, nec necesse illis fuit integrum Cæsaris volumen in conuentu recitare, nec ibi publicum habere delectum eorum, qui illud expenderent; sed absque strepitu, & reliquis insciis, rem Simonettæ de more commiserunt, adiectis quatuor solùm ministris, ad huiusmodi negotia adhiberi solitis, qui fuerunt Castanea, Boncompagnus, Paleottus, & Castellus. In his nec mentis vigor, nec prudentia, nec fides desiderari poterat; ex quibus postrema dos vt maximè necessaria est, ita difficillimè dignoscitur, adeoque rarissima est, si non reipsa, opinionis certè firmitate. Et iam post multa consilia animaduersionesque, Legatis in promptu erant res publicè proponendæ Patribus & Oratoribus de tam expetita, aut saltem postulata morum correctione: cùm omnes homines ad illius curandæ laudem aspirent, complures ad vtilitatem, quòd ab aliis obseruetur; pauci ad præstantiam, quòd in seipsis eluceat.

[m] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 12. Octobr. 1562.

CAPVT XII.

Articuli de Ordinis Sacramento minoribus Theologis propositi. Leges ipsis præscriptæ in rerum ac temporis partitione. Sententiæ Salmeronis, Soti, & Cornelij. Quæstio orta: Num Episcopi superiores sint Sacerdotibus Iure diuino. *Cura Legatorum in ea restinguenda, ne altera de mansione resurgeret. Obiectæ ad id difficultates. Tria excogitata consilia, quò altera præcideretur.*

1 QVanto acriùs Oratores, impulsis ad aliud opus Patribus, moras interponebant dogmatum definitioni, tantò maiori studio Præsides eam solicitare conabantur, satis gnari, ante ipsius confectionem non posse nisi violentâ morte consilium solui, at post illam, ex arbitratu, non ex necessitate duraturum. Quapropter eodem die, quo aduenerant Oratores dilationem petituri, Legati minorum Theologorum studio commiserant septem [a] nouatorum articulos de Ordinis Sacramento, & hi fuerunt:

[a] 18. Septemb. vt in Actis Arcis Romanæ.

1. *Ordinem non esse Sacramentum, sed certum quemdam ritum eligendi & constituendi ministros verbi & Sacramenti.*

2. *Ordinem non modò Sacramentum non esse, sed esse quamdam fictionem humanam, excogitatam ab hominibus rerum Ecclesiasticarum imperitis.*

1562. 3. *Ordinem vnum solum Sacramentum non esse; & Ordines infimos ac medios non tendere tamquam gradus ad Presbyteratum.*

4. *Nullam esse Hierarchiam Ecclesiasticam; sed omnes Christianos æquè Sacerdotes esse: atque ad vsum & executionem requiri, vt magistratus aduocetur, & populus assentiatur; eum verò qui semel Sacerdos fuit, posse laicum euadere.*

5. *In nouo Testamento non esse Sacerdotium visibile & exterius, nec vllam spiritualem potestatem siue ad consecrandum Corpus & Sanguinem Domini, siue ad offerendum, siue ad absoluendum à peccatis coram Deo; sed solum munus ac ministerium prædicandi Euangelij, & qui non prædicant, absolutè Sacerdotes non esse.*

6. *Vnctionem non modò non requiri ad Ordinum collationem, sed perniciosam & contemnendam esse; similiter & cunctas reliquas cæremonias: & per Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustrà Episcopos in ea dicere:* Accipite Spiritum Sanctum.

7. *Episcopos non esse Presbyteris superiores, nec habere potestatem ordinandi; vel si eam habent, esse illis cum Presbyteris communem, & Ordines ab ipsis collatos sine populi consensu irritos esse.*

In gratiam breuitatis, quæ non modò parcit tempori, sed offen- 2
dicula minuit, adeoque vim habet ad expedienda negotia non maiori solùm numero, sed meliori etiam exitu, duo sunt præscripta[b]: alterum, Vt non omnes Theologi de omnibus articulis differerent: sed qui differerent, in sex classes diuiderentur, quarum quælibet ex omni Theologorum genere constaret, hoc est, ex Pontificiis, ex missis ab aliis Principibus, ex Regularibus & non Regularibus, ex Italis & Transmontanis; atque vt proprium illius classis munus esset adhibere studium, ac loqui super articulis ipsi destinatis.

b Acta Paleotti, & Arcis Romanæ.

Alterum fuit, singulis in dicenda sententia iterùm claustra figere semihoræ, quod spatium capax censebatur omnium quæ ad rem facerent, vbi omnia inutilia resecarentur. Atque ad id inculcandum Præsides mouerat responsum à nobis memoratum Pontificis, qui festini exitus appetens, questus fuerat, suos Theologos præscriptis ad id legibus restitisse. Sed per hæc omnia effectum non est, vt ea temporis præscriptio custodiretur. Etenim nec dicturi sententiam æquo animo patiebantur, laborioſissimos chariſſimoſque ingenij partus silentio suffocari; nec Legatis, vbi ad opus deuentum est, placuit signum edere, quo argueretur, in ipsis aut audiendi lassitudinem, aut festinationem absoluendi præposse studio exactè perpendendi cælestium mysteriorum sanctiones.

c Extant cuncta in Diario.

Primus vniuersalis Theologorum cœtus die 23. Septembris[c] ha- 3
bitus

bitus est. Interfuere Legati, Oratores Cæsarei, Gallici, Lusitanus, Veneti, & Heluetius, tres Patriarchæ, duo de viginti Archiepiscopi, centum quadraginta sex Episcopi, duo Abbates, quinque Regularium summi Moderatores, octoginta quatuor Theologi, complurésque Doctores ac viri nobiles cum plurima aliorum frequentia. Verba fecerunt de primis tribus articulis, primæ Theologorum classi destinatis, tres ex ipsa, Alfonsus Salmeron, Theologus Pontificius, Ferdinandus Bellosilius, & Didacus Payua, vterque Clericus sæcularis, missi alter à Philippo, alter à Sebastiano Rege. Salmeronis oratio in Diario recensita, fuit huiusmodi: Sacrificium ac Sacerdotium non solùm inter se connecti, sed seiungi non posse, adeoque alterius doctrinæ doctrinam alterius meritò succedere. Lutherum ad euertendam Ecclesiam negasse Ordinem Sacramentum esse. Ordinis nomine varia significari; modò rerum dispositionem, quemadmodum illud vsurpat S. Augustinus lib. 19. de Ciuitate Dei; modò gradum eminentem in Ecclesia: ita distinguimus à Diaconatu Presbyteratum, & ab hoc Episcopatum: modò cæremonias, per quas confertur potestas in eadem Ecclesia, sicuti definitur à Magistro Sententiarum. Ordinem secundùm hanc postremam significationem esse Sacramentum, aduersùs quàm in primo articulo affirmabatur. Fuisse institutum à Christo, ex doctrina sanctorum Patrum, & declaratione anteactæ Sessionis, illis verbis, à S. Luca relatis capite 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* & in iis adhibitam à Christo fuisse peculiarem cæremoniam, vt Caietanus explicabat. Alteram potestatem impertitam fuisse à Redemptore Apostolis tamquam Sacerdotibus, cuius meminit S. Ioannes capite vigesimo, cum impressione characteris, vsuque peculiaris cæremoniæ, dum sufflauit in ipsos; quâ sufflatione illis eam potestatem impressit, ex Augustini sententia; & hanc esse potestatem in corpus mysticum Christi, sicut altera est in corpus verum. Denique cùm id peregit, quod habetur in postremo capite S. Lucæ, vbi dicitur, *Eduxit eos foras, & benedixit eis,* fuisse à Christo constitutos Episcopos, quod affirmant S. Augustinus, & Clemens Romanus in libro octauo Apostolicarum traditionum; atque id etiam argui, quoniam cùm eos ad Euangelium prædicandum Christus misisset, oportebat vt nouam ipsis auctoritatem daret, & hanc esse Episcopalem; ac proinde in præsentia cùm Episcopi creantur, ipsis dici: *Ite ad prædicandum.* Præterquam quod cùm eos Christus benedixit, infusam illis fuisse quamdam gratiam, maximè additâ manuum elatione. 1562.

1562. Palàm etiam fieri, Ordinem esse Sacramentum in Diaconatu: nam in sexto Actorum dicitur: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei*, &c. in quo loco discernitur integra Diaconi creatio cum cæremonia & impositione manuum, vnde impressa fuit gratia, vt constat de Stephano, de quo legitur, *Erat plenus Spiritu Sancto, & prædicabat.* Idque confirmauit variis S. Pauli dictis ad Timotheum & Titum: Diaconos non instituì ad ministrandum, sicuti volebant hæretici, mensæ terrenæ, sed cælesti: siquidem quò destinarentur ministerio terrenæ, opus non erat, vt qui Ordinem conferebant, ieiunarent, eisque manus imponerent, & vt ij Diaconi Spiritu Sancto replerentur. Electos itaque fuisse Diaconos illos ad Eucharistiam ministrandam; quod declarabant Clemens, Euaristus, Ignatius Martyr, Cyprianus, Hieronymus, Synodus Neocæsariensis, & Beda. Et quamquam quidam Canones sexti Concilij eorum institutionem referant ad ministerium viduarum mensis præstandum, eos Canones ab Ecclesia non fuisse receptos. Idem ille de Episcopatu stabiliuit: Etenim simile ieiunium ac manuum impositio leguntur in Actis Apostolicis vsurpata erga Paulum & Barnabam, dum instituebantur Episcopi, iis verbis: *Ite, prædicate:* & postea narratur, per ciuitates constitui ab ipsis presbyteros, quod Episcoporum munus est. Probauit, Ordinem esse Sacramentum effato S. Pauli ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, & quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Et ad eumdem: *Vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: at nemini citò manus imponas.* Idem corroborauit traditionibus Concilij IV. Carthaginensis, Florentini, & Tridentini sub Paulo, Clementis, Innocentij Primi, Gregorij, & Innocentij III. Pontificum, SS. Dionysij, Augustini, & Hieronymi.

Ostendit postea variis testimoniis, per collationem Ordinis imprimi Characterem. Vt euinceret Ordinem non esse meram electionem ministrorum verbi, sicuti dicebatur in primo articulo, aut fictionem humanam, sicuti in secundo, sed esse Sacramentum, & Characterem impressum ab Ecclesia ex diuina facultate, quartum articulum ingressus est, tertio reliquis suæ classis relicto; confutauitque eos, qui dicerent, Presbyteros ac Diaconos à laicorum magistratu posse constitui, cùm eorum potestas naturam superet, spectetque ad munus pascendi, quod Petro commissum est; atque idcircò id interdictum fuisse populo in octauo Concilio in Laterano, & in Florentino. Quod si quando eos elegerat populus ex concessione Apostolica, id peractum sicuti Petrus dixit, *Eligite inter*

vos.

vos. Et alibi; *Vt habeant bonum testimonium.* Populum igitur adesse 1562
electioni, & testimonium ad electionem proferre; id verò fiebat quò libentior obtemperaret, sed vis confirmandi penes Ecclesiam solùm erat.

6 Insumpto biduo à Theologis primæ classis in dicenda sententia, datus est loquendi locus secundæ classi, in qua primus erat Petrus Sotus Dominicanus, Theologus pariter Pontificius: dicta ab illo de quarto & quinto articulo in Diarium quoque relata sunt, quorum hæc summa: Esse in Ecclesia Hierarchiam, nimirum, potestatem ac prærogatiuam gubernandi, dicente Apostolo: *Obedite Præpositis vestris.* & alibi: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit regere Ecclesiam Dei.* Explicari hanc Hierarchiam à S. Dionysio; eam videlicet esse sacrum quemdam Principatum ex imitatione cælestis. Quemadmodum ille in tres Angelorum gradus est partitus; ita quoque hanc diuidi in Episcopos, in Presbyteros, & in Ministros, sicut exponit idem Dionysius, præsertim capite tertio & quinto, ostendens, quo pacto inferiores etiam Ordines ad eiusmodi Sacramentum pertineant. Cum his consonare quæ pronuntiauit Apostolus: *Ad consummationem Sanctorum, ad opus ministerij, quosdam quidem dedit Apostolos,* &c. non igitur Christianos omnes esse Sacerdotes, sicuti continebatur in articulo expenso. Nihil his obstare ea sancti Petri verba, quibus appellat cunctos Baptismo ablutos *gentem sanctam, Regale Sacerdotium*; ibi enim sermonem esse de Sacerdotio *mystico ac spiritali*, non de proprio & corporali. Baptismum esse Sacramentum quo renascimur, non quo potestas nobis confertur. Atque vt in ordine naturæ, ita in ordine gratiæ absurdum esse, vt ortus ac perfectio in vnum coëant.

7 Tum ad quintum articulum accedens, probauit variis dictis SS. Ambrosij ac Cypriani, & Nicæni Concilij, esse Sacramentum exterius, & visui subiectum; atque ad ostendendum tertium gradum Hierarchiæ, de qua diximus, obseruauit ministeria inferiora, tametsi à Christianis omnibus aliquo pacto exerceantur, non tamen ab omnibus exerceri modo maximè legitimo & congruente, cùm ad eiusmodi opera, necessaria sit potestas quædam naturam excedens in infimis etiam ministeriis; quæ potestas impertitur ab eo qui obtinet Ecclesiæ Principatum: quocircà morem hodiernum, quòd infima Ecclesiæ munia exerceantur à merè laicis, haud esse laudabilem, nec primæuæ Ecclesiæ consentaneum. Ea de causa sanxisse Caium Pontificem, ne ad Episcopi munus eueheretur, nisi qui cunctos gradus ascendisset; atque ideò præscripta fuisse à Si-

1562. ricio Ordinum tempora. Porrò impugnaturus id quod pariter in eodem quinto articulo habebatur, Sacerdotium in Ecclesia nonnisi simplex prædicandi Euangelij munus esse, ostendit, illud non ad meros Sacerdotes, quin potiùs ad solos Episcopos præcipuè pertinere, cùm Apostolus dicat: *Dominus non me misit baptizare, sed prædicare.* Et à Christo hoc de seipso affirmari illis verbis: *Oportet me aliis ciuitatibus euangelizare, ad hoc enim missus sum.* Hinc à Concilio Chalcedonensi fuisse decretum, vt Episcopi à domesticis negotiis abstinerent, vt prædicationi operam darent. Non tamen, sicuti de Sacerdotibus, postrema pars illius articuli affirmabat, eum qui reipsa non concionatur, quòd huiusmodi dote careat, Episcopum non esse, & huiusce rei exemplum extare in Valerio Episcopo Hipponensi.

Ad quartum articulum regressus, confutauit posteriorem eius 8 partem, quòd Ordinis potestas conferri posset aut à populo aut à laico magistratu, cùm ea naturæ facultatem superet, adeoque cùm illius conferendæ facultas desit iis, qui ad id præstandum ab Ecclesia constituti non sunt. Exigi quidem ex primæua constitutione populi electionem, idque colligi ex epistola quarta S. Cypriani in primo libro, atque ex Apostolica traditione: illam fuisse veram electionem, & non simplex testimonium (aduersùs quàm indicauerat Salmeron) & idcircò illi clerum etiam adnecti, quò electio ab vniuersa Christianorum multitudine haberetur. In hanc sententiam dixisse Apostolos: *Eligite ex vobis septem viros:* licere tamen summo Pontifici eam electionem populi supplere, pro eo ac opportunum existimauerit. Etenim quamuis ea eligendi ratio esset Apostolorum traditio; traditiones, quæ ad regimen spectant, esse mutabiles; at verò quæ pertinent ad Sacramenta, mutari non posse. Ac proinde pro temporum conditionibus potuisse Romanos Pontifices electiones variare, easque aut Clericorum Collegiis, aut Principibus, aut aliis concedere. Hæc summatim sunt quæ Sotus disserüit.

Ex tertia classe, cui duo postremi articuli commissi fuerant, 9 præcipuè notata [d] reperio, quæ Melchior Cornelius, Clericus sæcularis, missus à suo Rege Lusitaniæ, disputauit. Animaduertit is, quæ continebantur in sexto articulo, vbi denegabatur Ordini effectio gratiæ, errorem fuisse Ioannis Wicleffi, aliorumque, qui ducentis ante illum annis vixerant, sicuti colligebatur ex homilia sexagesima sexta sancti Bernardi in Cantica. Dein argumenta opposita dissoluit, veritatem Catholicam firmauit testimonio SS. Leonis & Ambrosij, Synodi Chalcedonensis, vndecimæ Toletanæ, aliarum-

[d] Diarium, 29. Septembris 1562.

aliarumque complurium, ac demum Florentinæ. Dixit, Ordines quoque minores esse Sacramenta, & effectores gratiæ constitutos ab Apostolis, sed ex institutione Christi, quæ hos Ordines Ecclesiæ præscripserat. Primam Tonsuram non esse Ordinem, cùm per eam nulla potestas acquiratur. De Vnctione, quæ velut inutilis ac pernicioſa eiusdem articuli initio damnabatur, retulit, eius mentionem fieri à Fabiano Pontifice, ac S. Dionysio, præter Innocentium III. capite primo, sub titulo *de sacra Vnctione*. Tum ad extremum articulum deuenit; ostenditque, Episcopos Presbyteris maiores esse. Respondit celebri Hieronymi dicto, quod producitur ab hæreticis, vbi affirmat, inter Episcopos ac Presbyteros non esse discrimen ex natura, sed prærogatiuam ex consuetudine; & obseruauit, à S. Hieronymo variis in locis disertè affirmari, hanc prærogatiuam ex institutione sua conuenire gradui Episcoporum, adeoque in verbis allatis rem esse intelligendam secundùm argumentum, de quo ibi agebatur, hoc est, secundùm exteriorem iurisdictionem, quæ lege Ecclesiasticâ præscribitur. Probauit, Episcopatum esse Ordinem peculiarem, præsertim Caietani ratione, quòd Episcopus peculiarem potestatem obtineat administrandi Sacramenta Confirmationis, sacræque initiationis, quæ sunt ordinis, non iurisdictionis opera, quippe quæ Vicariis committi nequeunt. Reiecit postremò quæ Sotus in Salmeronem dixerat, antiquitus eligi à populo Sacerdotes & Episcopos, & non simplicem testificationem proferri: quin studuit ostendere propitiam parti contrariæ eamdem epistolam quartam S. Cypriani libro primo, quam Sotus produxerat. Post Cornelium reliqui tertiæ classis suam exposuerunt sententiam, vsque ad secundum Octobris; quo die absoluti sunt minorum Theologorum conuentus, reliquis tribus classibus ad Sacramentum Matrimonij reseruatis. 1562.

10 Cùm Legatis videbatur itineris tam longi ac laborioſi meta à se penè contingi, improuisum quasi præcipitium offenderunt, ibique pedem figere coacti sunt, nec quocumque adhibito conatu licuit ipsis ad optatum exitum sibi viam aperire, nisi post tam multos, tamque diuturnos labores ac discrimina, vt cunctæ hactenus obiectæ difficultates præ hac via planæ censeri potuerint. Primordia referam tam validi ac memorabilis obstaculi, quod diu fraudauit, ac penè in desperationem conuertit spem conceptam vniuersæ Catholicæ Reipublicæ. In articulo postremo, secundùm formam Crescentij Legati ætate iam digestam [e], quidam error censuræ proponebatur: *Quòd Episcopi Presbyteris maiores non essent Iure diuino.* sed

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 24. Septembris, & Archiepiscopi Iadrensis, 28. Sept. & 5. Octobris 1562.

1562. sed Præsides postremas voces abstulerant, veriti, ne disputatio de iure residendi iterum suscitaretur. Quidam Hispanienses illius definitionis cupidi, Præsidum arte animaduersâ conquesti sunt; adeoque Oratores Gallici Præsides amicâ specie commonuerunt de murmure non modico ob eam causam excito. Ab his re dissimulatâ responsum est, visum iri breui, à se minimè declinari disputationem de iure residendi, dum eam proponerent, pro eo quod aliàs spoponderant, vbi de Ordinis Sacramento ageretur. Nec in eo mentiebantur, quandoquidem numquam sperauerant, se per obliuionem extincturos præteritum de illa controuersia ardorem; sed cauere studebant, ne à noua definitione super Episcoporum institutione, terminare cogerentur pari definitione præcedentem controuersiam, illi admodum adnexam; aut certè inde deducere eadem ipsa corollaria, quorum causâ ab altera se abstinuerant. Subdidit Lansacus (quod ipsis valdè placuit) se parùm laborare, hoc an illo iure habeatur residendi præscriptio, dummodò reperiretur ratio ad eam firmiter obseruandam, cùm certum esset, plurima Ecclesiæ incommoda inde dimanare.

Vix digressis Oratoribus, superuenere Archiepiscopi Granatensis, Bracarensis, Messanensis, & Episcopus Segouiensis, expostulantes, abrasam fuisse particulam illam è Decretis Crescentio Legato formatis, ostendentesque id cuius gratiâ particula omittebatur, non compertum minùs quàm odiosum esse Patribus, plurimæque cunctis offensionis; cùm ex eo palàm fieret, eorum esse consilium, vt procul haberetur quæuis disputatio de mansione, aduersus priora promissa. Ad postremum caput fidenter responderunt Legati; Ab exitu contrarium compertum iri, cùm ipsi daturi essent operam, vt de mansione, ad suam fidem præstandam, ageretur. Verùm de articuli mutatione cùm ipsi nollent potissimam rationem reddere, neque pariter eiusmodi reddidere quâ illis satisfieret, simulantes id à se factum, propterea quòd nemo hæreticorum inficiabatur, Episcoporum institutionem haberi ex lege Diuina; adeoque per illius rei damnationem iacula in auras proiectum iri. His repositum illi Præsules, non deesse qui prauam illam sententiam tuerentur. Quare Legati ad moram iniiciendam, conuenere vt huiusmodi auctores conquirerentur, & ostenderentur. Confestim [f] illi Præsules rursus adiere Seripandum, quippe qui simul Theologiæ scientiam vni Osio communem obtinebat, & operam auctoritatemque in deliberationibus longè maiorem quàm Osius; nisique sunt illi ostendere, errorem illum ab hæreticis recentioribus adiectum

[f] In monumentis Seripandi, & in epist. Vicecom. ad Borrom. 28. Septemb. 1562.

ctum fuisse reliquis contra Ecclesiæ Hierarchiam. At contrà Seripandus; Hæreticos in productis locis haud negare, gradum Episcopi fuisse institutum à Deo; solùm dicere, Episcopos in præsentia non eos esse de quibus loquuntur sacra Oracula, vtpote non exercentes ministeria illic ipsis destinata: quibus verbis fateri potiùs videbantur Episcoporum institutionem à Deo habitam. Illud igitur non esse studium proscribendi opinamenta hæreticorum, sed quoddam artificium iterùm indirectâ viâ tentandæ definitionis de iure residendi, aduersus id quod Rex Catholicus suum esse sensum ac votum declarauerat. 1562.

12 Quantum propensionis præ se tulerat Seripandus ad mansionis decisionem, tantumdem auersionis præ se ferebat aduersus hanc de institutione Episcoporum[g]. Et quoniam ferebatur, tametsi non parum perturbatâ rei veritate, sicuti posteà compertum est, fuisse eam definitionem satis expensam ætate Crescentij, adeoque iam in promptu vt promulgaretur, nisi bellum improuisò Concilium soluisset; Seripandus ad Amulium ea de re scribens animaduertit, in mansionis definitione de vnico tantùm articulo agi; at verò in altera definitione complures contineri: addiditque, posse cognosci, *non solùm Theologos ac Cœnobitas interdum implicari, sed præstantes Canonum Doctores non semper diuinare:* indicans id quod Romæ mussitatum fuerat, dum is cum Simonetta conferebatur in antegressa disputatione de Iure residendi, & insinuans in alio articulo grauioris momenti, se Theologum ac Cœnobitam cautiorem fuisse Crescentio, Canonum apprimè perito. Sed quamquam Seripandus & collegæ plurimum studuerint argumentum illud declinare, nec Pagnanus oscitanter operam suam cum Hispanis impenderit, ne æmulationem excitarent; hinc tamen effectum non est quò minùs aliquot Theologi, ac præsertim quidam Theologus Archiepiscopi Granatensis[h], captâ ab articulo septimo opportunitate, in eam controuersiam de institutione Episcoporum irrepserint; & iam Drascouizius acriorem huius quàm alterius definitionis voluntatem declarabat[i]. Verùm Præsides, intelligentes, in duobus illis capitibus Patres eódem tendere, adeoque opus esse primum semel componere, quippe radicem etiam alterius, cum Patribus, quibus magis fidebant, deliberantes, tria consilia excogitarunt, quæ per celerrimum cursorem Borromæo perscripserunt[k], quò responsum acciperent antequam Patres omnes sententias de doctrina protulissent, adeoque antequam ipsi vrgerentur à promisso ad rem exequendam.

g In epist. Seripandi ad Amulium, 8. Octobr. inter Musotti monumenta.

h Arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom. 1. Octobris, & epist. Archiep. Iadrensis, 5. Octobr. 1562.

i Epist. Vicecom. ad Borrom. 8. Octobr. 1562.

k 5. Octobris 1562.

1562. Vnum ex consiliis erat, proponere vt in Pontifice negotium reponeretur, quemadmodum ipse Pontifex comprobarat in epistola commemorata, quam ad Simonettam scripserat, sed quæ nondum peruenerat: in quo prædicebant quàm plurimos Episcopos consensuros; cum hoc tamen discrimine, quòd alij existimabant integrum argumentum in Pontifice reponendum; alij, pro certo sumentes definiendam esse quæstionem, solùm consentiebant, vt Pontificis iudicio committeretur definitio pro hac potiùs aut pro altera parte. Vnde coactus fuisset Pontifex per seipsum conficere quod in Synodo prætermittendum curabat; idque eò deterius, quòd vbi diuino ipse motus afflatu pro rei veritate declarasset, obligationem residendi imponi lege merè Ecclesiasticâ, huiusmodi declaratio, quæ à Concilio profecta optabilis visa fuisset, à Pontifice in eo rerum statu habita, parum decoris Apostolicæ Sedi, parum exempli fidelibus peperisset. Verùm etiamsi obtineretur, vt à Patribus res integra ex priori forma in Pontifice reponeretur, duo adhuc proponebantur à Legatis: Alterum, cùm anteà Calicis negotium Pontifici commissum fuisset, peiorem in partem communiter acceptum iri, si hoc pariter eidem committeretur, videreturque Concilium ab omni arduo manum subtrahere, & cuiusdam canalis instar omnem grauioris ponderis deliberationem ab eo Romam deferri: Alterum, huiusmodi Decretum offensurum vt minimum in quadraginta Episcoporum repugnantiam, quæ tametsi magni habita non fuerat in priori decisione, Pontifici committenda, videbatur tamen plurimi facienda in præsenti; tum quia hæc erat secunda, tum ex ipsius argumenti natura, & ob rumores per Christianam Rempublicam amplè diffusos: præterquam quòd Galli fortasse peruenturi essent ante Sessionem, adeoque ante firmata Decreta, & aduersariis accedentes, numero atque auctoritate non modicum ipsis robur addituri.

Alterum consilium erat, vt proponeretur in Concilio super manssione quædam constitutio, pœnis & emolumentis abundantissima, & eiusmodi, quæ metu ac spe eius obseruationem pollicerentur; atque inter pœnas optauissent aliqui, vt interdiceretur non residentis absolutio in conscientiæ foro: sed in hoc consilio persistebat adhuc difficultas, an in eiusmodi lege proponenda simul explicandum esset, quòd non ampliùs ad definitionem dogmatis procederetur; ea siquidem explicatio periculum comprobationi procreabat; silentium verò vtilitatem consilij corrumpebat.

Tertium erat, vt ingens Episcoporum numerus, hoc est supra centum,

centum, Legatos efflagitarent, vt ipsorum nomine rogarent Synodum, ne grauaretur, ad amouendam perturbationem, discordiam, & moras, totum negotium Pontifici remittere: quæ forma decentior apparebat, quàm si Legati propositionis auctores secundùm primum consilium viderentur. Hæc tamen ipsis occurrebat difficultas, Patres extra numerum proponentium facilè obstituros, alios auersatione sententiæ, alios technæ suspicione, & alios fortasse plus appetentes, quippe nobiliorem aduersarij quàm affectæ personam: quare maius potiùs schisma fieret, dum id resarcire conarentur. Nimiam quippe vim habet ad augendam sui in alio diffidentiam, data ab illo repulsa sibi per fidentiam aliquid petenti. 1562.

CAPVT XIII.

De tribus capitibus propositis sententia Pontificis. Varia iactitata & cogitata de aduentu Gallorum. Contentio de loci prærogatiua inter Heluetium & Bauaricum Oratorem, rursus ad aliquod tempus sedata.

1 IVssit Pontifex celeriter ad Legatos rescribi [a], Ex voto suo melius eos acturos fuisse, solùm propriæ prudentiæ ductum fideliter secutos: seu quòd illos vellet obstringere ad rem suam promouendam eo præualido nobilium animorum vinculo, quod ipsis iniicitur, dum se solutos omni vinculo in maximis negotiis à suo Principe sentiunt; seu quòd reuerà sibi displiceret, emolumentum illud ad rem perficiendam deperdi, quòd iidem auctores essent consilij, iidemque executores. Adiecit; Quoniam suam illi sententiam rogabant, eam esse huiusmodi; Susciperetur secundum consilium sanciendæ constitutionis, pœnas & præmia complectentis. De conditione apponenda, ne dogma definiretur, nihil respondebat, cùm fortasse vellet id ab ipsis peractum, non à se dictum. Declarabat quidem, ne absolutionis interdictio non residentibus vltra noxam perduraret: sed proponebat insuper, vt iisdem anathema solùm à Pontifice soluendum infligeretur. Itaque placere sibi, vt omni studio Legati curarent rem propositam à maiori Patrum parte accipiendam: quod vbi succederet, tametsi complures reluctarentur, de iis minimè laborarent; cùm certum esset, maiorem acerbioremque repugnantiam futuram, vbi post tam inflammatam euulgatamque correctionem dogma pro alterutra parte definiretur. Quod si Legati de huiusmodi Decreti successu dubitarent ex priuata

[a] Litteræ Borromæi ad Legatos, 12. Octobris 1562. inter monumenta Seripandi.

1562. uata solùm ipsorum diligentia obtinendo, nauarent operam, vt centum illi, quos ipsi commemorauerant, essent æquè parati aut ad hoc ipsum perficiendum, aut ad rem Pontifici committendam. Sin autem ne id quidem pariter hac ratione haberi posset, non recusare Pontificem commissionem accipere, dummodò liberam minimeque coarctatam ad alterutram sententiam decidendam. Satiùs enim existimabat ea omnia peragi, quàm decerni in Concilio Fidei dogma, quod à tot Patribus, tantâque æmulatione impugnabatur. Verumtamen etiamsi fortasse complures eiusmodi commissioni repugnarent, non propterea Legati ab ea stabilienda desisterent, cùm in comperto esset, à negotio tam agitato, tantoque mentium affectionumque conatu, nullam spem fieri reliquam, vt per communem concordiam ipsum absolueretur. Nulli pariter Legatis curæ foret id, quòd siue Oratores siue alij oblocuturi essent; cùm cuicumque prudenti sinceroque animo liceret apertè intelligere, sibi, eiusmodi rei & Calicis commissionem accipienti, non aliud emolumentum, nisi pacem Concilij prouenturum; atque in eo casu præualidas à se sanctiones editum iri, quibus omnes reipsa ad residendum cogerentur. Concludebat ex iis omnibus quæ dixerat, nolle se vt Legati, nisi ex ipsorum arbitratu rem gererent.

Eò magis tum ab ipsis tum à Pontifice optabatur festina & quieta illius litis concordia, quò vicinior ac turbulentior significabatur aduentus Gallorum; qui si diuisam Synodum reperissent, ad alteram partium accedentes, rerum arbitri omnino euasissent, & pro iis sensibus, qui de illis dictitabantur, ad eam sanè accessissent, quæ vellet à consueto secedere. Inter cetera monumenta, in quadam epistola Amulij [b] ad Seripandum, comperio ab eo significari, nuntiatum esse, Lotharingum Cardinalem habere in animo sibi famam comparare potissimùm ex eo, quòd ipse nationes Transmontanas coniungeret ad deliberandum non modò de reliquis argumentis, sed de creatione Pontificis: factam ab eo spem fuisse collocandi in matrimonium Archiduci Ferdinando, secundo Cæsaris filio, fratris filiam, Scotiæ Reginam, quod ipsi addictos Cæsarianos reddidisset. Et quidem ratiocinabatur Amulius, Lotharingum fortasse primo loco propositurum disciplinæ leges sanctissimas, cunctisque Episcopis gratas, ad aucupandam gratiam & auctoritatem, viamque aperiendam nouis molitionibus, per quarum primam, ac tamquam reliquarum fontem, à multis prædici [c] tentandum esse, pro eo ac significauerat anteà Drascouizius, vt nationum numerus capitum numero præualeret, delectâ in singulis æquali sapientium

[b] 10. Octobris 1562. inter commentaria Musotti.

[c] In responso Amulij ad Seripandum, 21. Nouemb. 1562.

Episco-

Episcoporum cohorte. Etenim aiebant, par non esse, vt soli Itali multitudine dominarentur Concilio, atque in capitibus spectaretur æqualitas exterioris tiaræ, non inæqualitas interioris doctrinæ; de quo acriter[d] conquesti sunt, quòd Pontifex id temporis[e] conuentum muniret multis Italicis Patribus, non cunctis idoneis; quasi id fieret, quò Italia semper in bilance dominatum continuaret, tametsi nouum æquilibrium Gallorum, qui expectabantur, accederet. Quamobrem valdè sollicitè de hoc vulgato exterorum animo scripsit ad Amulium Seripandus Legatus, in quo, ob breuem Mantuani discessum valetudinis causâ, innixurum erat per eos dies primi ductoris munus: sed Amulius postquam cum Pontifice disseruit, intrepidè rescripsit; In Episcopis Concilij tam enormem cæcitatem timendam non esse, vt vellent auctoritati suæ tantum detrimentum inferre, suoque suffragio tantum æstimationis subtrahere. Ecclesiam quindecim sæcula ita processisse: nec ex aduerso militare Synodi Constantiensis exemplum, quoniam nec ibi pariter articuli nationum numero stabiliti sunt; sed cùm agitatum est de nouo Pontifice creando, in tanta trium veterum litigatorum discordia, quorum nulli deerant addictæ prouinciæ, viginti tribus Cardinalibus additi sunt triginta Episcopi omnium nationum, quò singulæ suffragij participes in eius electione, adstringerentur ad illius obedientiam ac tutamen. Præterquam quòd ex ea noua suffragij ratione inextricabiles difficultates orirentur, cùm apud hominum opiniones ambigua nationum confinia permanerent, adeoque si pro ipsarum numero suffragia numerarentur, potiùs schisma, quàm Synodum inceptum iri. Non ex doctrina, sed ex manuum impositione reddi Episcopos in sacrosanctis illis cœtibus legitimos iudices: doctrinam interdum reperiri maiorem in laicis, quàm in Episcopis; eam sibi quemque magnificè tribuere, erga alios verò dubia variare iudicia: quapropter per summam prouidentiam Deus tam incertæ doti certam fidei firmitatem minimè alligarat: aliquando Episcopi idiotæ voce id fuisse confectum, quod à compluribus doctissimis confici non potuerat. 1562.

[d] Acta Paleotti, & litteræ Vicecomitis ad Borrom.

[e] Ex Diario, in exitu Septemb. & in Octobri.

3 Graues dubitationes de consiliis Lotharingi, deque perturbationibus quas ille Catholicis ditionibus afferre posset, peculiares non erant Pontificis ac Pontificiorum, sed communes prudentibus ministris eorum Principum, quorum in eo nonnisi quies vniuersalis intererat: nec silentio præterire debuisset ad eam rem Suauis id quod ipsi pluribus modis innotuerat, Venetos Oratores in eam sententiam ad Senatum[f] perscripsisse: sed silentium rei cognitæ narra-

[f] Arcanæ notæ Vicecomitis ad Borromæum, 24. Septemb. 1562.

1562. narratione incognitæ ab eo rependitur. Cùm is in epistola [g] Vicecomitis ad Borromæum legisset quædam officia à Musotto, qui Seripando Legato à secretis erat, proposita, quibus Lotharingi aduentus remoueretur, illicò plenâ fiduciâ scribit, ea officia fuisse adhibita; haud animaduertens, vbi verum id fuisset, Musottum auctorem consilij, eumdemque posteà Lotharingo à secretis, adeoque de rebus benè conscium, ea in sua narratione silentio non obtecturum fuisse, cùm homines mediocres semper appetant, operam suam in dirigendis Principibus famæ commendari. Contrà verò ex voluminibus litterarum certò comperio [h], Pium huiuscemodi artibus minimè consensisse, causatum inter alia, quòd illas inefficaces præ-nosceret, quippe admonitus litteris Ferrariensis Legati, Lotharingum suopte ingenio ea viuaciùs aggredi, quæ sibi prohiberi viderentur. Quare ipse cauit, de quo & Legatos præmonuit, ne quod suspicionis multoque magis formidinis indicium in se præferret; suspicio siquidem se tamquam auersum, formido tamquam inferiorem Lotharingo indicasset.

g 21. Septembris 1562.

h Epist. Borrom. ad Legatos, 16. Septemb. 1562.

Et iam [i] vtraque minui cœpit, etiam in animo Pontificis: etenim quamuis anteà credidisset, Lotharingum non aduenturum, sed fortasse sparsum huiusmodi rumorem à Gallis fuisse ad retardandas definitiones, posteà verò per Abbatem Mannensem, à Lotharingo ad se missum, certior esset redditus de vero ac proximo illius accessu; [k] tamen ex iis quæ Abbas exposuit, Pontifex meliora præsagiit. In hanc sententiam [l] Lotharingus suo chirographo ad Pium scripsit: Se ab auctoritate precibusque Reginæ, Regis Nauarræ, Dynastarum ac Præsulum Galliæ, totiusque Ecclesiæ Gallicanæ, atque à lacrymis proborum omnium, & vniuersi populi, fuisse coactum ad opus illud suscipiendum, ad quod vnà cum Episcopis ac Theologis doctis & Catholicis iturus erat; neque quidquam à se gestum iri, quod Pontifici displiceret, cùm ipse Apostolicam Sedem supra omnia post Deum veneraretur; addebatque, ne grauaretur Pontifex fidem adhibere iis, quæ suo nomine Abbas exposuisset. Is verò tam amplè posteà testificatus est obseruantiam Lotharingi erga Pontificem, & sacrosanctam Cathedram, & ea quæ idem habebat in animo per illam functionem efficere, vt Pontifex ipsi fidem abrogare nequiuerit; tum quòd absurdissimum videbatur, huiusmodi Principem velle se tam crasso mendacio deturpare in eo quod apertè falsum mox ab ipsius opera reuinceretur; tum quòd Regina concordi sono Nuntium fuerat allocuta; ac denique ob eam rationem, quam alibi animaduertimus, quia nimirum

i Ex litteris Borromæi ad Legatos, 16. & 18. Septemb. 1562.

k Epist. Borrom. ad Legatos, 12. Octobr. 1562.

l Ex S. Dionysio, 10. Septemb. 1562.

rum sinceræ significationes à natura vim quamdam obtinent, ex qua homines inter negotia diu exercitì ipsas à simulatis discernunt. 1562.

5 Dum adfuturi Transmontani huiusmodi sollicitudinem excitabant, alteram qui iam aderant incussere. Ea fuit, orta iterùm [m] æmulatio Oratoris Heluetij erga Bauaricum, paulò antè à suo Principe regressum; quæ tantum turbarum discrimen attulit, vt necesse fuerit Legatis ad eas vitandas cœtus iam indictos nonnumquam omittere. Cupiebat Bauaricus saltem bis térve solemnibus actionibus interesse, ita vt Helueticus non adesset, cùm hic tam diu liberum ob ipsius absentiam theatrum obtinuisset. Atque id ægerrimè impetratum est, & ipso facto dumtaxat, non per promissum, quod singulis vicibus anxios habebat Legatos. Posteà nullo inter æmulos temperamento reperto, proposuerunt Legati, vt ambo siue sponte, siue, vbi cautius id sibi suos apud Principes existimarent, ipsorum Præsidum iussu à publicis functionibus abessent, vel Tridenti, vel in vicinis locis degentes, donec opera nauaretur, vt ipsorum Principes concordiam inirent: quòd si hoc non succederet, à Pontifice mandata acceperant, quemnam ex Oratoribus abire paterentur. Sed hoc extremum erat consilium, nec re complendum citra necessitatem, nec vulgandum antequam compleretur. Denique Legatis enixè connitentibus, & Oratoribus Cæsareis deprecantibus, vterque consensit ne interesset. Enimuerò iurisdictio, quò celsiores in homines, & in rebus celsioribus exercetur, eò speciosior, sed simul ponderosior Iudici accedit: adeoque ponderosissima illa est, quæ de prærogatiua inter Principes habetur; cùm ea Iudicem cogat, vt alterum sibi reddat inimicum quasi per apertam grauissimamque iniuriam, nec alterum sibi reddat obnoxium, qui se victorem non putaret, nisi victoriam ex manifesto suo iure profectam agnosceret.

m Litteræ Legatorum ad Borromæum, 12. 15. & 19 Octobris 1562.

CAPVT XIV.

Complura Suauis errata. Poloniæ Orator exceptus. Variæ sententiæ de paratis doctrinæ Canonibus; ac præsertim, An & quomodo Episcopi sint ex Iure Diuino.

1 SVauis quà erroribus, quà mendaciis, quà versutiis numquam me longiùs progredi patitur, itinere non interrupto. Et sanè si vellem refellere quidquid ille aut nullo aut falso nixus fundamento narrat, ingentia & multiplicata volumina mihi satis non essent; falsum enim vno verbo profertur, sed nonnisi compluribus reuincitur. Aliquot ipsius errata pro more signabo, ex quibus argu-

1562. argumentum de reliquis capiatur. Studet minutulam sententiarum, quæ dictæ sunt, rationem reddere, & labitur ad primum gressum, affirmans, articulos tunc expositos trutinæ fuisse octo, quippe qui octo Canones posteà legit in ea Sessione à Concilio firmatos; & tamen si leui labore legissent Acta aut Paleotti, aut Episcopi Salmanticensis, aut Musotti, aut etiam Diarium, didicissent, eos fuisse septem, octauum verò nonnisi post diuturnam temporis moram propositum. Nihil nouit de distributione sex classium *, ac trium priorum, quæ Ordinis Sacramento destinatæ sunt; sed quatuor solùm enumerat, aitque tunc omnino de illis argumentis fuisse locutas.

* Præter Acta Arcis Æliæ, Acta Paleotti, Episc. Salmanticensis, & Diarium.

Refert, in primo cœtu 23. Septembris differüisse quatuor Theologos Pontificios, & inter alios Sotum & Brauum Dominicanos; quod est errorum congeries. Etenim non plures quàm tres in eo verba fecere, & ex iis vnus Pontificius, non Sotus, nec Brauus, sed Salmeron: duo reliqui in eo conuentu auditi, Bellosilius Philippi Regis, & Payua Sebastiani Theologi fuere.

In describendis Soti & Cornelij sententiis tantum ab ipsa re discrepat, quantum sibi vix persuadere porerit is, qui Suauis narrationem nostræ non componat, ab authenticis integrisque monumentis desumptæ.

Postridie Kalendas Octobris prolixum describit sermonem Simonis Florentini, qui erat Seripandi Theologus, de articulo pridie exagitato, Num Episcoporum institutio sit ex Iure Diuino. Et reuerà nihil ille eo die locutus est, sed solùm Chrysostomus Castellanus Eremitanus, Laurentius Venetus Carmelita, Amantius Brixiensis è Seruis B. Virginis, & Diamantus Florentinus, pariter Eremitanus, à supremo suo Præside adductus. Quid porrò? In iis cunctis conuentibus ne verbum quidem fecere de recitatis articulis Brauus in primum cœtum inductus à Suaui, & commemoratus Simon, vtpote tribus classibus Ordinis Sacramento destinatis minimè comprehensi, quod liquet ex Actis Paleotti, vbi earum classium Theologi singulatim recensentur. Reputet hinc lector, quâ sit fide dignus hic scriptor in enarrandis minutatim, pro eo ac profitetur, singulorum sententiis ac narrationibus.

Nihil ipse de tribus illis consiliis cognouit, à Legatis Pontifici propositis per celerem tabellarium, de mansione: narratque, à Pio fuisse illis iniunctum, vt primo loco rem sibi committendam curarent, sed absque Decreto; & vbi id obtineri non posset, darent operam vt Synodus negotio consuleret per pœnas ac præmia, non item

item per dogmatis sanctionem. Quæ narratio falsi redarguitur in singulis suis partibus ab epistola Borromæi, à nobis adducta, vbi tamquam primum votorum eligitur, quod electum tertio loco Suauis affirmat, & eo non impetrato, probatur tamquam secundum consilium res commissa Pontifici absque vlla distinctione, quòd ea per Decretum aut sine Decreto committatur. Ad hanc veritatem confirmandam animaduertent subinde lectores, à Legatis post paucos dies id consilij susceptum, ad quod, ex narratione Suauis, confugiendum Legatis non fuisset secundùm Pontificis voluntatem, nisi duobus prioribus consiliis anteà sine fructu tentatis. 1562.

2 Vt nostro pergamus itinere, per eos dies accessit Concilio nouæ legationis regiæ splendor, cùm eò peruenisset [b] Valentinus Erbutus Episcopus Præmissiensis, Orator Sigismundi Poloniæ Regis. Obuiàm illi processere complures ex Patribus, aliisque, per consuetas honoris significationes, prætermisso idcircò eo die generali conuentu; exceptusque domi fuit ab Osio Cardinali, eiusdem nationis. Adductus posteà in solemnem cœtum, mandati loco simplicem epistolam protulit, fidei conciliatricem, ad Concilium scriptam. Nullam habuit mentionem de Polonis Episcopis, qui nondum aduenerant, nec eorum absentiam, pro eo ac expectabatur, excusauit. In responsione Oratori reddita à Synodo & debita Regi reuerentia exhibita est, & grates actæ. Verùm Legati veriti ne in proximis illius regni Comitiis de Religionis negotiis ageretur, occurrere periculo haud neglexerunt, scriptis ad Sigismundum Regem efficacibus litteris, in quibus ob oculos illi ponebant, quàm id Ecclesiæ absurdum euaderet, & probrosum Poloniæ, id temporis, quo negotiorum ad Religionem spectantium causâ Oecumenica Synodus extabat.

[b] 14. Octobris 1562. ex epistola Legatorum ad Borromæum, 15. Octobris 1562. & præter Acta Arcis Æliæ, ex Actis Mussotti, ex Diario, ex Actis, & litteris Episcopi Mutinensis ad Moronum, 15 & 26. Octobris 1562.

3 Alicuius momenti iactura per eos dies accidit ex obitu Ioannis Antonij Pantusæ Cosentini, Episcopi Literarensis, cui meritò est exhibitus honor, qui solet impertiri homini alterius præmij non ampliùs capaci, collaudatâ eius doctrinâ apud Pontificem à Legatis. Sed simul aliâ laudatione, magis fructuosâ quàm ea quæ supra cineres spargitur, cohonestatus est [c] Sebastianus Leccauela Archiepiscopus Naxiensis, ad obtinendam, vti factum est, Ecclesiam demortui.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 28. Octobr. eiusque ad Legatos responsio, 6. Nouembris 1562.

4 Absolutis minorum Theologorum conuentibus, illicò datum est negotium nonnullis Patribus formandi ex prolatis eorum sententiis Canones & Decreta. Selecti ad id fuere Gaspar de Fosso, ex Ordine S. Francisci de Paula Archiepiscopus Rheginus, Callinus

1562. Archiepiscopus Iadrensis, Andreas de Cuesta Episcopus Legionensis, Sala Viuariensis, Suarius Conimbricensis, Colosuarinus Conadiensis, & supremi Moderatores Seruorum B. Virginis & Iesuitarum, quorum opera cum singulis Patribus octauo die mensis communicanda erat. Sed anteà eorum exemplar traditum Oratoribus de more [d]. Galli restiterunt in septimo Canone, vbi damnabatur, qui negaret vim habere ordinationes ab Episcopis habitas absque electione & consensu populi, opponentes id aduersari Galliæ consuetudini. Idcircò paratum iam exemplar retardatum, auditique sunt Oratores in quodam Theologorum cœtu; qui Theologi declararunt, suam mentem in illis verbis fuisse, solùm definire, vim Sacramenti ab assensu populari minimè pendere. Verùm Oratores clariorem explicationem cupiere, adeoque vox *Ordinationes* in vocem *Ordines* commutata. Nono igitur Octobris Canones & Decreta singulis Patribus scripto tradita; ac posteà habito ad ea expendenda conuentu, innumera & obseruata sunt & obiecta, ac longè plura [e] quàm in quouis præteritorum argumentorum; siue quòd hoc argumentum id ex seipso mereretur, siue quòd in rebus ad nos spectantibus vel minutissima quæque adspectabilia nobis apparent. Magis præcipua percurram.

[d] Epistola Iadrensis ad Cornelium Card. & Fuscararij ad Moronum, 18 Octobris 1562. & arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom.

[e] Litteræ Legatorum ad Borrom. 26. Octobris 1562.

Venetus Patriarcha repugnauit particulæ, in qua dicebatur, Ordines compleri à Sacerdotio, cùm hoc ipsi videretur aduersari capiti primo in titulo De sacra Vnctione, & communi opinioni Iuris Ecclesiastici peritorum, affirmantium, Episcopatum, qui per Sacerdotium haud completur, Ordinem esse.

Contentiosius obstitit Guerrerus: is post quædam minùs grauia à se notata dixit [f], Carere eos Canones definitione admodum necessariâ, & Iulio Tertio sedente iam paratâ: Episcopos Iure Diuino institutos fuisse, & ex eodem Presbyteris esse maiores: nam Caluinus, Musculus, aliique innouatores hanc illis prærogatiuam denegabant, eaque de re se cum Legatis iam egisse, nullo sibi reddito responso. Suam sententiam ex eo confirmauit, quòd Episcopatus vnicus esset, cuius partem cuncti Episcopi obtinebant: Pontificem Romanum & Episcopos esse fratres, filios vnius Patris, qui est Christus, & vnius Matris, quæ est Ecclesia: æquè institutos à Christo fuisse secundos, ac primum. Romanum quidem Pontificem tamquam caput institutum, sed solùm tamquam causam benefacientem, non generantem, quemadmodum caput nostrum regit quidem & adiuuat membra reliqua, sed ea non generauit. Petrum Apostolorum institutorem haud fuisse, sed Christum, adeoque Epi-

[f] Præter testimonia producta, litteræ legationis ad Borrom. & Iadrensis ad Cornelium, 15. Octobris 1562 & arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom. 19. & 22. Octobris 1562.

Episcopis, vtpote successoribus Apostolorum, impertitam esse po- 1562.
testatem non à Petri successoribus, sed à Christo. Attulit exemplum arboris, in qua multi quidem rami, sed vnica solùm inest virtus. Si Sacramenta, Hierarchia, ac primus Hierarcha institutionem à Deo receperunt, Sacramentorum etiam ministros, ceterosque Hierarchas à Deo fuisse institutos. Hæc certissima esse, & ab hæreticis negata, adeoque digna quæ definiantur.

Osius Cardinalis, pro eo ac inter collegas conuenerat, postremis dictis respondit, quibus inferebatur necessitas definiendi: Ab ipsa quoque Augustana Confessione concedi hanc in Episcoporum gradu prærogatiuam, sed solùm negari, Episcopos consecratos vnctionibus, precibus ac ritibus nostris, esse quales instituti fuerant. Ad hæc Guerrerus: Si vel ipsi hæretici hoc fatentur, cur nos pudet affirmare? At Osius reposuit: Ne viderentur in controuersiam vocare quod ab aduersariis haud impugnatur. Contrà Guerrerus: Ab hæreticis & Augustana Confessione reuerà illud negari; petiitque vt vel ea definitio conficeretur, vel productis à se testimoniis ac rationibus responderetur. Sed persistente Osio in iis quæ priùs dixerat, ardens Guerrerus respondit: *Rem Nationibus remitto.*

6 Archiepiscopus Iadrensis monuit, Synodum non conuenisse ad solam Confessionem Augustanam damnandam; adeoque cum is error in aliis nouatoribus deprehendatur, esse confutandum.

Id confirmauit Bracarensis, obseruans, ab hæreticis concedi Episcopis ex institutione Diuina solam potestatem prædicandi Euangelij, non item conferendi Ordines, & confirmandi, sicuti apud Ecclesiam Catholicam in vsu est. Hinc aduersus eos declarandum, hanc totam auctoritatem à Christo ipsis collatam fuisse.

Ayala Segouiensis Episcopus obiectum Patriarchæ Veneti confirmauit testimonio S. Dionysij, docentis, Ordinem ab Episcopatu compleri. Censuit, definiendum non esse, conferri in hoc Sacramento illud genus gratiæ, quod nos Deo gratos efficit: Etenim, aiebat ille, à Sacramentis nonnisi id effici, quod ab ipsorum forma significatur; at à forma Ordinis illud genus gratiæ minimè significari. Verùm esse, à Deo pro sua misericordia impertiri auxilia præstantiora iis qui hunc gradum obtinent. Postulabat, vt hîc enumerarentur cunctæ cæremoniæ, simulque distinguerentur ea quæ ex necessitate, ab iis quæ fierent ex mera congruentia; atque vt explicaretur partitè Episcoporum ac Sacerdotum origo, quatenus hierarchiam constituunt; quod in memoratam definitionem tendebat. Adiecit prætereà: Quemadmodum Pontifex Romanus

1562. Petro succedebat, sic Episcopos Apostolis succedere; proinde vbi iurisdictio Episcoporum debilitaretur, Pontificiam pariter debilitari. Potestatem iurisdictionis Episcopis à Deo conferri, cùm Episcopatus absque iurisdictione consistere nequeat; sed exercitium iurisdictionis ipsis conferri à Romano Pontifice, ad quem spectat personas designare, & Ecclesias partiri. Accipi ab Episcopis in ipsa consecratione iurisdictionem, nec eam per *degradationem*, vt vocant, deperdi. Studuit posteà compluribus Pontificum testimoniis ostendere, Episcopatum esse Ordinem. Dixit, illum è tribus hierarchicis Ordinibus vnum esse, quippe quòd duobus solùm Ordinibus Hierarchia componi non poterat: reliquos sacros Ordines solùm esse Presbyteratum ac Diaconatum; & hinc rursus arguit: Cùm Christus Hierarchiæ auctor esset, esse pariter auctorem illius iurisdictionis, quâ Episcopi in Ordine hierarchico supremo constituuntur. Postremò considerauit ea verba: *Quodcumque ligaueritis*, fuisse à Christo dicta cunctis Apostolis; affirmauitque, Episcopos Apostolis plenè succedere tum in Ordine tum in iurisdictione.

Eidem adhæsit sententiæ Episcopus Aurienſis, dicens, Nihil ab 7
hæreticis magis intendi, quàm abiectionem Hierarchiæ; adeoque eius fabricam exactè stabiliendam per gradus, eiusdemque Architectum, Deum videlicet, ostendendum. Hanc similiter definitionem vrgebant Episcopi Dertusenſis & Veglenſis.

Verùm ab ea Patres dehortabantur (tamquam à re minimè necessaria, de qua neque ipsi conuenerant, neque minores Theologi disceptarant) Guido Ferrerius Episcopus Vercellenſis, posteà Cardinalis, & Ioannes Antonius Facchinettus, de quo sæpiùs habita 5
est mentio, quique iam Neocastrenſis Antistes eò aduenerat, & longo pòst tempore ad primam Sedem ascendit, sed mortis celeritate Christianæ Reipublicæ spem fefellit.

g Præter Acta, epist. Iadrensis, 22 Octobr. 1562.

Andreas Cuesta Episcopus Legionenſis g tria in Episcopis distinxit, Potestatem Ordinis, Facultatem & habilitatem conficiendi actus iurisdictionis, & ipsam Iurisdictionem perfectam ac liberam. Posterius ex his cum priori connecti intrinsecus, adeoque ab eo separari non posse; eo pacto, quo in Sacerdotibus vi Ordinis inest absoluendi facultas, atque totum id à Deo esse; sed quemadmodum Sacerdos plenam perfectamque iurisdictionem non obtinet, nisi ab humano superiore, ita contingere Episcopo; & adduxit Cardinalem à Turrecremata in lib. 2. de Eccles. ex cap. 13. vsque ad 67. Nulli igitur detrimento esse Pontifici declarationem, quâ dican-

dicantur Episcopi esse ex Iure Diuino, cùm oporteat id intelligi de ipsorum primaria ac nobilissima potestate: & S. Thomæ doctrinâ id confirmauit[h]. 1562.

[h] Secundâ Secundæ, quæst. 93. art. 3.

8 In eamdem sententiam verba fecere Bouius Episcopus Ostunensis, & Sala Viuarienſis, qui volebat, vt claris notis diceretur, Episcopos esse ex Diuina institutione, quod spectat ad Ordinem, non quod ad iurisdictionem. Et Bonellus Episcopus Tifernatium ad illud ipsum adduxit alia duo testimonia Cardinalis à Turrecremata super primo Canone distinct. 21. & super Canone *Legimus*, in distinct. 93.

Contrariam opinionem propugnauit Gadus Episcopus Lucensis, arguens, à Deo positos Episcopos fuisse potissimum vt populum regerent, ac moderarentur; adeoque repugnare Diuinæ sapientiæ eum qui diceret, ipsis collatam à Deo non fuisse hanc auctoritatem: & à Synodo Constantiensi dicti sui confirmationem quæsiuit.

Franciscus Gibertus de Noguera Episcopus Aliphanus mediæ cuidam sententiæ adhæsit, ratus, iurisdictionem Episcopis traditam à Christo, materiam verò ad eam exercendam ipsis designatam à Pontifice: verba illa, *Pasce oues meas*, non fuisse soli Petro dicta, sed reliquis etiam Apostolis, ex doctrina Leonis I. in serm. 2. de die natali SS. Petri & Pauli; Augustini in lib. Pastorum; Cypriani, Ambrosij, & Innocentij III. in eius epistola recèns in lucem edita, Christum fuisse locutum cum Petro vnà cum reliquis Apostolis, quò ostenderet, eam auctoritatem in reliquis etiam perstituram; sed cum eo solo posteà locutum, quò significaret, licere ipsi illam sine reliquis exercere.

9 Sebastianus Vantius Ariminensis Episcopus, sed veriùs Administrator Vrbeuetanus, cuius doctrinæ præclarum extat vestigium in eius tractatu *De Nullitatibus*, aliâ distinctione vsus est, atque ita disputauit: In dubium non vocari potestatem Episcopatus: quod spectat ad Ordinem, esse de Iure Diuino; cùm omnes consentiant, Episcopos Apostolis succedere, vt habetur in Canone *In nono*, distinct. 21. & in lege ante vltimam, *Cod. De Episcopis & Clericis*. Præterquam quòd vis imprimendi dona naturam superantia nonnisi à Deo conferri poterat. Sed si de iurisdictione sit sermo, hanc diuidi à Iurisperitis in Voluntariam, quæ non exercetur nisi in volente; & in Contentiosam, quæ vsurpatur etiam in repugnante. Voluntariam quippe, quæ personam comitatur, administrari posse vbicumque sit, ex lege secunda, & ex glossa ibi in titulo *De Officio præs. & leg.* Contentiosam alligari loco, adeoque alibi non exerceri, ex

1562. lege finali *De iurisdictione Iud.* & ex capite *Coram*, & ex capite vltimo, *De officio leg.* Cùm itaque huius iurisdictionis exercitatio locum simul ac dignitatem postulet, sicuti obseruant Canonum Doctores in cap. 1. *De Ordin. ab Episcopo post renunt.* & ex doctrina Hostiensis in summa super eo, & sequenti titulo, locum designari Episcopis à Romano Pontifice, ac proinde hanc iurisdictionem in eos à Pontifice descendere. Id adhuc firmari, quoniam Episcopus electus, & nondum consecratus, huiusmodi iurisdictionis vsum obtinet, ex cap. *Transmissæ, de elect.* Igitur à Pontifice ipsi prouenire, vt qui nondum susceperit Ordinem, sine quo nihil habet à Christo sibi proximè collatum. Dein ostendit, hanc locorum diuisionem, Ecclesiæ Capiti commissam, optimè institutam fuisse ad confusionem euitandam, vt complures ex Canonum peritis, ex Commentatoribus ab illo productis adnotabant. Igitur Ordinis potestatem esse à Christo, iurisdictionis verò à Romano Pontifice, si hoc de contentiosa, non de voluntaria intelligatur; ac de eo communiter conuenire Canonum interpretes.

Complures alij de priori illo articulo nihil locuti, solùm nauarunt operam ad expendendum id quod positum fuerat, non item ad exquirendum id quod prætermissum in Decretis & Canonibus propositis. Patres centum & octoginta vnus sententiam dixerunt; [i] ex illis quinquaginta tres præter Granatensem additamentum petiere, alij pauci ambiguè disseruere. Duplici lapsu hîc deerrat Suauis: altero, affirmans pro ea parte quinquaginta nouem opinatos, quinque è suorum phantasmatum globo attributis illi factioni, quâcum inire fœdus voluit, quod ipsam Romano Pontifici aduersantem putarat: altero, maiorem fortasse eorum numerum futurum fuisse, nisi pituitæ defluuio multi præpediti abfuissent. Et tamen cùm de Decretis & Canonibus propositis centum & octoginta vnus ex Patribus sermonem habuissent, par fuit, vt pauciissimi ex morbo domi detinerentur. Sed Suauiana in Pontificem bilis effecit, vt ex pituita obstacula in multis Patribus somniaret.

[i] Litteræ adductæ Vicecomitis, & Acta Arcis Æliæ.

CAPVT XV.

Insignis Didaci Lainij dissertatio de institutione Episcoporum, & noua Suauis mendacia.

POstremus ex disputantibus, sed extra ordinem, pro iam commemorato ritu ipsi à Legatis præscripto, fuit Didacus Lainius, summus Moderator Societatis Iesu, qui 20. Octobris verba fecit [a], & integrum conuentus habiti tempus solus expleuit. Hæc

[a] Diarium, 20. Octobris 1562.

Hæc Lainij disputatio laudem excitauit parem cuicumque alij in eo Concilio vmquam auditæ. Vel ipse Suauis eam eiusmodi fuisse narrat, nec audet ipsi derogare & aliquam ex sua sententia laudem, & summam ex opinione illorum Præsulum, quos ille Pontificios nuncupat: quorum sanè frequentia ac doctrina neque consuetam, neque facilem ipsorum concordem commendationem reddebat. Mihi, tametsi studiosissimè id perquirenti, numquam licuerat legere siue hunc siue alium Lainij commentarium, præter eum quem suprà memorauimus in Iustificationis argumento, in legitima Acta relatum. Eius tamen perinde ac aliorum sententiæ extant leuiter indicatæ, hîc & in opere Paleotti. Ceterùm Lainij characteres arcanæ potiùs notæ videntur ipsi dumtaxat cognitæ, quàm communes, & aliorum intelligentiæ accommodatæ: quod Societati facultatem ademit, vt ex innumeris illius doctis lucubrationibus, quæ in armariis supersunt, ne vnam quidem paginam siue ad suam siue ad publicam vtilitatem ediderit. Adeò inconciliata res est negligentia artium, quamuis maximè mechanicarum, vbi hæ necessaria præbent instrumenta ad conseruandos partus earum artium, quæ mentem excolunt. Iam verò cùm animaduerterem, à dissertatione, de qua loquimur, in effigie à Suaui exposita, indicari quidem egregiam aliquam lineamentorum formam; mihi persuasi, expictam ab eo fuisse ab auctographo, tametsi cum aliqua peruersione ex penicilli nequitia. Verùm cùm posteà, quasi ex accidenti, in volumine Vaticani Archiuij [b] illam reperissem, stupore perfusus, cognoui eam omnino aliam esse ab imagine supposita. Quare cùm inducere in animum nequeam, illum in re bona sponte fuisse mentitum, certior in dies reddor, in rerum notitia conquirenda sæpè ab ipso fæcem exhaustam. Libet hîc Lainij sermonem afferre, quò lectorum curiositas, illo collato cum Suauiano, ipsius descriptione de scriptoris veracitate suum apud animum statuat. Atque vt fidelis sim, illum refero eâ quâ reperio scriptum formâ, non quâ dictum existimo; quamquam eius auctor, temporis auarus, scripto restrinxerit quod dicto largius fuderat. Huiusmodi fuit eius sententia. 1562.

b In volumine Actorum illius temporis, & in exteriori nota, præter nomen auctoris exprimitur fuisse missam à Vicecomite ad Borromæum, 9 Nouembris 1562.

2 Quatuor à se suscipi: Quæstionis explicationem; Suæ sententiæ expositionem; Confutationem argumentorum quæ ab assectis contrariæ obiectabantur; Suæ comprobationem. Præmisit, complures ab eo opere se dehortatos, ne in vituperationem assentatoris Pontificij caderet; non tamen idcircò censere se ab obligatione defendendæ veritatis solutum. Deum sibi testem adesse, iudicem viuorum

1562. rum ac mortuorum, se secundùm conscientiam loqui; numquam assentandi gratiâ verbum à se prolatum. Ter illi Synodo interfuisse, sub Paulo, sub Iulio, & sub Pio: semper vsum sinceritate loquendi, & nihilo minùs eâdem vsurum in posterum; nullam sibi causam suppetere aliter agendi, vtpote nihil aut quærenti, aut speranti, aut metuenti.

Posteà quæstionem ingressus, dixit ad eam exponendam: Illud esse ex iure Diuino, quod Deus per se ipse proximè efficit: è conuerso non dici ex iure Diuino, quod idem per interpositas personas peragit. Ita omnem legem à Deo procedere ex Sapientiæ effato: *Per me Reges regnant, & potentes iusta decernunt:* non tamen omnem legem Iuris Diuini appellari. Quin etiam non modò legem omnem, sed omnem veritatem, vt Ambrosius scribit, à Spiritu Sancto prouenire; nec tamen omnem veritatem esse Iuris Diuini. Obseruauit præterea, nec requiri, nec satis esse, vt mandatum quodpiam sit ex Iure Diuino, quòd in sacris Litteris illud contineatur. Id non requiri, satis liquere in materiis, formisque Sacramentorum, non cunctis in sacra Scriptura expressis, & tamen cunctis de Iure Diuino. Idem non satis esse, deprehendi in decreto, ne sanguis aut animal suffocatum comedatur, quæ prohibitio extat in Actis Apostolorum, cap. 15. nec tamen ea est de Iure Diuino; aliter etiam in præsentia vim haberet. Et quamuis ibi narretur dictum ab Apostolis, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; non tamen significari, eam S. Spiritus legem fuisse, sed S. Spiritus afflatu constitutam. Similiter non quia Paulus iubeat Episcopum vnius vxoris virum fuisse, & mulieres velare capita, huiusmodi mandata esse Diuina. Ad hæc aduertit, quemadmodum multa opera Deo tribuuntur à sacris Litteris, & à Patribus, quia ipse in ea influit, tametsi per causas secundas id agat, exempli gratiâ à Psalte, quòd iumentis det escam, & ab Apostolo, quòd in corpore ponat membra; ita pariter Deo tribui iussiones aliquas, quæ proximè ab ipso non sunt, adeoque nec de Iure Diuino. Hoc pacto ieiunium à Basilio nominari præceptum Diuinum, quia Deus corporis afflictationem generatim præcipit, & hominibus impertit iurisdictionem ad illius rationem decernendam, præscripto ieiunio. Ita dici ab Apostolo: *Nemo assumat sibi honorem, sed qui vocatus est à Deo tamquam Aaron:* quamquam Deus non per se, sed per homines eligat. Ex opposito quædam appellari res vnius aut alterius hominis, tametsi à Deo institutæ, quia tales homines ipsarum ministri fuerunt, sicuti dicitur Baptismus Ioannis, & etiam lex Moysis, si cæremonialis intelligatur

per

per Moysem data; cùm moralis dicatur lex Dei, quia non per alium, sed per ipsum processit, quamquam vtriusque auctor Deus esset. 1562.

4 Porrò hanc regulam posse constitui, nixam obseruatione, congruentiâ, & etiam similitudine operum naturalium; eas iussiones quas Deus voluit immutabiles, à se habitas fuisse, mutabiles verò per alium; atque idcircò contineri in Euangelio leges immutabiles, quia ab ipso Christo sunt promulgatæ.

5 Hoc posito, duas esse inter homines potestates: alteram, Ciuilem, quæ bonum statum moralem intendit, ac de ea hîc disserere, ad rem non esse: alteram, Ecclesiasticam, cuius est animorum sanctitatem curare: hanc rursus duplicem esse, vnam quæ id perficit virtute Sacramentorum absque alio adiumento; & alteram, quæ per anathemata, aliasque Constitutiones id præstat. Priorem esse Ordinis potestatem, quæ per consecrationem imprimitur, atque instituta per se est ad sanctitudinem aliis rebus impertiendam, quantum id animarum sanctitati opus est: posteriorem esse iurisdictionis potestatem, atque hanc non infundi per consecrationem, sed per simplicem collationem, adeoque communicari posse cuiuis Clerico minori, & etiam homini laico. Vtramque potestatem, quippe ad cælum tendentem, à cælo prouenire, sicuti necesse est vt aqua ex tam alto descendat, quàm altum ascendit. Sed inter se discrepare variis proprietatibus. Potestatem Ordinis infundi non hominis arbitratu, sed definitis pactisque à Deo modis, quò ita patefieret, eam esse Diuinam; & idcircò à malo dæmone, Diuinitatis æmulo, magicas cantiones fuisse institutas, cupiente se coli tamquam Deum, quem videt sua, vt ita loquar, habentem incantamenta in efficacia verborum ac rituum, quibus Sacramenta peraguntur. In potestate iurisdictionis nullum esse ritum à Deo decretum, eaque propter illam communicari pro arbitratu humani Superioris. Præterea, homini per priorem nonnisi nudum ministerium concedi, nec ab ipso effectum attingi, qui producitur à Deo: in altera exerceri ab homine auctoritatem & imperium, & effici proximè potestatem denuò productam: prioris, quippe immobilis, effecta à nulla humana potentia obturbari posse, tametsi vsus licitus vetari queat: alterius, quæ mutabilis est, effecta posse ab alio homine pro suo arbitratu impediri.

6 Explicatis vocabulis, normâque vniuersali statutâ, accessit ad alteram partem, hoc est, ad suam ferendam sententiam. Affirmauit, Ordinis Episcoporum potestatem esse à Deo proximè in sin-

1562. gulis hominibus, Iurisdictionis potestatem esse à Deo proximè in genere, nimirum in quibusdam, vt in Petro ac successoribus; atque, sicut ipse arbitrabatur, in cunctis Apostolis ex peculiari priuilegio; in reliquis, veluti in Episcopis peculiaribus, eam manare per interpositam à Deo personam, proximè à Romano Pontifice. Hanc rationem conformari normæ & congruentiæ à se expositæ in primo articulo. Etenim in Romano Pontifice dum is in Pontificatu perseuerat, iurisdictionem esse inuariabilem, quemadmodum etiam in Apostolis; in Episcopis variari posse, & mutari à Pontifice, quamuis non ex mera voluntate, sed ex causa.

Ad tertium rei propositæ caput progressus, argumenta contraria confutauit, ad quod sibi nauiter viam strauerat in primo capite. Obiectare nonnullos, Christi verba, *Pasce oues meas*, à SS. Basilio & Ambrosio intelligi non ad solum Petrum dicta, sed ad omnes Apostolos, & in ipsis ad omnes Episcopos, eaque propter ipsis fuisse proximè impertitam à Christo iurisdictionem significatam in potestate pascendi. Ad hæc responderi, ea verba dicta quidem fuisse cunctis Apostolis, non tamen in omnibus, sed in solo Petro; à quo, cùm gregem integrum pascere per seipsum non posset, admouendi erant illi operi reliqui Apostoli: si secùs exponerentur, hæresim ex illis deduci. Cùm enim ex vi huiusmodi verborum tradita fuisset iurisdictio in eos qui pascendi erant; cumque ea verba essent vniuersalia, adeoque complecterentur singulas Christi oues, quarum vna erat Petrus, si intelligerentur proximè dicta ac directa cunctis Apostolis, confectum iri, iisdem fuisse commissum, vt Petrum etiam pascerent, eumdemque proinde ipsorum subditum extitisse.

Simile quiddam ab aliis opponi ex aliis verbis: *Quodcumque ligaueritis*, &c. *Cuiuscumque remiseritis peccata*, &c. quæ sanè ad cunctos Apostolos ac successores directa sunt. Sed hoc nihil officere, quoniam per ipsa tradita fuit Ordinis potestas ad absoluendum in Sacramento, non facultas iurisdictionis exterioris; ac propterea dici à S. Thoma, Claues, earumque potestatem, quæ iurisdictionis potestas est, traditas fuisse Petro, ita vt ab eo in reliquos deuenirent. Hanc interpretationem firmauit; animaduertens, cùm Christus protulit recitata verba, *Quodcumque ligaueritis, quodcumque remiseritis*, nondum Petrum Ecclesiæ Caput fuisse constitutum, cùm adhuc dictum ipsi non fuisset, *Pasce oues meas:* non esse igitur verisimile, voluisse Christum formare Ecclesiam quamdam & hierarchiam, cum iurisdictione compluribus præcipuis ipsius membris tributa,

tributa, antequam ipsi Caput destinaret. Præterquam quòd etiam- 1562.
si admittatur, memoratis verbis iurisdictionem importari, alterum non deesse responsum, videlicet, ab illis non in præsentia eam tradi, sed promitti tamquam futuram, & à futuro Capite membris communicandam; perinde ac si diceret alicui Deus, *Tu eris Rex*; hinc non conficeretur, illum à Deo proximè Regem constitui, sed prænuntiari, regnum ex hominum electione illi conferendum.

9 Tertio loco sic argumentari aduersarios: Apostoli acceperunt iurisdictionem à Christo, non per alium quempiam communicatam; igitur eam quoque acceperunt Episcopi illorum successores. Consecutionem esse nullam; sicuti neque vim habet hæc alia similis: Adamus accepit à Deo corpus, & non per alium quempiam; igitur & homines pariter Adami successores: & esse Iurisprudentium regulam, *Non requiri in subrogato naturam illius cui subrogatur, nisi secundùm id quod satis est.* Episcopos non esse in omnibus Apostolorum successores. Huiusce rei exemplum haberi in eodem argumento, quando, tametsi Episcopi Antiocheni Petro successerint, & Ephesi Ioanni; nemo tamen agnoscebat in ipsis eam iurisdictionis amplitudinem, quæ fuerat in Petro & in Ioanne. Solùm igitur Episcopos successisse Apostolis in potestate consecrandi: at verò Romanum Pontificem successisse sancto Petro in integra potestate, quam ille distribuit minoribus Præsulibus; solus enim Romanus Pontifex est Generalis Dei Vicarius, adeoque solus ipse à Deo proximè iurisdictionem accipit, reliqui ab ipso. Eo pacto in amplis regnis, cùm Prorex integram supremamque potestatem à Rege obtinet, ab eodem posteà peculiares magistratus constitui.

10 Quarto loco adduci multa sacræ Scripturæ testimonia, vbi Deo tribuitur Episcoporum institutio, cuiusmodi est Apostoli dictum ad Ephesios: *Posuit Deus in Ecclesia Pastores.* &, quod dicitur in Actis Apostolorum: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* parabola serui fidelis ac prudentis, *quem constituit Dominus super familiam suam:* quod iurisdictionem significat: hanc verò parabolam intelligi de Episcopis, quando in ipsorum consecratione vsurpantur hæc verba: *Sit ille seruus fidelis & prudens, quem tu Domine constitues super familiam tuam.* Dixit, nullo ex his testimoniis, quod intendebatur, probari, idque ex iis quæ ipse initio obseruarat. Idcirco ad primum soluendum differüit: Pastores, perinde ac cuncta reliqua bona, fuisse à Deo constitutos, nimirum aut per ipsum, aut per alios, eâ ratione quâ similiter affirmatur, Principes ac Magistratus laicos ab eodem esse constitutos, tametsi non omnes ab ipso proximè.

1562. Ad alterum testimonium progressus, petiit, Quonam pacto Spiritus Sanctus Episcopos posuerat, num fortè eos ipse tulerat, & suâ quasi manu collocarat in Episcopatus sede? Minimè verò; sed per electionem habitam à populo, & per consecrationem ab Episcopis peractam. Igitur ibi sermonem non esse de collocatione quadam, proximè à Deo posita. Ad postremum: Aut efficaciam argumenti trahi à nuda parabola, aut ab eius significatione: non certè à nuda parabola, quippe quæ non de Deo loquitur, sed de quodam patrefamilias; non ab eius significatione, quippe cui satis est, fuisse constitutum à Deo Episcopum supra familiam suam quocumque modo, seu proximè per se, seu remotè per alios.

Solutionem parum dissimilem adhibuit aliis Scripturæ effatis. 11
Vnum ex his fuit, vbi Christus Episcopos nominat *Pastores*, dum ipsos significans dicit: *Bonus pastor vitam dat pro ouibus suis, & eas vocat nominatim, & eos educit ex ouili.* Igitur (opponebant) voluit ipsos esse Pastores, adeoque voluit in ipsis iurisdictionem inesse, cùm in pascendo iurisdictio exerceatur. Responsionem attulit: Certùm esse, voluisse Deum vt in Episcopis inesset iurisdictio, sed non illis tradita proximè ab ipso Deo, quemadmodum etiam voluit alia, quorum causas proximas idem constituit. Alterum fuit, vbi Apostolus inter conditiones Episcopi ponit, vt ipse domum suam benè regat, ostendens huiusce rei necessitatem eâ ratione: *Qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* 13
vnde colligebant, regendi munus ex Apostoli sententia ab Episcopis seiungi non posse. Iam verò regere, & iurisdictionem exercere, idem esse. Igitur iurisdictionem, vtpote commissam Episcopis in sacris Litteris, esse de Iure Diuino. Postremam consecutionem negauit, si ea intelligatur esse de Iure Diuino secundùm explicationem anteà positam, secundùm quam est de Iure Diuino illud dumtaxat, quod prouenit à Deo absque vlla inferiori causa intermedia. Voluisse Deum, vt Episcopi iurisdictionem haberent, exegisse in Episcopis, vt ad eam rectè exercendam essent idonei; sed noluisse illis per seipsum hoc impertiri, nec eos per seipsum ad regimen destinare: quemadmodum in Scriptura numerantur dotes serui boni, nec inde conficitur, seruum ab hero constituendum non esse, nec ministerio destinandum. Et quò multa in pauca redigam, per eiusmodi solutionem à plurimis similibus sacrorum Voluminum testimoniis se facili negotio expediuit.

Nec minùs facilè explicauit hac ratione, adducta ex aduerso dicta SS. Patrum Ambrosij, Emisseni, Basilij, Leonis Magni, affirmantium, 15

mantium, Episcopos, eorumque potestatem à Deo esse. Animad- 1562
uertit, eos numquam vsos fuisse hac voce, *proximè*, aliâve idem sonante: sed è contrario multos Patrum apertè docere, Episcoporum iurisdictionem esse à Romano Pontifice. Quòd cùm ita esset, velle se ratiocinari, perinde ac ratiocinatus est Bessarion Cardinalis aduersus Græcos in Synodo Florentina, dicens: Sanctissimi sapientissimique Patres Latini scribunt, Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, num ipsis affigemus anathema? minimè quidem. Neque pariter affigendum illud est Græcis Patribus, qui scribunt, Spiritum Sanctum esse à Patre, non factâ Filij mentione. Quare, si neutrum volumus, adhæreamus illi interpretationi, quæ sola cunctos in concordiam reuocans, eos tueri potest, atque affirmemus, mentem Græcorum non fuisse, Filium excludere, sed significare, Spiritum Sanctum à Patre procedere etiam per Filium. Similiter hîc res se habet: (dicebat Lainius) Patres aliqui pronuntiant iurisdictionem Episcoporum à Deo esse, alij, esse à Romano Pontifice: aut necesse est fateri, eos inter se repugnare, & ex ipsis complures decipi in articulo tanti ponderis in Ecclesiastica Hierarchia, qui sensus nec probabilis, nec pius est; aut oportet ad eos conciliandos, agnoscendamque veritatem, in eo quod vtrique docent, cunctos in hanc sententiam interpretari, Episcopos per Romanum Pontificem à Deo esse.

13 Negari non posse, affirmari à multis sacris Doctoribus, Episcoporum potestatem à summo Pontifice deriuari, idque in primis à compluribus præclaris Scholasticis, quibus], tametsi responderetur eos in multis rebus errasse, tamen id cuicumque hominum esse commune, adeoque per eam responsionem sublatum iri argumentum à quouis humanâ auctoritate deductum. Eos in paucis erraſſe, in multis verum assecutos, præsertim vbi eorum plurimi concordant. Ipsorum doctrinam, tamquam auctorum doctrinâ ac pietate præstantium, ab Academiis magni fieri, & admitti: neque quòd dictionis elegantia ipsis desit, sententiarum æstimationem minui. Porrò ex iis tres in schola Principes adduxit, & singulorum verba subinde recitauit; S. Bonauenturam in libro, cui titulus est, *Breuilogus*, vbi ostendit, Romanum Pontificem potestatum omnium fontem, originem ac normam esse; Durandum super quarto Sententiarum distinct. 24. & S. Thomam ibidem, ac præterea in Secunda Secundæ art. 3. quæst. 39. His addidit nonnullos veterum Patrum, Leonem Magnum, adductum distinct. 19. vbi cùm agatur de commisso Apostolis munere à Iesu Christo, sic loquitur: *Sed*

1562. *huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Baptismo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Eumdem rursus, sermone tertio de sua ad Pontificatum assumptione, vbi de S. Petro ita dicit: *Si quid cum eo commune voluit esse Principibus, numquam nisi per seipsum dedit, quidquid aliis non negauit.* Et Magnum Gregorium in capite, *Quanto*, distinct. 63. quod sic incipit: *Quantò Apostolica Sedes Deo auctore cunctis prælata constat Ecclesiis, tantò inter multiplices curas & illa nos valdè sollicitat, vbi ad consecrandum Antistitem nostrum expectat arbitrium.* Quòd si quid obstabat huic Gregorij testimonio, quoniam ipse recusauerit *Episcopum vniuersalem* appellari, respondit; obiectum dilui ab Innocentio Tertio, vbi ostendit, quâ significatione Romanus Pontifex dici posset Episcopus vniuersalis, & quâ non posset; quemadmodum quidam ex illis Patribus monuerat, esse illum Romæ Episcopum, eique, vtpote tali, potestatem inesse in suos suffraganeos: inesse quoque Primatum; atque hoc nomine antiquitus exercitam ab eo fuisse iurisdictionem in multis prouinciis, ad eumque delatas complures causas Italiæ, Africæ, & aliarum regionum: esse denique summum Pontificem, & vt summum Pontificem, esse vniuersalem, omnium superiorem. Quare dici ab Innocentio, summum Pontificem esse in sua Romana Ecclesia Episcopum, adeoque sinendum ab ipso, vt reliqui sint Episcopi in suis Ecclesiis: præterea esse vniuersalem, cùm ipsi fas sit audire & cognoscere causas omnes; sed fas non esse auferre sine causa auctoritatem Episcopis iure concessam.

Peccare consecutionem, quam aliqui deducebant, Nisi Episcopi à Deo potestatem accipiant, non posse in Concilio definire; & quod definiunt, Fidei dogma non esse: nam sufficere, eam à Pontifice ipsis conferri; atque hinc fieri, legitimam non esse Synodum, nisi summus Pontifex illi consentiat, & Synodi definitiones esse definitiones Dei, quatenus ab Romano Pontifice sunt, cui Spiritus Sanctus assistit. 15

Adhuc contrà afferri: Episcopatum esse Sacramentum; igitur de Iure Diuino: sed iurisdictio spectat ad Episcopatum; igitur eam pariter esse de Iure Diuino. Primam enuntiationem complures inficiari, opinatos, Episcopatum non esse Ordinem Sacramentalem à Sacerdotio distinctum; sed à se veram putari: falsam tamen consecutionem inde confici, propterea quòd omne Sacramentum potest in eo, qui ipsum suscipit, sine iurisdictione persistere. Opponi 16

prisci

prisci temporis exemplum, cùm Episcopi à Clero populoque eligebantur, & à Primatibus confirmabantur. Sed hinc potiùs oppositum probari; cùm certum sit, Primates non constitui proximè à Deo, adeoque huiusmodi potestatem à summo Pontifice ipsis communicari. 1562.

Multis efficaciæ non modicæ hanc rationem videri: A veteribus fuit tamquam hæresis reiecta Ærij Ariani opinio, Episcopos Iure Diuino Presbyteris superiores non esse. Et Martinus V. in quadam Constitutione, in Oecumenico Concilio à se edita, damnat tamquam hæresim sententiam, negantem Episcoporum iurisdictionem iurisdictioni Presbyterorum superiorem esse; & tamen hæresis aliud non est, nisi opinio, quæ Iuri Diuino aduersetur. Ad hoc soluendum dixit, Hæresim Ærij in eo sitam, quòd omnes Presbyteros æquales ex Iure Diuino affirmabat; adeoque summum Pontificem complectebatur, qui Iure Diuino cunctis superior est. Quod spectabat ad Constitutionem Martini, obseruauit, ab Ecclesia vt hæreticos damnari eos quoque, qui aliquid loquuntur aut faciunt contra Ius Ecclesiasticum, vbi per id ostenditur sententia contraria alicui veritati, quæ sit Iuris Diuini, & includatur in eo, quod est Iuris Ecclesiastici. Hac ratione tamquam hæreticos damnari sacrarum Imaginum contemptores, quia in eo contemptu Dei ac Sanctorum despectus continetur. Igitur tamquam hæresim refelli sententiam, negantem iurisdictionem in Episcopis superiorem comparatè ad Presbyteros; per id enim negatur auctoritas, quam Iure Diuino supremus Pontifex obtinet, qui Episcopis maiorem quàm Presbyteris iurisdictionem impertit.

15 Quæstionis explicatione, obiectorumque solutione sibi visus est magna ex parte corroborasse, simulque persuasisse sententiam, sicuti sæpè contingit: declaratio siquidem vim habet ad tribuendam speciem veritatis; solutio, ab indiciis falsitatis illam purgandam. Quare breuiter postremam partem, hoc est, eiusdem probationes est prosecutus, SS. Patres à se productos affirmare, iurisdictionem omnem amitti posse ab Episcopis, & ipsis auferri posse; igitur eam non esse ex Iure Diuino: etenim quod est huiusmodi, ab humana voluntate ac potestate variari non potest.

16 Nec valere quorumdam distinctionem: Esse quidem de Iure Diuino iurisdictionem Episcoporum, sed à summo Pontifice ipsis materiam destinari, & loca distribui, sicuti Iosue terras à Deo promissas ac donatas Hebræorum populo distribuit. Hinc deduci, A Romano Pontifice nihil ampliùs fieri, quàm fiebat ab Ethnicis magistratibus,

1562. ſtratibus,qui in vno loco Flamines, in alio Archiflamines,alibi Protoflamines collocabant, nullam poſteà in ipſorum munera curam ingerentes. Quin arguit: Si ea iuriſdictio eſſet ex Iure Diuino, potiùs materiam ac Diœceſim Iuris quoque Diuini futuras; quandoquidem iuriſdictio quædam ſpecies eſt reſpectus; omnis autem reſpectus ab ea cauſa, à qua ipſe fit, accipit pariter vt ſuos terminos ſignatè reſpiciat; terminos verò huiuſce reſpectus eſſe, ſuperiorem, & ſubditos. Igitur ſi Epiſcopi hanc definitam iuriſdictionem habent à Deo, neceſſe foret hos peculiares ſubditos habeant à Deo, & vt falsò dicantur Diœceſes habere à Romano Pontifice, adeoque neque idem poſſit eas illis auferre, aut commutare. Argumentatus inſuper eſt: Si iuriſdictionem accipiunt à Deo, aut eam loco terminatam, aut non terminatam accipi: ex altero abſurdum nuper expenſum collectum iri, videlicet, non licere Pontifici eam coarctare, ſicuti nec dilatare: ex altero ſecuturum, ipſam ad omnem regionem extendi, adeoque vnicum totius Eccleſiæ Principem non eſſe, ſed tot Principes vniuerſales, quot Epiſcopos.

Impugnauit poſteà allatam à quibuſdam ſententiam, conceſſum 17
non fuiſſe Romano Pontifici, vt ab Epiſcopis iuriſdictionem auferret, quippe ipſis à Chriſto traditam, ſed iuriſdictionis exercitium, quod à Chriſto non eſt. Quorſum (ait ille) genus quoddam iuriſdictionis prorſus impotentis, & quæ exerceri non poſſet? Chriſto dignum non eſſe eiuſmodi donum, quod ex ſe nihil valeat. Et pluribus in pauca redactis, verba illa, *Paſce oues meas*, aut ſoli Petro, eiuſque ſucceſſoribus fuiſſe dicta; & hinc palàm fieri, plenam ipſi traditam iuriſdictionem in vniuerſam Eccleſiam, adeoque hunc eſſe fontem vnicum, ex quo cuncti haurirent: aut dicta fuiſſe à Redemptore ſingulis Epiſcopis; & per id ſubtrahi quoque fundamentum affirmandi id quod etiam aduerſarij tamquam neceſſarium fatebantur, vniuerſam huiuſce iuriſdictionis materiam à Chriſto ſubiectam fuiſſe Romano Pontifici, & ab eo diſtribuendam peculiaribus Epiſcopis: quamobrem hoc admiſſo nihil ſupereſſe, in quo firmiter innitatur Eccleſiæ vnitas & monarchia. Concluſit hanc loquendi ſentiendique rationem: Quòd ſummus Pontifex ſolam materiam præbeat, eſſe nouam, nec Doctorum probationibus vſurpatam, ac proinde vti periculoſam eſſe vitandam.

Hoc eſt exemplar, quod Lainius in eo conuentu adumbrauit ca- 18
lamo, & quod viuidiùs colorauit linguâ. Et quamuis exemplar, quod illi Suauis tribuit aliud omnino, ſatis pulchra contineat; dona

tamen

tamen ab inimicis accipere, honestum non est, & ipsa pulchritudo vbi mendax est, fœditatem affert historiæ. 1562.

Sed donorum speciem haud præ se ferunt alia mendacia, quæ harum rerum narrationi Suauis intexit. Dicit, Animaduertisse Legatos post duos priores generales conuentus, per eam definitionem longè grauius detrimentum illatum iri Apostolicæ Sedi, Aulæque Romanæ, quàm ipsi putauerant, adeoque se tamquam malè cautos in reprehensionem incursuros; hinc verò studuisse, vt Patres inde remouerentur: curauisse præterea, vt per Sotum proponeretur Hispanis Canon, quo Episcopi declararentur instituti à Christo secundùm Ordinem, nullâ mentione illic habitâ de iurisdictione, quam hoc pacto intendebant tacitè significare vniuersam à Romano Pontifice pendere; sed Canonem ab Hispanis fuisse reiectum; vnde Legatos id consilij suscepisse, vt Lainius super eo articulo dissertationem haberet, quæ Romani Pontificis studiosis, & in eam sententiam imprudenter prolapsis, ansam præberet ad ipsam mutandam: hanc verò Lainij orationem fuisse digestam meditatione & consilio quatuor Iesuitarum ibi præsentium, qui erant, sicut ipse aliàs narrauit, præter Lainium, Salmeron & Torres, Theologi Pontificij, & Cauillonius Alberti Bauariæ Ducis Theologus. Purissimam profectò falsitatem, nullâ quippe veri guttulâ aspersam! Atque vt incipiam à postremo: non modò Iesuitæ tres dumtaxat fuere, & Torres minimè Regularis, quod pluribus in locis ostensum est; sed is acriter aduersabatur in eo Lainij sententiæ, sicuti Salmeronis opinioni de mansione repugnauerat, adeò vt inter Seripandi monimenta prolixus extet Torris commentarius aduersus eam dissertationem. Præterea Canon à Legatis per Sotum propositum Hispanensibus, & accepta repulsa tantum causa non fuere, quâ impellerentur ipsi vt à Lainio peterent copiosam pro ea sententia orationem, quantum id quod sequitur, illius quod præcessit causa esse non potest. Etenim Lainius verba fecit, sicut ipse Suauis affirmat, die vigesimo Octobris, & Sotus Legatorum nomine Hispanos adiit die vigesimo octauo, quod liquet ex epistola Legatorum ad Borromæum, eo die signata. Tertiò viri illi egregij, ex definitione partis expressæ nequaquam arguebant contrariam definitionem partis omissæ, quemadmodum hîc & alibi Suauis arguit: nec Hispanienses Canoni sibi proposito id obiecerunt, sed ipsum recusarunt, quia indifferenti silentio non contenti, disertam quamdam declarationem flagitabant. Postremò consecutiones, quæ ab aliquo turbulento ingenio confici poterant ex ea definitio-

1562. ne, quâ dicerentur Episcopi etiam in iurisdictione fuisse à Christo per seipsum constituti, tam serò detectæ non sunt à Legatis, nimirum post duos Patrum cœtus, super eo argumento habitos; sed ab initio ipsis innotuerant: quin eædem Legatos permouerant ad eam particulam abradendam ex Canonibus iam paratis sub Legato Crescentio, qui idcircò perstrictus fuerat à Seripando in enumeratis eius litteris, ad Amulium ab ipso scriptis, antequam conuentus vllus haberetur à Patribus de illo articulo.

Mendacia redarguimus; calumnias confutemus. Illa in primis 19
stulta videtur, quam Suauis apponit Episcopo Parisiensi, quò Lainium alienâ manu diuerberet, & in ipso cunctos Regularium Ordines, & Ecclesiam vniuersalem. Audet scribere, Parisiensem ex morbo domi detentum, cùm Lainius sermonem illum habuit; sed re cognitâ in eum acriter inuectum fuisse: hîc verò eumdem inducit in Societatem, in reliquos Ordines vniuersè, & etiam in Apostolicam Sedem ea promentem, quæ vix ab hugonottorum ministris dicta fuissent, quod certè nimis abhorrebat à doctrina ac pietate tanti Præsulis; nimirum primò, Lainij sententiam de auctoritate Pontificis supra Concilia, *præteritis sæculis inauditam, à Caietano ad purpuram adipiscendam excogitatam fuisse.* Indignissima ac stultissima verba: quasi non duo sæcula ante Caietanum ea sententia tradita ac scripta fuisset à celebri Doctore Gallo [c], Natali Heruæo, & elapso pòst sæculo ab alio non minùs inclyto Hispano, Ioanne Cardinali à Turrecremata [d], & paulò pòst ab illustri Germano Gabriele Biel [e], non connumeratis Alberto, Bonauenturâ, Durando, aliisque veteribus, quorum verba plurimùm illi fauent, & quasi post Caietanum eadem vsque ad id temporis destituta patronis iacuisset, nec illi præsertim Dominicus Sotus [f], insignis Theologus Hispanus, & Carolo V. à Confessionibus, adhæsisset, vt silentio prætermittantur Iacobatius [g] Cardinalis, & alij Canonum Consulti. Et de Purpura Caietani, quasi celebris non esset sanctitas huiusmodi viri, ab ambitu alienissimi [h]; quasi Purpura ei collata non fuerit ab alio, & non ab eo Pontifice, pro quo ipse scripsit aduersus Pisanam Synodum schismaticam, idque post annos plurimos, & contra eiusdem expectationem, vt in comperto est ex illius ætatis scriptoribus. Quin eâ tempestate ac proximè superiori duo mirabilia exempla edidit Deus, vt ostenderet, quàm sincerè ab Ecclesia Romana distribuerentur præmia. Vnum extitit in Ænea Siluio, qui tametsi in ea Christianæ Reipublicæ caligine Basileensi Concilio aduersus Eugenium adhæsisset; tamen ob egregias viri dotes exornatus Romæ

fuit

c In Tractatu *de Potestate Papæ*, circa medium.
d In lib. 2. Summæ de Ecclesia, cap. 54.
e In Canone Missæ, lect. 3. initio, & clariùs post medium.
f In 4. distinct. 20. qu. 1. art. 2. concl. 4. in fine.
g Lib. de Concil. art. 7.
h Legatur Vita Caietani apud Ciacconum, in appendice in auctoribus ibi adductis.

fuit & Purpurâ à Calliſto, & hoc demortuo, ſupremâ tiarâ à Cardinalibus[i]. Contigit alterum Caietano ſuperſtite, & ex parte ſub eodem Pontifice, à quo ipſe Purpuram accepit, in Adriano Florentio; qui quamquam ſuſtinuiſſet in ſuis Commentariis aliquam in Conciliis prærogatiuam ſupra Pontificem, tamen à Leone in Collegium cooptatus eſt, & poſt eius mortem, ob commendationes, præſertim Caietani, electus Pontifex. 1562. i 1458.

Secundo loco, quod ſpectat ad Ordines Regularium, Suauis numquam mihi ſuaſerit, Epiſcopum Pariſienſem voluiſſe ea opinamenta in lucem reuocare, quorum causâ Guillelmus de ſancto Amore, aliique eius aſſeclæ reiecti ſunt vt hæretici à S. Thoma. Nos verò alibi demonſtrauimus, homines politicos vel maximè impios, qualis fuit Nicolaus Macchiauellus, fateri, ab his Ordinibus & Eccleſiam & Fidem ſarta tecta ſeruatas. Quin potiùs Gallia meritò gloriatur, multos præcipuos ex illorum Ordinibus, multóſve ex ipſorum Fundatoribus à ſe traxiſſe ſiue natalem lucem, ſiue lac, ſiue educationem. Sed cùm clarus quidam Poëta[k] per allegoriam innixam vero inclytam illam regionem quaſi Berecinthiam quamdam Deorum matrem depingat, noſter Hiſtoricus eam quaſi quamdam Medæam audet deſcribere, in ſuos amabiles filios alumnoſque ſæuientem.

k Carus in celebri Cant. *Venite all' ombra de gran Gigli d'oro.*

CAPVT XVI.

Altempſij Cardinalis diſceſſus. Pontificis conſilium de addendis Legatis; ſed depoſitum. Nouæ tricæ in reficienda forma ſeptimi Canonis, ad Epiſcoporum inſtitutionem ſpectantis.

1 MOra, quam innectebant Synodo hæc noua ſemper & ferè impacata opinionum diſſidia, Altempſium Cardinalem impulit, vt peteret impetraretque facultatem à Pontifice Tridento abeundi, ad Conſtantienſem Eccleſiam ſuam inuiſendam, ac poſteà redeundi. Profectus igitur eſt exeunte Octobri[a]: & ſicuti profectiones temporariæ ſæpè in perpetuas mutantur, ita Legati poſteà munere ſolutus eſt, cùm experientiâ conſtitiſſet, neque patriam aut nobilitatem ſatis illi fuiſſe pro concepta iam ſpe ad complures Germanos ad Synodum pertrahendos, nec per ætatem adhuc illi licuiſſe prudentiâ doctrinâque matureſcere ad prægrandia illa molimina. Ex altera parte induxerat in animum Pontifex addere Concilio nouos Legatos, duos ex illis, quos apud ſe deſi-

a Litteræ Borrom. ad Legatos, 12 Octobr. 1562.

1562. gnarat paucis antè menſibus[b], ſicuti dictum eſt: hi erant Burdeſius & Nauagerus. Conſiderabat, ab vtroque, quippe minoris in Collegio notæ quàm Mantuanus, primi Legati dignitatem illæſam illi ſeruatum iri, adeoque exiſtimationem, animique alacritatem: & alioqui videbantur rerum conditionibus optimè idonei. Etenim præter ea quæ aliàs Pontifici perſuaſerant, vt ad ipſos animum adiiceret, arbitrabatur Burdeſium, vtpote Gallum, & ad ſumma Regni negotia adhibitum, vim plurimam apud Gallicos Præſules habiturum ad compenſandam apud eoſdem, quaſi per æquipondium, Lotharingi auctoritatem, vbi hic illâ vti immoderatiùs tentaſſet. Huiuſce rei rumore ad Mantuanum delato, ſignificauit Vicecomiti per Archiepiſcopum Iadrenſem, ſe æqui bonique facturum quidquid Pontifex decreuiſſet, ſed tenuem ex eo fructum ſuo iudicio ſperandum eſſe: fieri non poſſe, vt Burdeſius apud Gallos obſiſteret Lotharingo, qui gradu Princeps, doctrinâ præcelſus, miſſus eò fuerat tamquam ſuorum Præſulum anteſignanus: & ex altera parte eumdem Lotharingum offenſum, tum collatione, tum hominis ſibi collati inæqualitate, conaturum fortaſſe reipſa oſtendere, quantum ipſe auctoritate ac virtute præpoſſet: Nauagerum nec Theologiæ neque Canonum eſſe peritum, adeoque illis negotiis haud ſatis idoneum. De Lotharingi prudentia, aliiſque dotibus ad prudentiam ſpectantibus nihil dixit, quò per ſe Pontifex animaduerteret, nullam earum in illo deſiderari; quin eò validiores in ipſo eſſe, quò fortior pollet vigor mentis, ſi vigor manus illi reſpondeat. Simonetta pariter contrariam huic conſilio mentem ſuam patefecit Vicecomiti. Et ſanè non poterat moleſta non accidere antiquis Legatis nouorum collegarum adiectio, quamuis ſibi non præcellentium: argumento ſiquidem foret, aut eos muneri non plenè ſufficere, aut ipſis Pontificem non plenè fidere. Quin hoc ipſum ſuapte naturâ effeciſſet, vt illi qui ob experientiam agmen ducebant, minùs ſollicitè ſucceſſus proſperos curaſſent in poſterum, vt qui nouo ſociorum ſubſidio tribuendi eſſent.

[b] In epiſt. Vicecomitis ad Borrom. 1 Octob. 1562.

Cùm igitur ipſi munus legationis integrum proſequerentur ac vellent, nec labori corporis, nec animi ſollicitudini quidquam parcebant, vt ad proſperum exitum rem perducerent. In cœtu generali 20. Octobris, poſitâ ſententiarum diſcrepantiâ de præcipua controuerſia, & expetitarum mutationum multitudine in reliquis Decretis, alij quatuor adiecti ſunt[c] Patribus, ad formandos Canones ac Decreta ſelectis, quò ſimul omnes illorum formam ſingulis gratam conficerent. Hi fuerunt tres Præſules Dominicani, Naclantus,

[c] Epiſt. Legatorum ad Borromæum, 12 Octobris 1562. & Acta Paleotti.

tus, Marinus, & Fuscararius, & cum ipsis Castanea. Incredibile est, quantâ solertiâ & obseruatione fuerint excogitatæ ac perpensæ innumeræ formulæ ac voces ad supremum illum Canonem perficiendum; cùm exquirerentur eiusmodi, quæ dogma Fidei plenè declarantes, nullum simul aditum relinquerent, ne animis quidem affectu occupatis, ad interpretationes habendas aut discordes aut certè alienas à Fide. Denique nouam formam iam digestam [d] Legati detulerunt Hispanis vesperi die 28. quò eam concorditer referrent ad cœtum crastinum: sed ab illis minimè comprobata. Quare, quà ob duritiam indignati, quà concordiam desperantes, apud se statuerunt adhuc illam proponere, suffragiisque committere. Verùm deferuescente in ipsis æstu per algorem [e] noctis, postridie manè cùm Præsulibus sibi intimis consilium habuere ad aliquam concordiæ rationem ineundam. Dum hæc illi agitarent, complures Hispani Præsules petierunt ab ipsis colloquium, inter quos Guerrerus & Aialaardentius locuti sunt: Iure optimo ab ipsis peti, vt apponeretur Canon ille, qui ætate Iulij III. constitutus fuerat; vtque dum agebatur de Sacramento Ordinis, ac de Hierarchia, minimè dissimularentur prærogatiuæ à Christo traditæ Episcopatui, qui supremus est inter Ordines, & gradus præcipuus hierarchiæ. Id vbi recusaretur, conquesturos se apud Regem Catholicum, ac reliquos Principes, nec cœtibus interfuturos. Adiecit præterea Guerrerus [f], à se grauissimæ sibi contumeliæ verti, quòd à quibusdam idcircò notarentur modicæ fidei in Apostolicam Sedem: in hoc se nemini concedere; & ad firmissimum fidelitatis suæ argumentum sibi probari, vt poneretur in Canone, Episcopos ex Iure Diuino subiectos esse Romano Pontifici, & ad ipsi parendum obstrictos. Præsides cùm eos inflammatos animaduerterent, censuere longam cum ipsis disputationem esse declinandam: in eo quippe statu quæcumque adhibeatur ratio, perinde se habet, ac cibus in incremento febris ingestus, qui naturalem calorem non reparat, & febris æstum exasperat. Quapropter Mantuanus ipsis generatim respondit per summam vrbanitatem ac moderationem, se & collegas haud prætermissuros muneri suo satisfacere, quemadmodum hactenus præstiterant, & res à se anteà gestæ testabantur. Leni quoque ratione eos cohortati sunt ad quietem, communique Synodi sententiæ se submitterent; vtrumque enim Ecclesiæ commodo à quouis probo Præsule, & normæ virtutis politicæ à quouis probo ciue debebatur. 1562.

[d] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 28 Octob. 1562.

[e] Litteræ Legatorum ad Borrom. 1. Nouembris 1562. & Fuscararij ad Moronum, 2. Nouembris, & Acta Salmanticensis Episcopi.

[f] Acta Salmanticensis Episcopi.

3 His dictis eos dimiserunt: sed ea denuntiationis species grauem

1562. sollicitudinem Legatis iniecit, considerantibus, tametsi totius nationis nomine id expositum non fuisset, & sciretur quibusdam aliam inesse mentem, complures tamen in eò conuenisse, & ex præcipuis; adeoque verebantur ne aduenientes Galli in vnum coalescerent cum iam commotis Hispanis in articulo promouendo, qui videbatur vniuerso Episcoporum ordini fauere; atque ne ob eamdem causam fieret illis multorum Italorum accessio, si à conuentibus illi se abstinerent, pro eo ac denuntiarant: facilè ab iisdem recessuros suorum Principum Oratores; ac potissimùm Cæsareos id effecturos, vbi, sicuti fama erat, Philippi Regis Orator ad Concilium accederet Comes Lunensis, qui apud Cæsarem Regemque Bohemiæ diutius commoratus, cum illis Principibus animi sensibus & amore arctè coniungebatur, ac proinde illi parti suorum Hispaniensium Lunensem fauturum, quæ præter numeri prærogatiuam cum Germanis sentiret; hos verò tam valido fœderato confisos audaciùs tumultuaturos. Quamobrem timendum erat, ne eiusmodi secessio fieret, ob quam Synodus parum honorificè dissolueretur, relictâ mortalium iudicio dubitatione, cuinam id vitio tribuendum.

Inter hanc cogitationum anxietatem ambiguitatemque nocte à Legatis transactâ, manè ad eos accessere quadraginta circiter Italici Præsules, quorum duces erant tres Patriarchæ, & aliquot Archiepiscopi g. Petiere, vt in septimo Canone iam proposito nulla fieret mutatio, quam inaudierant ab Hispanis postulari. Æquum non esse, minorem numerum maiori anteire, ac præsertim in articulo spectante ad summi Pontificis auctoritatem, quæ vtique in sua firmitate seruanda erat, & disputationi neutiquam exponenda. Eos præterea rogarunt, ne paterentur amplius in cuiusuis gratiam tempus teri, sed cœtus sollicitarent, cùm supra modum esset necessaria Synodi absolutio, tum quò liberarentur ab incommodis iam penè intolerabilibus illius domicilij, tum quò vniuersalis Ecclesiæ incolumitati promulgatione Decretorum, & peculiarium bono Episcoporum reditu consuleretur.

g Extant in adductis testimoniis, & in epistola Iadrensis Archiepiscopi, 2 Nouembris 1562.

Postrema hæc Italorum petitio nonnihil admirationis peperit in Legatis, quippe quibus non videbantur ipsi tam lentè se gessisse, vt stimulis indigerent. Communi nomine respondit Mantuanus, ad primum caput: Se agere ipsis grates ob pium postulatum: idem quoque esse Legatorum propositum, adeoque nihil mutatum iri absque accuratissima consultatione. Ad alterum dixit, Satis quidem à Legatis agnosci absolutionis necessitatem; sed ob difficulta-

tes

tes iam compertas illius septimi Canonis, vnum aut alterum diem fuisse conuentus protractos, ea ipsâ morâ ad celeritatem directâ; quam sanè impenderant in exquirenda forma cunctis accepta, adeoque ne per discordiam esset aut retardanda Sessio, aut corrumpendus fructus, quem illius Concilij conuocatione Pontifex quæsierat, & Christiana Respublica expectauerat. 1562.

6 Huiusmodi postulatum Italorum, quod obliquè exprobrabat, nimium Hispanis tribui, Legatos id temporis remouit ab eo consilio, quo anteà statuerant communicare cum Hispanis nouam Canonis formam, quam deinde ipsis consentientibus conuentui proponerent; vt qui malebant adire periculum vt illa reiiceretur à conuentu, hoc est à legitimo Tribunali, quàm vt ipsi subderentur censuræ paucorum illorum Præsulum, quibus non plus auctoritatis inerat, sed plus audaciæ quàm ceteris; atque vt illis se magis inclinarent, quia minùs iidem suis se maioribus inclinabant. Verùm sicuti caloris æstus, altiùs quàm par est consilia attollentis, illicò temperatur in animis ab annis & experientia tepefactis; ita posteà concordiæ studium ad transigendæ rei consilia ipsos retraxit[h]: Vanam esse ac popularem gloriam, decertasse, præsertim in homine, qui pacificas artes profitetur; honestissimam victoriam euadere eam quæ Reipublicæ maximè conducibilis est, nimirùm prosperum expeditionis successum cum vniuersali comprobatione, quâ ille & vtilior & stabilior redditur. Meminerunt itaque, cuiusdam Canonis formam ab Archiepiscopo Lancianensi & Mutinensi Episcopo ipsis delatam fuisse, quæ tametsi obscurior erat, eam tamen iidem Hispani per legitimam sententiam interpretabantur. Quare vnà cum Auditore Paleotto coëuntes adiecerunt animum ad eamdem ipsam perficiendam, verbisque expresserunt id quod animo à se intelligi affirmabant Hispani: tum per Castaneam & Lainium ab Italis eam comprobandam curarunt, post quorum consensum Hispanis erant eamdem exhibituri. Verba à variis variè recensentur. Cùm enim ea omnia trutinâ exactissimâ ponderarentur, eorum aliquod in horas singulas mutabatur. Nos illa referemus perinde ac ipsa comperimus in Actis Paleotti, qui sæpè eorum auctor erat, semper verò anteà consiliarius, posteà custos. *Anathema sit, si quis dixerit, Episcoporum auctoritatem ordinandi, confirmandi, & docendi, non esse de Iure Diuino; seu potestatem iurisdictionis quam habent Episcopi, non fuisse traditam à Christo in Romano Pontifice ipsius Vicario, quæ ab ipso in Episcopos deriuatur, cùm in partem sollicitudinis assumuntur: aut qui diceret, Episcopos non esse superiores Presbyteris.* Itali difficiles ad hæc se præbue-

[h] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 2. Nouembris 1562. & Acta Paleotti.

1562. præbuere; alij, quòd probro sibi verterent, tantum alterius nationis voto concedi; alij, quòd prior Canonis pars sibi nimis ampla, & posterior de Episcoporum potestate nimis angusta visa est. Nec deerat qui certamen cuperet, quò scripto & operâ de Sede Apostolica bene mereretur. Sed religiosiores prudentioresque intelligebant, verum emolumentum pacifici diuturniquè possessoris esse, non litigare. Quapropter hæc tandem vniuersalis Italorum responsio à Patriarchis Hierosolymitano ac Veneto reddita est: Daretur opera Hispanis pacandis: si hi acquiescerent huiusmodi formæ, se quoque ex pacis desiderio eam accepturos; sin decertandum esset, expressiorem clarioremque à se expeti: sed Hispanorum animi à Soto tentati, nequaquam se faciles exhibuere, recusante Guerrero ea verba [i], *in partem sollicitudinis*, ac pronuntiante, certum non esse, à Romano Pontifice assumi Episcopos.

[i] Litteræ Legatorum ad Borrom. 2. Nouembris 1562.

Non interfuerat his postremis congressibus Seripandus ægrotus decumbens; & vbi primùm digestam formam cognouit, illam repudiauit, & tamquam ambiguam subiectamque siniſtris interpretationibus, ad quas euitandas huiusmodi definitiones admittendæ non sunt, & tamquam omnino aliam ab ea, quæ anteà missa fuerat ad Pontificem; qui tandem etiam Legatos [k] monuerat, vt ab omni verborum ambiguitate in eo argumento declinarent, vtque facilè detorqueri posset in explicationes consecutioneſque deteriores. Quamobrem nouum ac tutius exemplar Canonum ac doctrinæ elaboratum est. Et Canon septimus reformatus, erat huiusmodi: *Anathema sit, si quis dixerit, non fuisse institutum à Christo, vt in Ecclesia Catholica sint Episcopi: ipsoſq;, cùm assumuntur in partem sollicitudinis à Romano Pontifice, eius Vicario in terris, non esse veros ac legitimos Episcopos superiores Presbyteris; nec habere eamdem dignitatem eamdemq; potestatem, quam hactenus obtinuerunt.* De hac noua forma [l] dici sententiæ cœptæ sunt accuratissimè simul ac longissimè. Et Granatensis in sua defixus opinione negarat, Episcopos à summo Pontifice vocari in partem sollicitudinis; affirmabatque, eosdem esse Christi non Pontificis Vicarios: cui Legati respondendum curarunt in subsecutis cœtibus efficaciter ac modestè à Præsulibus præcipuis, quibus ius erat dicendæ sententiæ post Guerrerum, præsertim verò à Marino Archiepiscopo Lancianensi, & à Marco Antonio Columna Tarantino, illustri posteà Cardinale.

[k] Litteræ Borrom. ad Legatos, 29. Octobris; eorumque responsio ad eumdem, 5 Nouembr. 1562.

[l] Ex Actis Paleotti vbi extant singulorum sententiæ; & ex litteris Legatorum ad Borromæum, 5. Nouemb. 1562 & Fuscararij ad Moronum, 3. & 5. Nouembr. & ex epistola Iadrensis Archiepiscopi, eodem tempore.

Initio pauci Hispaniensibus vniuersè consensere in hac definitione postulanda de Institutione Episcoporum: sed in posteris conuentibus auctus est asseclarum numerus. Et validissimum his erat telum,

telum, quòd huiusmodi declaratio[m] ætate Iulij non modò digesta fuerat à selectis Præsulibus, sed à Patribus confirmata, nec nisi eiusdem promulgatio in Sessione supererat; adeoque contra ius fasque quodammodò videbatur, id nunc Episcopis auferri, quod ipsis tunc concorditer adiudicatum fuerat. Quamobrem cùm sæpè magis moueantur hominum conuentus ab exterioribus causis, quippe patentioribus, quàm ab interioribus, quippe disputationi magis obnoxiis, ea Patrum auctoritas, sedente Iulio coëuntium, complures iam in hanc sententiam traxerat. Comperto igitur, quantum obesset hæc vniuersalis opinio, necessitas solertiam exacuit ad certius exquirendum id quod eousque per incuriam positum pro vero fuerat. Et planè accidit quod interdum in scholis philosophantium contingit, vbi, postquam diu nauiter desudatum est in soluendis argumentis aliquo narrato experimento nixis, tandem re per periclitationem discussâ, narratio falsa detegitur. Episcopus Telesiæ, qui in Iulij conuocatione à secretis fuerat, commentariis denuò lustratis, reperit illum Canonem non modò tunc à Patribus non firmatum, sed ne expensum quidem fuisse. Quo supra modum gauisi Legati; eorumque Princeps retulit in cœtum quintâ Nouembris rei veritatem. Granatensis, cùm primùm[n] huiusmodi definitionem in conuentu flagitauerat, afferens tamquam præcipuam causam antecedentem illius confirmationem, produxerat testimonium Aialæ, & Octauij Præconij, ex Ordine Minorum Obseruantium, tunc Archiepiscopi Panormitani, & olim Monopolitani, qui ambo secum illi conuentui interfuerant. Ij tamen cùm posteà sententiam ex ordine dixerunt; illud ipsum testimonium non confirmarant, sed silentio præterierant. Verùm Aiala in priuatis congressibus cum Legatis, vnà cum ceteris Hispanis narrationem comprobarat; quare is posteà auditis quæ Mantuanus retulerat, cùm postridie loquendi rursus locum habuit, iterum confirmauit, in Iulij conuentu fuisse id perpensum à Patribus, & statutum; & pro rei argumento ac monumento protulit scriptam tunc à se recitatamque sententiam, vbi vel ipsius diei nota visebatur. Hac Aialæ testificatione altè confossus est Mantuanus, quasi mendacij redargutus; sed gnarus, quàm sit honestius summis viris certamen retardare, donec illud vnà cum victoria eodem tempore sit habendum, per profundam dissimulationem diem posterum præstolatus, afferendum curauit à Telesiæ Episcopo volumen authenticum: qui Episcopus cùm præmisisset, se honesti studiosum esse, & idcircò delectum à duobus summis Pontificibus, vt illi sacrosancto Concilio

1562.

m Præter Acta in Arce Æliæ, 7. Nouemb. Litteræ Legatorum ad Borrom. 8. Nouemb. 1562. & Fuscararij ad Moronum 9. Nouemb. Acta Musotti, 7. Nouemb. Epsc. Salmanticensis; arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom. 9. Nouembr. & Archiep. Iadrensis, 9 Nouembris 1562.

n In arcanis notis Vicecomitis ad Borrom. 25. Octobr. 1562.

1562. à secretis esset, testatus est, eos quos proferebat Commentarios, tantummodò extare in Actis Iulij super eâ re : eorumque lectâ sententiâ palàm fecit, quæ Mantuanus narrauerat vera esse. Quin etiam ostendit, eo die quo affirmabat Aiala dictam à se fuisse de iam memorato Canone sententiam, ne dum quidem Patres ad formandos Canones fuisse destinatos. Si quis nollet habere fidem sibi, ac publicis Concilij Scribis, qui Actis subscripserant, denegandam illam non esse saltem Legato ac Præsidibus eâ tempestate, à quibus tamquam legitima ea fuerant recognita.

Narrat Suauis, de iis Mantuanum & Aialam plurimùm contendisse, & integrum conuentus spatium occupasse, atque ab vtroque sibi arrogari rationem ob ambiguam significationem Decreti Canonisque stabiliti sub Legato Crescentio, cùm illic diceretur: *Docet prætereà sancta Synodus, audiendos non esse eos, qui dicunt Episcopos non esse institutos Iure Diuino, cùm manifestò constet ex litteris Euangelicis, ab ipso Christo Apostolos fuisse vocatos promotosq; ad gradum Apostolatus, quibus subrogantur Episcopi: nec debet in mentem cadere, hunc tam necessarium & eminentem gradum inductum in Ecclesiam fuisse humanâ institutione: id enim esset detrectare, ac paruifacere Diuinam Prouidentiam, quæ in rebus nobilissimis deficeret.* Ac dein Suauis hæc habet: *Octo quoque Canones notati sunt, quorum octauus dicebat: Si quis dixerit, Episcopos non esse institutos Iure Diuino, aut superiores non esse Presbyteris, aut non habere auctoritatem ordinandi, aut hanc etiam Presbyteris conuenire, anathema sit.* Et subdit: *Vnusquisque ab aliqua opinione iam occupatus, in singulis quæ legit, eam nancisciturq; mirum, non est, si ambo hi Præsules suam quisque nanciscerentur in iisdem verbis, quæ intelligebantur à Pontificiis dicta esse de sola Ordinis potestate, ab Hispanis verò de vniuersa, quæ Ordinem & iurisdictionem comprehendant; tametsi quidam ex Pontificiis existimarent, Mantuanum, consultò simulantem se cum reliquis consentire, vetus Decretum legendum curasse, non quo suam, sed quo Hispanorum sententiam, quam in sinu celabat, confirmaret.* 9

Cuncta hæc falsa esse liquidò demonstrantur. In primis, Legati [o] citra omnem dubitationem significarunt Borromæo, Aialam à se conuictum fuisse, palamque conuentui factum, illud minimè stabilitum sub Crescentio, ne verbo quidem adiecto aut de nouis responsis ab Aiala redditis, aut de alio Canone ac Decreto super hac re ætate Iulij confirmato. In eamdem sententiam ad eumdem Borromæum scripsit Vicecomes arcanis notis. Idem retulit in sua Acta Musottus, & fusiùs Paleottus in sua. Prætereà Suauis aliquid viderat quod fidem omnem adimebat Aialæ testimonio, quodque adscri- 10

[o] Patet ex suprà allatis testimoniis.

adscribi non potest ambiguæ verborum intelligentiæ: In memorato 1562.
volumine litterarum Vicecomitis, quod similiter extat in litteris Legatorum, fuisse ostensum ab Episcopo Telesiæ, qui à secretis erat, nedum quidem fuisse destinatos Patres ad Canones ac Decreta formanda eo die, quo autumabat Aiala ex sua scripta schedula à se super eo themate dictam sententiam. Pergamus, producamusque testes duos Antistites, huiusmodi definitionis studiosos, Archiepiscopum Iadrensem, & Mutinensem Episcopum, qui illi parti fauebant. Hi rem gestam perscripserunt, alter ad Cornelium, alter ad Moronum, æquè ac ego narraui, ne mentione quidem factâ vllius ambigui scripti, quod repertum fuerit sedente Iulio confectum. Præter hos Petrus Consaluus de Mendoza Episcopus Salmanticensis in suis Actis idipsum disertè narrat; quin duas addit conditiones, quæ Suauis mendacium nimis deturpant. Vna est, Aialam Diuino consilio, cui libitum fuit hominis ægrimoniam mitigare, à conuentu abfuisse eo die, quo Episcopus Telesiæ Mantuani iussu rem gestam patefecit, & quem diem fingit Suauis fuisse integrè insumptum contentionibus inter Mantuanum & Aialam. Altera est, Mantuanum ægerrimè passum, Aialæ testificationem aduersus quæ ipse dixerat redditam, cui tribuit iniunctum fuisse, vt illi qui à secretis erat, suas sententias scripto traderet, quasi non sinceram doctrinam, cùm is reuocasset in dubium, sicuti narrauimus, An Ordinis Sacramentum eam infundat gratiam, quæ nos efficit Deo gratos & amicos; & prætereà, an imprimat characterem, per quæ videbatur superiorum definitionum firmitatem labefactare. Vsque adeò abhorret ab omni specie veritatis fama illa, quam Suauis excitatam comminiscitur, conatum videlicet Mantuanum eâ scriptorum lectione comprobare sententiam, cui ad speciem aduersabatur.

11 Controuersia itaque haud perinde se habuit ac eam Suauis depingit: Num verba sub Crescentio Legato parata hanc illámve significationem importarent: in quo casu quis non animaduertet, vtramque partem facilè conuenturam, acceptis denuò iisdem verbis, & à singulis partium intellectis secundùm eam sententiam, quam sibi sonabant? At verò quamquam eiusmodi verba suapte naturâ saniſſimam innocentissimamque sententiam continerent, consultò Legati ea reiecerunt, ad vitandam in argumento tam delicato quamcumque ambiguitatem, quæ posteà in sementem seditionis in Ecclesia conuerti posset. Sed certamen fuit; quoniam Mantuanus quintâ Nouembris narrauerat, fuisse Canonem illum

1562. sub Iulio digestum à selectis Patribus, sed posteà ne delatum quidem in generalem cœtum, nedum ab eo confirmatum, sicuti dicebatur: cui narrationi cùm Aiala postridie restitisset, eadem die postero comprobata est, allatis ab Episcopo Telesiæ legitimis tabulis.

Iam verò ex iis quæ Seripandus in sua peculiari narratione huius rei gestæ notauit, & nos oculis vsurpauimus in Actis authenticis Arcis Æliæ, solùm exceptis quibusdam minutulis, quæ illic non habentur, res gesta sedente Iulio ita se habuit. Post quartam Sessionem die tertio Decembris anno 1551. commissus fuerat Minorum Theologorum censuræ inter alios hic articulus, *Episcopos non esse Iure Diuino institutos, nec Presbyteris superiores, nec ius obtinere ordinandi; aut si obtinent, illud esse Presbyteris commune, eorumq; ordinationes absque populi consensu irritas esse.* Eo examine absoluto die 29. Decembris, descriptum fuit exemplar doctrinæ, & à Patribus expensum, auditæque de eo sententiæ sunt complures dies; tum decimo quarto Ianuarij anno 1552. selecti sunt octodecim ex Patribus illud reformaturi, simulque inde Canones extracturi; ex quibus octodecim Patribus tres illic præsentes nominauit Antistes Telesiæ, cùm septimo, vti diximus, Nouembris die ordine rem gestam exposuit: ij verò erant Guerrerus, Naclantus, & Præconius. Hi selecti Patres decimooctauo Ianuarij die cum reliquis Præsulibus formam Canonum à se digestam communicarunt: & inter Canones quidam erat, quo memoratus articulus damnabatur, exceptâ postremâ particulâ de ordinationibus absque populi consensu habitis, fortasse ob eam difficultatem quam posteà Galli obiecerunt. Et vigesimo ac vigesimo primo die exemplar doctrinæ tradiderunt, vt illic stabiliretur, quod erat quale suo rudi Italico stilo refert Suauis: sed non modò illud ibi firmatum non fuit, sed ne sententiæ quidem super eo à Patribus dictæ sunt, propterea quòd Oratores Septemuiri Saxonis Ducisque Wirtembergici petiere, vt earum rerum tractatione tantisper supersederetur, dum ipsorum Theologi audirentur. Quapropter die 25. Ianuarij quinta Sessio celebrata est, prorogatis Decretis, quæ posteà nunquam ad trutinam reuocata sunt, nedum promulgata. Putauerim equidem falsum ab Aiala fuisse narratum non datâ operâ, sed imprudenter; cumque reuerà ille articulus aliquâ ratione fuisset expensus ætate Iulij, hinc illum post tot annos lapsum esse vitio memoriæ, quæ sæpè inter incertæ mentis tenebras amore sui deprauata, nobis ipsis testatur, confidentiâ parum fideli, id quod optamus.

Ita

Ita se habuit certamen illud inter primum Legatorum, & Segouiensem Antistitem: & reipsâ huiusmodi erat rationis fundamentum. Quisnam posteà præcipuæ controuersiæ fuerit exitus, post multum temporis ac negotij, in historia constabit. Etenim quemadmodum Natura plus artis ac laboris impendit in ea opera, quorum effector ac receptor vnus & idem est, & in quibus vita bonaque constitutio cuiuslibet animantis sita est; ita prudentes hominum cœtus summam impendunt solertiam iis decisionibus, quarum iudices & iudicati iidem ipsi sunt, & ex quibus vita bonaque Reipublicæ constitutio pendet. 1562.

CAPVT XVII.

Diploma Pontificis ad reformanda Vaticana Comitia. Mantuani propositio in conuentu de Mansione. Regis Catholici litteræ ad Hispanos Præsules. Cæsaris litteræ ad suos Oratores. Sessionis prorogatio Gallis postulantibus priùs Pontifici probata, posteà improbata, sed serò. Lotharingi Cardinalis aduentus.

1 DVm Patres tam acri studio rem gerebant, Pontifex suam quoque operam nauiter locabat. Quò Reipublicæ Christianæ ac Synodo satisfieret, duo potissimùm necessaria censebantur; emendatio Aulæ Romanæ, & Episcoporum mansio suas apud Sedes. Quod ad prius spectabat, complures à Paulo III. ac successoribus editæ fuerant salutares Constitutiones, quæ paulatim suauiter deleuerant plurimas ex pristinis corruptelis, partim, vt assolet, ab negligentia inductis, partim ab indulgentia. Sed adhuc reformandum supererat opus supra reliqua conspicuum, & à quo rectè constituto reliquorum probitas manat, hoc est, summi Pontificis electio. Hæc, quæ omnium inter mortales optimè constituta esse deberet, omnium pariter difficillimè institui posse ab humana prudentia noscebatur: leges reliquæ vim capiunt ad regendum à brachio executoris, dominantis in eos qui legibus obligantur; hîc lex præscribitur eiusmodi capitibus, quæ nullum sibi Principem agnoscunt cùm illa obseruanda est. Ex altera parte, in re tanti ponderis, priuatarum animi affectionum quasi incantatio, maximorumque Principum respectus, id cuique tamquam licitum depingunt quod in rem suam conducit. Iulius III. sicuti narrauimus, diploma post diuturnam consultationem dictauerat ad reformanda Comitia Pontificia: sed antequam ea lex à solemni promulgatio-

1562. ne vitam caperet, ob mortem legislatoris necesse fuit haberi Comitia. Iam verò Pius IV. conuerso in idem animo rem compleuit, missâque ad Legatos Constitutione, pollicitus simul est, complures alias se vulgaturum, & ad ipsos missurum, iam à se confectas ad Aulam emendandam. Sed notatu dignum est, eam de Comitiis Constitutionem, tametsi iam fuisset vulgata quantum ad eius absolutam efficacitatem satis erat, tamen vniuersè sic latuisse, vt Pontifex in appendicula ad epistolam, quæcumque fuisset ratio, Legatis prohibuerit, ne per eos dies illam cuiquam communicarent. Legati lecto diplomate illud impensè commendarunt, respondentes pro more [a], optare se, vt lex adeò sacrosancta serò deduceretur in opus.

a Epist. Borrom. ad Legatos, vltimo Octob. & Legatorum ad Borrom. 8. Nouembris 1562.

Quoniam autem Suauis affirmat, huiusmodi emendationum leges parum prodesse, cùm eas liceat non exequi, oportuisset inuentum aliquod ab ipso tradi ad Christianam Rempublicam corrigendam quadam paginâ tantæ virtutis, vt ea posteà electio à voluntate & efficacia executoris minimè penderet. Profectò ea Pij IV. sanctio, quod attinet ad rem ipsam, etiam in præsentia obseruatur; quin illi noua seueritas addita est per alteram Gregorij XV. sanctionem. Quare, tametsi spectatâ ideâ illius sanctitatis, quâ opus esset in eligendo Christi Vicario, animaduertatur ea electio in quibusdam deficere; contingit hîc perinde ac in maculis adamantis, quæ si forent in corpore minùs lucido ac terso, non certè maculæ, sed decora viderentur. Exputet vnusquisque, quibus angustiis domicilij ac famulatus coarctentur in Comitiis diutius tam inclyti Ecclesiæ Proceres, & eorum complures senes, & imbecillâ valetudine, quàm multis vinculis iuramentorum ac censurarum in foro interiori, infamiæ & priuationum in exteriori illigentur; quot arcani repagulis ea peragatur electio: ac posteà oculos conuertat ad alias plurimas rationes quibus conferuntur, & quauis ætate collati sunt principatus in orbe terrarum; diiudicetque, vllane ad hanc accedat siue legis honestate, siue actionis dignitate. Si, quod amplius optandum supereresset, tunc sperari poterit, cùm Omnipotens dextera duo præstiterit beneficia; cùm euellerit à Præsulum Ecclesiasticorum animis innatam in homine appetentiam dominatus, & efficaci afflatu Principes ita coërceat, vt electionis iudicium arbitriumque electoribus integrum illi relinquant.

b Litteræ Borrom. 4 Nouembris, & ex supra allata epistola Legatorum ad ipsos.

Quo tempore Pontifex Christianorum votis in eo satisfecit, studuerunt Legati Concilio gratificari in eo negotio mansionis. Communicauerant ipsi cum Pontifice [b] paratum Decretum, quò quid ipse

ipse vellet cognoscerent, antequam Patribus proponeretur: ad quod efficiendum præstolabantur absolutam sententiarum dictionem de Ordinis doctrina. Sed mutato consilio vtrumque præuerterunt, eo Decreto conuentui proposito, quamquam alterum, nimirum Pontificis comprobatio, postridie ipsis innotuerit, eoque illis charior, quò improbatio fuisset inutilior, quippe quòd non consilium, sed ipsum opus improbaretur. Ad eam agendi festinationem impulsi sunt ab instanti Gallorum aduentu, cùm cautius agi censeretur, si cœptum negotium, & non integrum hi reperissent. Dum itaque de Canone septimo disputatio vehementiùs feruesceret [c], Mantuanus cuiusdam cœtus initio in hanc sententiam verba fecit. 1562.

[c] Acta Arcis Æliæ, & Diarium, 6. Nouembris 1562.

4 Debitori cùm statutum solutioni tempus aduenerit, procrastinandum non esse, vbi suppetit vnde soluat: Legatos esse Concilio debitores in articulo mansionis, adesse solutionis diem, vtpote promissæ cùm de Ordinis Sacramento agendum esset; Legatos quidem esse soluendo, adeoque dilationem recusare. Duo sibi superesse significanda, alterum quod commendaret, alterum quod rogaret. Prius esse, cùm fuisset propositum in conuentu 11. Martij, vt excogitaretur ratio quâ Episcopi residerent, in quo niti videbatur bonus Ecclesiæ status, fuisse Patres transgressos nescio quo pacto ad id quod Legati numquam proposuerant, hoc est, ad disputandum, cuiusnam iuris esset debita Episcoporum mansio apud suas Ecclesias; atque à disputationibus ad contentiones progressos. Quò tunc declinaretur offensio, fuisse recisam tractationem, atque ad hoc tempus repositam. In præsentia ipsis considerandum tradi Decretum quoddam, ex imitatione veterum Conciliorum, vbi præmiis inuitarentur Episcopi, & pœnis adigerentur ad residendum: eam rationem videri & validiorem ad obseruantiam, & tutiorem à periculo, ne præterita certamina rursus excitarentur. Cæsari ac Regi Catholico illud probari, ac censeri probatum iri pariter Regi Christianissimo, quando Lansacus ipsius Orator, tantâ auctoritate ac prudentiâ vir, palàm fecerat, se nihil laborare ex hoc an ex illo iure declararetur esse mansio, sed tantummodò vt ea obseruaretur: ab eo qui erat à secretis cunctos audituros Decretum: munus esse Legatorum, illud proponere, Patrum iudicare: ad hoc iudicium spectare id, quod secundo loco ipsos rogaturus reseruarat: præ oculis haberent, esse se lucem mundi, à Deo positam in monte, & supra candelabrum Ecclesiæ. Decere ipsos disceptare sacræ Scripturæ Patrumque testimoniis, non iris & contumeliis: nullam

effica-

1562. efficaciorem congruentioremque supereſſe rationem ad obliterandam memoriam præteritæ acerbitatis, quàm pacem ac modeſtiam in futuris congreſſibus.

His dictis, ab eo qui à ſecretis erat recitari Decretum iuſſit, quò Patres maturè ſententias ferrent: dein verò de Ordinis doctrina ſermones habiti. Sententiam huiuſce Decreti non affero, cùm alibi proferenda ſit, poſtquam eâ ſæpiùs mutatâ ac reconcinnatâ, res tandem abſoluta eſt.

Multis hîc erroribus implicat ſe Suauis. Quatuor à Legatis exagitata conſilia deſcribit, habitamque inter eos conſultationem, vnde id conſilij ſuſcepere; ignorans, agitata conſilia fuiſſe ſolùm tria, & huius ſuſcepti electionem à Pontifice profectam, ſicut indicauimus. Quin cùm ipſe anteà falsò narraſſet, ſignificaſſe Pontificem, curandum primo loco, vt in ipſo negotium reponeretur: ſi verum id foret, quo pacto licuiſſet Legatis hoc ipſum præterire, & extemplò proponere ſanctionem præmiis ac pœnis refertam? Verum quidem eſt id quod fortaſſe decepit Suauem[a], ſuaſiſſe Pontifici Vicecomitem, vt ſibi rem remittendam curaret, id pleriſque Patrum in Synodo poſtulantibus, ſimulque diſſuaſiſſe, ne Conſtitutio proponeretur; ſed reſponſum eſt, prius haud placere Pontifici, poſtenus placere, quod ſententiæ Bolani Brixienſis Epiſcopi conſonabat, idque à Borromæo Legatis ſignificatum fuiſſe.

[a] Epiſt. Vicecomitis ad Borromæum, 5. Octobris, & reſponſum 13. Octobris 1562.

Multo minùs introſpexit Suauis cauſam, quæ rei proponendæ moras abrupit, cùm id ipſe querimoniis Præſulum ob cunctationem tribuat: ſed nullus reipſa tunc de eo ſermo erat Patribus, feruidâ Epiſcopatus diſceptatione occupatis. Verùm Legatis calcar ſubdidit Gallorum aduentus, ſicuti narratum eſt.

Denique quoniam comminiſcitur, huiuſmodi Decretum propoſitum Patribus parum placuiſſe, ſatis mihi ſit, illi opponere contraria verba Petri Conſalui Mendozæ Epiſcopi Salmanticenſis, quæ ſunt: *Ingenti omnium alacritate.* Nec ampliùs in præſentia de Suaui.

Idem Mendoza ſcribit, Cùm certò conſtaret de proximo Gallorum acceſſu, fuiſſe Hiſpanos admonitos ab eo qui Piſcario à ſecretis erat, nomine regio, audiri, nouos illos Præſules aduentare animo haud benè affecto in Apoſtolicam Sedem. Quocirca ſuos à rege iuberi, vt eam neruis omnibus tuerentur, cùm id poſtularet Dei obſequium & Reipublicæ Chriſtianæ, eâ præſertim tempeſtate, quâ ſacroſancta illa Sedes tam concordi conatu ab hæreticis oppugnabatur & quatiebatur. Reſpondit Mendoza, grates à ſe

à se Deo persolui, quòd mentem sibi iniecisset Regiæ conformem, antequam sibi illius iussio innotesceret; vnde fortasse ipsius operâ multa in Pontificem detrimenta desiissent. Eosdem animi sensus profitebatur Guerrerus: etenim tam ipse[e], pro eo quod scripsimus, quàm reliqui, concedebant summo Pontifici Iure Diuino prærogatiuam supra Episcopos, potestatemque eos suspendendi & priuandi. Quapropter idem in confessu hac suâ mente patefactâ, simul conquestus vehementer fuerat, quòd à quibusdam ipse & reliqui Nationis suæ appellarentur auersi ab Apostolica Sede, quæ semper ab ipsis vel sanguine fuerat ac fuisset propugnata. 1562.

e Epistola Oratoris Florentini ad Cosmum Ducem, 5 Nouembris 1562. & variæ litteræ Iadrensis Archiepiscopi.

8 At Ferdinandus aliquod coniunctionis genus cum aduenturis Gallis iniunxerat suis Oratoribus. Ad eos[f] scribebat de præteritæ Sessionis successu, rei gestæ acquiescendum esse; sibi verò curæ futurum id quod suorum subditorum saluti conduceret, quod spectabat ad impetrandam Romæ Calicis concessionem. Ægro admodum animo audiri à se, complures Episcopos ad suspendendam Synodum propendere; quamobrem velle se, vt Oratores pro viribus obsisterent. Conqueri se pariter, quòd intelligeret, de morum emendatione vota tepentia præ se ferri à reliquis, exceptis Gallis. Studerent Oratores efficere, vt in eam incumberet omni curâ Concilium, sepositâ dogmatum tractatione, aut certè vtroque simul opere promoto. Confidere se, plurimùm ad id profuturum nouorum Galliæ Præsulum aduentum: cum his concorditer se gererent Oratores sui: vbi vniuersalis emendatio obtineri non posset, quemadmodum vtilitas Christianæ gentis postulabat, suarum propriam ditionum conquirerent. Et quando Præsides sibi significarant, in volumine à se misso haberi quædam, quæ si proponerentur, offensionem animique molestiam Synodo allatura essent, ea Oratores auferrent, reliqua verò proponerent. Præcipuo studio remedia perquirerent Clericorum concubinatui, simoniæ, luxui, prauæque distributioni prouentuum Ecclesiasticorum. Addebat, suas ad aures peruenisse declarationem Gallorum, quâ ostendebant, molestum sibi futurum aduentum Lunensis Comitis titulo Oratoris Cæsarei (id erat in animo Hispanorum, & à Pontifice proponebatur ad euitanda prærogatiuæ litigia) de rei veritate perquirerent, ac se tempori certiorem facerent. Et vox illa, quam Cæsar audierat, haud vanam trahebat originem: siquidem Lansacus ad Reginam scripserat[g], id vbi accideret, nec ipse priùs mandatum regium oppositum accepisset, nolle se Lunensi cedere, nisi præmissâ Synodi declaratione,

f Litteræ signatæ vltimo Septembris & 4. Octobris, & Tridentum delatæ 15. Octobris 1562.

g 20 Septembris 1562 in commemorato volumine Gallico.

1562. tione, sibi tamquam Oratori Regis Christianissimi primam sedem post Cæsareos Oratores deberi.

Ceterùm Galli, intento animo ad impetrandam moram tantisper dum Lotharingus accederet, se leniter gerebant. Quare cùm ipsis traditi fuissent parati Canones ad reformandos mores[h], summopere eos commendarant, tantummodò desiderantes, ne per quamcumque limitationem Sacerdotiorum multitudo permitteretur; quamquam de hoc eodem postulato paulò anteà subridens Pontifex Oratori Gallico dixerat[i]: Valdè idoneum ad illud promouendum fore Lotharingum, qui plurima Sacerdotia possidebat, trecentis scutorum millibus inde prouenientibus in annos singulos: *Nos verò* (adiecit Pontifex) *vnicum obtinemus, eoq; contenti sumus.* Lansacus posteà[k] à Legatis petierat, vt dies aliquot protraherent Sessionis diem, propositionemque Canonum, de quibus dictum est, quandoquidem Lotharingus non modò discesserat, sed iam propè aderat. Faciles ad id se præbuerant Legati duplici ex causa: altera, quòd ipsis iniunxerat Pontifex, vt decem aut duodecim dies illum præstolarentur, vbi certum esset eum intra huiusmodi spatium adfuturum; id autem liquere videbatur ex litteris Piscarij, quibus certò ac disertè affirmabatur, propè iam esse Lotharingum: altera, quòd ex antegressa intermissione conuentuum ad conueniendum de septimo Canone cum Hispanis, & ob prolixas super eo Patrum disputationes, adhuc immatura supererant reliqua argumenta, quæ imminenti Sessioni parabantur. Lansacus optatâ cunctatione potitus, haud ægrè tulit, vt interim proponeretur Decretum de mansione, sibi à Legatis ostensum; ac per eam occasionem iterum insinuauit, se nihil laborare, hoc an illo iure præcepta declararetur mansio; quod in memoratum conuentum retulit Mantuanus.

Discessit Lansacus[l], obuiàm iturus Lotharingo, & Ferrerius dilationis postulatum iterauit, eamque ad dies quindecim petiit: erenim, sicut ipse aiebat, eodem die duodecimo Sessioni præscripto peruenturus erat Lotharingus; idque Mantuanus proposuit in cœtu[m] nonæ diei. Dixit, prætermissionem cœtuum postremis diebus, compertam omnibus, nec sine dolore memorabilem, vtpote ab humanis animorum affectionibus profectam, impedimento fuisse, ne ad diem præstitutum argumenta digererentur; adeoque censere Præsides Sessionem ad alios quindecim dies esse retardandam: præterquam quòd breui Lotharingus Cardinalis adfuturus erat, cuius doctrina, prudentia atque dignitas etiam solæ per se eam cunctationem

h Responsum Legatorum ad Borrom. 22 Nouemb. 1562.

i Litteræ Insulani ad Reginam, 2. Octobris 1562.

k Litteræ Legatorum ad Borrom. 9. Nouembris 1562.

l Epist. Legatorum ad Borrom. 9 Nouemb. 1562.

m Prædicta epistola, & Diarium eodem die.

tionem merebantur. Cui omnes consensere; quin aliquibus nouus terminus visus est angustior. 1562.

11 Cùm aduentaret Lotharingus [n], Pontifex ad significationem honorificentiæ obuiàm illi misit Româ, cum eodem posteà venturum ad Synodum, Carolum Grassium Episcopum Montis Falisci, & postmodum nobilioris coloris veste cohonestatum: consimilem vrbanitatem Legati per Vrbanum Roboreum Senogalliensem Antistitem adhibuerunt. Grassius perfunctus erga Lotharingum iunctis officiis, eum posteà Tridentum [o] anteuenit, ob causam quam mox exponemus; Senogalliensis verò ipsum comitatus est. Ex his alter coram cunctis Legatis, alter per litteras ad Mantuanum multa retulerunt [p] de miti religiosoque Lotharingi animo, longè alia ab iis quæ fama vulgarat, & suspicio crediderat. Quin Grassius narrauit, tantâ illum pietate in Apostolicam Sedem esse præditum, vt etiam obtulerit, se in conuentu sententiam non dicturum, quam anteà Pontifex non lustrasset. Sed aduersa prior opinio tam constanter obduruerat, tam altè inhæserat hominum iudiciis, etiam prudentiorum rerumque peritiorum, vt quamuis in eamdem sententiam cum Pontifice verba faceret Orator Gallicus, pro ignauia haberetur, habere fidem melioribus huiusmodi nuntiis. Ac per eos dies scripsit Amulius ad Seripandum [q]: Cùm bona verba sint quædam merx parui pretij, opus esse ad ferendum de animi sensu iudicium, manum non linguam adspicere.

12 Nolo in hoc negotio dissimulare rem gestam, cuius notitiam à me plurimi mercatus esset Suauis, vt eam acu suâ pingeret, ac variaret. Quamquam verum sit id quod ipse narrat, Pontificem haud consentaneum rationi duxisse aduentum Lotharingi Sessione præuertere, iussis proinde Legatis, sicuti dictum est, eam prorogare: verum quoque est id quod Suauis ignorauit, fuisse posteà in Pontifice mutatam sententiam; quocircà per expeditum tabellarium [r] Legatis mandatum reuocauit, & prolationem prohibuit: & quò vnà cum re gesta eius pariter causa innotescat, opus est aliquanto altiùs narrationem redordiar. Ante mensem & ampliùs Orator Gallicus iterauerat apud Pontificem consuetas petitiones [s] moræ, quò Lotharingus Cardinalis expectaretur, & qui desciuerant ad Concilium traherentur. Sed primò Pontifex conquestus erat, quòd ex vna parte, cùm Synodus per aliquem etiam rarum euentum quidquam aggrediebatur se petente, Principum administri expostularent, quasi Patribus à se libertas adimeretur; ex altera verò, se quotidie stimulari, vt hoc illúdve, quod ipsis placeret, à Concilio

n Epist. Pontificis ad Legatos, vltimo Octobris 1562.

o Diarium, 11 Nouembris.

p Litteræ Legatorum ad Borrom. 12. Nouemb. 1562. & Mutuensis ad Morosum, eodem die.

q Litteræ Amulij ad Seripandum, à Musotto asseruatæ.

r Epistola Legatorum ad Borrom. 10. Nouembris 1562.

s Epist. Insulani ad Reginam, 2. Octobris 1562.

1562. cilio conquireret. Posteà subiecerat, moras hasce postulari ex vanissima spe efficiendi vt Synodo subiicerent se Britanniæ Regina ac Protestantes, qui numquam ibi interfuturi erant, satis certi, nonnisi proscriptiones inde se reportaturos: aduentum quoque Lotharingi sæpè incassùm fuisse promissum: sibi nuntiari, Lotharingum tunc ad alia prolixa negotia distrahi; at vbi reuerà iter ageret, & ad eum præstolandum opus foret paucos dies Sessionem protrahi, suam ad id operam impensurum.

Post breue temporis spatium, & in eodem colloquio cum Oratore, Pontifex suspiciones de immodicis Lotharingi consiliis apud se confirmarat. Etenim cùm postremò adductus ad ipsum fuisset ab Oratore Bartholomæus à Bono, Regis familiaris, qui recèns Romam aduenerat, & redeundi in Galliam petebat veniam; Pontifex, quò ille ferret spargeretque in eam regiam proba consilia, eadem cum eo verba repetiit de Concilio, quæ cum Oratore illic adstante iam habuerat. Bartholomæus verò plura de Lotharingo Cardinali, eiusque sensibus ad hugonottos pacandos locutus est, narrans, Lotharingum sibi die quodam significasse, Salubre consilium à se putari, vt Missæ Diuinæque psalmodiæ Gallico idiomate celebrarentur, & pro eo quod ipse in Ecclesia Rhemensi peragebat, eodem sermone administrarentur Sacramenta. Ad quæ Pontifex placidè respondit, licere Cardinali id Synodo proponere, sed in Germania minimè profuisse.

Non tamen ex ea, aliisque similibus narrationibus Pontifex à promissa mora recesserat, quin illam confirmarat: cùm enim Abbas Mannensis [t] ipsi diceret, putandum esse, Lotharingum id temporis iam iter facere, rogaretque Pontificem ne Cardinalem cogeret ad iter adeò præceps, adeoque vitæ suæ periculosum, cuiusmodi fuisset, si festinaret adesse Tridenti præscripto Sessioni die, sed commodum octo dierum spatium adhuc illi concederet, quæ mora nihil detrimenti Concilio, magnum Cardinalis incolumitati momentum afferret; respondit Pontifex, Se commendaturum Legatis vt consensum Patrum curarent, dummodò constaret, Lotharingum se iam in viam dedisse, & hoc ipsum ab illo postularet. Reipsa Tridenti de itinere constabat, & ab Oratorum postulatis, Cardinalis simul ac Regis nomine, illius postulatio supplebatur. His conformia locutus erat Pontifex cum Grassio, dum ad Lotharingum mittebat: sed res posteà variis modis priorem speciem mutarat.

[t] Litteræ Borrom. ad Legatos. 4. Nouemb. 1562.

Scripserat Lansacus [u] Tridento ad Reginam exeunte Octobri,

[u] 26 Octobris 1562. in numerato volumine Gallico.

se

se omni conatu dissolutionem Concilij, de qua sermo habebatur, impediturum; adiecitque id quod de Romanis Pontificibus sæpè suos ad Principes scribunt Oratores, decepti vocibus Aulicorum, ambitione & insatiabili famâ laborantium, adeoque propinquam semper eclypsim præsagientium, quâ mundus inferior perturbetur; expectari ex plurima verisimilitudine vicinum obitum Pij, senis & infirmâ valetudine. Proinde sibi significaret Regina, quo pacto & quo loco, id si contingeret, ipsa mallet electionem haberi, an Romæ à Cardinalibus, an Tridenti à Concilio: illâ siquidem cum Hispano Rege concordi, certum rei exitum pro ipsorum arbitratu futurum. Existimare se, ad euitandum omne schisma, optimum fore, si creatio retardaretur vsque ad exitum Concilij, & in eo leges futuro Pontifici præscriberentur, cui posteà minimè licuisset illis iam sancitis se subducere. 1562.

16 Ea Gallicorum ministrorum molimina, quantum mihi videor animaduertere, Romanam Aulam haud latuêre. Illud extra dubitationem affirmare possum, postridie quàm Pontifex ea postrema Legatis Concilij commisit, Abbatem Nichettum, à Legato Galliæ[x] missum, illi significasse, tametsi Lotharingus Cardinalis ac socij sese ostenderent, & fortasse suos apud animos se putarent agnos & angelos; absona tamen opinamenta ferre, ex quibus laboris plurimum perturbationisque posset enasci. Ferrariensis etiam Cardinalis suo chirographo Pontificem monebat, Lotharingum quidem sibi asseueranter affirmasse, rectam in se mentem inesse de duobus præcipuis, de quibus ipsum certum reddi studuerat, nimirum, vt auctoritas Pontificia illæsa persisteret, & ne Synodum prorogandam ipse curaret; tamen prudentem sibi cautionem videri, si Legati defensionem molirentur, paratique forent ad obsistendum, & ad suam adhibendam auctoritatem cum iis, quibuscum oporteret; cùm prævalida euadat munitio, ipse animus ad excipiendam sustinendamque aggressionem paratus: & in publicis rerum Gallicarum narrationibus, ab eo missis ad Pontificem, habebatur, audiri, Cardinalem suosque Parisienses accedere paratis animis ad excitandam quæstionem de prærogatiua inter Synodum ac Pontificem.

[x] Litteræ Borromæi ad Legatos in communi, & ad Mantuanum seorsim, 6. Nouembr. 1562.

17 Cunctæ huiusmodi notitiæ simul coactæ adduxerunt Pontificem ad eam duram conditionem, ad quam rediguntur nonnumquam Principes, aut suæ famæ aut publicæ salutis lædendæ; ratusque minus malum se lædere, deuenit in consilia specie quidem periculosa, ac vituperationi obnoxia, quasi aduersantia meritis Nationis, ac promissi vinculo, quò Synodus celeriter conficeretur,

1562. simulque sibi cautum esset ab eo torrente, qui, prout metuebatur, ingruebat ad prosternendam auctoritatem Collegij ac successorum, à quâ rebatur Ecclesiæ, adeoque Fidei vnitatem pendere; idcircò tam festinatò retardationis mandata reuocauit. Quamquam enim animaduerteret, etiamsi aduentum Lotharingi eâ Sessione præoccupasset, non idcircò materiam turbidis illius consiliis subtractum iri; considerauit tamen, & Legatis proposuit, non modico futuram emolumento antecedentem decisionem duplicis articuli, vnde facilius accendi posset seditio de mansione & institutione Episcoporum, qui articuli eâ Sessione erant definiendi.

Sed hæc mandati reuocatio serò peruenit, cùm pridie decreta fuisset prorogatio. Quod graui notâ Pontificem Synodumque liberauit: siquidem cùm ea inscriberetur essetque Oecumenica, coacta per antegressam inuitationem cunctarum gentium Christianarum, nimiùm contra suum nomen & officium egisset, si dum egregia illa Præsulum cohors præ foribus stabat, fuissent, vt ita loquar, depulsi, præuertente eorum accessum per diem vnicum Sessione, adeoque patefactâ opinione, tum de illis, tum de inclyta natione Galliæ, aut vilissimâ aut pessimâ. Quamobrem etsi Legati significarent Pontifici, se magnam molestiam passos, quòd ipsius iussa tempori non accepissent, animaduertere mihi videor, eos insinu magnæ id sibi prosperitati duxisse.

Paucas post horas Fererius ab illis petiit, vt quando Lotharingus Piscariam iam peruenisset, triduo illinc distantem, cœtus vsque ad ipsius aduentum intermitterentur, quò maiorem sententiarum numerum audire posset in quæstione quæ tunc feruebat, de Episcoporum auctoritate. Præsides considerarunt, ex vna parte moram illam ad summam rei parum conferre, quandoquidem non plures quàm octo decémve in conuentu diebus singulis loquebantur, adeoque impediri non posse quò minùs Lotharingo liceret per tempus dimidiam certè sententiarum partem audire; sed ex alterâ gratificationis dulcedine, aut amaritie repulsæ nimiùm posse oris sensum variare in eo primo libamine, eaque propter prompto animo consensere. Adfuit paulò pòst Grassius præmissus à Cardinali, vt suo nomine prorogationem peteret, quam impetratam ignorabat[y]: eiusque litteras attulit ad Legatos, Brixiâ scriptas[z], in hanc sententiam: Videri sibi, vtpote Synodo iam propinquo, aliquam obsequij significationem præmittendam erga ipsos, qui Præsidum munere fungebantur, ratum, se priùs fuisse per illud officium meram

y Apparet ex epistola Lotharingi ad Pontificem, infrà adducenda.

z Hæc epistola scripta die 9. Nouembris, & responsum 12, extant inter commentarios Burghesiorum.

ram reuerentiam exhibiturum, quoniam tum ipse tum comites diligentiam omnem impenderant, vt ante destinatum Sessioni diem peruenirent. Verùm cùm ipsis nec celerius iter conficere licuisset, nec iam per summam lassitudinem liceret in tempore adesse Tridenti, illos à se rogari, etiam nomine venerabilium illorum Præsulum comitum suorum, vt paucos dies Sessionem retardarent. Episcopum Montis Falisci ad se missum à Pontifice, vt ipsum inuiseret, ac deduceret; qui sibi significarat, habere se in mandatis, vt idem peteret à Præsidibus Pontificis nomine. Cùm spatium tam angustum cerneret, voluisse iter festinare per dispositos equos, vt id muneris coràm exequeretur: idem etiam præstiturum Ferrerium, ad quem ipse ea de re scripserat. Postremò se petere à Legatis, vt per alterum ex illis, quid ipsi statuerent sibi significarent. Atque ita nutu quodam reuerenti ac remoto illis indicabat, velle se hanc anticipatam notitiam, quia fortassis haud posteà existimasset posse cum dignitate sui Regis suæque nationis adesse Synodo, si hæc per repulsam ostenderet aut superuacaneam aut suspectam à se censeri propinquam illam honestissimorum collegarum cohortem. 1562.

20 Legatorum responsio amorem simul & honorem abundè præstitit. De mora Sessionis rescripsere, opus minimè fuisse litteris Cardinalis; ad simplicem Oratoris petitionem in longius quàm necesse foret spatium fuisse protractam. Addebant, ad æstimationis amorisque argumentum, eo ipso die paratum cœtum ab ipsis esse reuocatum, eò quòd Ferrerius dixerat, gratum Cardinali futurum, Patres audire super Ordinis argumento, quod tunc agitabatur. Cum hoc responso Grassium remisere.

21 Diu habita sunt consilia de excipiendo Cardinali. Rem describens Suauis dicit, & fortasse in probatis monumentis reperit, exceptum fuisse eo modo, qui videtur in Diariis vsurpatus cum eodem Cardinali à Legatis Concilij Bononiam translati, cùm ille Romam pergens illac iter habuit; & tamen reuerà ita non est. Tunc Legati obuiàm illi vsque ad Vrbis [a] portam iuere, veste Carbasinâ, *Rocchettum* vulgò dicunt, quæ vrbanus habitus est: nunc verò visus est aspectabiliorem personam agere, dignamque honore ampliore. Quare non solùm præmiserunt obuiàm longo itinere ipsorum familias [b] cum Episcopis compluribus; sed ipsi quoque extra Tridentum per aliquem viæ tractum exiuerunt, & habitu viatorio, iis omnibus per Grassium illi prænuntiatis. Duo primarij Legati in medio ipsum collocarunt, reluctantem in hoc eâ repugnantiâ, cuiusmodi

[a] Litteræ Legatorum ad Borrom. 12. Nouembris 1562.

[b] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 16. Nouembris. Diarium 19. & Acta Palcotti.

1562. modi esse solet, quæ non meri officij causâ, sed ex animo habetur, tametsi eamdem honorificentiam illi Bononienses præstitissent: duo reliqui Legati cum Madruccio subsequebantur, & post illos Oratores Ecclesiastici Cæsaris & Regis Poloni, & centum ac triginta vnus Præsules, absentibus reliquis [c], propterea quòd eius aduentus expectationem celeritate præuertit. Ante illum ferebantur in equis Oratores laici tum Veneti, tum Galliæ, tum Florentiæ: cum Cardinali venerunt quatuordecim Episcopi Gallici [d], tres Abbates, & duo de viginti Theologi, plerumque Sorboniſtæ, & hi sumptu regio: reliqui à peculiaribus Episcopis adducti. Eius aduentus apud complures metum in lætitiam vertit, siue ob eam voluptatem, quam secum semper affert maiestas amicam speciem induta, siue ob eam occultam vim, per quam in homine recti animi sui habitudinem aliis persuadent, eiusdem dicta nescio quo soni, actuum, & oris temperamento condîta, suprà quàm omnis eloquentia aut literis aut legationibus enitatur.

c Epistola Fuscararij ad Moronum, 16. Nouembris 1562.

d Epistola Legatorum Episcopos 12. numerat: sed reliqua monumenta 14. Causa varietatis est: quia duo ex illis 14. aliquantulùm retrò substitere valetudinis causâ, vti scribit Orator Florentinus ad Ducem, 16. Nouemb. 1562.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER DECIMVSNONVS.

ARGVMENTVM.

DOCVMENTA *Lotharingo Cardinali tradita. Sebastianus Gualterius Viterbiensis Antistes ad agendum cum eo à Pontifice missus. Exceptus in cœtu Lotharingus. Litteræ Francisci Regis ad Synodum. Oratio Lotharingi, & responsio reddita priùs à Mantuano, dein ab Archiepiscopo Iadrensi. Altera oratio deinceps habita ab Oratore Ferrerio. Alienatio Lotharingi à Simonetta Legato, & varij eius sensus indicati Præsidibus & Gualterio. Sessio prorogata, & quâ conditione. Memorabilia quorumdam optimatum funera. Discessus Oratoris Bauarici ob dissidium cum Heluetio. Varia agitata consilia ad concordandas sedes Oratorum Gallici & Hispanici, sed irrita. Adhibita à Molinensi Senatore studia apud Hispanos Præsules. Perturbatio in cœtu excita ab Episcopis Guadicensi & Aliphano. Maximilianus Bohemiæ Rex, Romanorum Rex renuntiatus, & edita in Synodo ea de causa lætitiæ argumenta. Regis Nauarri mors. Prima Lotharingi dissertatio de institutione Episcoporum, cui complures, non item omnes Episcopi Galliæ adhæsere. Canonum forma ab eo proposita in agitatis argumentis. Alia eiusdem sententia de mansione. Nouæ litteræ moderatæ Regis Hispani ad suos ministros, ne Pontificem neque Gallos læderent. Lotha-*

ringi querelæ. Sessio iterum prorogata, & quo pacto. Vicecomes Romam à Legatis missus, & quibus mandatis. Impensa à Gualterio opera ad abstergendas suspiciones mutuas inter Pontificem & Lotharingum. Pelueus ad Archiepiscopatum Senonensem promotus. Supplicatio habita ob religionis negotia in Gallia, ac breui allati nuntij victoriæ à Catholicis reportatæ. Edita ob id gaudia. Creatio Cardinalium Gonzagæ & Medicei. Consilium Pontificis adeundi Bononiam, cohortantibus Seripando ac Lotharingo; dehortante Mantuano. Tradita Legatis à Pontifice mandata de ratione agendi cum Lotharingo, componendique controuersias; ac liberum eorum responsum. Quartus Februarij dies Sessioni statutus. Triginta quatuor postulata ab Oratoribus Gallicis exhibita Legatis. Gualterius Romam missus, de iis acturus cum Pontifice nomine Lotharingi. Excogitata ratio à Legatis & Lotharingo ad concinnandos Canones de auctoritate Summi Pontificis & Episcoporum; & repugnantia, quam is offendit in suis Gallis, atque in Hispanis. Lotharingus & Madruccius electi cum facultate alios aduocandi ad componendum Decretum de mansione. Difficultates & contentiones exortæ in eo conuentu. Decretum pluribus ex delectis Patribus probatum; sed obices iniecti postea à multis Canonum peritis. Lancellottus missus ad Lunensem Comitem, tamquam ad destinatum Catholici Regis Oratorem, vt is festinaret. Illius reditus, & allatum ab eo responsum. Declaratio ab Oratoribus Gallicis habita de prærogatiua Concilij supra Romanum Pontificem, à Legatis viriliter reiecta. Aduentus Oratoris Sabaudi. Reditus Vicecomitis Româ, & allatæ ab eo responsiones. Desperata concordia conficiendi breui Canones & Decreta, adeoque prolata Sessio ad vigesimamsecundam Aprilis; iniunctâ interim etiam in tractatione Sacramenti Matrimonij. Sensus præcedens Præsidum, Lotharingi, & Oratorum de hac prorogatione, & variæ de illa sententiæ in conuentu.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

1562.

Prima Lotharingi colloquia cum Legatis, & mandata ipsi tradita.

1 LOTHARINGVS postridie quàm ingressus est [a], vnà cum Oratoribus Galliæ Legatos inuisit, præmisitque, duo rerum genera à se propositum iri, quarum alteræ ad Regem Christianissimum, alteræ ad se spectabant. A se orsus est, & commemorato veteri Regis consilio ipsius ad Concilium mittendi, hactenus insuperabilibus obstaculis retardato, dixit: Quemadmodum ad id oneris suscipiendum impulsus ipse fuerat studio erga Religionem Catholicam, erga quietem communem, erga vtilitatem sui Regis, suæque nationis; ita adhibiturum se agendi rationes, iis quæ intendebat profuturas; suumque animum firmè statuere, Legatis obsequi plenâ sui submissione, vtpote ministris Apostolicæ Sedis; cui summoperè se obnoxium agnoscebat, tum ob acceptam Purpuram, tum ob alia singularia beneficia; præsertim verò se humilem addictumque famulum Pio Pontifici profiteri. Posteà conuerso ad alteram partem sermone, Legatos salutauit Regis nomine, cuius litteras ad ipsos & ad vniuersam Synodum datas à se geri significauit: earum summam esse: Illis ob oculos ponere præsentes calamitates sui olim felicissimi & glorioſissimi Regni, quibus admouenda ab eo sacrosancto Conuentu remedia expectabantur, pro eo ac Oratores exposuissent ex recentibus mandatis, quæ ipse detulerat, ab ipso Rege Christianissimo, à matre, à fratribus, à Rege Nauarræ, & ab aliis regij Consilij proceribus subscripta. Optare se ad generalem cœtum admitti, vbi quæ sibi iniungebantur exponeret: præcipuè verò excitum in Germania rumorem, in ea Synodo statutum iri fœdus inter Catholicos Principes in Protestantes, qui propterea multis suspicionibus commoti varia inter se agitarant. Regem Galliæ in eo pro suo officio se gessisse, satis gnarum ab huiusmodi fœdere fœdus alterum haud minùs validum inter aduersarios excitum iri, quò in Republica Christiana incendium inextinguibile accenderetur. Demum concluſit: Se hoc iam functum munere Regis nomine, relicturum rerum publicarum curam Oratoribus, collaturumque tamquam priuatum operam suam Concilio maturè conficiendo, retentâ & auctâ, quantum in se esset, Pontificis Romani dignitate.

[a] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 16. Nouembris 1562.

2 Breuiter Legati respondérunt ad prius caput; Maximoperè sibi

1562. comprobari electionem, quâ Rex eiusque Consilium ipsum ad id elegerant; singulari se lætitiâ affici eiusdem aduentu; optimam à se opinionem concipi de ipsius consiliis; plenissimam capi voluptatem ex eius agendi ratione; summam fiduciam prosperi successus ad emolumentum Christianæ Reipublicæ, ad Concilij decus, in ipsius opera; & ipsos concordem in se animum profiteri etiam ex voluntate Pontificis ad exhibendum illi honorem, & eius iudicium plurimi faciendum. Ad alterum caput, grates ac reuerentiæ verba reddiderunt regiarum litterarum summæ: viuidam animi ægrimoniam expresserunt ob ærumnas illius inclyti Regni, sed simul auctam spem de eiusdem tranquillitate, ob recuperatum recèns armis regiis Rhotomagum; vnde se confidere, redituram eò quietem ac victoriam, præsertim verò pœnarum seueritatem in Christi perduelles, quâ Franciscus Primus illustris gloriæ vsus fuerat. Nullum esse fundamentum illius fabulæ, quam retulerat Cardinalis sparsam de fœdere, cùm Pontifex Concilium conuocasset ad concordiam, non ad bellum, Legatisque commisisset, vt operam nauarent vnitati Christianorum, comprobationi veræ doctrinæ, & falsæ damnationi. Se in id incubituros ope Cardinalis, quem velut Angelum pacis excipiebant à Deo missum, ad quasdam ex iis maculis auferendas, quas inducere solet in quouis multorum cœtu natura hominum, & iudiciorum varietas. Cœtus eodem ipso die ab ipsis oblatus est, si eidem libuisset.

Hinc ad alios inter se prolixos familiaresque sermones gradu facto, suam mentem his indicauit: Bono publico neutiquam expedire, Sedis Apostolicæ seu Pontificis dignitatem quidquam diminui aut restringi, aut in disputationem adduci: at verò ad salutem non solùm Galliæ, sed vniuersi Christiani Orbis, aptas ac seueras leges ad reformandos mores sanciri, erasis vbicumque reperirentur corruptelis. Sicut enim potestas seipsâ summam venerationem obtinet ac meretur, ita cùm vsus noxios malique exempli retinet, offendit populos, contumaciam & contemptum parit, ac seditiones accendit. Id nisi à Concilio perficeretur, bellum in Gallia breui futurum præuideri longè ferocius in Catholicos Ecclesiasticos, quàm tunc in hugonottos gerebatur; cùm illis populis certum esset tum in antiqua Fide mori, tum ampliùs non pati licentiam, morumque prauitatem in dies glisscentem in Clericis. Præcipuè verò conquestus est, interdum Sacerdotia Curionum indignis hominibus Romæ concedi: nec satis esse medelæ, quòd liceret Episcopis illos priuare, quandoquidem id euadebat factu difficile, & inde-

indecorum Pontifici, qui tamquam dignos elegerat. Ad sermonem de bello progressus, sicut Regem Catholicum, Venetos, ac Duces Sabaudiæ Florentiæque amplè collaudauit ob suppeditata ab illis auxilia, ita ex vniuersali Galliæ sensu acriter de Pontifice questus est, cùm hic suppetias subministrasset iis conditionum vinculis obstrictas, vt Regi vsui esse non possent: siquidem iusserat, priùs esse reuocanda edicta illic promulgata de Annatis & Præuentionibus, vt dicunt. Quod cùm assensum Procerum postularet, non modò longissimo tempore opus haberet, sed planè fieri nequiret: Pontifici autem satis esse debere, si eiusmodi edicta haud custodirentur; sicuti reipsa, aiebat ille, minimè custodiebantur. 1562

4 Studuerunt Legati ictum declinare, respondentes, id negotij, quippe quod nec ad Fidem, nec ad morum correctionem spectabat, non à Concilio, sed solùm à Pontifice peragendum. E contrario Lotharingus semper in eodem perstitit, affirmans, sæpè respondisse Pontificem, negotium de Annatis ac Præuentionibus, & quodlibet aliud, à se repositum in Concilio: atque hinc ortum fuisse consilium, vt Gallici Præsules mitterentur [b]. Super annatarum negotio Ferrerio Legati in memoriam reuocarunt, eidem Romam à Rege iam ad id misso ostensum fuisse tam apertum ius, vt illud ipse comprobarit. Lotharingus verò confirmauit, à se die quodam auditum illum fuisse in Consilio id ipsum comprobantem.

b Extat in responsione ad allatam epistolam, 16. Nouembris.

5 Qua in re mihi narrandum suppetit, Pontificem ex reo actoris personam sibi assumpsisse [c], acerbè conquestum, in Gallia rem adeò nouam confectam cum suo & Collegij detrimento, aduersus nationum omnium exemplum, aduersus commune ius, & aduersus ipsas pactiones: & quamquam Rex postmodum hasce rationes exponens, priuato suo decreto [d] edictum illud deleuisset, pollicitus paucos intra dies solemnem firmamque eius reuocationem; tamen eam numquam fuisse præstitam: abrogasse Pontificem in præsenti solutione subministrati subsidij ceteras omnes conditiones, quamuis rationi consentaneas, quia difficultatem creabant, solumque quæsiisse, vt donum suum præcederet debita ac promissa alieni restitutio, seu Procerum mandato, seu Regis solius, sed formâ validiore. Quare mirum videri, regios, cùm rem perfici ab ipsis oporteret, de postulato conqueri. Hoc pacto Pontifex purgabatur.

c Litteræ Borromæi ad Legatos simul, 25. Nouembris, & ad Montanum, 1. Octobris 1562.

d Signato in nemore Vincennæ, 23. Iulij 1562. & misso ad Legatos à Pontifice, 25. Nouembris.

6 Sed ad Lotharingi sermonem reuertamur. Concluſit, Sibi esse in animo, nihil se dicturum acturumque quod Pontifici Legatisve displiceret, cùm in medium allaturus non esset nisi honesta in se, & Galliæ salutaria; atque vt certius voluntatis suæ argumentum

1562. ederet, optari à se, vt sua consilia antequam cœtui proponerentur, Legatis innotescerent, aut etiam Pontifici, per alicuius Præsulis missionem; siquidem haud se vereri, ne tandem concorditer ageretur.

Ad hæc Legati: Cardinalem aptissimum concordiæ instrumentum inter ipsos & Oratores Gallicos futurum: cùm enim ad componendam dissensionem sequestro sit opus vtriusque extremi participi, ab ipso cum Oratoribus patriam, cum Legatis dignitatem participari.

Antequam progrediar, necessarium arbitror, quæ iussa reuerà Lotharingus ab Aula detulerit, recensere. Tradita illi mandata erant huiusmodi[e]: Calamitatibus illius regni ob Religionis dissidia nullam reperiri efficaciorem medicinam, quàm accuratam emendationem Ecclesiæ, tum Gallicanæ tum Vniuersalis, recisis superstitionibus à cultu Diuino, reformatis cæremoniis, iisque omnibus vnde populus fraudem aut detrimentum pati posset; correctis moribus Ecclesiasticorum, traditâque aptius formâ, quâ eligerentur, quantum fieri posset, digni homines atque idonei ad docendum sapientiâ, ad promouendam pietatem exemplo. Ne Lotharingus initio multum premeret emendationem Aulæ Romanæ, ne Pontifex hinc fortasse moueretur ad Synodi solutionem, antequam reliqui fructus decerperentur. Et quoniam sæpiùs, cùm sermo inciderat de Aula Pontificia reformanda, reposuerat Pontifex, idem esse peragendum in Aulis Principum laicorum, abrasis inde abusibus Ecclesiæ noxiis, Regem paratum esse ad suam corrigendam, vbi vitij quidpiam reperisset; sed antequam quidquam decerneretur, eum esse de re commonendum, quò sibi liceret rationes suas producere, ac præsertim priuilegia, tot promeritis à suis maioribus impetrata.

[e] In adducto volumine Gallico.

De propriis capitibus emendationis Galliæ congruentis, satis edoctum esse Cardinalem, & cum eo Archiepiscopum Senonensem, & Episcopum Aurelianensem, qui omnes in priuato Regis Consilio locum obtinebant; adeoque satis illis compertum erat quidquid ibi non semel agitatum fuerat, præter postulata ab ipsis audita in Comitiis Aurelianensibus, & præter notitiam communem singulis Episcopis ob experientiam suæ Diœcesis. Nec omittendum hîc est, nomine Archiepiscopi Senonensis intelligi Nicolaum Pelueum, tametsi nondum id temporis admissa fuerit traditio illius Ecclesiæ, quàm illi Guisius Cardinalis concesserat; idem autem posteà Purpurâ insignitus studiosissimè fœdus promouit, ab eius

eius assecIis *Sanctum* nuncupatum; Aurelianensi verò Ecclesiæ præ- 1562.
erat Ioannes Moruilerius, vir magni nominis in Gallia.

10 Quod attinebat ad ea, quæ coniuncta cum doctrina aliquo modo videbantur: Vt vsus Calicis in vniuerso regno peteretur:

Sacramentorum administratio linguâ Gallicâ:

In Parœciis, non item in Collegiis, aut Monachorum Ecclesiis, Catechismus Gallicè, publicæ precationes pariter Gallicè: Vt concederetur populo tempore vespertinæ psalmodiæ Psalmos canere, in linguam popularem versos, sed priùs ab Episcopis & Academiis, aut à Conciliis Prouincialibus recognitos.

11 Ad generalem morum emendationem: Vt remedium admoueretur impudicæ Ecclesiasticorum vitæ, vnde innumera mala profluebant: & vbi aliter confici non posset, certè sacri Ordines nonnisi ætate minùs obnoxiâ huiusmodi lapsibus conferrentur.

Præterea, quoties in Synodo laxamentum aliquod proponeretur, profuturum recuperationi tot nobilium prouinciarum, quæ desciuerant ab Ecclesia, simulque non obstiturum verbo Dei, sicuti non obstabant, exempli gratiâ, Presbyterorum coniugium, permissio bonorum Ecclesiasticorum quæ fuerant occupata; semper Oratores Regij operam suam conferrent ad rem impetrandam, maximè verò cum Episcopis Gallicis: id autem tum propter vtilitatem inde prouenturam, tum quò patefieret Regis animus propitius hominibus ab Ecclesia seiunctis, quibus hoc ipsum vel arcano significari posset, vel per ipsorum ministros, si quis eorum in Concilio adesset. Editis illic opportunis disciplinæ legibus, Regem ac Reginam polliceri, tum suo, tum filiorum ac fratrum nomine, accepturos se quidquid Synodus Catholicè decreuisset & imperasset, neque permissuros, vt in subiectis sibi regionibus quispiam degeret, qui ab eodem dissentiret. Regem itidem Nauarræ, & reliquos Consilij Proceres sese obstringere ad vitam, quò id ipsum expleretur, profundendam.

12 De recensitis mandatis nihil Suauis. Eius narratio de primo congressu Lotharingi ac Legatorum multis scatet erroribus, haustis fortasse ab aliorum sermonibus pro famæ consuetudine, quæ verum nec integrum nec solum circumfert: qui errores reuincuntur epistolâ à nobis productâ, quâ Præsides de rebus gestis plenè ac distinctè Borromæum docuere. Grauius labitur, dum narrat, ob morbum Pontificis, id temporis ab Insulano Galliæ Oratore inceptum Romæ negotium, de habenda successoris electione Tridenti à Concilio per suffragia ex numero Nationum; & non priùs quàm

consti-

1562. constituerentur leges futuro Pontifici: huiusce rei causâ Pium grauiter fuisse commotum. Verùm hæc non ab Insulano Romæ, sed à Lansaco Tridenti gesta sunt, quemadmodum constat ex ipsius epistola ad Reginam per eos dies scripta, & à nobis suprà allata[f]. Et quînam narrationis suæ discrepantiam à vero non aduertit Suauis? Etenim negotium creandi Pontificis alibi quàm Romæ, & per alios electores quàm per Cardinales, Romæ & cum Cardinalibus agitari non poterat, hoc est, in loco, & cum hominibus, in quorum summum detrimentum id consilij tendebat; sed Tridenti, sollicitatis Episcopis ad ius illud sibi arrogandum, & comparatis in Aulis aliorum Principum mandatis ad Oratores, vt denuntiarent, pro legitimo Pontifice haud habitum iri quemcumque hominum, in Concilio & à Concilio non electum. Verum est, iterùm contigisse, & acriori sensu ad Gallorum aduentum, id quod aliàs contigerat; nimirum, non eos modò qui aut ratiocinationis vitio, aut vtilitatis appetentiâ laborabant, pronos in suspicionem, illos ex debilitate, hos ex sollicitudine, sed prudentiores etiam ac moderatiores dubitasse, ne Transmontani cuperent Pontificiæ Sedis depressionem, simulque eius translationem trans Alpes; adeò vt huiusmodi sollicitudo[g] Senatum Venetum præsertim inuaserit. Animaduertebant siquidem perspicacissimæ illorum mentes, nihil pernicioſius obuenire posse Christianæ Reipublicæ, atque inprimis Italiæ, quæ nostræ Religionis fidelissima ac munitissima arx est: idcircò quà ipsorum Episcopos opportunè admonentes, quà cohortati ad festinam virilemque oppositionem ipsum Pontificem, cui mos erat[h] Senatum illum in grauissimis negotiis consulere, tam noxiis molitionibus obstitere. Vnde colligitur, quantum abhorreat opus Suauis à iudicio, quantumque aduersetur votis illius prudentis ac religiosæ Reipublicæ. Sed quidam homines se alicuius Principis studiosos venditantes, studeant reipsa appetentiæ suæ Principem, non se Principis voluntati vtilitatique conformare.

[f] Cap. vltimo lib. 18.

[g] Andreas Morosinus, Historicus Reipublicæ Venetæ, lib. 8. anno 1562.

[h] Morosinus ibidem.

CAPVT

CAPVT II. 1562.

Episcopi Canadiensis obitus. Epistola Lotharingi ad Pontificem; & eiusdem colloquia cum Piscario. Huius studia Tridenti cum Episcopis Hispanis adhibita pro Sede Apostolica. Episcopus Viterbiensis à Pontifice ad Synodum missus Lotharingi gratiâ, & quæ cum eo agi cæpta. Consilia à Lotharingo Legatis proposita ad sedandam dissensionem de Institutione Episcoporum.

1 QVò debitus honor persoluatur eorum nomini, qui in communis salutis procuratione decedunt, haud hîc reticuero, per eos dies in Concilio occubuisse [a] Ioannem Colosuarinum Dominicanum, Hungarum, Episcopum Canadiensem, affectis mœstitiâ Patribus, quam eius virtus ac sapientia promerebant, ac præ ceteris Drascouizio, cui sublatus sibi socius videbatur in Hungariæ suæ commodis promouendis. Sed ipse, & cum eo complures ex Transmontanis, incredibilem spem habebant in aduentu Lotharingi Cardinalis, vt qui superaturus videbatur cuncta obstacula, ipsorum postulationibus obiecta; quarum multas posteà ad trutinam vocatas deprehensum est fieri non posse, multas esse perniciosas, multas inter se repugnantes: non tamen has de se persuasiones aluerat Lotharingus, quin Brixiæ præter amplissimas significationes contrarias, expositas Grassio, cepit etiam opportunitatem easdem Pontifici per litteras confirmandi [b]. Quare ad eum scripsit, grates agens, quemadmodum ipsi Abbas Mannensis testatus fuerat, ob denegatam ab illo fidem rumoribus de se Romæ diffusis, bonamque expectationem retentam. Id sibi confirmatum à Grassio, quem Pius obuiàm ad se miserat, cuius etiam testificatione intellexerat, quantum boni sibi Pontifex polliceretur de fratribus Cardinalis, & vniuersa familia, ac præcipuè de ipsius opera in vrbe Tridentina: æternam se memoriam seruaturum tantæ beneuolentiæ, nec quidquam consultò effecturum quod illi displiceret, & paratum animum gerere ad complendam operâ propitiam illam opinionem, quam de se habere dignabatur.

[a] Litteræ Mutinensis ad Morosum, 16. Nouemb. 1562.

[b] Nouembri missas ad Legatos à Borromæo, 14 eiusdem 1562.

2 Nec aliter locutus fuerat Lotharingus cum aliorum Principum ministris, ac potissimè cum Piscario in suo per Insubriam transitu. Pontifex Piscario fidebat plurimùm, & creuerat fiducia ob optimam operam ab eo impensam in Episcopos Regi addictos breui suæ legationis ad Concilium spatio, ac posteà etiam per Pagnanum,

1562. num, qui à secretis erat, nauatam[c]. Quare per eam occasionem Pontifex significandum illi curauerat per litteras, ab interposita persona, suas de Gallis suspiciones, simulque indicandum, eam esse egregiam opportunitatem suæ suique Principis pietatis illustrandæ, in Religione & auctoritate Pontificia sustinenda. Ad quod responderat Piscarius[d] tanto religionis studio ac tot promissis, vt à Pontificij fratris filio nihil ampliùs optari posset, scribens, A se probè cognosci, sanctæ illius Sedis tutamen esse consentaneum ex omni parte Diuino obsequio, Regisque Catholici voluntati. Orari à se Pontificem, vt quemadmodum ipse generali iussione honorabatur ab illo, ita de modis peculiaribus edoceretur. Interim quò promissa mitteret effectu aliquo conuestita, significauit, se quod in ipso erat peregisse & apud Episcopos Hispanos Tridenti, & apud Lotharingum illac transeuntem. Prompto se animo rediturum ad Synodum, etiam cum vitæ discrimine, nisi stringentia Regis negotia se inuitum in sua administratione fixissent. Verùm, præter seruentissima mandata iterata Pagnano, certum à se hominem fuisse missum, qui cum Hispanis Episcopis ageret nihilo minùs quàm à se agi potuisset. Cum Lotharingo à se verba habita de rebus Synodi; sed ab illo exceptum fuisse risu diffusum rumorem, quòd ipse aduentaret confusurus aut perturbaturus Concilium, aut incommodum Sedi Apostolicæ allaturus; eumdemque affirmasse, suam vnicam mentem esse, nationis suæ calamitates nauiter exponere, flexisque genibus sanctum illum conuentum orare, vt remedium rebus conquireret: eæ siquidem erant huiusmodi, vt benè compertæ humanum omnem animum, nedum Christianum, ad misericordiam emollirent. Quare addebat Piscarius, si fortè Lotharingus aliquam aliam exquisitam formam in mente adumbrasset, hoc certè colore eam depicturum fuisse.

Intereà Pontifex adhibito nouo studio pro suspicionum nouitate, nouos Præsules Italicos perpetuò ad Concilium mittebat: in quo quamquam intenderet, ne Sanctionum arbitrium penes Transmontanos esset; tamen accusari meritò non poterat, cùm aliâ in eo ratione non vteretur, nisi cogendo Episcopos, vt suo munere fungerentur. Sed duo stultè malignus narrat Suauis.

Alterum, præpeditum fuisse à Pio accessum Archiepiscopi Calaritani ad Concilium, propterea quòd in eo ætate Pauli animus patefactus fuerat vltra modum studiosus opinionis affirmantis, mansionem Episcoporum esse Iuris Diuini. Perinde quasi longè facilius Pontifici non fuisset discessum Tridento permittere multis Itali-

[c] Multæ litteræ Pagnani ad Piscarium sunt penes auctorem.

[d] Per litteras Mediolano 11. Nouembris, missas à Borromæo ad Legatos 14. Nouembris 1562.

Italicorum Præsulum [e], illius sententiæ propugnatoribus, missionem petentibus, quàm Sardum hominem à Synodo arcere, qui cùm inter Hispanos connumeraretur, haud apparet quâ ratione potuisset ab Aula Romana impediri absque manifesta strepentique violentia. 1562.

[e] Constat, præter scripturas suprà allatas, ex multis litteris Borrom. ad Legatos, & inter alias ex epist. 8. Iulij 1562.

Alterum; fuisse pariter à Pio prohibitum Episcopum Cæsenatem (erat hic Odoardus Gualandus Pisanus, præclarus moralis Philosophiæ scriptor) vtpote sibi suspectum ob intimam amicitiam cum Cardinali Neapolitano, quem ipse capitali patruorum supplicio, eiusdemque coniectione in carcerem ac mulctâ læserat. Atque ad hanc rem, quin potiùs extra hanc rem scribit, Famam fuisse, penes Marchionem Montisbelli, illius Cardinalis parentem, schedulam perstitisse, quâ Pius in Comitiis pollicebatur illius filio ingentem pecuniæ vim, si effecisset vt in ipsum caderet electio. Hæc narratio de huiusmodi schedulis ante Pontificatum traditis, & posteà formidatis ob Iulij II. diploma, vna est ex iis fabellis communibus, ab Aristotele notatis, quæ variis temporibus modò huic, modò illi tribuuntur à fama populari. Vel amotæ mentis homo animaduerteret, si huiusmodi schedula fuisset conscripta, nihil priùs impensiusque creatum Pontificem curaturum, quàm vt pecuniam persolueret, & schedulam recuperaret, quippe longè maioris pretij dignitati suæ. Quod si Pius illam haud recuperasset, quonam animo fuisset ausus Caraffenses tam acriter irritare, vt ab ipsius vertice tiaram cum infamia deturbandam curarent? Denique num ille vmquam commisisset, vt Cardinalis Neapolitanus è custodia liber abiret, nisi priùs ab illius parente paginam illam recepisset, sibi quocumque fulmine horribiliorem? Mirum est, Suauem calumniandi libidine se adeò abiecisse, vt interdum ea scriberet, ex quibus mediocris quiuis lector aut stultum aut improbum illum habiturus esset. Et quod spectat ad confictum illud vetitum, ne Synodum adiret Episcopus Cæsenas, propter amicitiam cum Cardinali Neapolitano, quis eidem Cardinali beneuolentiorem se præstitit, quàm Boncompagnus, qui anteà in magno honore ac fiducia habitus à Paulo IV. posteà grati animi causâ quoddam munus diuendidit scutatorum millium pretio, quò illius ex fratre pronepoti subueniret, eiusque liberationi opem ferret? & tamen Pius IV. non modò Boncompagnum aduocauit ad Synodum, sed voluit vt ibi cuiuscumque maximè ardui intimique negotij hic particeps esset, posteà verò ad Purpurati gradum ipsum euexit, ac legationem Hispanicam eidem commisit.

1562. Sed nostram in semitam gradum vertamus. Inter Præsules, quos tunc Pontifex ad Synodum misit, conspicuus in primis fuit Sebastianus Gualterius Viterbiensis Antistes, de quo à nobis aliàs facta est mentio, dum in Gallia Nuntium agebat, cuius frater filium habuit Raphaëlem Gualterium, mihi olim intimum ac studiosissimum amicum, & auum Caroli Gualterij, hodie viuentis, docti ac honestissimi Cardinalis. Parum ille beneuolentiæ à Galliæ ministris consecutus fuerat, quippe qui semper improbarat per litteras Reginæ lentitudinem aduersus hæreticos, sicuti tunc narrauimus, & posteà reuersus, animisque Gallorum diffisus, consilia eorum postulatis aduersantia seuero studio proponebat. Quocircà illi adscripsit [f] Orator, qui Romæ degebat, dissertationes quasdam super Concilio, per eos dies Pontifici traditas, in quibus de illorum consiliis sinistrè disserebatur; scripsitque, illum studuisse eò mitti, persuadendo se attentius introspecturum intimos Lotharingi sensus, quem ipse posteà peruerteret, multis Theologorum impulsis ad eius dicta impugnanda, adeoque priùs in angustias illum coniecturus, dein verò eumdem cohortaturus. Stulta suasio, quæ Pontifici exhibita, ad ipsum excludendum non ad eligendum valuisset. Sed reuerà Pontifex hominem elegit, animaduertens, satis illum expertum fuisse [g] Gallorum animos, ac præcipuè Cardinalis, quicum plurimùm egerat; & mutua cum voluptate secum ille Ludouicum Antinorum adduxit, in quo eædem ex parte conditiones inerant, cùm is perstitisset in Gallia, negotia curaturus Nuntio abeunte. Volumen litterarum scriptorumque, quæ Gualterius dictauerat aut collegerat, diuturnum illud & operosum munus exercens, deuenit in manus Laurentij Cardinalis Magalotti, qui Vrbano VIII. in Principum negotiis à secretis fuit, & vnà cum eo volumine plurima monumenta, Operi meo peropportuna. Cumque ea omnia remansissent penes Horatium Magalottum illius sobrinum, tamquam heredem, virum apprimè intelligentem atque cordatum, is vbi primùm ea petij, perhumaniter mihi concessit. Ego verò nimis ingratum animum gererem, nisi tum illi, tum aliis, qui lapides non vulgares meo ædificio subministrarunt, hanc tenuem remunerationem rependerem, vt in aliquo eius latere illorum nomen honorificis characteribus insculperem.

Peruenit Gualterius 22. Nouembris [h], comperitque, nondum licuisse Lotharingo ob febrim ex pituita, quæ biduo post eius aduentum ipsum inuaserat, conuentui interesse. Reddidit Legatis Episcopus litteras Borromæi, aduentus sui causam aperuit, & ipsis consciis

[f] Litteræ Insulani ad Reginam, 27. Nouembris 1562.

[g] Litteræ Pontificis ad Legatos; & Borrom. ad Mantuanum, 13. Nouembris 1562.

[h] Epist. Gualterij ad Borrom. 23 Nouembris 1562.

consciis confestim Lotharingum inuisit, cui epistolam Pontificis, per summam honorificentiam ad eum scriptam, detulit. Existimarat Pontifex, muniendum esse Gualterium suis litteris, ad Lansacum ac Ferrerium datis, ne augeretur suspicio de illo Præsule, quam inesse in ministris Gallicis cognoscebat. Cuius suspicionis Lansacus post acceptam epistolam nouum indicium prodidit scribens ad Insulanum[i], Placere sibi testem illum suorum operum adesse Tridenti, ea Pontifici testaturum, in quibus nihil reprehensum iri sperabat. Verùm Gualterius, ne apud Cardinalem minueret pretium honoris, quem illi Pontifex exhibebat, quasi communis duobus Oratoribus, fidenter Lotharingo anteà dixerat, curasse se vt illæ litteræ darentur à Pontifice, ne administri Gallici, qui ipsum relicto Nuntij munere è Gallià profectum nouerant, eumdem apud Pium parum gratiosum putarent, adeoque despicerent: simul illum consuluit, essémne illæ litteræ deferendæ. Quod intimæ fiduciæ officium effecit, vt Cardinalis se Oratoribus multiplici ratione antehabitum existimaret, collaudatâ Gualterij prudentiâ, datoque consilio vt litteras extemplò redderet. Non mediocrem etiam voluptatem ostendit Lotharingus, quòd ibi hominem haberet, quîcum ex veteri familiaritate liberius posset agere; quæ libertas condimentum est, sine quo consuetudines omnes austeræ & insuaues euadunt; cœpitque eâdem horâ amicitiam exercere, patefacto animo per querimoniam, quò modestiorem, eò grauiorem, ob iudicia enormia de suis consiliis propositisque Romæ habita; cui Gualterius satisfacere conatus est, negans Pontificis mentem fuisse vmquam ab his suspicionum vmbris occupatam. Hinc verò argumentum arripuit differendi de perturbato agendi ordine, quem Lotharingus in Concilio reperiret, cùm illic tempus tereretur disputationibus tam alienis ab vrgente necessitate, tamque oppositis festinæ expeditioni, quàm ea & necessaria erat, & optata in quauis Christiani Orbis prouincia: sed subdidit, hoc ipsum pariturum Cardinali immensam gloriam, si is eloquentiâ & auctoritate daret operam, efficeretque, vt ea inopportuna dicendi ratio amoueretur. Ille, quippe vir prudens ac circumspectus, respondit, id Præsidum operâ conficiendum, non suâ, vtpote priuati hominis in eo consessu. Sed Gualterius addidit, in ea re nequire cunctos simul conficere, quantum ipse vnus posset: non aliunde suppeditatos fuisse Hispanis animos ad ea molienda, nisi à concepta spe se ipsum habituros fautorem cum suis Gallicis Episcopis, adeoque maiorem quamdam auctoritatem suis in Ecclesiis adepturos. Vbi se non modò non

1562.

i 21. Nouembris 1562.

1562. suffultos à tanto viro, sed repressos intelligerent, citra fines, quos transilierant, redituros. Tum ab illo petiit, ac penè rei promissionem obtinuit, vt cùm primùm publicè verba faceret, Patres cohortaretur ad agitanda argumenta, quæ magis ad rem, solidiusque ad salutem populorum conducerent. Quin Lotharingus indicauit, se verbis opera sociaturum, abfuturumque ab iis conuentibus, in quibus huiusmodi disceptationes inutiles haberentur. Adiecit, velle se mandata sua Gualterio communicare, indicans, postulatum aliquod indecorum in illis contineri: sed significaturum se, quâ ratione Pontifex Galliæ facilè satisfaceret, perfringeretque propensionem quamdam, quæ in plerisque illius nationis deprehendebatur, ad secedendum ab Sedis Apostolicæ obedientia. Proposuit, quò sedatè Canones firmarentur, dieque vigesimosexto iam præstituto Sessio celebraretur, vt Præsides ipsum pro Ecclesia Gallicana aduocarent, duos Hispanienses pro Hispana, & quem ipsi Præsides vellent pro Italica, qui concordi operâ eos Canones conficerent: se sibi polliceri, nihil operi suos Gallos repugnaturos; idemque per aliquam industriam de reliquis nationibus esse sperandum. Retulit, se assiduè ab Hispanis vrgeri, vt secum coniungeretur; eosdem etiam ad ipsum ventitantes sententias legere, proferendas in cœtu.

Dum Lotharingus ægrotauit, non diu à conuentibus vacatum est; cùm ipse modestè petierit[k] ne suâ causâ cessaretur. In primo conuentu[l] sedes nouis Præsulibus destinatæ: & quoniam lites magis excitantur inter cognatos quàm inter exteros, orta est contentio de gradu[m] inter Hieronymum de Suochiere Gallum, Abbatem Clarauallensem (qui à subsecuto Pontifice in Senatum cooptatus est post iteratam ex animi demissione repulsam, per remunerationem eò honestiorem, quò violentiorem) & inter Abbates Congregationis Cassinatis. Causabatur alter, alios non contineri in veteri Ordine S. Benedicti, sed in Congregatione S. Iustinæ, confirmata recenti tempore ab Eugenio IV. adeoque à Clarauallensi familia superari antiquitate. His addebat alias prærogatiuas Abbatum Clarauallensium, Cassinatibus haud concessas. Sed ab his respondebatur; Variationem, ætate Eugenij habitam, de quibusdam secundariis esse, in primariis retineri ab ipsis sancti Benedicti regulam. Reliquis etiam argumentis validæ solutiones reddebantur. Ad litigium decidendum fuisset opus, multa diplomata, alioque veteres commentarios expendere; res diuturni temporis, & tunc non modici laboris. Quare Cassinates statuerunt, honorem illum Gallo impertiri, cùm vnius tandem Parentis se filios agnoscerent; & Clarauallensis

[k] Epist. Iadrensis, 19. Nouembris.
[l] 16. Nouembris ex litteris Mutinensis ad Moronum, eo die.
[m] Acta Palcotti.

uallensis commendatitias sui Præsidis litteras ad Cassinates detulisset; qui plus decoris reportarunt ex ea cessione, conducibili in iis conditionibus Ecclesiæ bono, quàm ex fumosa victoria reportassent. In aliis cœtibus Legati lentè processerunt, vt hoc æstimationis argumentum [n] Lotharingo præberent, præsertim cùm ille ostenderet, id à se optari non odioso fastus, sed grato modestiæ nomine, quò sibi voluptatem vtilitatemque caperet ex aliorum doctrina. 1562.

n Litteræ Legatorum ad Borromæum, 19. Nouembris 1562.

7 Eodem vigesimoprimo die, quo Gualterius Lotharingum adiit, ipsum inuiserat [o] Seripandus communi Legatorum nomine, quò illum distinctè doceret de initio, progressu, præsentique statu Concilij; conuersoque sermone ad controuersiam quæ tunc feruebat in septimo Canone, de re ipsum planè erudierat simul & consuluerat. Ars efficacissima ad opem vnà obtinendam. Lotharingus studiosum quietis animum, & singularem erga Pontificem obseruantiam præ se ferens, consilium, de quo diximus, illi proposuerat, quod posteà, quibusdam facilitatis gratiâ mutatis, ipse Gualterio repetiit, de duobus pro singulis nationibus deligendis. Sed Seripandus consilium complexus non est, dicens, nondum illi comperta satis esse ea hominum ingenia, perdifficulter inuicem flexibilia: quamquam reuerà Seripando in proposito negotio illud displicuit, quòd aperiretur aditus ad res agendas per nationes. Alter tunc reposuerat, Vbi id effici non posset, satius fore dari operam, vt ea lis omnino supprimeretur. Post hoc colloquium inter Seripandum ac Lotharingum, Legati vnà coëuntes concluserant, ne prius illud consilium vllo pacto exciperetur, atque vt Seripandus denuò palàm faceret Lotharingo, rem neutiquam fieri posse.

o Litteræ Legatorum ad Borrom. 23 Nouembris 1562.

8 Hic in memorato congressu iterauerat Seripando consilium suum, cunctis anteà Legatis expositum, vt communicarentur cum Pontifice emendationis capita ab illo expetita, per aliquem Præsulem Romam missum, qui posteà regressus Tridentum, mentem Pontificis de singulis capitibus referret, antequam confessui proponerentur. Sed Legati responsione tantisper supersedêre, dum de Pontificis voluntate docerentur, multoque minùs mittendi Præsulis electionem sibi susceperunt. Borromæo tamen proposuere Archiepiscopum Lancianensem, quippe ad huiusmodi munus obeundum aliàs adhibitum; Hydruntinum, quippe dotibus præstantem, & obsequendi Pontifici cupientissimum; Grassium, quippe ad eumdem Lotharingum antè missum à Pontifice; Gualterium, simili de causa, quamquam negotium cuius gratiâ missus fuerat,

1562. fuerat, eius mansionem Tridenti vtiliorem redderet: sed tandem conueniebant, Vicecomitem omnium maximè idoneum censeri, ob singularem Pontificis in eo fiduciam, quâ opus erat in homine, qui auditurus delaturusque esset ex ore Pontificis intimos eiusdem sensus; cùm prima conditio in eo, cui vt pecuniæ, perinde arcana concredenda sunt, fides sit.

CAPVT III.

Lotharingus in generali cœtu exceptus. Epistola Regis Galliæ à Lansaco reddita Concilio. Eiusdem Lotharingi dissertatio. Primi Legati verba, & responsum ab Archiepiscopo Iadrensi communi nomine redditum. Noua oratio Oratoris Ferrerij.

POstridie huiusce colloquij inter Præsides & Lotharingum, accessit hic ad generalem conuentum [a]; ad quem cùm priùs confluxisset magna exterorum hominum frequentia curiositatis gratiâ, posteà excluſi sunt: atque ab eo qui erat à secretis, tum ea quæ Lotharingus à se dicenda destinarat, tum epistolæ regiæ exemplum, tum paratum illi responsum, summatim proposita. Et pro ingenio illorum cœtuum, in quibus multi verè sapiunt, & omnes putant voluntque vt ab aliis putentur sapere, in huiusmodi officiosis verbis nauiter iam digestis oppositiones disputationesque non defuerunt. Posteà ad deducendum Lotharingum ex ipsius domo, missi sunt Patriarcha Hierosolymitanus, Archiepiscopi Hydruntinus & Granatensis, Episcopi Cauensis, Conimbricensis, Viterbiensis, & Salmanticensis. Legati è suis sedibus per gradus descendentes, illum ingressum exceperunt: tum considentibus Patribus, immensâ populi coronâ circumdati in medium progressi sunt Oratores Gallicani; & Lansacus, vtpote dignior, litteras regias reddidit Gallicè scriptas, & Latinè versas [b]: quo idiomate recitatæ sunt integrè ab Episcopo, qui à secretis erat.

Gallica inscriptio erat: *Sanctissimis ac reuerendissimis Patribus Tridenti congregatis ad sanctæ Synodi celebrationem:* sed clarius Latinè dicebatur: *Congregatis in sacrosancta Synodo Tridentina.* Exponebat illic Rex regni sui calamitates, quibus nonnisi à Diuina misericordia remedium expectandum erat: impensa à Rege demortuo fratre suo atque à se studia, quò Synodus cogeretur: cunctationis necessitatem in Præsulum missione, ac duplicem causam eò mittendi Lotharingi Cardinalis; alteram, quoniam ille suæ professionis officium

[a] Præter Acta arcis Romanæ, Palcotti, & Diarium 24 Nouembris, Epistola Legatorum ad Borromæum, & duæ Iadrensis & Mutinensis, eodem die.

[b] In vtroque idiomate impressæ sunt in volumine Gallico memorato.

cium haud oblitus, sæpè facultatem conueniendi petierat; alteram, quoniam à primis annis educatus inter seueriora regni negotia, intimos fontes grassantium miseriarum pernoscebat. Patres cohortabatur Rex ad laudabilem ac sanctam disciplinæ correctionem, iis restitutis Ecclesiæ, quæ hominum improbitate, ac temporum iniuriâ collapsa fuerant, cuius operis non modò remuneratorem Deum habituri erant, sed debitores cunctos Principes ac Principatus, ac cunctos posteros laudatores. Denique ab ipsis petebat, vt eam Cardinali fidem haberent, quam ipsi Regi habuissent. 1562.

3 Lectis litteris, loqui cœpit Lotharingus eâ dictionis eloquentiâ, & actionis gratiâ, quâ vniuersè auditores rapuit, commouitque. Ob oculos posuit ærumnas exortas in Gallia ob corruptos cunctorum Ordinum mores, ob Ecclesiasticam disciplinam omnino collapsam, ob hæreses non oppressas, & ob tamdiu neglecta remedia à Deo instituta. Non parci Ecclesiis; stragem edi Sacerdotum, dum aras amplexabantur; conculcari Sacramenta; vndique rogos erigi ornatuum Ecclesiasticorum, & pyras sacrarum imaginum abiectarum. Comburi, & in fluuios proiici Sanctorum lipsana, & cum ipsis effossa corpora Pontificum, Regum, ac Cæsarum: audiri voces nefarias in Dei nomen iactas; expelli Pastores; interdici sacrificia, despici Regem, leges obmutescere. Monuit aliorum Principum Oratores, infortunia, quæ tunc in Gallia poterant ipsi otiosè conspicere, experturos se serâ pœnitentiâ suis in patriis, si propinquum illud regnum casu suo illas traheret in ruinam. Non tamen tot tantisque malis deesse spem in egregia pupilli Regis indole, in optimis Reginæ matris, & Nauarræi Regis consiliis, & in præualidis Dynastarum viribus; sed victricia tela in propria tandem ipsorum viscera immergi: quare nihil suppetere salubrius, cui fidendum esset, quàm auxilium quod omnes Catholici petebant ab ea sacrosancta Synodo, & vniuersali Ecclesia in Sancto Spiritu legitimè congregata. Duo potissimùm illos Patres à Rege commoneri, pro ea quâ Synodum prosequebatur obseruantia, & pro molestia quam ob Religionis dissidia patiebatur, vt nimirum pro virili vana litigia & infructuosæ controuersiæ declinarentur, atque Principes ab armis mouendis retraherentur. Ab Henrico, dum moreretur, pacem fuisse commendatam, eamdem optatam à Rege superstite ac Regina, pro ætatis sexusque conditione: ea consilia reuerà infeliciter cessisse, sed maiorem infelicitatem esse formidandam, si vniuersa Christiana Respublica in periculosum belli fretum sese immitteret, adiretque discrimen vno eodemque naufragio penitus

1562. nitus pereundi. Dein ingressus emendationis postulata, eius necessitatem ostendit, ad Ecclesiam, ac præcipuè Galliam sustinendam: repetiit ea Scripturæ verba, quæ à Pauli III. Legatis allata fuerant in Synodi primordiis: *Propter nos, fratres, hæc tempestas nata est, proiicite nos in mare.* Finem dicendi fecit, professus se suique comitatus Episcopos velle subiacere post Deum beatissimo Pio IV. Pontifici Maximo: cognosci à se illius in terra Principatum supra cunctas Ecclesias; numquam eius mandata se obtrectaturos: venerari Ecclesiæ Catholicæ, & Oecumenicæ Synodi Decreta: Illustrissimis Legatis se submittere, sociales dexteras reliquis Episcopis offerre, ac Cæsari, quòd ibi suarum sententiarum testes adessent clarissimi Principum Oratores.

Hæc Lotharingus. Tum Mantuanus quædam habuit verba, quibus tantumdem plausus ex maiestate retulit, quantum alter ex eloquentia. Illorum sententia hæc fuit: Cùm Lotharingus Cardinalis Legatos inuisens, iis significasset, velle se sui Regis mandata in cœtu Patribus exponere, selectum ab ipsis fuisse Archiepiscopum Iadrensem, virum doctum atque prudentem, qui simul nomine Synodi responsum redderet eleganti, copiosæ atque eruditæ Cardinalis orationi, qualem promiserat egregia illius scientia, & qualem res ipsa comprobarat; simul explicaret, quàm gratus accideret illi conuentui susceptus ab eo labor itineris Tridentini, quò Synodum locupletaret multis Episcopis, Abbatibus, ac Theologis Ecclesiæ Gallicanæ, cùm ex ea doctissimorum capitum accessione ingens subsidium speraretur Catholicæ veritatis causæ, & processus mirifici in Ecclesia corruptelarum morumque correctioni. Etenim in comperto erat, quantum Cardinalis laborasset in Consiliis Reginæ ac Regis ad Religionem tuendam, ad confirmandam auctoritatem Sedis Apostolicæ, & Pontificis dignitatem; nec minus innotuerat, quantum idem in publicis concionibus dixisset, Euangelium non erubescens, prout plerique Procerum solent, & quantum denique perfecerat virtus bellica præclarissimorum illius fratrum in bello Gallico, Religionis causâ susceptо: paria in posterum facinora sibi polliceri Patres, tum Tridenti ab huius lingua, tum in Gallia ab illorum manu. Verùm ne Iadrensis partes ipse assumeret, nihil à se ampliùs addi; sed rogari tantummodò Cardinalem, ne illi mirum accideret, si ipse vsurus esset maiori breuitate, quàm postulare videbantur thematis amplitudo, doteſque innumerabiles præstantissimorum eius fratrum, cùm sibi persuasisset, plurimùm à se collaudatum iri Cardinalem, dum pauca proferret ex plurimis

quibus

quibus ille laudari posset, reliqua verò auditorum considerationi tacitè relinqueret. 1562.

5 Facto hîc silentio, locum loquendi dedit Mutio Callino Archiepiscopo Iadrensi, qui orsus est: Acerbum dolorem passam esse Synodum ob Galliæ seditiones, cùm intelligeret, Regnum illud inclytum, quod semper firmissimum quasi propugnaculum Catholicæ veritatis perstiterat, nunc propter controuersiam Religionis campum miserabilem stragis cladisque euasisse, adeoque Galliæ Proceres inter se confligere tam ardenter, quàm anteà coniunctim bella Religionis gratiâ gesserant: credidisse priùs Patres, ipsorum tristitiam plurimùm auctum iri, si fortè Galliæ calamitates non audiissent, sed adspexissent. Et planè id ipsis eo die accidisse improuisò, dum Cardinalis orationis suæ copiâ & grauitate, spectatores potiùs quàm auditores illorum infortuniorum effecerat; adeò vt in sensu doloris ne ipsi quidem Oratori cederent. Deplorari ab eo charissimæ parentis ærumnas; à Concilio, charissimæ filiæ: releuari tamen mœstitiam à concepta spe, quòd excitaturus esset Deus ad suam suæque Fidei gloriam in Rege pupillo virtutem ac felicitatem maiorum. Præterquam quòd cùm in præsentia coactus Diuinâ commiseratione, ac Pontificis operâ cerneretur sacer ille conuentus, sperandum esset, dissectis tenebris agnitum iri ab omnibus verum Dei cultum, ac disciplinæ splendorem, pacemque Ecclesiæ redditum iri. Ad quod perficiendum sicuti Synodus anteacta industriam omnem impenderat, ita, vbi id posset, in posterum enixiùs conaturam; cùm summæ sibi prosperitati duceret præsentiam Cardinalis, non modò vt hortatoris, sed vt consiliarij & adiutoris. Compertam esse illius præstantiam in liberalibus disciplinis, ac potissimùm in sacris, ingentium negotiorum peritiam, auctoritatem apud Principes, &, quod maximum erat, pietatem erga Deum, integritatem vitæ, ac studium Catholicæ Religionis: proinde polliceri sibi Synodum ab eius opera tantum emolumentum, vt lætitia, quam eius aduentus dies attulerat, euasura esset minima inter omnes eiusdem mansionis dies: eapropter agi à Patribus debitas Deo grates, & felicem accessum, post tam laboriosum ac periculosum iter, ipsi Cardinali, eiusque honestissimo comitatui gratulari, dum à cælo prosperos illis successus iidem augurabantur. Se libenter audituros aut à Cardinali, aut ab Oratoribus, quæcumque Rex proponeret, vbi ad ea exponenda locus ac facultas illis concederetur (adiecta sunt hæc verba postrema, ne Oratores sibi potestatem tribuerent publicè verba faciendi quoties ipsis libuisset) cùm

1562. Patribus certum esset, Regis nomine, qui vtique laudem pueritiæ suæ comparare incipiebat è strenua pietatis defensione, & cui præcipuum studium totius vitæ curriculo adhibendum erat ad exornandam amplificandamque Religionem, ea propositum iri, quæ cum vera Dei gloria, cum perpetuo Ecclesiæ bono, cum summa Sedis Apostolicæ dignitate connecterentur.

Absolutâ Iadrensis oratione, Ferrerius graui eloquentiâ sermonem habuit, Cardinalis dotes amplificando: Ex legatione viri tam præclari, adeò necessarij Gallicano regno inter eos tumultus, palàm fieri Regis religionem, eiusdemque de Synodo æstimationem. Posse Regem, vbi vellet, triduo prouincias suas pacare, quippe Principi suo natiuo propensione addictissimas; sed ab illo non tam res suas quæri, quàm Religionis Catholicæ, summique Pontificis, ad cuius dignitatem auctoritatemque tuendam nihil ipsum vereri thesauros omnes profundere, simulque regnum ac vitam in discrimen adducere. Ad emendationis postulatum progressus, dixit: A suo Rege non peti nisi quod à Patribus Nicæni Concilij Magnus Constantinus petierat: suas omnes petitiones contineri aut in sacris Litteris, aut in antiquis Constitutionibus Conciliorum, Pontificum, & Patrum: harum restitutionem in integrum, vt loquuntur Iurisconsulti, à Rege Christianissimo, Ecclesiæ Primogenito, postulari apud eos, quos Deus legitimos tamquam Prætores constituerat: id ipsos à Rege flagitari non vi clausulæ vniuersalis, sed verborum, quæ exprimuntur in Edicto illo Diuino ac perpetuo, aduersus quod nec habuit, nec habiturus erit locum vsucapio (*vsurpatione* dicit Italicè Suauis, ex legalium vocabulorum ignorantia) seu præscriptio. Rem illustrauit ingeniosis collationibus exemplorum ex Diuina Scriptura. Affirmauit, nisi id perficeretur, frustrà confugi ad affinitatem, ad singularem amicitiam, ad incredibilem liberalitatem maximi ac potentissimi Regis Catholici: frustrà implorari opem supremi Pontificis, Reipublicæ Venetæ, Ducum Lotharingiæ, Sabaudiæ, & Etruriæ: id nisi haberetur, fallacem esse equum ad salutem. Eos qui perirent, propriâ quidem culpâ perituros; sed perituros Patribus, atque è Patrum manibus rationem eorum sanguinis petitum iri. Postremò adiecit: Antequam peculiaria mandata proponerentur, illos à se rogari, vt celeriter cœptas disceptationes absoluerent, quò amplior facilitas præberetur ad agitanda argumenta longè grauiora, & maximè necessaria, finemque Synodo ad Diuinam gloriam imponendum.

6

Præmo-

7 Præmoniti fuerant Præsides[c] de iis, ad quæ exponenda se parabat Ferrerius; nec equidem comperio eam difficultatem in eius oratione permittenda, nec eam ægrimoniam in illa auscultanda, quam Suauis depingit. Solùm[d] scripsit ad Borromæum Vicecomes, admonitos fuisse Legatos, ne huiusmodi morem inducerent; eos verò respondisse, se pollicitos iam fuisse in eo gratificaturos Oratori. Verùm neque necessarium neque decorum existimarunt, nouam illi responsionem reddere nomine Synodi; idcircò qui à secretis erat, ad ambos Oratores Gallicos conuersus dixit, Synodum sedulò expensuram res ab illis propositas, atque in tempore responsuram. 1562.

c Litteræ Legatorum ad Borromeum, 19. Nouembris 1562.

d 23 Nouemb 1562.

Dum hæc Suauis recenset, in multis peccat. Quare in Latina versione, illius amicus potiùs quàm interpres, meliùs veritatem edoctus, aliquot ex eius erratis emendat. Sed tanti ponderis ad rei summam non sunt, vt velim aliter ea refellere, quàm ex diuersa mea narratione, cùm lubeat mihi illud agere cum Suaui, quod in moderata Republica fieri solet, vbi lenia malefacta neque cuncta condonantur, neque cuncta vindicantur.

CAPVT IV.

Gallorum alienatio à Simonetta. Varia inter Lotharingum & Gualterium colloquia. Sessio prorogata pro arbitratu, sed cum restrictione, vt certus dies intra dies octo denuntietur. Obitus Ioannis Baptistæ Osij Episcopi Reatini, Ioannis Cardinalis Medicei, & Frederici Comitis Borromæi, geniti ex sorore Pontificis. Discessus Oratoris Bauarici. Difficultas in componenda dissensione inter Oratores Galliæ & Hispaniæ.

1 GValterius continuatâ cum Lotharingo consuetudine, illum comperit non modò conscium suspicionum[a], quæ numquam omnino disiectæ fuerant inter Legatos reliquos, & Simonettam, sed in hunc etiam animo malè affecto, affirmantemque, vti Simonettæ arcanos Pontificis sensus patere; atque hinc minui collegis animum, quòd se Romæ perstrictos animaduerterent. Satis non esse Simonettæ, quòd in persuasione beneuolentiæ erga Pontificem primas obtineret, nisi etiam contrariam de aliis persuasionem induceret: in quo tamen Lotharingus perperàm doctus fuerat. Etenim in voluminibus litterarum Pontificiarum deprehenditur id temporis plenissima in Pio fiducia Mantuani, iuxtà

a Litteræ, & arcanæ notæ Gualterij ad Borromeum, 25. & 26. Nouembris 1562.

1562. ac Simonettæ. At verò cum Seripando ac Varmiensi, quippe viris in schola magis quàm in negotio versatis, parciùs ea communicabantur, quæ ad eorum doctrinam minùs pertinebant. Imò quod attinet ad Simonettam, vti metus è suspicione nascitur, comperio illum à Pontifice [b] reprehensum, quasi nimis in ipsum dominaretur timoris affectio, quâ virtus, ad egregiè agendum necessaria, debilitatur. Adiecit Gualterio Lotharingus; Romæ nimiùm fuisse gloriatos iuuenes quosdam, iuris Pontificij studiosos, qui rati prodesse Pontifici, eidem oberant, nunc Hispanos, nunc Gallos prouocantes. Hic autem conquestus est de ingenti gaudio, quo huiusmodi homines gestierant ob rumorem paulò antè diffusum aduentus sui præpediti. Reuerà delati fuerant Mediolano [c] nuntij ad Simonettam, Abbates Gallos, à sancti Ambrosij Abbate hospitio exceptos, ita fuisse locutos de mente Lotharingi, ac de coniunctione eiusdem comitatus cum Hispanis Germaniscque vt non parum enutrita fuerit præcedens ac natiua suspicio illius Legati, hominis non minùs facilis ad eam patefaciendam, quàm ad concipiendam, & quicum conueniebant ij ferè omnes, qui studium impensius præ se gerebant erga Pontificis auctoritatem; seu quòd qui amat timet, seu quòd qui amorem ostentat, ad eius argumentum timorem ostentat. Conatus est Gualterius lenire Lotharingi stomachum exacerbatum in Simonettam, simulque cohortatus est Simonettam, vt illum inuiseret, seque in ipsius beneuolentiam insinuaret iis agendi rationibus, quas idem, vtpote Lotharingi conscius, suggessit.

b Arcanæ notæ Borromæi ad Simonettam, 5. Decembr. 1562.

c Litteræ, & arcanæ notæ Gualterij ad Borromæum 19 & 23. Nouemb. 1562.

Euenit Gualterio hæc agitanti, vt quasi aliorum suspiciones tam quam haud temerarias, sed communi famæ nixas excusaturus, certò cognosceret ex Lotharingo, falsa esse duo iam vulgata atque credita; ipsum scilicet moliri, vt res nationum numero sancirentur, quemadmodum Simonetta simul & Seripandus induxerant in animum ex iis quæ Lotharingus, vti narratum est, proposuerat; & apud eumdem fuisse habitum cœtum Gallorum Præsulum, qui illic comprobassent sententiam, affirmantem Episcoporum iurisdictionem esse iuris Diuini: quod vtrumque Suauis tamquam verum confidenter narrat. Resciuit quidem Gualterius, complures Gallorum in priuatis congressibus declarandum censuisse, iurisdictionem Episcoporum esse à Christo; sed nihil exprimendo, proximéne ab illo, an per alium; dein verò celeriter progrediendum ad capita emendationis, quod argumentum magis illis cordi erat ad Galliam componendam.

Valdè

3 Valdè tamen turbidum fuit huiusmodi colloquium, siue potiùs contentio, inter Lotharingum & Gualterium. Ille quidem acriter querebatur ob prauam de se opinionem, quam præ se ferebat Pontifex, & crebram exprobrationem beneficiorum, quæ idem sibi contulerat. Atque inter cetera retulit, quoties in cœtu super rebus Concilij Pontifex conquerebatur de iis, quæ aduersùm se Cæsari suggerebantur, oculos ab eo conuerti ad Cardinalem Burdesium, ea quasi Lotharingo adscriberet. Ex altera parte Gualterius fidenter sui Principis opera defendebat. Cumque ipsi videretur Lotharingus elatiùs loqui, quòd hic sciret, non plenam coniunctionem id temporis inter Pontificem ac Regem Catholicum intercedere, illum monuit, quàm alteri procliue esset alterum sibi coniungere, sed iis modis, qui fortasse Gallis haud placerent; ipsorum tamen culpæ id tribuendum, si Pium ad id compellerent: quin nec minus graue ipsis futurum, si Pontifex amorem Regis Galliæ sibi comparasset, illius vtique postulationibus indulgendo, quarum præcipua erat, facultas alienandi ingentem partem bonorum Ecclesiasticorum, quò pecuniam impenderet bello in hugonottos; quod à Pontifice denegatum anteà fuerat per summam Gallicorum Præsulum commendationem, quippe qui animaduertebant, canalem hinc apertum iri, quo breuî Ecclesiæ patrimonium exhauriretur. Nec omisit Gualterius commemorare id, quod legebatur exprobratum à quodam hæretico Germano Sorbonicis; eos nempe vitiosos esse dialecticos, dum reliquis Ecclesiæ Romanæ principiis consentientes, prærogatiuam Romani Pontificis supra Concilium euertebant, quæ legitimâ consecutione deducebatur. 1562.

4 Iam verò tametsi in congressu cum Gualterio, ob exercitam ab hoc agendi libertatem aliquid iracundius præ se gesserat Lotharingus; idem tamen postea Archiepiscopo Senonensi dixerat, velle se sinistras Pontificiorum persuasiones contrariis operibus obruere. Et huiusce voluntatis indicium aliquod [d] Legati iam conspicabantur, cùm ipsis videretur in duobus argumentis, contentionis ac zelotypiæ plenis, de mansione ac iurisdictione Episcoporum, Lotharingus animum adiicere ad malaciam non procellam ciendam; vnde sperabant, Sessionem ante Natalitia Christi habitum iri: idque ab illis breuissimum quod impetrari posset spatium censebatur, quandoquidem Patrum prolixitas in dicendis sententiis, præter adhibitam etiam Lotharingi gratiâ lentitudinem, non modò spem ademerat eius celebrandæ præscripto die vigesimo sexto Nouembris, sed etiam longi itineris conficiendi.

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 26 Nouembris 1562.

Die

1562.

Die vigesimo quarto Gaspar de Casale Episcopus Lerien-
sis[e] integrum in cœtu tempus solus consumpsit, cupidus vt à se Lotha-
ringus vniuersam agitatæ controuersiæ seriem audiret. Is in hanc
sententiam ita disserüit: Episcopos Apostolorum esse successores,
non omnino & in omnibus, sed in ordinaria iurisdictione. Eos
igitur se habere ad Romanum Pontificem itidem ac Apostoli ad
Petrum antequam mitterentur: obstringi Diuinâ lege Pontificem
ad constituendos in Ecclesia Episcopos, nec ipsi licere Episcoporum
ordinem destruere; non tamen æquales esse Pontifici Episcopos, ne-
que separatim neque omnes coniunctim: eius siquidem potestas
aliorum potestatem moderatur, concurrit cum omnibus Episcopis
in eorum Diœcesibus, & in eas maius quàm ipsi ius obtinet: rem
quampiam duobus modis iuris Diuini esse posse, aut proximè, aut
alterius interpositu. Primos Episcopos, hoc est Apostolos, fuisse
proximè ab ipso Christo, reliquos omnes posteà Episcopos accepis-
se potestatem tum Ordinis tum iurisdictionis, præcipuè quidem
à Christo, sed per Romanum Pontificem, illius ministrum. Ete-
nim nisi Episcopus à Pontifice consecraretur, ab eoque gregem non
haberet, eum Christus vt Episcopum non agnosceret. Porrò in
consecratione aliud à Deo solo impertiri, nimirum characterem,
aliud à Deo præcipuè, & à Pontifice tamquam instrumento, nimi-
rum iurisdictionem: Episcopo iam consecrato nihil nisi materiam
deesse ad eam iurisdictionem exercendam. Postremò improbauit
quod in Canone septimo dicebatur, institutum à Christo fuisse, vt
in Ecclesia essent Episcopi: id enim insinuabat opinionem Cardi-
nalis à Turrecremata, à Christo videlicet vnicum Episcopum in-
stitutum fuisse, hoc est Petrum. Potiùs damnandum esse eum, qui
diceret, Episcopos in Ecclesia Dei esse non debere.

[e] Præter Acta Arcis Æliæ, extat in Diario, 24. & 25. & in epist. Vicecomitis ad Borromæum, 26. Nouembris 1562.

Die postero tres solùm Patres auditi; ac posteà à Seripando Ses- 6
sionis prorogatio proposita est. Cur id à secundo peractum fuerit,
non à primo Legatorum, qui eo die abfuit, in causa fortasse fuit
id quod comperio in quodam scripto, misso Romam à Mantua-
no[f], de opportuna agendi ratione tum cum Lotharingo, tum inter
ipsos Legatos; vbi significabat ille inter cetera, se petiisse à colle-
gis, vt si quando opus foret argumenta proponere siue ad Theolo-
giam, siue ad Canones spectantia, aut de iis ex accidenti agendum
esset, dum sententiæ dicebantur, id à collegis perageretur, quam-
quam ipse primum locum teneret. Etenim in comperto satis erat,
eos illuc à Pontifice missos fuisse, vt Synodum eiusmodi doctrina-
rum peritiâ dirigerent; se verò (sic ille modestè loquebatur) solum
ad

[f] Signatur 9 Nouembris 1562. & comprobatur plenè litteris Borromæi, 18. Nouembris 1562.

ad numerum augendum: addebatque, vbi illi repugnarent, curaturum se, vt idipsum illis à Pontifice imperaretur, aut à cœtibus se abfuturum, ne Synodi vtilitatem suâ præsentiâ præpediret. Idcircò eo die, quo agendum erat ex re proposita, sicuti videbimus, de ratione proferendi sententias in articulo Theologico, locum ille Seripando concessit. 1562.

7 Non longè aberat à Legatorum notitia, se à fama publica lacerari[g], tamquam artificiosè rem prorogantes, perinde quasi ipsi, & cum ipsis complures Episcopi, intentis animis declinarent à laborioso seueriorum emendationum freto, quò tandem ab illis nauigandum erat. Hæc autem persuasio, quæ plus minúsve publicis ministris adhæserat, dilatata postmodum, atque impressa fuerat, cum indignitate Concilij, in turba viliori. Quare vt homines imperitiores pronius feruntur ad concipienda figmenta in cunctis optimatum operibus; ita vel ipsi opifices deridebant conuentus illos quasi scenas, stultum reputantes, si quis crederet, ibi seriò rem geri, morasque non innecti, donec bonâ Principum pace suspensio confici posset. Ratus igitur Præses necessarium esse, à se suisque collegis tam nocentis exempli criminationem propulsari, cœpit dicere, Patres conqueri de Legatis ob Synodi prolixitatem; id non aliter à Legatis purgari posse, quàm regerendo querelas in ipsos Patres ob sententiarum prolixitatem, quæ verius prælectiones dici poterant: in ipsis prælectionibus vituperandam esse longitudinem, sed in cœtuum sententiis laudandam summoperè breuitatem. Quonam pacto ipsos conaturos orbis terrarum abusus eradere, nisi scirent hunc in ipsis abusum emendare prodigendi temporis, hoc est pretiosissimi inter thesauros, dum leues infructuosasque quæstiones prosequerentur? Omni studio desudandum, vt cunctis palàm fieret, in eo Concilio secundùm Diuini Spiritus afflatum res agitari: esse quidem argumentum Apostoli: *Si inter vos lites & contentiones sunt, nónne secundùm hominem proceditis?* His aliisque de causis decreuisse Præsides Sessionem protrahere; de die Patres cogitarent: sed nisi priùs superuacanea in dicenda sententia reipsa præciderentur, existimare Legatos, haud posse diem certam præstitui, quapropter proponebat eam Patrum arbitratu prorogandam.

[g] Ex duabus litteris Oratoris Florentini ad Cosmum Ducem, 19. & 21. Nouembris 1562.

8 De dilatione inter cunctos conuenit; sed an ad incertam diem, plurimùm sunt altercati. Lotharingus iis quæ proposita fuerant comprobatis[h], prolixas sententias improbauit, monuitque, si dies certa signaretur, discrimen subituram Synodum, ne infecta res caderet,

[h] Præter Acta, litteræ Oratoris Florentini ad Cosmum Ducem, & Iadrensis, 26 Nouembris 1562.

1562. deret, adeoque cum iactura dignitatis; adhuc enim centum fortasse Patres sententiam dicturi supererant, & idcircò certò prænosci non posse, quonam die Sessio habenda esset. Aliis ea cunctatio absque vllo termino, & omnino arbitraria, non placebat. Columnius dixit, tametsi prolixitatis rei essent Præsules, non tamen insontes esse Legatos, quorum partes fuissent, auctoritatem exercere, & superuacanea præcidere, ex effato, *Sapienti pauca.* Tanta sententiarum varietas audiebatur, vt ne discerni quidem posset quænam pars esset acceptior: & iam sol occiderat. Propterea Seripandus auctor fuit, ac reliqui consenserunt, vt tunc prorogaretur Sessio ad incertum diem, ita tamen vt intra octo dies, quo tempore rebus multis consuleretur, & plus lucis affulgeret, dies certus præscriberetur.

Et sanè ea laborum diuturnitas sub adeò inclemente cælo, præter alia quæ accedebant incommoda, nonnullorum Patrum valetudini imbecillæ ac senili intolerabilis accidebat. Diem obierat id temporis[i] Spoleti, dum ex morbo profectus Tridento suam ad Ecclesiam remigrabat, Ioannes Baptista Osius Romanus, Episcopus Reatinus, vir doctus religionisque studiosus, sed sententiæ suæ tenax, vitium in conuentibus quàm molestum, quippe argumentum animi alios parui æstimantis, tam noxium, quippe concordiæ impedimentum. Legati Castaneam Archiepiscopum Rossanensem, vt ad eam promoueretur Ecclesiam, Pio commendarant; sed Pontifex Amulio Cardinali eam despondit[k], quod illi plurimùm collaudarunt, nisi quantum Amulij promeritis nimis impar ea remuneratio videbatur.

[i] Variæ litteræ Legatorum & Vicecomitis, præter Acta Paleotti.

[k] Epist. Legatorum ad Borromæum, 26. Nouembris 1562.

Per eos pariter dies, nuntios Tridentum detulit idem tabellarius, duorum capitum magis adspectabilium vitam exaruisse sub ipso flore: alteram Romæ[l] 20. Nouembris in Frederico Borromæo Cardinalis fratre, & Ducis Vrbinatium genero, & in quo Pontifex, eius matris frater, spem altissimam iucundissimamque secundùm sanguinem collocarat, vnde per acerbissimæ tristitiæ sensum indoluit; quin animi ægritudo manauit in corpus, & morbo, tametsi leui breuique, ipsum affecit, pro ac vsuuenit, vt mœror ex aliena morte numquam mortalis euadat. Verùm Carolo Frederici fratri hoc infortunium salubriùs accidit; siquidem palàm ipsi fecit inanitatem molitionum dignitatumque mortalium, quæ nec auditu, nec visu satis vmquam agnoscitur, nisi domi contrectetur. Secessit idcircò ad meditanda sacra exercitia S. Ignatij in Probationis domo Societatis Iesu, ibique ea lumina affectionesque sanctimoniæ perpur-

[l] Litteræ Borromæi ad Mantuanum; alia ad Legatos, 21. Nouembris, & alia Lanfici ad Reginam, 28. Nouembris 1562.

perpurgauit, quæ Deus vsque à pueritia eius animo infuderat, quæque posteà vnum è sanctissimis viris, quos veneratur Christianus orbis, ipsum reddiderunt. 1562.

10 Alterius vita, æquè conspicua & acerba, Pisis extincta fuerat 25. Nouembris[m] in Ioanne Cardinali Mediceo, Cosmi Ducis filio, Principe de nostra Synodo optimè merito. In decimumoctauum ætatis annum ea incidit; & murmur extitit, id violenter contigisse[n]. Verùm Orator Lansacus, cui verisimile est minimè defuisse notitiam euentus, suapte naturâ non occultissimi, scripsit ad Reginam [o], Cardinalem obiisse post quartum pestilentis febris diem; quamobrem credibile videtur, violentiam modò indicatam vnam fuisse ex illis tragædiis, quarum Poëtria fama est, consueta horribilium ac stupendorum inuentrix.

11 Interim qui Concilio splendorem afferebant, vti solent locupletiores vestes, æquè onus addebant. Reddita hisce diebus sunt Oratori Bauarico sui Ducis responsa, acriter indignati[p], quòd Præsides reuocassent in controuersiam locum superiorem inter ipsius & Heluetiorum Oratorem, adeò vt illi discessum imperaret. Studuerunt Præsides Oratorem detinere; ad quod etiam obtinendum Drascouizio vsi sunt, oblatâ Bauarico hac prærogatiuâ, vt ipse cœtibus interesset, & Heluetius domi maneret. Sed illi satis non erat obtenta sine decreto possessio, adeò vt noluerit idem in publicum prodire eo solemni die, quo Lotharingus exceptus est, quandoquidem ea declaratio non præcesserat. Legatis verò visum non est tam duriter agere cum Heluetio; quin postremis in mandatis Româ acceptis habebatur [q], vt cùm ad Bauariæ Ducem, & ad Nuntium Lucernæ degentem de concordia scriptum fuisset, tantisper dum Pontifex operiretur responsa, neuter ex his Oratoribus ad cœtus accederet non vocatus: qui verò his non acquiesceret, aliam pro suo arbitratu rationem iniret. Quare cùm à Legatis obtineri non posset vt Bauaricus subsisteret, plurimum à se præstitum existimarunt, quòd Dux ob permissum Oratori discessum haud indignaretur. Vix ille Tridento abierat, cùm ab Heluetiis litteræ superuenere, quibus satis sibi fore scribebant, si modò vnus, modò alter publicis functionibus interesset.

12 Verùm vti ex ictu ponderosiorum vastiorumque molium oritur in aspectantibus grauiorum cladium terror; ita altera æmulatio sublimiorum Principum longè vehementiùs Præsidum animos concutiebat. Monuerat eos Pontifex [r], aduenturum Lunensem Comitem,

[m] Diarium, 29 Nouembris 1562.

[n] Diarium Francisci Firmani, cæremoniarum Magistri Romæ, 25 Nouembr. 1562. qui narrationem effert Fidelis actoris Veneti Florentiæ.

[o] In epistola iam citata, 28. Nouemb.

[p] Duæ litteræ Vicecomitis, 20. & 24. Nouemb. & fusiùs in epist. Legatorum ad Borrom. vltimo Nouembris 1562.

[q] Litteræ Borromæi ad Legatos, 29 Octobris 1562.

[r] In epist. Borromæi ad Legatos, 12 Nouembris; & in Insulanum.

aliis duabus, vltimo Nouembris 1562. altera Legatorum ad Borromæum, altera Lansaci ad

1562. mitem, tamquam Oratorem solius Regis Catholici, non item simul Cæsaris, sicuti anteà vocitatum fuerat; siue id fieret ob significationem molestiæ, quam prænuntiarant Galli, quibuscum concorditer se gerere in Concilio Cæsar cupiebat, cùm in eo vtilitatum coniunctio, sanguinum coniunctioni præposset, siue quia aduersa commoda Hispanos inter & Germanos nequaquam vni eidemque permitterent Oratorem agere pro aduersis vtriusque Principis postulatis. Philippus itaque Rex petebat, vt accommodata iniretur ratio, quâ Oratori suo liceret Synodo assistere, saluâ simul dignitate & concordiâ: & hac de causa Lunensis antequam discederet exquirebat quânam ratione habendus esset, ne se Regemque Catholicum exponeret periculo offensionis apud Regem Christianissimum, Pontificem, & Concilium. Legatis igitur iniunxit Pontifex efficaciâ quâ potuit maximâ, & suprà quàm in quouis alio negotio eam adhibuisset, vt omne studium ac sollicitudinem impenderent ad rem conficiendam, haud ignarus, consensum atque auxilium vtriusque Regis opus esse Concilij progressibus, itidem ac duos pedes duásve rotas hominis ambulationi, curruíque lationi. Simul etiam eos commonebat, vt cùm immineret, sicut ipse rebatur, Sessionis dies, rem dissimularent cum Lansaco, ne commouerentur animi, tranquillusque Sessionis exitus impediretur. Etenim ne minimumq uidquam stabiliri volebat, nisi flexis ad id Gallis, quibus intelligebat quodcumque temperamentum nulli detrimento futurum, aut possessione aut iure spectato; sciebat tamen, tam delicati sensus in ea re illos esse, vt vel ipsâ propositione concordiæ læderentur.

Præter hæc, quæ Legatis in communi Pontifex significabat, alia arcanæ fidei Mantuano ab eodem commissa sunt [f], nec alteri præter Simonettam communicanda. Ea erant: Sibi ab Oratore Varga per occultissimum arcanum Regis nomine fuisse expositum, vbi nulla ex propositis opinionibus admitteretur, malle Regem, vt ipsius Orator cuilibet minimo ex Concilio cederet, quàm opus illud sanctissimum obturbaretur, præmissâ tamen denuntiatione, nihil inde detrimenti sibi illatum iri, tum quod ad præcipuam quæstionem, tum quod ad possessionem attinebat. Ad cuius rei silentium, etiam cum Legatis, obstrinxit Pontificem Vargas, ne illius notitia minùs solertes eos redderet in alio temperamento Regi magis honorifico procurando. Verumtamen Pontifex censuit opportunum, eam notitiam cum illis duobus communicare, qui rem agendam moderabantur. Siquidem ex vna parte certum ipsi erat, eos

[f] Litteræ Borromæi ad Mantuanum, 21 Nouemb. 1562.

tum

tum ex animi propensione erga Regem Hispaniæ, tum ob ardentissima mandata, omnem moturos lapidem, quo aliquam ad concordiam Gallos pertraherent: ex altera verò nolebat, vt vbi illi animaduerterent rem confici non posse, in desperationem caderent de pacifico Synodi processu, vt proinde aut in reliquum studia tamquam inutilia prætermitterent, aut in eo negotio præcipitia tamquam necessaria pertentarent. 1562.

13 His acceptis mandatis, cùm Legati considerarent, Sessionis diem ita proximum non instare, vti Pontifex sibi persuaserat, existimarunt, locum non esse silentio cum Oratoribus Gallicis, ante eam functionem sibi imperato. Quapropter illis ad se accitis ostenderunt, quantum in rem foret non Ecclesiæ modò, sed Galliæ, si Synodus, eo regno postulante potissimùm coacta, feliciter progrederetur; & quantum opus esset ad progressus felicitatem vtriusque regni Oratoribus: vbi Synodus ab altero desereretur, tantum vigoris illi defuturum, vt ne ad alterius quidem bonum efficaciter prosequendum sufficeret. Idcircò animum conuerterent non solùm vt probi ciues Orbis Christiani, cuiusmodi se profiteri oportebat, sed tamquam probi Galliæ filij, probique Christianissimi Regis administri, ad ineundam aliquam concordiæ rationem, per quam saluâ Gallici Regis dignitate, alteri Regi illius affini satisfieret. Post huiusmodi exordium duas rationes proposuerunt, quarum vtraque locum proximum infra Oratorem Cæsareum laicum Gallis concedebat; videlicet, vt Lunensis subsellium haberet in medio è regione Legatorum, quale Iulij III. ætate datum fuerat Oratori Lusitano in controuersia cum Oratore Ferdinandi tamquam Hungariæ Regis; aut vt Lunensis consideret inter Oratores Ecclesiasticos infra Cæsareum.

14 Responderunt Galli: Quemadmodum omnis offensio originem trahere consueuerat ab aliqua nouitate, æquiorem facilioremque rationem ad retinendam concordiam esse veteris consuetudinis continuationem. Id se habere in mandatis Regis Christianissimi, ipsos iubentis, si quid innouaretur, extemplò cum omnibus Galliæ Episcopis discedere. Huiusmodi mutationes tentari ab affectionibus aut inquietis aut ambitiosis ministrorum, non autem ex Regis Catholici sensu, qui tam ampla amicitiæ fraternæque benevolentiæ pignora dederat, ac indies dabat Galliæ Regi, vxoris fratri, vt abundè palàm faceret animi propensionem longè aliam ab ea, quâ vellet vel vnum obolum detrahere antiquis illius prærogatiuis, præsertim ætate puerili: certos esse Oratores, potiùs ad eas sarta

1562. tecta seruandas impensum iri à Philippo Rege suas omnes vires, perinde ac illas reipsâ impendebat ad tuendam Carolo Regi auctoritatem aduersus perduelles : numquam Gallicanum regnum omnino alacri futurum animo, donec tam ingentibus Hispaniæ beneficiis par tandem redderet; sed cùm grati animi ratio, quæ inter honestissimas virtutes locum obtinet, nequaquam præcipiat vt per ipsius exercitationem honor lædatur, id pretio regiæ dignitatis præstandum non esse.

Conatus est Mantuanus Gallos flectere, illis obiectans: Quando ipsi suum locum retinerent, alienæ gratificationi obsistendum non esse; quod si secùs agerent, posse inde argui, non inesse eam optimam in ipsis voluntatem erga prosperum Synodi processum, quam profitebantur. Sed illi ex aduerso, alienam gratificationem sibi charam fore, quoties sui Principis honorificentiæ non officeret: ea cuncta consilia ab Hispanis excogitari, quò reuocaretur in dubium id quod Regis Christianissimi dignitas in aperto esse postulabat; nimirum, primum sibi locum post Cæsarem deberi: nec posse aduersæ Concilio voluntati tribui, quòd nollent veterem possessionem amittere, consuetudinemque peruertere.

Tunc subiecit Mantuanus, arcani conscius, cupiduséque rationem inire quæ minùs Philippo Regi displiceret, quàm si post & infra Gallos ipsius Orator collocaretur: Quid si Orator Hispanicus sibi sedem post cunctos Oratores deligeret; num vobis animus esset ad eum cogendum vt meliorem quàm ipse vellet locum caperet? Improuisæ interrogationi responsum à Gallis est, in eo casu rem se expensuros. Legati huic postremo consilio minimè se obstringentes, finem colloquio imposuere, rogatis vniuersè Oratoribus, vt sedatiùs deliberarent. Interposuerunt etiam Gualterij officia cum Lotharingo, qui hinc auctoritatis plurimum apud ministros Gallicos obtinebat, hinc credebatur coniunctionem cum Hispano exoptare, tum propter belli prosperitatem in hugonottos, quæ ipsius ac fratrum plurimi referebat, tum propter Synodi quietem, cuius perturbatio dignitatem felicitatemque operæ suæ detraxisset. Sed responsum tandem est: Oratoribus non licere, mandata persistendi in consuetis præterire: noua temperamenta Regio Consilio in Gallia esse proponenda: cumque ea de re Lansacus Romam scriberet ad Gallicum Oratorem, præ se tulit simul immobilem in eo negotio animi firmitatem, simul propensionem honorandi Lunensem in cunctis reliquis exactissimâ quâque officiorum ratione; sed eo honoris genere, quod nihil honoranti subtraheret.

Et

Et quoniam aduenerat Romam missus à Rege Catholico Aloysius Auila[t], quibusdam in mentem inciderat, ab eo curatum iri, vt Pontifex impertiret Philippo appellationem Imperatoris Indiarum, tamquam splendidum titulum ad illius litis victoriam. Scripsit Lansacus, nihil id allaturum detrimenti prærogatiuæ sui Principis; Galliarum siquidem Imperatorem, qui superiorem sibi in terris neminem agnoscebat, & cuius maiores Imperium in Occidente condiderant, numquam in Europa nouo Indiarum Imperatori cessurum: præterquam quòd fama erat, à Leone X. cùm Bononiæ cum Francisco Primo conuenit, fuisse illi eiusque successoribus subditum ius Imperij Constantinopolitani: sed verisimilia non videri in prudenti ac virtutis studioso Philippi animo ea consilia, per quæ ipsius amplitudini nihil accessisset. 1562.

[t] Litteræ Lansaci ad Insulanum, 18. Nouembris 1562.

17 Pontifex auditâ Gallorum duritie, rescripsit[u], eam haud inopinatam sibi accidisse: se quidem voluisse tabellarium illum mittere, potiùs quò sibi aliisque satisfaceret, extrema quæque periclitatus, quàm ob vllam spem rei consequendæ: aliud sibi scribendum ad Legatos non occurrere, nisi velle se, vt contestationes, si quas ministri Hispanienses facerent, ab ipsis admitterentur: ceterùm sibi certò persuaderi, Regem Catholicum pro sua probitate ac religione suas omnes priuatas rationes posthabiturum bono publico, cui nollet ab huiusmodi inaniis obicem opponi.

[u] Litteræ Borromæi ad Legatos in communi, & ad Mantuanum, 5. Decembris 1562.

Enimuerò mirum foret id reipsa contingere inter cordatos viros, nisi tam sæpè contingeret, cùm ad diluendam admirationem magis valeat consuetudo, quàm ratio.

CAPVT V.

Lotharingi sensus: adhibita Hispanis officia Molinei Senatoris. Perturbatio in cœtu, Episcoporum Guadicensis & Aliphensis causâ. Rex Bohemiæ Romanorum Rex renuntiatus. Regis Nauarræ obitus.

1 DAbatur interim ardenter opera propriis Synodi argumentis[a]. Lotharingus antequam verba faceret de Canone in controuersiam adducto, aiebat, velle se cunctos Episcopos præter suos audire, singulorumque sententias diligenter obseruare. Vnde oriebatur opinio, illi esse in animo, se quasi arbitrum Concilij gerere, adeoque sententiæ suæ dictionem differre, donec certus esset, mentis suæ declarationem vim quasi decisionis habituram.

[a] Habetur præsertim in scripto Vicecomitis ad Borromeum, vltimo Nouemb. 1562.

Atque

1562. Atque hanc in se persuasionem nonnulli confirmabant, ob ingentem lætitiam, quam ille præ se tulit, quòd nuntiaretur [b], tres alios ex Episcopis Gallicanis iam Brixiam peruenisse, quasi proximam appendicem potentiæ suæ. Semel quoque Musottus, dum nescio quid nomine Seripandi illi nuntiaret, apud ipsum reperit cunctos Præsules ac Theologos sui comitatus; & hac de causa, & propter verba quædam, à ministris Cardinalis per aliquam iactantiam dicta [c], idem Musottus non modicam suspicionem in seipso & in alios nutriebat; qui Seripando demortuo cùm in Lotharingi familiam cooptaretur, scriberetque narrationem huiusce Concilij, sæpius à nobis productam, mentem in se pronam patefacit ad deteriora facilè credenda, sicuti mos est omnium ferè aulicorum mediocris intelligentiæ, existimantium idcircò se acutiores haberi, remotioresque à crassiorum hominum simplicitate. Quoniam autem misit id temporis ad Pontificem Lotharingus Bertonum, qui sibi à secretis erat, non defuerunt in ea missione, alioquin beneuolentiæ & obsequij plena, sua suspicioni alimenta [d]; cùm iactaretur, id ab illo fieri, quò à compluribus sibi Romæ intimis ea coram Bertono concrederentur arcana, quæ illi paginis committere non audebant.

b Epist. Vicecomitis ad Borromæum, eodem die.

c Variæ litteræ per eos dies Vicecomitis & Gualterij.

d Scriptum Vicecomitis iam citatum.

Multò deterior opinio Tridenti erat, & Romæ spargebatur, de Lansaco [e]; qui de ea edoctus ab Insulano, acceptoque ab eodem vel exemplari eorum, quæ de ipso ad Borromæum scripserat Simonetta, acriter conquestus est apud Gualterium, cùm hic litteras Pontificias reddidit: sed de cetero præstitum sibi officium, & cum officio sequestrum alacri animo accepit; cùm verò ad rei periclitationem ventum est, nequaquam ita fœdum vultum præ se tulit, vt in imagine fuerat expictum.

e Litteræ Gualterij ad Borromæum, 26. Nouembris 1562.

Hisce insimulationibus par Galli reddebant. Etenim Insulanus ipse auersum à Gualterio animum gerens [f], scripsit ad Lotharingum, vt ab eo sibi caueret tamquam ab inimico, qui studuerat Lotharingum quasi hæreticum Pontifici describere. Sed Cardinalis in consuetudine cum Gualterio captus peculiaribus ingenuitatis characteribus, qui ferè semper persuadent, & ferè numquam decipiunt, epistolæ fidem non habuit, sed eam cum Gualterio communicauit (periculum sinistris narrationibus admodum frequens) ac posteà in responsione argumenta omnino contrariæ persuasionis edidit. Cum hisce priuatis de Gualterio significationibus, publicas de causa sociabat: auditâ siquidem in primis conuentibus prolixitate ac superfluitate, quâ illa de septimo Canone controuersia agitabatur, rem

f Litteræ Gualterij ad Borrom. vltimo Nouembris 1562.

rem coram omnibus improbauit[g]: nihil tunc Dei obsequio conducere altercationes in eiusmodi quæstionibus, quàm periculosis tam infructuosis: in Cæsaris mensa voces ea de re institutas, vituperationem offensionemque sonantes; quanto maiorem offensionem futuram, si huiusmodi litis exitus persuaderet, ea per animi perturbationem, vtilitatisque cupiditatem fuisse peracta? Adiecit subridens, se minimè consentire, vt sibi præterita prorogatio assignaretur, nec velle suum illi nomen subscribere, cùm animaduerteret, rem tam lentè procedere, & adhuc tam procul à meta. 1562.

g Litteræ Gualterij & Legatorum ad Borromæum, 27 & vltimo Nouembris 1562.

4 Nec[h] cessabant Hispanienses ministri omnem industriam adhibere, quâ suos Præsules retraherent ab eo impetu controuersiarum, haud tempori congruentium, & quæ aut efficere, aut significare possent parum coniunctionis inter Caput & membra Ecclesiæ Catholicæ: cumque compertum esset, communibus responsis semper propitiis peculiaria facta minimè respondere, credidit Piscarius, id fortassis euenire ex debili Pagnani, qui sibi à secretis erat, auctoritate. Proinde postremis Pontificis petitionibus, quas diximus, inflammatus, voluit pro eo quod per suam responsionem indicauerat, eam corroborare, misso ad id Senatore Molineo. Sed vbi dissimilis opinio in æmulationem abiit, & appetendi facultas intelligendi facultatem sibi mancipauit, nemo sufficit è sequestris, cùm suscepta semel causa, Dei causa nominetur & censeatur: præterquàm quòd sibi persuaserant Hispani, eum esse ministrorum sensum, regali nomine velut extimè inauratum, aut certè Regem haud progressurum vltra moderatas cohortationes, quæ vti carent metus acumine, ita calcar hebes euadunt. Et quædam res accidit, quæ illorum Præsulum animum vehementer exacerbauit, simulque Lotharingo stomachum mouit, eorum vitio, qui, sicut ad Borromæum Gualterus scripsit[i], se vnicos Pontificiæ auctoritatis propugnatores ostentantes, ad eam oppugnandam alios prouocabant.

h Litteræ Vicecomitis ad Borrom. 27. & vltimo Nouembris 1562.

i 5. Decembris 1562.

k Præter Acta Arcis Æliæ, epistola Oratoris Florentini ad Ducem, 3. Decembris; & Legatorum ac Vicecomitis ad Borromeum, prima 2. altera 3. Decembris 1562. & Iadrensis ad Cornelium, & Fuscararij ad Moronum etiam 3. Decemb.

5 Kalendis Decembris[k] Melchior Auosmedianus Episcopus Guadicensis sententiam suam exponens de Canonis propositi verbis, vbi habebatur, Episcopos à Romano Pontifice vocari in partem sollicitudinis, & ab eo assumptos esse veros Episcopos, obiecit; Laxiorem minusque limitatam dictionem adhibendam esse, propterea quòd si quis secundùm Apostolorum Nicenæque Synodi Canones eligeretur, verus Episcopus euadebat, tametsi à Romano Pontifice non assumptus; quando iidem Canones dicunt illum esse initiandum consecrandumque à Metropolitano, nullâ factâ Romani Pontificis mentione: nec eam consuetudinem in Ecclesia vniuer-

1562. vniuersalem videri, vt summus Pontifex eligat; Chrysostomum, Nicolaum, Ambrosium, Augustinum, & alios fuisse quidem Episcopos, à Romano Pontifice non electos: quin etiam ab Archiepiscopo Salisburgensi quatuor Suffraganeos suos Episcopos creari, nihil in eo auctoritatis exercente Romano Pontifice. Ad hæc Simonetta, ne opinio illa radices ageret, ipsum placidè interpellauit, monuitque, id fieri à Salisburgensi ex auctoritate ac priuilegio Pontificio. Cùm autem Auosmedianus rogaret, vt sibi sermonem prosequi concederetur ad suam sententiam exponendam, quidam studio siue immoderato siue affectato conclamarunt, *Dimittatur:* alij in vocem *Anathema*, & consimiles contumelias proruperunt; alij conati sunt aut pedum suppulsione aut sibilo eum impedire. Connumeratos inter ardentiores comperio Thomam Caselium Episcopum Cauensem, Ægidium Falcettam, qui nondum Caurlensem Episcopatum reliquerat, &, quod mirabilius est ex viri dignitate, Ioannem Triuisianum Venetiarum Patriarcham. Verùm id quod omnes transiliit immoderationis imprudentiæque fines, fuit culpæ dilatatio ab vno capite ad integram nationem; vnde pro vno capite lacessita est tamquam aduersaria integra natio: siquidem fuit qui dixit, *Plus molestiæ nobis infertur ab istis Hispanis qui Catholicos agunt, quàm ab ipsis hæreticis.* Tum iracundè Hispani: *Hæretici estis vos.* In tam graui perturbatione vix impetrarunt Legati, vt permitteretur Auosmediano sermonem prosequi; quem appositè prosecutus, cunctorum quæ dixerat sanam sententiam explicauit: Quamquam opus non sit, vt omnes Episcopi nominatim à Pontifice assumantur, omnes tamen Episcopos adstringi ad Romanum Pontificem tamquam supremum colendum: esse in eo plenitudinem iurisdictionis; sed vsum ac materiam, quam ille Episcopis destinabat, non posse absque iusta & rationi consentanea causa ipsis auferri: declarandum planè esse, Episcopos iure Diuino superiores esse meris Presbyteris. Dein admirationem ostendit, ob tragædiam in sua dicta excitatam: ferendam non esse sententiam in id quod integrè auditum non est: si quis eas voces audiret, *Non est Deus*; nec illis adnexas audiret, *dixit insipiens*, posset blasphemiæ Psaltem damnare. Ita contigisse illis Patribus in ipso damnando, quod commissuri non fuissent, si priùs ipsius mentem plenè percepissent. Illud certè ad sui comprobationem sibi non deesse, quòd ter Synodo interfuerit sub Paulo, Iulio, & Pio, tunc Doctorem conditione, nunc Episcopum dignitate. Sic ille locutus est, & fidenter vt innocens, & modestè vt subditus, adeoque iudicia simul affectionesque sibi conciliauit.

Lotha-

6 Lotharingus excepto tam incondito fragore, dixit submissâ voce[l], à paucis auditâ, sed turbato vultu, à cunctis conspecto, *Hæc agendi ratio recta non est, nec eam in animum induxissem.* Posteà verò cùm eumdem adiissent Vicecomes, & Vercellensis Antistes, dum ille ea de re loquebatur coram illis, & fortasse de industria, dixit: *Si quid huiusmodi Gallo cuipiam accidisset, actutum ego ab hoc conuentu ad Synodum liberiorem prouocassem. Vbi verò licentiæ non consulatur, omnes in Galliam reuertemur.* Ingens sanè insolentia fuit. Dum hæc diceret, adspiciens, aut simulans tunc planè à se conspici duos quos nominauimus Episcopos, sermonem præcidit. Significauit pariter in aliis colloquiis, si quid huiusmodi ampliùs accideret, aliquid de peculiari nationis Synodo cogitandum. Absurdum sibi videri, adeò dominari nimiam animorum affectionem, vt Patres Concilij hæresim appellarent id quod hæresis non erat. Si animo recoluissent, quàm maturè antiqui Patres cuncta expendebant, antequam nomen cuiuspiam percellerent horrificâ illâ voce *Anathema*, eam tam leuiter prolaturos non fuisse in tam honestum Antistitem. Sed absurdissimum posteà sibi accidere, vt pro vno, etiamsi fuisset hæreticus, ausi essent vniuersam nationem tam amplam & honoratam calumniis impetere. Quocircà statuit apud se, grauem commonitionem de facinore tam indecoro in proximè futuro cœtu ad Patres habere: quod subodorati Præsides, operâ Gualterij conati sunt illum ab eo consilio blandè prudenterque dimouere, suæ ipsorum auctoritatis solliciti, ad quos vnicè id muneris spectare videbatur. 1562.

l Acta Paleotti, & narratio Oratoris Veneti.

7 Porrò ne ipsi admissæ culpæ negligentiam præ se ferrent[m], postridie in conuentu Mantuanus dixit[n]: Cùm præscribendus esset futuræ Sessioni dies antequam octauus ex Decreto effluxisset, proponi à se decimum septimum Decembris statuendum; & quò celeriùs quæ opus erant pararentur, quotidianos cœtus esse congeminandos (id Lotharingus postulârat[o], & idoneum erat ad extinguendam affectatæ dilationis famam) quod si nihilominùs eo die paratum non esset quidquid in anteacta Sessione destinatum, posteaque in conuentibus propositum fuerat, stabilirentur certè quàm possent plurima: verùm quamcumque Præsidum solertiam irritam fore, nisi Patres suam operam contulissent. Eapropter se illos hortari ac rogare per summam efficaciam ad consilium Ecclesiastæ custodiendum: *In multitudine Presbyterorum noli esse loquax.* Quod ab ipsis præstitum iri, si studerent sententias breuiter ac pacatè dicere, amputatis digressionibus, rebusque, quæ iam ab aliis expensæ fuerant,

m Epist. ad Borromæum, 3. Decembris 1562.

n Eius verba extant in Diario 2 Decembr. & fusiùs in Actis Arcis Æliæ.

o Litteræ Gualterij ad Borrom. 29. Nouembris 1562.

1562. non iteratis; simul etiam, si singuli charitatem ac reuerentiam collegæ, non iram ac fel aduersarij præ se ferrent. Cauerent præcipuè à tumultu ac indignitate diei præteritæ; aliter abituros è conuentu Legatos, ne tam incompositas actiones coràm tolerarent ipsi, qui Pontificis personam gerebant, præter reuerentiam debitam duobus præstantissimis Cardinalibus, Oratoribus, quos complures potentissimi Principes legarant, & tot sanctissimis Patribus.

Lotharingus, qui primus reliquorum omnium sententiam dicebat, iis quæ proposita fuerant in cunctis partibus assensus est; & quasi laudaturus postrema dicta Mantuani, sibi aditum aperuit ad modestè grauiterque castigandum tumultum excitatum, eosque potissimùm, qui protulerunt in Guadicensem *Anathema: comburatur: hæreticus est.* Ea verba digna non esse, quæ in eo consessu tam leuiter pronuntiarentur: atque ad id subdidit, sibi non probari quod denuntiatum fuerat quasi ad corrigendas in posterum eiusmodi noxas, nimirum discessum Legatorum è conuentu; id non cessurum in pœnam, sed in præmium audaciorum, qui si tantum audebant coram Legatis, in quam audaciam prolapsuri essent hoc fræno soluti? aptiorem animaduersionem excogitandam esse in eum, qui tam venerandum auditorium tam modicè venerabatur.

Lotharingi verba nihil displicuere Legatis; quippe quæ neminem peculiariter obiurgabant, dicebanturque non quasi ab eo, qui sibi capitis auctoritatem arrogaret, sed qui sua capitis dicto conformaret; & supra centum ex Patribus Lotharingi sensa commendarunt. Sed Caselius, qui intelligebat, eam obiurgationem generatim dictam magna ex parte in se cadere, cùm dicendi locum habuit, haud se continuit, quò minùs quædam interseret extra thema, & extra prudentiam, adeò vt à Legatis & Vicecomite apud Borromæum arrogantiæ titulo notata fuerint, vtpote in Lotharingum directa. Videlicet, vnum ex Legatis auditum à se fuisse; ipsis, non aliis se obtemperare debere: si vellent Hispani aliorum dictis non peti, causam ab illis præbendam non esse, hæreses proferendo. Quidquid pridie pronuntiarat de Guadicensis sermone, rectè fuisse pronuntiatum, seque præstò esse ad id tuendum & in cœtu & extra cœtum. Quæ verba cunctis molestiam crearunt, planeque effecerunt, vt Caselius deteriorem vniuersè de se opinionem exciuerit ex defensione quàm ex culpa. Gualterio tamen, qui auctor fuerat Lotharingo, ne sibi infensas correctoris partes assumeret [p], visus est ille aliquantulum fuisse transgressus. Quare cùm reprehensio suopte ingenio acerba sit, & ægrè patiantur homines in huiusmodi odioso munere

[p] Arcanæ notæ Gualterij ad Borromæum, 3. Decemb. 1562.

munere plures superiores, quàm quos sibi leges imponunt, existimauit commodè actum cum Lotharingo, quòd eo die acutioris acrimoniæ dicta non exceperit. 1562.

10 In destinando Sessionis die sententiæ variarunt, cùm videretur compluribus [q], plus spatij concedendum, aliud aliis designantibus: sed centum viginti nouem diei proposito consensere.

[q] Diarium, 2. Decembr. 1562.

11 Vix vnâ commotione præteritâ, altera excitata est, & in alterum Hispanum, in posteræ diei conuentu. [r] Iacobus Gibertus à Noguera Episcopus Alifanus de re proposita differens, cœpit ostendere, Episcopos etiam post mortem Redemptoris non fuisse electos, institutos & vocatos à Petro, sed à Christo, sicuti Mathiam ac Barnabam, ideoque Petrum dixisse Domino: *Ostende quem elegeris:* & affirmari à Chrysostomo, Petrum in ea electione sententiam à Deo latam pronuntiasse: huiusmodi electionem fuisse habitam per actionem exteriorem ab Apostolis, dum Spiritus Sanctus dixit: *Segregate mihi*, &c. Seiunctionem igitur, & consecrationem apud homines manere; sed potestatis collationem esse Christi opus, itidem ac collationem efficaciæ Sacramentis. Sed ab Osio correctus est, cùm Mantuanus & Seripandus abessent: Huiusmodi dissertationes nec conferre argumento, nec ad ædificationem, sed ad destructionem valere; nec Episcopos decere de supremo ipsorum Principe quæstionem agitare. Controuersiam cum hæreticis esse, an Episcopi electi à Romano Pontifice veri essent Episcopi, & à Christo instituti; & tamen quosdam illic audiri, qui è contrario affirmare auderent, Posse creari Episcopos quos Pontifex non assumpsisset. Idcircò ne mirarentur, si nonnumquam dum sententias dicerent, interpellarentur, quando rei propositæ, prout par erat, hæc minimè respondebat. Sed Alifanus reposuit, dum iurisdictio Episcoporum expendebatur, opus esse de Pontificia quoque differere. Cùm Granatensis ad Alifanum defendendum assurgeret, & ex altera parte Caselius, quasi à Granatensi perstrictus: iam contentio & dilatabatur & inflammabatur. Tum Simonetta nutu Caselium monuit vt taceret; & ita reliqui, quibus ille obloquebatur, pariter conticuere; datusque locus est Alifano prosequendi sermonis, quamquam non deessent qui studerent ipsum impedire. Postquam is loquendi finem fecit, iterum Osius, comprobante Lotharingo illi proximo, dixit: Se quidem existimare, cuncta in ea sacrosancta Synodo recto Religionis studio proferri, sed veram controuersiam inter Catholicos & hæreticos in eo solùm sitam esse, admittendi necne essent tamquam Episcopi legitimi, ij qui à summo Pontifice eligerentur; à qua controuersia

[r] Epistola Legatorum & Vicecomitis ad Borromæum, 3. & 6. Decembris; & Iadrensis, ac Fuscararij ad Cornelium, & Moronum, 3. Decemb. 1562.

1562. alienas omnino esse disputationes illas, Num etiam legitimi Episcopi absque huiusce modi electione esse possent: quin dum hoc affirmabatur, adiuuari potiùs aduersarios quàm impugnari. Sed Alifanus ex aduerso redordiri contentionem voluit; idcircò Simonetta illum & insolentem appellauit, &, vt tandem locum aliis dicendi relinqueret, monuit. Quod cùm videretur meritò pronuntiatum in contentiosam hominis peruicaciam, nec vniuersè Patres offendit, quasi libertatis violatio, nec peculiariter Hispanos, quasi nationis iniuria.

Duo per eos dies ibi vulgata sunt [r] ingentis momenti Rebus publicis, tum politicis tum sacris. Alterum, electum fuisse Regem Romanorum Maximilianum Bohemiæ Regem, primum Ferdinandi filium, Francofurti 24. Nouembris, eiusque parentem piâ constantiâ se gessisse, denegatis conditionibus hæresi fauentibus, quas tres illius sectæ Septemuiri tamquam remunerationem flagitabant. Ad hosce nuntios Madruccius Cardinalis, Episcopus ac Princeps Tridentinus, & Beneficiarius Ferdinandi [t], dies festos illicò celebrauit: Legati verò pronis erant animis ad idem agendum nomine Synodi solemni gratiarum sacrificio, & publicâ laudatione, cùm Imperatorium Sceptrum collocatum fuisset in Principe Catholico, & ex familia vsque adeò benemerita de Religione; sed aliqua ipsis supererat dubitatio, fortasse ob exceptionem, quam Pontifices aliàs iure Maximiliano obiecerant; quamquam ab eo deleta videretur antiqua nota in hoc ipso conuentu: nam interrogatus à Protestantibus de rebus sinceritati Fidei Catholicæ repugnantibus responderat, Sibi certum esse in ea Fide viuere ac mori [u]. Quod à Suaui animaduersum, non tamen eius ingenio styloque congruit, vt in minuta reliquarum conditionum narratione voluerit eius meminisse. Super eo itaque scripserunt ad Borromæum Legati, sed retentâ sibi facultate rei perficiendæ, responso non expectato: atque ita reipsa peregerunt, rati, perinde fore diu rem retardare, ac illam diu negare, adeoque flores iam aridos à se posteà oblatum iri. Itaque octauo Decembris die, Conceptæ Virgini sacro, congeminatâ lætitiâ ex nuntiis peractæ coronationis, ea celebritas habita est. Sacrificium obtulit Muglitius Archiepiscopus Pragensis, Orator Cæsareus; latinam panegyrim dixit Sbardellatus: adfuere sex Cardinales, Oratores Principum, & omnes Synodi Patres. Cardinales, Oratores, & complures ex Patribus conuiuio excepti sunt per consuetum magnificæ lætitiæ officium, Cæsaris nomine, ab Archiepiscopo celebrante. Interim considerans Pontifex, Legatos sibi reseruare, ac quodammodo se parare ad ea publicæ gratulationis argumenta,

[s] Diarium 8. & litteræ Legatorum ad Borromæum, 3. Decembris 1562.

[t] Diarum, Kalendis Decembris.

[u] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 10. Decembris 1562.

gumenta, reſcripſit[x], Videri ſibi, antequam eiuſmodi celebritas in Concilio ageretur, exemplum ſuum expectandum eſſe: nec velle ſe quidquam mouere, donec à Cæſare ac filio debiti rei peractæ nuntij ad ſe deferrentur, ſimulque petitiones vt multa ſupplerentur de iure ac de facto, quæ ad efficaciam illius electionis deſiderabantur. Sed triduo pòſt nouum conſilium ſuſcepit[y], cùm ad ipſum peruenisſet tamquam à Maximiliano miſſus Ioannes Manriquius, certâ fide pollicitus, eum Regem cuncta probi Catholicique Principis officia præſtiturum. Quare comprobato Præſidum conſilio, ſi peractum eſſet, præbitoque illi conſenſu, ſi adhuc penderet, ipſis iniunxit, vt præcedentem ſuam repugnantiam omnino celarent. Sed ſuper hoc Maximiliani negotio nobis oportebit non ſemel calamum adhibere. 1562.

[x] Litteræ Borromæi ad Legatos, 12. Decembris 1562.

[y] Litteræ eiuſdem ad eoſdem, 15 Decembris 1562.

13 Alterum id temporis nuntiatum Tridenti, fuit obitus Antonij Borbonij, Vandomi Principis, & ob vxoris iura Nauarræ Regis renuntiati. Fauerat ille hugonottis, ſicut alibi demoſtrauimus: poſteà cùm animaduerteret, ſe hac viâ non modò ad ſperatam amplitudinem non aſcendere, quin potiùs obſtare ſibi, ne à Philippo Rege regnum aut reſtitueretur aut compenſaretur, cœpit pedetentim gradum referre; ita tamen ſe gerebat, vt nolens diſplicere Ioannæ vxori, ingenio magis quàm ipſe virili, fratrique Ludouico Condeo Principi, qui natu minor, ſed ſpiritu maior ac peior erat, haberetur potiùs hugonottus non ſincerus, quàm ſincerus Catholicus. Idcircò recuſauerat poſtremò Hiſpanus Rex Antonij Nuntium priùs excipere, quàm cerneret in Gallia res meliùs ſe habentes: & cum Oratore Gallico diſcedendi veniam petente conqueſtus fuerat, Regem pupillum obſideri ab hominibus, qui ſtuderent illum educare in Proteſtantium religione, orbemque terrarum peruertere; ſimul etiam denuntiauerat, niſi meliora inirentur conſilia, ſe rebus conſulturum, primo loco iis implicatis, qui nitebantur alios implicare. At verò Antonius Rex viſus eſt paulatim, conſiliis Ferrarienſis Cardinalis, aliorumque Catholicorum optimatum ad ingenij ſui probitatem reuocatus, magis ſemper in animum reuocaſſe amorem veteris Religionis, à qua credebatur anteà potiùs alienatus operâ per rationes pſeudopoliticorum, quàm fide per argumenta hæreticorum; adeò vt in rebellantes hugonottos copias tandem eduxerit, & fiſtulæ tormentariæ glande vulneratus ad Rothomagum, poſt morbum diuturnum occubuerit illius ignis iniuriâ, quem ipſe ſuccenderat. Antonio demortuo, regiæ tutelæ iura deuenerant ad Carolum Cardinalem Borbonium illius fratrem, virum pacati ac pij, ſed non

1562. non ingentis animi, aptioriſque vt regeretur, quàm ad regendum idonei; ex quo in nonnullis orta eſt opinio, Lotharingum in Gal-
liam reuerſurum[z], quòd adminiſtrationis lora ſuis impoſita manibus ſperaret. Hic, quippe affinis defuncti Regis, ſe abſtinuit à collo-
quio, quod ab ipſo Legati paulò antè petierant[a] eo die, quo peruenerat tabellarius; & die poſtero officia eius vicem dolentium ab ipſis accepit. Verba fecere de iis, quæ poſſet Pontifex impendere in ſalutem regij filij hæretici, qui ſeptimum ætatis annum compleuerat, matris & magiſtri hugonotti operâ in religione peſſimè nutritus. Verùm Lotharingus re diu perpensâ cenſuit, peculiaria poſtulata id temporis tentanda non eſſe. Quamobrem Legati id conſilij dedere Pontifici, vt ipſe rei procurationem commendaret Ferrariæ Cardinali; qui tametſi anteà reditum adornarat, putabatur tamen caſus illius causâ ſubſtiturus, diſcreturuſque eas opportunitates, quæ vt benè diſpiciantur, opus habent oculo non ſolùm acuto, ſed propinquo; cùm humana mens erga res quaſdam ſe habeat ſicuti guſtus erga ſapores, qui quantumuis acuminis habeat, eos non percipit, niſi tangat.

z Litteræ Gualterij ad Borromæum, 6 Decembris 1562.

a Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6. & 7. Decemb. 1562.

CAPVT VI.

Lotharingi oratio; & noua Canonum forma ab eo propoſita. Reliquorum Gallorum ſententiæ. Varia opinamenta de altera propoſitione Lotharingi.

PRidie quàm mors Antonij nuntiaretur, Lotharingus ex improuiſo[a] ſententiam ſuam expoſuit, nondum auditis cunctis aliarum nationum Patribus, ſicut anteà in animo habuerat. Sed præuertere voluit, propterea quòd expertus fuerat, per eam hiemem ſe identidem ita opprimi pituitâ, vt raucus euaderet; idcircò cùm ſe liberum ſenſit, noluit vſuram vocis diutiùs retardare. Per eos dies familiariter is egerat cum Seripando[b], idque Gualterij ſolertiâ; qui cùm ſciret, huic Legato tribui à Lotharingo multo amplius quàm reliquis omnibus in Theologica doctrina, ſicuti ceterò quin in amore ac reuerentia præ cunctis Mantuanum haberi; ſperauerat à Seripando, ſubductis ab illius animo quibuſdam principiis & argumentis, quæ idem in ſcholis hauſerat, eum facilè ad ſuas partes adductum iri, quippe voluntate propenſum, & ſcientiâ inferiorem. Maximè verò, quia illius Principis mens, vt quidam opinabantur, ſpecioſior erat quàm robuſta; in rebus intelligendis clara,

a Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6 Decembr. & Fuſcararij ad Moronum, 7. Decemb. 1562.

b Litteræ Gualterij ad Borromæum, 3. Decembris 1562.

clara, in explicandis facunda, in percurrendis expedita; quæ dotes inter sanguinis fortunæque splendores, & velut incantationibus gratiæ ac ingenuitatis, conciliant possessori existimationem admirationemque præcelsæ doctrinæ, partim ab hominum mediocritate, partim à beneuolentia, partim ab adulatione. Sed, prout affirmabant alij, si quis sciret velletque veram celsitatem metiri, breue spatium inter superficiem ac fundum nactus, animaduerteret, à delicata Principis educatione, & non otiosa gratiosi conditione permissam illi non fuisse eam exercitationis studiique assiduitatem, sine qua in sapientiæ disciplinis licet cuipiam magistrum agere, numquam tamen esse magistrum. 1562.

2 Duabus planè horis expletis, ingentem illam gloriam consecutus est in eo genere præstantiæ, quæ est videri minorem, nimirum minùs prolixum quàm reipsa fuit. Magnificè, eloquenter, eruditè disseruit, atque per hanc sententiam exorsus est[c]: Nihil expendi potuisse à Patribus Christianæ Religioni conuenientius, quàm Ordinis Sacramentum; frustrà laboraturos fuisse in rebus sacris decernendis, vbi dubitari posset quis esset legitimus Sacramentorum minister. Cauendum primo loco, ne fur aut latro intraret in ouile Christi, qua de causa tot in Ecclesia perturbationes cernebantur: præcipuum quidem sibi futurum in votis, nequid, dum agebatur de Ordine, inordinatè committeretur.

In doctrinæ capitibus improbauit primum, quo dicebatur, in omni lege Sacerdotes cum sacrificiis fuisse coniunctos, cùm de eo haud plenè constaret; quandoquidem in lege naturæ cuncti primo loco geniti Sacerdotes erant, cuiusmodi fuit Esau, ex epistola Pauli ad Hebræos, vbi accusatur, quòd primogenita vendidisset: id enim actio profana non fuisset, nisi ius Sacerdotij complecteretur; & tamen non omnes primigenæ sacrificabant. Obseruauit pariter (idemque obseruarat Antonius Augustinus) vocem illic positam, *Seruator*, quam elegantem magis, minusque significantem quàm par esset arbitrabatur, nec vsurpatam ab antiquis Patribus in sensu *Saluatoris*[d]: Ecclesiam quasi pudicam matronam esse, quæ reiicit nimis exquisitas munditias, veluti ornamenta meretricum.

Censuit præterea, in tertio capite, vbi agebatur de rebus Ordinis Sacramento necessariis, nominandas non esse materiam & formam; non quòd hæ non adsint, sed quia huius Sacramenti materia facilè decerni non possit. Cupiit ex altera parte, vt fieret mentio de manuum impositione, vtpote tam frequenter in veteri Testamento, & in nouo frequentiùs commemorata. In quibus om-

[c] Cuncta extant in Actis Palearti, & Arcis Æ ix.

[d] De discrimine inter *Saluatorem*, & *Seruatorem*, consuli potest Manutius in quartam Verrinam, & Iulius Niger in suis Asceticis in 3. parte de titulo.

1562. nibus eius sententia placuit; quamquam in postrema, ne definiretur impositionem manuum esse partem Sacramenti, delecta sunt vocabula magis vniuersalia *vocum & signorum*, tamquam partium componentium, quæ sint necessariæ sacræ ordinationi, non tamen silentio præteritâ manuum impositione, quin allatis in Decreto verbis Pauli ad Timotheum[c]: *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

[c] In 2.ad Timoth.cap.1.

Ad præcipuam quæstionem accedens, ex opportunitate eorum; quæ habebantur in capite quinto, dixit, Placere sibi apertam rei declarationem, quò ambiguitas omnis tum Catholicis tum hæreticis auferretur de Concilij sententia: non quidem sibi probari particulam illam, *ex Iure Diuino*, quippe causam multis contentionibus in Ecclesia futuram. Controuersiæ non subiici, potestatem Ordinis in Episcopis esse proximè à Deo, cùm habeatur in Scriptura, dum Ordo confertur, *Accipite Spiritum Sanctum*, qui nonnisi à Deo dari potest. Simul etiam in vniuersa Ecclesia potestatem iurisdictionis esse à Deo: etenim Ecclesia facultatem non habet efficiendi ne regatur à Romano Pontifice, & ab Episcopis, neque constituendi sibi Aristocratiam, aut Democratiam; sed regi necesse est per Monarchiam à Pontifice vniuersali, & ab Episcopis peculiaribus: id autem originem ducere proximè ab ipso Deo. Præterea in quouis Episcopo eam partem iurisdictionis, quæ naturam excedit, originem à Deo trahere absque vllo interposito, cùm id quod supra naturam est, effici non possit ab hominibus; atque huiusmodi esse iurisdictionem absoluendi peccata. Sed non propterea exæquari potestatem Episcoporum Pontificiæ potestati. Nihil ita firmiter propugnandum id temporis sicut Vnitatem & Primatum Apostolicæ Sedis, dum cunctæ aduersariorum phalanges ad huius arcis euersionem conspirabant: complures enumerari eorum sectas, Lutheranos, Caluinistas, Zuinglianos, Anabaptistas, & alias; sed omnes conuenire vnanimes in hoc fastigio percellendo: atque id significari ab Euangelica parabola fortis armati, suæ domus atriam custodientis. Ex eo quòd Episcoporum iurisdictio sit proximè à Deo, in Ecclesia nihil detrahi Pontificis auctoritati, pro eo ac obseruabat in suo volumine Polus Cardinalis: soli namque Pontifici datum est eam exercere in quocumque alio, idque vocando, assumendo, deponendo, mittendo; ita vt nemo assumatur, ac mittatur à Deo, nisi per ipsum Pontificem; idque ab eodem Polo idoneis exemplis illic illustratum apparere. Idcircò quoties audiebatur, in remotis Prouinciis quempiam ad Episcopatum assumi à Metropolitano, semper

semper intelligendum esse id fieri aut ex Apostolorum Constitutione, aut ex Decreto legitimæ Synodi, aut ex summorum Pontificum priuilegio, adeò vt adesset vel expressa vel tacita Romanæ Sedis auctoritas; aliter enim rationem capitis destructum iri: verum id conspici in cunctis Episcopis, præter Apostolos, qui à Christo per se electi fuerunt. Quod autem obiectabatur ex verbis Pauli, *Ego nec ab homine, nec per hominem*, valere potiùs ad rem propositam comprobandam; siquidem dum ille dicit quasi suum peculiare priuilegium, *nec per hominem*, insinuat, reliquos vocari per interpositum hominem, hoc est, per summum Pontificem: quare à Deo vtique iurisdictionem prouenire, sed exerceri in subiecta materia aliis à Pontifice destinata, quam idem auferre potest, aut minuere. Quòd verò huiusmodi potestas ab Ordine non oriatur, liquidò patere: ac primò quidem, quia Sede vacante ab Ecclesiasticorum Collegio potestas exercetur, & anathemata vibrantur: secundò, quia non posset hæc, si verum id esset, transferri in Vicarium, qui sacris Episcopi Ordinibus initiatus non est: tertiò, quia licitum non esset ab Episcopo ad Archiepiscopum prouocare, cùm gradus & prærogatiua Archiepiscoporum humani iuris merè sit. Hanc igitur iurisdictionem plenè penes Pontificem esse, cui liberum est eam moderari, dummodò id præstet ex Apostoli effato, *in ædificationem, non in destructionem*. Huiusmodi tamen disputationes, quippe infinitas, prætermittendas esse, solumque declarandum id quòd attinet ad veros ministros Ecclesiasticos constituendos. 1562.

4 E Decretis doctrinæ transgressus ad Canones, dixit: Haud probari sibi in sexto vocem tunc appositam, *Sacer Principatus*, retentâ solum voce *Hierarchia*, quæ tametsi idem valeat, modestiùs tamen sonat, & priùs Græcè à S. Dionysio adhibita, posteà ab Ecclesia Latina vsurpata est. Denique hanc nouam septimi Canonis formam proposuit, de qua priùs priuatum sermonem habuerat cum Legatis: *Anathema, si quis dixerit, Episcopos non fuisse à Christo institutos in Ecclesia, aut ex sacra ordinatione Presbyteris maiores non esse.*

Præter breuem hunc Canonem duos expendendos protulit ampliores (f sed non in eo cœtu, quantum comperio) quò definiretur tamquam à Deo constituta hinc Episcoporum eminentia, hinc summi Pontificis prærogatiua. Prior damnabat eum qui diceret, *Episcopos non esse à Christo institutos in Ecclesia, aut ex ipsorum ordinatione non esse maiores Presbyteris; aut ordinandi potestatem non habere; aut si habent, eam communem Presbyteris habere; aut Ordines ab illis collatos absque consensu & vocatione populi, irritos esse.* Alter, eum qui

f Citata Fuscararij epistola, & Acta Paleotti.

1562. diceret, *Petrum ex institutione Christi primum inter Apostolos non fuisse, summumq; ipsius Vicarium; nec necesse esse in Ecclesia vnum esse supremum Pontificem, Petri successorem, eiq; parem in auctoritate regendi, atque in Romana Sede eius successores ad hoc vsque tempus non habuisse ius Primatus in Ecclesia.*

Posteà reliqui Galli sententiam dixerunt, & eorum complures simplici voce cum Cardinali consenserunt: alij tamen propensionem animi præ se tulerunt in Hispanorum opinionem. Præcipuè verò Franciscus Beauquer, seu Belcarius, Metensis Antistes, auctor celebris Historiæ sæpiùs à nobis laudatæ, dixit: Multos in Romano Pontifice auctoritatem ex imperio metiri; & sicuti Christianus orbis immensus erat, ita censebant summi Pontificis auctoritatem immensam, adeò vt Episcopos assumeret in partem sollicitudinis, eisque functionem quasi accommodatam aut precariam concederet. Contrariè se prorsus opinari; quando Episcopi successerant Apostolis, qui à Christo vocati fuerant, & Mathias sorte, hoc est Diuinâ voluntate, assumptus: ab Episcopis igitur munus proprium, non à Pontifice delegatum obtineri. De illa voce, in qua complures nitebantur, *Plenitudo potestatis*, à se dici, perinde ac loquebatur Chrysostomus de plenitudine gratiæ intelligendam esse, aliam fuisse huiusmodi plenitudinem in Christo, aliam in Virgine, aliam in Apostolis, aliam in aliis Sanctis, pro varietate recipientium; ita pariter plenitudinem potestatis etiam in summo Pontifice suis esse cancellis limitatam. Sed hac in re plurimùm ille cancellos transgressus est.

Fama erat, hunc Episcopum Lotharingi magistrum fuisse[g]: & sanè intimam cum eo familiaritatem exercebat, atque eius operâ nobilem illam Sedem acceperat. Vnde suspicio fuit, eos concorditer se gessisse, & textum à discipulo obscurè propositum, fuisse dilucidatum à magistro interpretationis suæ claritate. Sed Cardinalis huiusce famæ conscius, Gualterio negauit[h], se vmquam Beauqueri discipulum fuisse: eum quidem à se agnosci virum maximæ litteraturæ, sed minimi consilij. Nec abstinuit, quin illum castigaret coram duobus Gallis Oratoribus, & duodecim Episcopis. Dein per opportunitatem, dum colloqueretur cum Legatis[i], dixit, Posse quidem se interdum aberrare, considerationis aut peritiæ penuriâ, non item simulatione aut versutiâ, vitio nimis alieno ab honesto viro. Quo audito à Simonetta, qui huiusmodi dubitationem conceperat & aperuerat, Lotharingi manum comiter prehendit, fassusque illi est, ab Episcopi Metensis sermone suspicionem

g Acta Palcotti.

h Literæ Gualterij ad Borromæum, 7. Decembris & sequentibus 1562.

i Acta Palcotti.

nem aliquam in animo suo excitaram fuisse. Hinc verò amicitia inter eos confirmata est, cùm plurimùm valeat ad persuadendum alteri, nos illi credere, si fateamur priùs non credidisse. Itali ferè omnes sententiam Pontifici maximè fauentem propugnarunt. 1562.

Postremus omnium de more opinionem suam explicauit Lainius, qui tametsi diebus præteritis abundè ea de re fuisset locutus, sicuti iam narrauimus, tamen nouæ formæ causâ pro reliquorum consuetudine quædam repetiit[k]: Futurum fuisse munus Concilij hæreticos damnare, moresque corrigere, eorum quæstionibus scholæ relictis; verumtamen quando sic ab aliis fiebat, à se quoque sententiam suam de proposita controuersia prolatum iri. Cœpit à definitione, à qua ducit initium scientia in rerum natura inuestiganda; affirmauitque, Potestatem Ecclesiasticæ iurisdictionis esse certam quamdam præfecturam vnius Clerici supra alios, quò eos dirigat ad æternam vitam ex Diuinis mandatis; & idcircò tam in superiori, quàm in subditis requiri conditionem Christiani, & saltem in superiori conditionem Clerici. Hoc posito, arbitrari se, hanc præfecturam oriri à summo Pontifice. Id primo loco confirmauit compluribus testimoniis, & inter cetera produxit in hanc sententiam Decretum vnum Innocentij III. alterum Lucij III. & tertium Clementis III. quod à se in Sicilia repertum hîc in conuentu recitauit. Idem fuisse firmatum à multis Patribus Concilij Basileensis in Epistola ad Eugenium. Tum ad rationes progressus, obseruauit, interdum tradi alicui materiam, iurisdictione non traditâ, cùm idem per se amplissimam obtinet potestatem: ita traditam fuisse Paulo, cùm missus est ad Gentes, & Petro cùm ad circumcisos missus est: atque ita dici posse à Pontifice fieri, cùm diœcesim aliquam adiicit Patriarchis; sed plerumque cùm Pontifex gregem tradit, simul tradi supra gregem præfecturam: si nihil aliud ille præstaret nisi destinationem materiæ, conficeretur hinc, potestatem haberi ab Episcopis aut à seipsis ex vi Ordinis, aut ab alio capite quàm à Pontifice: posterius nulli Catholicorum in mentem venire; prius falsum deprehendi. Siquidem Episcopi etiam ante consecrationem possident iurisdictionem, sicut habetur in postrema Extrauagante Clementis V. Id corroborauit vndecimo Canone Concilij Chalcedonensis, quo imperatur, vt ante consecrationem probetur, Num quispiam titulum obtineat, hoc est curam animarum, quæ cura iurisdictionem importat. Si verum esset quod aduersarij contendebant, iurisdictionem impertiri à Deo vnà cum charactere, deduxit tamquam corollarium, in cunctis æqualem futuram

[k] Acta Arcis Romanæ, & Paleotti, 9. Decembris 1562.

1562. turam sine vllo discrimine inter meros Episcopos, Metropolitas & Patriarchas, cùm omnes æquè sint consecrati; nec eam à Pontifice auferri aut coarctari posse. Tradi à supremo Pontifice hanc iurisdictionem tamquam à Dei ministro, quoniam Angeli quoque ministri Dei sunt; non tamen idcircò eum esse simplicem ministrum, sed talem, qualis fuit Ioannes in suo Baptismo, qui Ioannis Baptismus dicebatur, quòd ipse illum instituerat, quamuis ex auctoritate diuina. At verò Baptismum, quo Petrus baptizabat, non appellari Baptismum Petri, sed Christi; propterea quòd cùm in eiusmodi Baptismo remitterentur peccata, Petrus illius causa esse non poterat, nisi per merum ministerium: eapropter tradi à Pontifice iurisdictionem, iniungente ac imperante ex auctoritate, & tamquam ab Ecclesiæ Principe. Et quidem iurisdictionem, tum quæ extra ordinem est, tum ordinariam, recipi ex vi huius imperij, non autem ex vi consecrationis; aliter nemo illam acciperet à Pontifice, quippe qui neminem consecrat. Hanc esse maximè receptam doctrinam, pro qua & Theologos produxit, & repetiit firmauitque varias rationes à se allatas in sua præterita oratione. Quamquam dicatur in consecratione, *Trado tibi cathedram, trado tibi claues*, &c. intelligendum id esse eâ ratione, quâ sanctus Thomas docet recipi à Rege potestatem in consecratione siue vnctione, dum dicitur, *Accipe potestatem, accipe regnum.* Significationem verborum ad vsum spectare, hoc est, *Tibi concedo, vt possis benè vti regno.* Ita cùm dicitur Episcopo in consecratione, *Accipe Spiritum gubernandi*, significari, *Tibi concedo vt possis rectè gubernare.* Et huiusmodi morem oriri ab antiqua consuetudine, dum eodem ferè tempore creabantur & consecrabantur Episcopi. Non propterea hanc iurisdictionem in Episcopis esse delegatam; sed, sicut in Iudicibus ordinariis, ab aliquo magistratu supremo constitutis. Nonnullis tamen nullo interposito eam à Christo fuisse traditam, sicut Apostolis; sed communiter reliquis impertiri à Pontifice, non per modum meri ministerij, sed per modum mandati. Concluſit definiendum esse, Episcopos quod spectabat ad Ordinem, esse ex Iure Diuino, nullâ factâ mentione iurisdictionis, de qua complures Doctores Catholici variè opinabantur.

Ardor huiusce disputationis, præ qua videbantur quæstiones reliquæ parui esse momenti [1], multorum curiositatem ad causam exquirendam vellicabat. Rebantur alij, Præsules Hispanos eò spectare, vt hoc pacto concuterent summam prærogatiuam Inquisitoris supremi, qui erat id temporis in Hispania Archiepiscopus Hispalensis,

[1] Acta Palcotti.

sis, vir ipsis grauis & odiosus: alij, velle Transmontanos tam ple- 1562.
næ absolutæque potestati Pontificis se subducere. Sed à prudentibus id quod planius erat, vt assolet, verius putabatur, nimirum, reipsa Hispanos in ea esse sententia, quam postremò tradiderat Franciscus Victoria, Dominicanus, Theologus præstantissimus, & seminator, vt sic loquar, in Hispania Scholasticæ Theologiæ (quæ priùs parum ibi propagata, deinde mirificè floruit in illis regnis) & pro eo ac vnusquisque pronus est ad sublimiter opinandum de suo gradu, eam sententiam in Præsulum mente libenter exceptam fuisse: ex altera parte zelotypiam esse causam contentiosissimæ repugnantiæ in amantissimis Apostolicæ Sedis, & ab hac ipsa repugnantia inflammari cupidinem, & impetum augeri in fautoribus; quemadmodum videmus longè frequentius ac feruentius impendi studium aliis philosophicis disciplinis, in quibus in dubium ac certamen offenditur, quàm in mathematicis, in quibus nonnisi certum & ineluctabile reperitur.

Videbatur quibusdam litigium ad mera vocabula iam redactum, quandoquidem volebant alij, Episcoporum iurisdictionem esse proximè à Pontifice, alij, à Christo, sed ita, vt vsus ac materia penderet à Pontifice. Verùm subtiliores, seu religiosiores magnum discrimen animaduertebant, cùm affirmarent, confici ex posteriori opinione, non posse à Pontifice materiam semel à se destinatam Episcopi iurisdictioni auferri aut minui sine causa, ex celebri doctrina Abbatis Panormitani, & Decij cap. vltimo *de Confirm. vtil.* & eiusdem Abbatis in quæstione, quæ incipit, *Episcopus.* Et quamquam, aiebant illi, posità etiam sententià contrariâ, non sit fas Pontifici id agere pro sua voluntate rationi dissentanea; vbi tamen id agat, actionem esse ratam: at verò rem graui perturbationi obnoxiam fore, si huiusmodi Pontificis iussiones rationi dissonantes sicuti licitæ non sunt, ita nec essent ratæ. Et acutè hi considerabant, nihil inde detrimenti reuerà secuturum, si quod rationi consonat, aut dissonat, duo quasi colores essent, qui oculis perspicuè cernerentur; sed cùm omnia quæ spectant ad mores, opinationum varietati subiecta sint, satius esse, si Pontifex, qui plerumque pietate ac prudentiâ præditus eligi solet, & qui morsus conscientiæ honorisque persentit, possit interdum subditos obstringere imperio aliquo rationi dissentaneo, quàm si ipse, qui Princeps est, suorum subditorum iudicio vario & perturbato subditus redderetur; adeoque si quando vellet Sacerdotium aliquod in aliena Diœcesi sibi reseruare, aut Ordinarij collationem anteuertere, aut subdito cuipiam

1562. piam immunitatem à Præsulis potestate indulgere, aut Episcopum ex vna in alteram sedem transferre; liceret semper litigare de irrita iussione, obtento colore non sufficientis rationis. Huiusmodi respectus erant in causa, cur ad singulas voces multi suspiciosiùs hærerent, neque consentirent, vt definiretur, Episcopos nullo interposito esse à Christo, nisi apponeretur ad vitandam sinistram omnem interpretationem, hæc limitatio, *Quantum spectat ad Ordinis potestatem.*

Hinc factum est, vt forma à Lotharingo digesta haud plenè comprobaretur, sicut ipse considerat[m]; de quo & animo & voce conquestus est. Eam maximoperè complectebantur duo Cardinales Theologi, Seripandus & Osius: at Simonetta, cautus pro more in auctoritate Pontificis custodienda, petiit, vt ad eam operosiùs expendendam deligerentur nouem inter Theologos & Canonum Consultos: Theologi fuerunt Petrus Antonius Capuanus, Leonardus Marinus, Gaspar de Fosso, Archiepiscopi Hydruntinus, Lancianensis, & Rheginus, & Didacus Lainius Societatis Iesu Præpositus Generalis. Canonum periti fuere duo, posteà futuri Pontifices, Hugo Boncompagnus, & Ioannes Antonius Facchinettus, tunc Episcopi Vestanus & Neocastrensis, duo futuri Cardinales Gabriel Paleottus Romanæ Rotæ Duodecemuir, & Scipio Lancellottus, Synodi Aduocatus; quibus adiectus est Promotor Io. Baptista Castellius. Tribus prioribus Theologis exemplar Lotharingi placebat, non item Lainio, qui dicebat[n], à se schisma præuideri; & cum eo tandem concorditer consensere Canonum Doctores. Obiectorum summa hæc fuit.

m Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 6. Decembris 1562.

n Litteræ Gualterij ad Borromæum, 6. Decembris 1562.

Septimo Canone secundùm memoratam formam, in eo quòd declararet, Episcopos esse institutos à Christo, nihil concuti hæreticos; quod Synodus intendebat. Id enim ipsi non inficiabantur; sed dicebant, Episcopos assumptos à Romano Pontifice, non esse veros ac legitimos Episcopos, eosdem appellantes capita rasa, inuncta, oleo perlita, & laruas papales. Illic proscribi sententiam plurimorum Catholicorum Scriptorum, qui existimabant, vnicum Episcopum, hoc est Petrum, fuisse à Christo institutum, & reliquos omnes à Petro.

Speciem hinc obtendi, vt credatur, Episcopos electos inter hæreticos à Regibus aut à populo, esse veros ac legitimos Episcopos; propterea quod dum absolutè affirmatur, Episcopos institui à Christo, videtur significari, eorum potestatem esse totam à Christo, ita vt elector nudum quoddam ministerium exerceat, non vim

cau-

causæ efficientis, quod anteà in medium protulerat Episcopus Hibernus, tamquam argumentum à Regina Britanniæ pro se adductum. 1562.

In ea loquendi ratione indistincta vim inesse significationis vniuersalis, adeoque vbi indiscriminatim de Episcopis pronuntiaretur eos esse à Christo institutos, id ex æquo intellectum iri, tum quod ad iurisdictionem, tum quod ad ordinationem attinet. Denique, maioris esse ponderis hanc affirmationem, *eos esse institutos à Christo*, quàm illam, *ipsos esse ex Iure Diuino*, cùm posterior interpretationem minùs cogentem admittat. Quare, si in hac posteriori difficultas offendebatur, adeò vt Lotharingus ipse ab ea Patres dehortaretur, multò magis priorem esse vitandam.

Valdè periculosam aleam subit, qui formam aliquam verborum profert ad conciliandas duas partes contrarias, acutas ac suspiciosas: quia contrariæ sunt, fugit altera quod altera quærit; quia acutæ, singulæ detegunt quæ sequester inuoluit: quia suspiciosæ, vtraque quod sibi noxium est, deprehendit; cùm eiusmodi verba nequeant dubia non esse, & suspicionis ingenium sit, dubium sibi malum tamquam certum assumere.

CAPVT VII.

Responsum Pontificis, vt Vicecomes Romam mittatur. Propositum de mansione Decretum, & hac de re Lotharingi sententia. Nouæ significationes moderatæ Regis Hispani ad suos Episcopos, ne Pontifex, neque Galli offenderentur.

1 EO grauius angebantur Præsides, quòd animaduertebant, se ab ipsa præfectura subiectiores reddi quàm ceteros: nam citari se, & quasi pungi ob quamlibet aliorum impudentiam sentiebant. Hinc in Concilio conclamabatur *libertas*. Hinc in eos fremebatur ad omnem vocem ab Episcopis immoderatius elapsam, perinde quasi linguarum omnium ipsi fræna tractarent. Itaque ex Hispanis Episcopis quinque [a] melius erga Pontificem animati, neque coniuncti præferuidis suorum ciuium postulatis, & inter eos Salmanticensis, & Pattensis, simul adiere Legatos, & ob contumelias in Guadicensem iactas contestati sunt; nisi prospiceretur in posterum, necesse sibi fore cum reliquis nationis suæ se consociare ad eam ab huiusmodi insultationibus defendendam: si quis vmquam Hispanorum vocem minùs Catholicam promeret, optare se,

[a] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 6. Decemb. 1562.

1562. vt is corriperetur, sed ab auctoritate legitimi superioris, nimirum à Præsidibus, non ab arrogantia priuati Præsulis; quemadmodum egerat Caselius, qui priore facinore non contentus, cùm à Mantuano commoneretur de strepitu contumeliaque verborum, respondere non est veritus, ab Hispanis causam ad id non fuisse præbendam per enuntiationes hæreticas. Legati cognoscentes querimoniam æquam esse, & iacturam ingentem futuram, studuerunt amplis beneuolentiæ significationibus, plurimisque promissis eos delinire.

[b] Litteræ Vicecomitis ad Borrom. 6. Decemb. 1562.

Ex altera parte Lotharingus vehementer [b] questus est, quòd quidam ex Italis per indignum dicterium procaciter dixerat: *Ex Hispanica scabie decidimus in morbum Gallicum.* Sed Legati cupientes quoad possent honestè amaritiem Lotharingi diluere eâ dulcedine, cuius auiditissimum illius palatum sciebant, Romam extemplò [c] miserunt per certum cursorem formam duorum Canonum, quos ille proposuerat, dicentes, eam probari Theologis, sed non Canonum peritis, & petentes, vt ipsis Pontificis sensus diebus aliquot ante Sessionem exponeretur.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6. Decembris 1562.

Interim peruenere Tridentum responsa de rebus anteà significatis, ad eumdem Lotharingum spectantibus [d]. Alicuius Præsulis missio comprobata est, simulque Legatorum sententia in Vicecomite deligendo; rescribente Borromæo, cunctos, qui proponebantur, idoneos videri, & Marinus peritior, sed Vicecomes aptior ob iuuentam ad sustinenda illius itineris incommoda per summam Italiæ & hiemis asperitatem. Quamobrem ille ad id destinatus est. Vbi Lotharingus scripto sua postulata [e] tradidisset, hac de causa huc suorum omnium cœtum habuerat; & post diuturnum congressum datum fuit negotium quatuor Episcopis, vt simul cum Ferrerio ea notarent, quæ ab ipsis Galliæ saluti necessaria censerentur. Idemque Gualterio significarat, se, quod spectabat ad *Annatas*, annuos nimirum prouentus, iam conquiescere; neque absque nouis mandatis ea de re verba facturum fuisse.

[d] Litteræ Borromæi ad Legatos, 2. Decemb. & ad Vicecomitem, 7. eiusdem, & litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 16. Decembris 1562.

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 10. Decembris 1562.

Ceterà [f], intellectis Romæ duobus modis, quorum auctor fuerat Lotharingus ad extinguendam super septimo Canone discordiam; alter, vt nimirum designarentur bini pro singulis nationibus, non placuit, quippe memorato iam periculo expositus: magis placebat alter illius discordiæ sopiendæ, quasi quodam sopore, qui in placidam honestamque mortem migraret; sicut vsuuenit, vt inter discrimina ac suspiciones nihil minùs displiceat, quàm ipsum nihil. Verùm improuisus transitus à tam concito motu ad quietem, haud possibilis visus est Legatis. Quare expectato responso quid Pontifex

[f] Litteræ Borromæi ad Legatos, 2. Decembris 1562.

fex de noua forma Canonum arbitraretur, cœperunt interim audire ſententias in Decreto manſionis, à Mantuano ſexto Nouembris iam propoſito, vt dictum eſt; ſed quibuſdam adhibitis mutationibus, priuatim quæſitis ab eodem Lotharingo [g], aliiſque, quibus nimis ſeuerum videbatur in pœnis denuntiandis, & nimis arctum in excuſationibus comprobandis. Et ſanè incidit opportunè, vt huius rei tractatio induceretur, antequam peruenirent epiſtola Lunenſis Comitis [h], quâ calor omnis extinguebatur, opere à Rege priùs adhibito Patribus Hiſpanis, vt illos ab incepto remoueret. Etenim Lunenſis cùm ſignificaret Herculi Pagnano, ſe illuc Oratorem deſtinari, addebat, reſciuiſſe Regem à Varga, Gallos cupientiſſimos eſſe huiuſce declarationis, vnde periculum eſſe, ne, ſi ea impediretur, illi diſcederent; & quoniam Rex non niſi Diuinum obſequium ſpectabat, noluiſſet, vt opera ſua Eccleſiæ concordiæ noceret, & continuationi, vel certè exiſtimationi Concilij. Idcircò ſuam eſſe mentem, vt in eo cautè ſuauiterque ageretur cum Epiſcopis Regi addictis, & abſque induſtria, aut nimis aperta, aut nimis propitia: atque in eamdem ſententiam loquebantur mandata à Rege tradita Aloyſio Auilæ [i], ſummo Alcantaræ Commendatori, deſtinato Romam Oratori [k], quando Pontifex diu conqueſtus fuerat [l], negotia non aptè procedere, quia præcipuè in rebus Concilij Orator Catholici Regis apud ſe non aderat, cui Pontifex fideret. Habebatur in mandatis, quæ diximus; Orator Pontificem cohortaretur, vt is in manſionis argumento maturè ſe gereret, adeoque ex vna parte libera facultas rei declarandæ Concilio non adimeretur; ex altera, Sedis Apoſtolicæ auctoritas ac prærogatiua non læderetur. Itaque vis impreſſa à Regis brachio, tam valida ſperanda non erat, vt rotis illis tam feruidis curſum retardaret. 1562.

§ Facto igitur initio loquendi de memorato Decreto die decimâ Decembris [m], cùm Lotharingus primus omnium verba faceret, egregio prudentiæ, grauitatis, doctrinæ atque eloquentiæ complexu effecit, vt præſagirent Legati, multum illi auctoritatis in Synodo futurum non minus dictionis, quàm ſanguinis excellentiâ. Eius ſenſa huiuſmodi fuere: E ſacris Litteris colligi, tria præcipue mala fuiſſe profecta ab eorum abſentia, quibus curam aliquam Deus demandarat; primum, maris tempeſtatem, cùm Ionas fugam cœperat, ne concionaretur gentibus, ad quas mittebatur; alterum, Idololatriam, cùm abſente Moyſe vitulus conflatus eſt; tertium, ouile Chriſti diſperſum, cùm in capite decimo S. Ioannis habeatur: *Lupus diſpergit oues.* Tria mala illis reſpondentia ex Præ-

g Litteræ Vicecomitis & Legatorum ad Borrom. 10. Decembris 1562. & arcanæ notæ Gualterij ad Borrom. 9. Decembris.

h 21 Decembris 1562.

i Signata 30 Nouembris 1562.

k Deſtinatio Auilæ conſtat ex litteris Regis ad Pontificem, 25. Octobris, miſſis ad Legatos cum litteris Borromæi 2 Nouembris 1562.

l Conſtat ex reſponſione Pontificis ad Regem, 28 Martij 1562.

m Litteræ Legatorum ad Borrom. & Iadrenſis ad Cornelium, ambæ illo eodem die; & Acta Arcis Æliæ.

1562. sulum abſentia Eccleſiæ Dei accidiſſe. Calamitatem, tempeſtatem, Fidei corruptionem in hæreſi, & gregis diſſipationem in morum corruptelis. In ea cauſa Patres ſimul eſſe iudices, ac reos: adeoque eò magis imputandum ipſis eſſe, vbi remedium minùs efficax admoueretur. Cùm ipſe Chriſtus Paſtorem ſe profiteatur, nefas eſſe, vt Præſules pudeat vel huius nominis, vel huius muneris: in eodem capite decimo S. Ioannis tria numerari ad boni Paſtoris munus ſpectantia: ea ſunt, ait ille, Vt oues noſtram vocem audiant, Vt nos animas noſtras pro ipſis ponamus, Vt benè illas paſcamus, bonis paſcuis inuentis. Ab re igitur non eſſe, ſi ad primum huius argumenti ingreſſum doceret Synodus, quales eſſent boni Paſtoris conditiones, quibus Paſtores animarum poſſent de illa cura gloriari, de qua gloriatus eſt Iacob apud ſocerum [n], cùm poſt viginti annos paſcendi eius gregis curam reliquit. Super illo manſionis articulo priùs audiendos eſſe Theologos, & Canonum peritos, idemque peragendum in cunctis grauioribus emendationis capitibus. Manſionem ſuâ quidem ſententiâ eſſe ex Diuino mandato; ad quod probandum multa produxit Scripturæ teſtimonia, ingenioſis commentationibus à ſe illuſtrata: adiecit tamen, cùm eſſet mandatum affirmans, ſemper quidem obligare, ſed non ad ſemper. Expendens excuſationes legitimas, non ſatis habuit eas admittere quas Decretum probabat, ſed plurimas alias addidit, potiſſimùm verò maiorem vtilitatem ſiue peculiaris Eccleſiæ, ſiue vniuerſalis, ſiue Reipublicæ. Hanc poſtremam cauſam eſſe rationi conſentaneam, quippe pertinentem ad charitatem; aliter non licuiſſet Imperij Septemuiris Eccleſiaſticis adire Comitia, Galliæ Optimatibus, vulgò Paribus, ad Aulam pergere ad Regni negotia, prout obſtringebantur, nec Epiſcopis ad Conſilia à Rege vocatis, quod in grauiſſimum Eccleſiæ detrimentum ceſſiſſet. Concluſit, quod ſpectabat ad peculiares conditiones, eas cauſas committendas eſſe Romani Pontificis arbitrio, & in regionibus longè poſitis, arbitrio Archiepiſcoporum, aut antiquioris Epiſcopi, ſicuti præſcriptum fuerat in Decreto ſub Paulo III. aut Conciliorum Prouincialium, quorum vſus reſtituendus erat, & in ipſis, & in Diœceſanis hoc ipſum Decretum recitandum. Sed ea omnia, quæ de cauſis dicta fuerant, ita eſſe intelligenda, vt abſentia nec perpetua ſit, nec diuturna; ac proinde in comperto habeatur, habitationem Epiſcopi, tametſi ex re fortuita longinqui, eſſe ſtabilem in ipſius Eccleſia. Agens de tertia cauſa nuper memorata, dixit, Si Cardinales in Gallia manſionis vinculo prohiberentur degere apud Regem, eiuſque Conſilio intereſſe, rem

Eccle-

[n] Geneſ. 21.

Ecclesiasticam pessum iri. Delenda esse verba illa in Decreto posita, vbi comprobabatur, ad excusandam absentiam Episcoporum, vocatio Pontificia, *Dummodo ipsi non procurassent vt vocarentur*. Huiusmodi sono aures offendi: sed illius loco, Româ, & ex Aulis Regum eos Episcopos expellendos, qui proprij commodi gratiâ illic morabantur. Subiecit, multa sibi videri opportunè præscribenda de Sacerdotiorum collationibus, & de conditionibus non Episcoporum modò, sed minorum etiam Curionum; quæ res maioris erant momenti, quàm mansio: tamen ne thema propositum transgrederetur, in aliud tempus sermonem de iis differre. Disserens de priuilegiis, quæ residentibus Episcopis concedi oportebat, commemorauit interea facultatem absoluendi etiam à delictis contentis in diplomate, quod *In Cœna Domini* dicitur; contestatus, id à se non dici ad quidquam auctoritati Pontificiæ detrahendum [o]; sed quia certus erat, eos qui huiusmodi peccata patrarent in Gallia, Romam neutiquam ituros vt absoluerentur: adeoque satius esse, si absolutionem illic possent accipere, quàm si expertes illius morerentur. 1562.

[o] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 10. Decembris 1562.

6 Nihil hîc laboris insumam in iis refellendis, quæ Suauis cunctis his euentibus immiscet ex coniectura mentis suæ, quæ perinde ac si planè fuisset mens vniuersalis ab Arabibus credita, audet fidenter enarrare cogitationem quamcumque in singulorum animis nascentem, intimos fines pro sua libidine interpretatus, tametsi minimè verisimiles operum externorum. Satis mihi sit, duo breuiter hîc obseruare: alterum, ab eo affirmari, Lotharingum ex arte tam ambiguè fuisse locutum de mansionis Decreto, vt eius sententia percipi non potuerit; quod liquidò falsum patet, cùm ille, vbi primùm ipsi Decretum priuatim expositum est, Legatis significauerit mutationes, quas maximè necessarias existimabat, sicuti narrauimus [p], & habetur in Legatorum, Vicecomitis, Gualterij, & Fuscararij [q] litteris, quò publicis oppositionibus parceretur. Posteà verò in conuentu palàm explicauit quid ipse de theorica quæstione sentiret; dein illius sententiam probauit, cum quibusdam conditionibus, claris, & Pontifici fauentibus, cuiusmodi erat, In illius iudicio vniuersè reponere excusationes absentiæ.

[p] Suprà sunt allatæ.

[q] 10 Decembris 1562.

7 Alterum est, eumdem Lotharingum die 6. Decembris à conuentu abfuisse, quò liberum esset suis Gallis in Pontificis auctoritatem obloqui, quamuis excusaret absentiam ob acceptos nuntios de Antonij Regis occubitu. Et nihil animo reputabat Suauis, innotescere rudi cuipiam lectori, eam consuetudinem Iaponiæ aut Æthio-

1562. piæ propriam non esse, sed nostris regionibus communem; nimirum, vt si quis affinis magni nominis, supremusque Moderator illius regni, quod alter repræsentat, occubuerit, hic eo die quo nuntios accipit, à luce publica se abstineat, ac domi persistat? Neque comperio in tot monumentis, suspicionum vt assolet plenis, id cuipiam in mentem venire. Quin longè abest à vero, quemquam ex illis Episcopis eo die licenter in Pontificiam auctoritatem fuisse locutum. Aliàs id egerat solus Beauquerus, sed egerat coram Lotharingo, qui molestiam ex eo præ se tulit[r] (sicut etiam ex reliquorum Gallorum sermone, qui sententiam eius sententiæ contrariam dixerunt) cùm genam semper manui innixam teneret, dum ille loquebatur, & posteà Beauquerum nauiter obiurgaret[s]. Nec licet credere, id ab illo simulatum ex arte, prout Suauis autumat; tum quia maiestatem huiusmodi Princeps non adeò demisisset, cùm certè ea simulatio aliquibus tunc detegenda esset, & reipsa cunctis postmodum aperienda; tum quia nimis sanè illius æstimatio lædebatur, nimisque suæ gratiæ pretium eleuabatur, dum palàm fieret, ipsum maximum quidem esse, sed non rectorem suæ cohortis. Quare potiùs huiusmodi æstimationis sollicitus, cùm audiret[t] Guidum Ferrerium Antistitem Vercellensem, qui secum familiaritatem aliquam contraxerat, sibi dicentem, haud verum videri id quod ipse de suis Gallis prædixerat; Illos à se minimè dissensuros, respondit, tametsi quidam viderentur tunc à se verbis discordare; cùm ad rem ventum esset, cunctos sibi assensuros. Vnusquisque existimationis suæ anxius est, nimirum vt sibi propria censeatur ea dos, cuius gratiâ ab aliis honoratur; hæc autem in Principibus præcipuè potentia est.

r Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 6. Decembris 1562.

s Arcanæ notæ Gualterij ad Borrom. 9. Decemb. 1562.

t Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 17. Decemb. 1562.

CAPVT VIII.

Opinamenta de mansionis Decreto. Sensus Pontificis. Querimoniæ Lotharingi. Maturata Vicecomitis missio. Noua prorogatio Sessionis, & quâ formâ.

SEd reuerà suæ quisque mentis ductum sequebatur; atque hinc erat quòd non minor à Patribus prolixitas adhibebatur in dicendis de nouo mansionis Decreto sententiis, quàm vsurpata fuerat super Episcoporum institutione: vnusquisque hanc dicendi longitudinem in aliis vituperabat; sed vnusquisque eam in sua sententia retinebat. Cuncti vociferabantur, superuacanea esse præcidenda;

denda; sed sibi quisque persuadebat, quidquid sibi succurreret, vtile ac necessarium fore. Legati parcissimè potestate vtebantur; Deum imitati, qui peccata permittit, ne libertas arbitrij aliis coarctetur. Lotharingus spe fraudatus, quam sibi de vniuersali sententiæ suæ comprobatione spoponderat, id sibi repugnantibus vitio vertebat, dicens, Sibi persuasisse, nacturum se meliorem Synodum, nec adeò obstinatam [a]: sed vt nemo suam in dicendo superfluitatem animaduertit, ita quoque nec in opinando pertinaciam agnoscit. Quapropter vnusquisque aduersarios existimat obstinatos, tamquam inflexibiles à falso; se constantem, tamquam inhærentem vero. Lotharingus itaque tam abhorrentem ab his agendi rationibus animum præ se gerebat, & de ipsis tam tristia ominabatur, vt Pagnano, abeundi Mediolanum veniam ab eo petenti, natalitias Domini ferias cum suis celebraturo, commiserit, renuntiaret Piscario, Non solùm ab eo Concilio nihil boni sperandum, sed aliquod schisma metuendum: se, Gallosque breuî abituros esse, sed anteà contestatos, vbi primùm ad id occasio sibi præberetur. 1562.

[a] Litteræ Vicecomitis ad Borromęum, 17. Decembris 1562.

2 Complures viri pij propter hæc dissidia afflictabantur, considerantes in ipsis Ecclesiæ Catholicæ dedecus: alij rem altiùs subeuntes, animaduertebant in Diuinis hisce permissionibus manifestam confirmationem eiusdem Ecclesiæ, cuius primarius articulus, & quasi fundamentum, ac discerniculum à cunctis hæresibus est, Caput adspectabile ac supremum Religionis fateri; experimento siquidem compertum erat, quónam redigeretur Ecclesiasticum regimen, si ab vno Capite subtractum constitueretur in libera potestate omnium Episcoporum, à nemine pendentium, quando etiam tum, cùm vni subessent Capiti, ea rerum confusio nascebatur, quia Caput ipsum indulgens tempori, potestatem in ipsos remissiùs exercebat.

3 Tres erant de Decreto præcipuæ sententiæ [b]. Alij declarandum putabant, mansionem esse Iuris Diuini: sed horum numerus ac feruor, quantum comperio, diminutus admodum erat; non quòd à multis id pro vero non haberetur, cùm innotuisset Vicecomiti [c], cœtum Theologorum à Lotharingo coactum, pro hac parte consensisse; sed quòd animaduersâ necessitate committendi iudicio Pontificis legitimas absentiæ causas, satis intelligebatur, ex huiusmodi definitione plurimum fragorem, minimum ictum secuturum.

Alij nolebant vltrà progrediendum quàm ætate Pauli III. statutum fuerat, peculiaribus tantummodò excusationibus adiectis.

Tertia opinio propositam Decreti formam admittebat, sed singulis

[b] Litteræ Vicecomitis ad Borromęum, & Fuscararij ad Moronum, 14. Decemb. 1562. & aliæ litteræ illius temporis.

[c] Litteræ Vicecomitis ad Borrom. 1. Decemb. 1562.

1562. gulis tot ac tam varias mutationes postulantibus, vt quælibet istorum sententia quoddam quasi peculiare Decretum proponeret.

Mira quidem narrabat Gualterio Lotharingus de stimulis, quibus ab Hispanis Episcopis concitabatur ad ineundam secum societatem; & addebat, etiam fuisse qui Metensi Episcopo gratias ageret ob adhibitam ab eo dicendi libertatem, de qua diximus; & à Fabro Oratore, qui ab aula redierat, mandata recentia delata fuisse, vt molesta Pontifici proponerentur; idque quasi ex indignatione, ob conditiones quibus per Abbatem Nichettum centum aureorum millia Pius in Galliam subsidium miserat: pollicebatur tamen, se huiusmodi postulata præpediturum. Verùm suspicio fuit, voluisse Cardinalem suæ potentiæ pretium, suæque operæ meritum attollere, cùm ex altera parte Gualterius compererit, illum Gallorum Præsulum arbitrum non esse, cùm interfuit acri certamini inter ipsorum tres, omnino & absque limitatione mansionem Iuri Diuino referentes, & ipsum Cardinalem hoc impugnantem. De querelis aduersus Pontificem, ob conditiones subsidio appositas, non destitit Gualterius Lotharingo palàm facere, Nimiùm inter se dissidere ac repugnare, quòd Rex opem petat ab eo brachio, ex quo eodem tempore sanguinem extrahit vires illi suppeditantem, dum aufert ab Apostolica Sede antiquissimam exactionem variorum prouentuum è Galliæ Sacerdotiis: nec habitam aduersus nouum hoc edictum sanctionem satis esse, quin in ea prætermissas videri per insolitam affectationem conditiones quasdam, quarum silentio huiusmodi sanctio nullius esse roboris apparebat.

Sed non ita Gualterius causam Pontificiis adiudicabat in sinistra persuasione, quam aduersus Lotharingi animum retinebant. Id in causa erat, vt assiduè angeretur, dum in dies exacerbatum Cardinalem offendebat aut nouis Româ litteris, aut nouis Tridenti narrationibus, quæ ipsi referebant suspiciones, semper renascentes illic in Pontifice, hîc in Simonetta, & in duobus Episcopis, quibuscum hic arctius connectebatur, hoc est in Castanea & Boncompagno; in quos incredibile est quantum indignationis præ se ferret Lotharingus, haud præuidens, in duobus illis capitibus futuram maiestatem, quam in præsenti conditionis mediocritate incomprehensibilis Prouidentia contegebat.

Instabat iam præstitutus Sessioni dies: cumque tam pauci verba fecissent de mansionis Decreto, & anceps adhuc penderet doctrinæ quæstio plurimùm exagitata, Legati nouæ moræ necessitatem animaduertebant. Et planè id temporis variæ litteræ [a] Româ

[a] Litteræ Borrom. peculiares Mâtuano, & communes Legatis, 5. & 12. Decemb. 1562.

mâ delatæ, reſponſa ſuper duobus Canonibus à Lotharingo propoſitis, ac de re vniuerſa, reddiderunt: quæ litteræ tam fidenter ex vna parte recitantur à Suaui, vt eas in autographis idem ipſe luſtraſſe videatur; ex altera tam falsò, vt palàm faciat, ſe fortuitâ temeritate de iis ſcripſiſſe. Dicit, Pontificem ſignificaſſe, falſam & erroneam eſſe ſententiam, quæ iuriſdictionem Epiſcoporum refert ad inſtitutionem Chriſti: Miſſam ab eodem fuiſſe ad Legatos præciſam exagitati Canonis formam, quo definiretur, Romano Pontifici fuiſſe traditam à Chriſto auctoritatem deſtinandæ, ampliandæ, reſtringendæ iuriſdictionis Epiſcoporum: In Decreto de manſione imperaſſe, ne Catharini ſententiæ nota inureretur. 1562.

6 Nihil huiuſmodi ſcripſit Pontifex; ſed Legatis ſignificauit, in forma Canonis à Lotharingo producta, eos qui Romæ ad id ſelecti fuerant, ac præſertim Theologos, in varias difficultates impingere, adeoque varias mutationes ab ipſis deſiderari, quæ propter argumenti grauitatem tam citò digeri non poſſent; idcircò à ſe tria proponi:

Primum, ſibique acceptius, illud erat, quod anteà propoſuerat Lotharingus; videlicet, vt ea quæſtio de inſtitutione Epiſcoporum, tamquam inutilis, implicata ac periculoſa, ſupprimeretur: mirum quippe videbatur, dogma Fidei conſtitui inter tot appoſitas ſententias, quo neceſſe foret in alterutra parte damnare complurium inſignium ſanctorumque Scriptorum opinionem: ſperari, promotum iri à Cardinali rei exitum, quemadmodum conſilij auctor fuerat; vt proinde honorem integrum ſibi redundaturum prænoſceret.

Quod ſecundo loco & exponebatur ab epiſtola, & optabatur à Pontifice, erat, Vbi Patres ad hanc prætermiſſionem adduci non poſſent, vt ſaltem, quoniam res nondum ſatis digeſta videbatur, in imminente Seſſione ſeponeretur.

Poſtremum, vt ſi hoc quoque inflammati animi reſpuerent, ipſa Seſſio retardaretur, pro eo conſilio, quod etiam alioqui Legatis dederat Pontifex, quò illa locupletior ac ſplendidior euaderet, comprehenſis pariter articulis Matrimonij. Nunc verò præter eam cauſam impellebatur à communi regula confugiendi ad efficaciam temporis, vbi multitudinis æſtum temperare opus eſt; cùm temporis ingenium ſit, omne violentum coërcere, & ad medium extrema quæque reducere. Quare ſcribebat, vſque ad Idus Ianuarias poſſe Seſſionem differri; & propter dierum hiemalium breuitatem non compelli Patres ad laborem bis quotidie conueniendi, ad quod etiam præter hoc Præſides coëgit Patrum laſſitudo & querimonia.

1562. Denique ipsis expendendum proposuit; cùm in Ordinis Sacramento de vniuersa Hierarchia Ecclesiastica sermo sit, par videri, ne præteriretur silentio ipsius Caput, quod est Christi Vicarius; sed vt de ipso loquerentur aut iisdem verbis paulò antè à Florentina Synodo vsurpatis, aut aliis nihilo inferioribus.

His mandatis acceptis, censuere Legati fieri non posse vt omitteretur quæstio, aut locupletaretur Sessio [e], quamuis prorogata, aliorum argumentorum additamento; quin præuidentes, ob necessariam prolationem se nimiùm prætergressuros & voluntatem & opinionem Pontificis, neque confidentes, posse illi rem ipsam satis exprimere breui languidaque litterarum operâ, statuerunt tempus anteuertere, mutatoque missionis sine Vicecomitem Romam mittere, non expectatis Lotharingi petitionibus, quas seposituere mittendas posteà siue per Antinorum, siue per alium nuntium. Etenim induxerant in animum, neminem positurum ob oculos Pontificis ac Borromæi præsentem imaginem Concilij æquè viuidè ac ille Præsul, quippe qui spectator adfuerat maximè intimi, & auctor maximè ardui, & cui nec Pontifex fidem abrogaret, vtpote sibi fido [f], neque Borromæus, vtpote sibi cognatione coniuncto.

[e] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 14. & 17. Decemb. 1562.

[f] Acta Paleotti.

Interim die decimosexto Decembris [g], cui præscriptus Sessioni proximè succedebat, Seripandus Patribus in cœtu dixit, Dementem se fore, si vocaret in quæstionem, haberi nécne posset Sessio postridie: dubitationem solùm cadere in causam prorogationis. Præsides accusatores esse simul & accusatos; accusatores quidem aliorum prolixitatis, accusatos verò ob tolerantiam illius prolixitatis: huiusce accusationis titulum sibi grauem non esse, ex qua tandem ipsis attribuebatur demissionis ac patientiæ excessus. A se tamen quâ possent animi efficaciâ Patres enixè rogari, vt in posterum sibi temperarent. Ætate iuuenili legisse se apud nescio quem Poëtarum: *Pastorem pingues pascere oportet oues.* Id sibi ad rem accommodatum videri: meminissent, gregem à pastore pascendum esse, non alios pastores, quales illi erant, quorum auribus vnusquisque Patrum verba faciebat, longè progressus ad doctrinas eiusmodi auditoribus notissimas: in his frequentibus dilationibus quæsitam ab amicis fuisse laudis materiam, sed minimè inuentam: quæsitam ab inimicis materiam vituperationis, eamque inuentam fuisse, cùm illæ discordiam, altercationem, pertinaciam præ se ferrent. Duo in præsentia fieri posse: alterum erat, retardatio Sessionis ad incertum diem, vbi res parata esset, declarandum: ad id obiici à legisperito, diem Sessionis, quippe sententiæ, oportere

[g] Diariũ 16. & litteræ Legatorum ad Borromeum, 17. Decembris: & Acta.

tere certum esse, ac prænuntiatum : alterum erat, constitutio diei certi intra quindecim dies habenda, quantum planè ex eo anno superarat. Eligerent Patres quod in rem opportunius arbitrarentur. 1562.

Posterior modus vniuersè placuit ; sicuti semper ex duobus consiliis acceptius est, quòd ampliorem potentiam acceptantibus relinquit. Atque ita quarta prorogatio habita est.

CAPVT IX.

Tradita Vicecomiti mandata à Legatis cùm ad Pontificem mittitur. Adhibita à Gualterio studia ad amouendas iterum suspiciones & acrimonias inter Pontificem & Lotharingum.

1 POst hæc, Legati Vicecomitem dimissuri, in spem venere [a], posse ab eo simul Gallorum postulata deferri, cùm viderentur hi iam parati ad ea statuenda. Verùm vt legis vinculum apparet sericum ordienti, & ferreum accipienti; ita inter ipsos Gallos discordia orta est: siquidem Oratores studebant Episcopos obstringere ampliùs quàm eorum Episcopi pati vellent. Quapropter emendationi, quam illi ab vniuersa Ecclesia exigebant suorum Præsulum operâ, iidem ipsorum Præsules omnium primi repugnarunt. Proinde Legati rei cunctationem animaduertentes, abruptâ morâ Vicecomitem cum huiusmodi mandatis dimiserunt.

[a] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 28. Decembris 1562.

2 Illum duarum rerum gratiâ [b] à se mitti : Vt se purgarent insimulationibus in se iactis apud Pontificem, & vt certiores redderentur de ipsius voluntate super præsentibus Concilij negotiis.

[b] Extant in scripturis post narrationem Musotti positis.

Duas esse insimulationes : alteram quod hanc disputationem de septimo Canone siuissent adeò progredi, vbi oportuisset os occludi contendentibus importunè illam inducere. Super hoc rei series denuò retexebatur. Monebant, antequam Canon Patribus proponeretur, fuisse à Seripando recitata verba illa de Iure Diuino, parata iam viuente Crescentio Legato. Commemorabant turbas & contestationes habitas ab Hispanis, testimonium Aialæ de rebus sub eodem Legato decretis, conuictum posteà à Mantuano Actis legitimis ; & quidquid præterea contigerat ante & post aduentum Lotharingi. Porrò consideraret Pontifex, quantum perturbationis excitari potuisset, si ratio violentior fuisset adhibita ad coërcendos Patres ab illius articuli tractatione, vbi aderat ea capitum frequentia, nationum varietas, ceruicum durities, ardor contentionis.

3 Secundo loco ipsis imputari, ad nimis angustum tempus Sessionem

1562. nem fuisse denuntiatam, vnde ad eam prorogandam coactos fuisse; eamdemque prorogationem adeò breuem fuisse præscriptam, vt Pontifex tempori consuli de rebus statuendis minimè potuerit. Iam verò à Legatis ad se purgandos in memoriam redigi stimulos assiduos sibi iniectos Româ, vbi anteà dies Sessioni præscriptus visus erat longinquus. Prorogationem posteà sancitam esse plurimorum suffragiis, quæ ad spatium diuturnius eam non admiserant. Ad calcem huius capitis acriter conquerebantur de quibusdam, qui potiones absinthij carò vendebant Pontifici, ostentantes apud ipsum studium ac fidem per nuntios molestos, ac per siniſtras aliorum narrationes, quas illi obtrudebant; adeoque semper falsa & acerba ipsi propinantes, æstimationem, beneuolentiam, ac benemerentium remunerationem inde reportabant.

De altero, cuius gratiâ Vicecomes legabatur, narrationem præmittebant rerum à Lotharingo gestarum, quas aiebant longè tolerabiliores euasisse, quàm ante periclitationem sperabatur: locutum semper illum fuisse cum plena erga Pontificem Sedemque Apostolicam reuerentia: in duabus quæstionibus, quæ plurimum sollicitudinis afferebant, fuisse illius sententias admodum temperatas atque patibiles. Præterea, ipsum consensisse, vt forma à se proposita cum Pontifice communicaretur, pollicitum, vbi in aliquam difficultatem offenderet, nauaturum se operam apud suos ad eam superandam. Breuiter, si processus initiis responderent, longè minorem molestiam ab eo illatum iri, quàm quæ inflicta fuerat non solùm ab Hispanis, sed ab aliquo præferuido ingenio Italorum. Extima sic polliceri; intimorum, sicuti solus Deus cognitor est non falsus, ita solum esse iudicem non temerarium.

His narratis, Pontificem rogabant ipsius imperium super tribus capitibus: & imperium planè petebant, non consilium modestum, & in ipsorum prudentia repositum, cuiusmodi ille dare solitus erat; satis gnari, ministris in rebus incertis ac periculosis, optimam esse conditionem minimè splendidam, hoc est meri executoris, non arbitri.

Primum caput erat: An vbi super Canone septimo nihil reperiretur quod communiter satisfaceret, à Legatis supprimendus esset, quocumque etiam imminente periculo; cuiusmodi erat, quòd Hispani, tam ardenter illius cupidi, in eo casu se à Sessione abstinerent, & quòd cùm in eo argumento tanta coniunctio inter Principes, interque nationes Transmontanas cerneretur, res ad dissolutionem atque ad schisma posset adduci.

Alte-

Alterum; An vbi contingeret in articulo manſionis Patres retineri amicè non poſſe ne ſalebroſam quæſtionem ingrederentur, per vim à Legatis retrahendi eſſent, vtentibus abſolutâ ipſorum poteſtate, an potiùs ab iiſdem permittendum, vt eam Patres proſequantur ac decernant. 1562.

Tertium; Si fortè Galli vellent aliqua proponere noxia Sedis Apoſtolicæ auctoritati, num à Legatis eſſent prohibendi, nihil ex eo detentis, quòd ſcirent quantum fragoris in Hiſpania & alibi excitauerat particula illa, *Proponentibus Legatis*, quaſi catena, quæ Patribus manus pedeſque conſtringeret, eiſque libertatem adimeret: an permittendum eſſet ea proponi, tametſi cognoſceretur, inde Pontificiam auctoritatem in diſcrimen adduci. Cum his documentis Romam profectus eſt Vicecomes.

6 Opportunè accidit, vt is ſola Præſidum mandata deferret, non item Lotharingi poſtulata: cùm enim hic Gualterium ad id muneris propoſuiſſet, accepiſſetque reſponſum à Legatis [c], Vicecomitem ad hoc à Borromæo nominari, triſtitiam ex eo Gualterius concepérat, quòd idcircò videretur minui Lotharingi opinio de Pontificis erga ipſum fiducia, quæ opinio honorem ſimul & auctoritatem in negotio ſibi conciliabat. Quare hilari poſteà fuit animo, cùm illud munus ſibi relictum cognouit.

[c] Litteræ Gualterij ad Borromæum, 14. Decemb. 1562.

Nihil operæ, nihil ſolertiæ ille prætermiſit, vt nebulas diſſiceret, & acerbitatem vtrimque mitigaret. [d] Curauit vt intelligeretur Romæ, ſiniſtram famam de Lotharingi conſiliis fundamento ſolido haud inniti, ſed excitam fuiſſe aut à quibuſdam ſuſpicionis vocibus, prolatis in Belgio à Granuellano Cardinali, fortaſſe variatis dum referebantur, & ſaltem pronuntiatis ab homine modicæ auctoritatis in ferendo de Gallis iudicio; aut ab aliqua violenta ſententia, prolata à Metenſi, aut ab altero quouis Gallico Præſule illius cohortis: quæ iactatæ ſententiæ nihilo magis conficiebant, eam eſſe mentem quaſi capitis in ea cohorte, quàm multa imprudentia dicta alicuius Præſulis, qui credebatur Legatis fideliſſimus, conficerent eorum animos cum dicentis vocibus concordare. Ex altera parte, dum ipſa Cardinalis lingua, eiuſdem gradus, ſuorum in Gallia religio, ſe Fidei propugnaculum profitentium, aliæque ipſius dotes, tum interiores tum exteriores, eum Sedis Apoſtolicæ defenſorem pollicebantur, quanam aptâ ratiocinatione cuiquam ſuaderi opinionem hiſce contrariam, ſolùm quia recto contrariam? Et quamuis etiam liberet id quod deterius eſt de ipſo opinari, cuius tandem eſſe conſilij, per iniuriam apertæ diffidentiæ

[d] Litteræ Gualterij ad Borrom. 17. Decemb. 1562.

1562. committere, vt ille fortasse aduersarius euadat, aut qualis non foret, aut priùs quàm foret, aut acerbior quam foret? Verum quidem esse, non tam facilem se præbere ad septimum Canonem silentio sopiendum, quàm anteà præ se tulerat; sed hoc euenisse, quoniam Præsides nouam formam ab eo propositam laudarant, eiusque cupiditatem incenderant ad eam gloriam consequendam, quòd ipsius mens agnosceretur tanti ac tam celebris litigij conciliatrix.

Ita studebat Gualterius Pontificis animum erga Lotharingum tranquillum reddere: sed non minùs impendebat studij ad demulcendum animum Lotharingi, ad quem perpetuæ nubes aliunde conuolabant, vt suspicionis vmbra in Pontificem, eiusque administros obduceretur. Thomas Stella Iustinopolitanus Antistes[e], qui summum in Sedem Apostolicam studium profitebatur, & intimus erat Simonettæ, in longo sermone de mansionis articulo in cœna protulerat, à petitoribus emendationis videri festucas in alienis oculis, non trabes in suis, & sub velamine corrigendi corruptelas, contegi consilium suscitandi schismatis: & sæpiùs ab eodem iterata fuerant ea Scripturæ verba: *Ab Aquilone omne malum.* Quas carpendi formulas in se potissimùm iactas Lotharingus existimauit. Quoniam autem Stella postremâ oratione pronuntiarat, obstringi Romanum Pontificem Iure Diuino ad cogendos Episcopos vt rideant, inde Lotharingus ansam arripuit ad eum perstringendum, perinde quasi dum se propugnatorem egregium Pontificiæ auctoritatis ostentaret, eidem ex inscientia officeret, eamque coarctaret; quod nihilo pluris intererat, an id fieret hoc an illo ligamine, dummodò indissolubili. Quare operam suam obtulit, vbi Præsides vellent, efficiendi vt Hispani Galliique concorditer huiusmodi sententiæ subscriberent. Sed hoc non dicebatur à Lotharingo, quòd ab eo cuperetur, vt qui mitiores de illa obligatione sensus habebat. Legati, qui præter Simonettam alienum à Stella gerebant animum, non omiserunt illum perstringere apud Pontificem in mandatis Vicecomiti traditis.

[e] Constat ex litteris Gualterij ad Bortomæum, 17. 18. 19. 20 & 21. Decemb. 1562.

Altiùs expostulabat Lotharingus id, quod à Romanis litteris monebatur; nimirum, post Antonij Regis obitum decreuisse Pium diutiùs protrahere Concilium, quòd speraret, Lotharingum inde discessurum, vt in Gallia publicæ administrationis particeps fieret. Hic verò omnino percupidus, se illic à Pontifice necessarium credi, sperarique perutilem, irascens in eiusmodi opinamenta, geminis illis conditionibus repugnantia, aiebat eam esse ratiocinationem retrogradam: etenim in eo casu Gallicanos Præsules capite orbatos,

orbatos, coalituros cum Hiſpanis in vnum corpus grandius ac formidabilius, ad quod forſitan complures ex Italicis acceſſiſſent. Alter quoque è Venetis Oratoribus illi affirmarat, ſuſpicionem de ipſo conceptam inſanabilem eſſe. Denique Guiſius Dux ſuo chirographo illum monuerat, nomine Reginæ fuiſſe ſibi nuntiatum, ſtatuiſſe Pontificem de medio tollere Lotharingum veneno, aut Romæ, quò habebat in animo illum inuitare, aut etiàm Tridenti. Quamobrem à magno Cancellario, viro à Sede Apoſtolica auerſo, ſtimulabatur Lotharingus ad rem ita gerendam, vt hoc Pontificis odium gratis non eſſet. Verùm in calumniis euenit perinde ac in tragœdiis, vt nimia inuentæ fabulæ atrocitas, ſublatâ veriſimilitudine, ſæpè horroris loco moueat riſum. Et planè riſu enormitas illa à Gualterio reiecta eſt, & riſus hic per ſe ad eam purgandam ſatis fuit. Quin etiam Lotharingus arcanè concrediderat ea monita, regio nomine ad ſe miſſa, per Fabrum Oratorem iam reuerſum, Seripando [f], ſimulque patefecerat, iniunctum ſibi fuiſſe ne Romam adiret, tametſi à Pontifice accerſitus, vt ſibi caueret à veneno; & vbi Sedes vacaret extante Concilio, ne pergeret ad Comitia, curaretque ne Pontifex crearetur, antequam vera & abſoluta diſciplinæ correctio perfecta eſſet. 1562.

[f] 12. Decembris 1562. in monumentis Seripandi.

Duæ ſupererant Lotharingo querimoniæ de rebus certis, non de narrationibus dubiis. Altera, Legatos in arcanis negotiis ipſi non fidere. Ad quod Gualterius: Arcana ab illis non haberi; ſed reuerà Mantuanus, quem Lotharingus maiori & amore & reuerentiâ proſequebatur, prono fuiſſet animo ad illum ſibi deuinciendum aliquo arctioris conſuetudinis officio, niſi ex intima cum extero coniunctione collegarum alienationem à ſe metuiſſet. Alterum quod querebatur, erat, ſuum illud Canonis exemplar, ex quo immenſam gloriam ſpe iam ſuxerat, cenſurâ tam aſperâ notatum fuiſſe à Canonum peritis, quibuſcum habere congreſſum ille cupiebat: ſed Præſides illi tempori minimè conſentaneum cenſuere, ſuos Conſiliarios exponere certamini cum viro qui & auctoritate adeò præcellebat, & ferebatur concito animi motu ad eum congreſſum, non ex cupiditate nanciſcendæ veritatis tamquam anceps; ſed ex fiducia illius detegendæ tamquam magiſter, pro ingenio illius Philautiæ, quæ diſceptatoribus æquè ac luſoribus ſemper victoriam pollicetur.

CAPVT

1562.

CAPVT X.

Amicitia inter Fererium & Gualterium per speciem contracta. Cæsarianorum studia erga Gallos per eum cognita. Pelueus ad Senonensem Archiepiscopatum promotus in gratiam Lotharingi. Solemnis supplicatio, pro rebus Religionis in Gallia. Nuntij victoriæ paulò pòst allati. Sessionis prorogatio.

COnquisierat sibi Gualterius amicitiam Fererij [a], hominis qui etiam in Diuinis magnoperè ab humanis regebatur. Hic in bellis aduersus hugonottos iacturam non modicam tolerauerat, atque in spem venerat, eam sibi Pontificem compensaturum. Quapropter quò auctiorem ipsius gratiam sibi mereretur, arcanum aliquod cum Gualterio communicabat. Eum itaque certiorem fecit, Drascouizium cum Gallis questum fuisse, quòd in Concilij negotiis promissam coniunctionem cum Cæsare ij non præstarent, ac præsertim in articulo mansionis, qui suprà quàm credi posset Cæsari cordi erat: Gallos verò respondisse, vbi Cæsaris nomine id postularetur, se illi adhæsuros, tametsi peculiaria de hoc mandata non accepissent à Rege. Tunc à Drascouizio, cui facultas ad id deerat, rogatos illos fuisse ad certè nauandam operam cum suis Episcopis, vt in sententiis dicendis eam partem damnarent: sed ad hoc Galliæ ministros respondisse, sibi fas non esse alienas conscientias regere. Ob ea ac reliqua omnia, quæ contingerent, dixit Fererius, existimare se nihil vtilitatis ex Concilio sperari posse, nisi eò transferretur vbi Pontifex illi assisteret, cùm ad crassos illos vapores dissipandos, ventosque contrarios coërcendos opus esset præsentiâ maximi efficacissimique luminaris. Sed ea de re nihil tunc pressius actum est.

[a] Multæ litteræ Gualterij ad Borromæum, ac præsertim 21. Decembris 1562.

Perlata id temporis est epistola Borromæi ad Lotharingum [b], quæ plurimum ad eum reconciliandum contulit. Per eam significabatur, Nicolao Pelueo, quem suprà memorauimus, impertitum fuisse [c] Senonensem Archiepiscopatum à Pio, in gratiam Lotharingi. Resignata quidem ea Sedes Pelueo fuerat à Guisio Cardinali, sed nondum ad eam vsque diem Pontifex id ratum habuerat: persistebat proinde Pelueus in pristina conditione Ambianensis Episcopi. Obex [d] illi fuerat iniectus ab hæresis criminatione apud Romanum sanctæ Inquisitionis Tribunal; eiusque Rector Alexandrinus Cardinalis, vir seuerus ac religiosus, repugnarat, & ne ille pro-

[b] Apparet ex epistola Gualterij ad Borromæum, 26 Decembris 1562. & 15. Decembris vt patet ex epistola Borromæi ad Legatos eo die hac de re.

[c] Constat ex litteris Legatorum, & Gualterij ad Borromeum, 19. & 21. Nouemb. 1562.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

moueretur obstiterat. Sed producebantur à Pelueo amplissima testimonia Parisiensis Academiæ, publicorumque Magistratuum, pro sua probitate atque innocentia; & in comperto erat, eius gregem semper illæsum ab ipso seruatum fuisse, tametsi contaminatis populis circumseptum: eumdem in Scotia plurimùm pro Religione laborasse, eiusque defensione plurimùm ipsius cognatos, viros ex primaria nobilitate, multa fuisse perpessos in Gallia, vbi summo ille erat in pretio, & in priuato Consilio regio locum obtinebat. Quapropter Legati hominem Borromæo per litteras commendarant, adiecerantque, Cùm hic à Lotharingo Cardinali maximoperè amaretur atque æstimaretur, beneficium vni collatum vim non mediocrem habiturum fuisse, tum in præsentia ad conciliandum alterum, qui tamquam proprium illud accepisset, tum postea ad conseruandam huiusmodi conciliationem perpetuis fomentis officiorum, quæ obstrictus Peluei animus impendisset. Pius his de rebus factus certior etiam anteà à Gualterio [e], qui Nuntius in eo regno fuerat, donec ad Concilium missus est, illi commisit vt polliceretur Lotharingo, Pontificem in eo ipsi gratificaturum. Nec interim Pelueus quidquam omiserat quod concordiæ conferre posset [f]. Vbi verò promissis Romæ respondit euentus, compertum est, quanti faceret Lotharingus eam Pontificis gratificationem, honorificentissimis formulis in Borromæi epistola deauratam, cùm extemplò Gualterio dixerit [g], Velle se malignos ac suspicioses homines pudore suffundere, ac simul efficere, vt quicumque inter ipsum ac Pontificem se interponeret, subdolæ temeritatis pœnas lueret. Profuit autem eius reconciliationi, quantum arbitror, quòd cùm Legati plurimùm commendassent [h] apud Pontificem sententiam à Lotharingo in cœtu dictam de mansione, & tamquam prudentem, & tamquam eruditam, & tamquam Regno Galliæ acceptam, in responso eorum omnium ampla mentio habita est, præ se ferente Pontifice & firmam persuasionem, & plenam voluptatem. Seorsim verò iniunctum est Mantuano, vt vbi censeret opportunum (sicut accidit) Lotharingo caput illud legendum traderet. Nec minùs commissum est Legatis, vt blandis modis Caselium & alios Patres commonerent de nimio eiusmodi studio, ne eum Principem, eiusque nationis Præsules exacerbarent. Quare, tum accessu dulcis, tum austeri recessu, suauitas integra eius palato reddita est, donec alio superiecto poculo non corrumperetur. Emollierat pariter Gualterius Lansaci animum priuatim erga se, quod plurimum faciebat vt causæ publicæ idoneus sequester euaderet. Quamobrem efficacem

1562.

e Constat ex responso Borromæi ad Legatos, 28 Nouembris 1562.

f Constat ex multis Gualterij litteris per eos dies.

g Allata epistola Gualterij ad Borromæum, 26. Decembris.

h Litteræ Borromæi communes ad Legatos, & peculiares ad Mantuanum, 19. Decemb. 1562.

1562. 17. Decembris 1562.

cem epistolam ad Reginam scripsit Lansacus [i], vt eam remoueret à persuasione malæ operæ, contra se & contra Galliam impensæ, quæ imputabatur Gualterio, à Nuntij munere Romam reuerso.

Cùm itaque Lansacus omni studio conaretur Gallorum beneuolentiam conciliare, proposuit Legatis, arma in hugonottos à Rege mota in eo versari discrimine, vt oporteret peculiari ratione Diuinam opem implorari id verò potissimùm ad Synodum spectare, quippe ad Ecclesiæ vniuersæ conuentum. Accessit Lotharingi postulatio, adiectâ vrgentis necessitatis causâ, quòd nuntiabatur exercitus in horas conflicturus. [k] Quare Legati postulanti satisfaciendum censuerunt; ac manè, die vigesimo octauo Decembris, sanctis Innocentibus dicato, solemne sacrificium peregit Ægidius Epiphanius Episcopus Niuernensis, tum publica supplicatio ab vniuersa Synodo, cunctisque Oratoribus celebrata est. Mox vigesimâ secundâ horâ [l] tabellarius Ducis Sabaudiæ detulit Lotharingo exemplum epistolæ, ad eum Principem à Rege Galliæ scriptæ. Ibi narrabatur, decimo nono Decembris, collatis signis hinc à Regis, hinc ab hugonottorum copiis, hos ingentem cladem passos esse, captumque eorum ductorem Condeum à Guisio Duce [m], cui gloria, & euentus prosperitas integrè debebatur. Etenim Annæus Momorantius Magnus Comestabilis, & Dux supremus exercitus Regij, consueto sibi infortunio vulneratus captusque fuerat ab hostibus, qui iam triumphum canebant, palmâque potiebantur, nisi Guisius, immisso postremo agmine cum cohorte Guasconum & Hispanorum, eam ex illorum manibus eripuisset. Legatos adiit ipse Lotharingus, & rem nuntiauit; ac sine mora vniuersa Synodus templum repetiit, precesque in gratiarum actionem conuertit: quo erga Deum obsequio persoluto, cuncti cum Cardinali gratulationis officio perfuncti sunt.

Suauis, Catholicæ causæ semper inuidus, in primis per silentium dissimulat memorabilem conditionem, quòd victoriæ nuntius peruenerit eodem die, & horâ quasi proximâ solemnibus precationibus; quo pacto Deus ostendit, eas sibi gratas fuisse: quin supplicationem refert tamquam habitam ad grates, non ad preces soluendas. Negat prætereà penes regios stetisse victoriam, ob eorum conditionem qui ex ea parte obierunt, quasi nomen cruentæ victoriæ sit inauditum; quasi communi hominum consensu victor non declararetur qui perstat campi dominus; & quasi rerum scriptores, ac præsertim Andreas Morosinus, Chronographus [n] Reipublicæ Venetæ, glorioſum victoriæ nomen illi prælio non tribuant.

Et

[k] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 28. Decembris 1562. Acta Arcis Æliæ eodem die, vbi fusiùs cuncta narrantur.

[l] Diarium, & litteræ Gualterij ad Borromæum, & Iadrensis ad Cornelium, 28. Decembris 1562.

[m] Vide Spondanum anno 1562. num 45.

[n] Libro 8.

Et sanè eò magis illa profuit, quò magis Regina, sicuti rescitum est, muliebri pacis cupidine se inclinarat [o] ad conditiones turpes ac noxias, quæ ab illa, pridie quàm pugnaretur, signatæ peruenerant ad exercitum inito iam prælio, adeoque hostium sanguine deletæ sunt. 1562.

[o] Litteræ Gualterij ad Borromęum, 4 Ianuarij 1563.

5 Neque Synodus intra tumultuaria lætitiæ argumenta se continuit; sed Lotharingi petitionibus morem gerens, adiecit alia luculentiora [p]. Concesso elapsoque duodecim dierum spatio Belcarius Episcopus Metensis, vir eloquentiâ præclarus, victorum laudes celebrauit magnificâ oratione ad Synodum [q], publicæ felicitati gratulatus in luctu domestico, quippe qui Gilbertum Belcarium, sui fratris filium, amiserat in conflictu; atque hæc omnia eleganti, quam scripsit, historiæ consignata posteritati tradidit [r]. Eodem manè solemne ad agendas grates sacrificium obtulit Lotharingus, ac posteà Cardinales, Oratores, & complures ex Patribus excepit conuiuio. Verùm quò debitum quoque grati animi officium iis præstaretur, qui Religioni victoriam coëmerant non periculo solùm, sed profusione vitæ, & numero non pauci, & eximij conditione, postridie ad opem ipsis implorandam à Deo emortuale sacrificium celebrauit Ludouicus de Bresze Episcopus Meldensis, cui vniuersa Synodus interfuit.

[p] Litteræ Legatorum ad Borromęum, 4. Ianuar. 1563 & Acta Arcis Æliæ, 10. & 12. Ianuarij, & Diarium iisdem diebus.

[q] Oratio legitur in syllabo Actorum quæ sæpè citantur, impresso Louanij anno 1567.

[r] Vide Belcarium lib. 30. à num. 6. ad 10.

6 Interim dies quindecim præterierant, ad statuendum Sessionis diem præscripti [s]. Nouæ dilationis necessitas in comperto erat, sed ambigebatur de Patrum duritia: proinde, sicuti fieri solet in deliberationibus stringentibus magis quàm placentibus, Lotharingus à Legatis accitus est, quò in priuato consilio comprobatâ ab ipso re, quæ vix in consilium cadebat, in publico posteà ab eodem rei confectio promoueretur, eiusque auctores defenderentur. Illius igitur sententiâ confirmati Præsides, noluerunt vt Seripandus, tametsi præsente Mantuano, rursus proponeret, quoniam multorum adhuc sententiæ dicendæ supererant, adeoque præuideri non poterat, quonam certo die præstò essent Patres ad Sessionem celebrandam. Opportunum existimari, spatium illud ad alios quindecim dies protrahi, intra quos proculdubio & omnes audirentur, & res eam speciem præ se ferret, vt dies, quo functio peragi posset, certò cognosceretur. Atque ita quinta prolatio statuta est, cui omnes simpliciter consensere. Solum addidit Guerrerus, oportere vt Legati consulerent graui temporis iacturæ, vnde hæc prorogationum necessitas oriebatur, partito in classes Concilio, quarum singulis suum opus peculiare committeretur, cùm longè expeditius singula singuli, quàm omnes omnia conficiant.

[s] Diarium, & epistola Legatorum ad Borromęum, & Iadrensis, vltimo Decemb. 1562.

1563.

CAPVT XI.

Triginta quatuor postulata, à Gallicis Oratoribus Regis nomine Legatis tradita. Lotharingi de his significatio. Gualterius Romam profectus, cum Pontifice de iisdem acturus.

1 ASsidui cœtus peragebantur, cùm denique Gallicani Oratores tertio Ianuarij detulerunt Legatis[a] expectatas ipsorum postulationes, easque legerunt, ac misso die posterâ illarum exemplo, ipsos incredibiliter sollicitarunt ad eas proponendas, affirmantes, Regem Synodi iudicio rem commissurum. Legati petito ad deliberandum spatio, cum Lotharingo eodem die post conuentum habuere sermonem, tria summatim complexi. Ac primò quidem ipsum percunctati sunt, An ea omnia postulata ex eius sententia proferebantur. Secundò demirati sunt, quânam ratione, ipso iam pollicito cuncta, priusquàm Concilio proponerentur, communicatum iri cum Pontifice, nunc ab Oratoribus tam festinanter stimularentur Legati ad ea proponenda. Tertiò illum rogarunt, ne tantisper eadem vulgarentur, dum de mente Pontificis certiores fierent: sed hæ preces veriùs querelam sonabant, quòd iam multa exemplaria circumferrentur.

[a] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 4. Ianuarij 1563.

2 Lotharingus per summam comitatem candoremque respondit. Ad primum, quædam ex illis postulatis haud sibi probari, idque se patefacturum conuentui die postero, si eo die sibi sententia super illis proferenda esset. Quod si quis à se quæreret, cur ipse ea non impedierat, cùm secreto Regis Consilio interesset, & in Oratores auctoritatem obtineret, responsum reddi, eam auctoritatem exercitam à se fuisse in re quæ magis vrgebat, nimirum in Oratoribus vetandis, ne tum duriora proponerent, velut abrogationem *Annatarum*, tum alia Religioni pernicioſa; idemque se in posterum præstiturum in iis omnibus quæ læderent conscientiam, cui numquam reluctaturus fuisset, etiamsi Regis imperio adurgeretur. Sed cùm tradita postulata huiusmodi non essent, & ea regium Consilium vnanimi consensu comprobasset, noluisse illis obsistere; siquidem, prout rerum mortalium conditio variat, fieri potuisset, vt aliâ tempestate super his quispiam ab eo ipso peteret rationem, quæ super quibusdam à se gestis petita fuerat Henrico & Francisco II. viuentibus; quod suos ob oculos semper obuersabatur.

Ad alterum dixit, Oratores festinare ob accepta ea de re mandata, & quò notam in se delerent Synodi protrahendæ. Verumtamen

tamen communicarent antè Legati rem cum Pontifice: numquam enim Cardinalem ac Præsules Gallicos ab officio recessuros. 1563.

De tertio affirmauit, Suum fuisse votum, vt petitiones laterent in arcano, donec Pontificis responsa Legatis redderentur: sed Oratores satiùs existimasse illas euulgare, compluribus Patrum petentibus, præsertim Italicis, qui hærebant solliciti de iis quæ fama iactitarat, cuiusmodi erat inter alia, Patriarchatum totius Galliæ petitum iri in ipso Cardinali collocandum. Quamobrem ad has extinguendas nugas rem celeriùs emanasse.

Postremò spem plurimam fecit successus prosperi, pollicitus ad id nulli se labori siue corporis siue mentis parsurum.

3 Ea postulata Romam Legati miserunt eodem die; & altero interposito, ad Pontificem legarunt Gualterium [b], qui illi exprimeret, quæ sibi à Lotharingo concredita fuerant. In his tria falsò narrat Suauis; vnum, dum ait, Propositum fuisse à Legatis Lotharingo Gualterium, qui ea de causa Romam mitteretur, & assensum fuisse Cardinalem: sed verum fuit, ab illis Vicecomitem antehabitum, selectumque ad eam missionem fuisse, ratis, operam Gualterij Tridenti magis quàm Romæ profuturam: sed cùm obuenisset necessitas Vicecomitem præmittendi, & interim Lotharingus Gualterium proposuisset, sicuti narrauimus, à Legatis eo petente delectus est.

[b] Litteræ Legatorum ad Pontificem & Bromæum, 5. Ianuarij 1563.

Alterum, dum refert, Gallorum postulata per Gualterium fuisse ad Pontificem missa. Ita statutum fuerat: sed cùm posteà innotuisset Legatis, complura exempla Tridenti circumferri, adeoque multa etiam Romam mitti per tabellarium, qui tunc in viam se dabat, noluerunt ea aliorum priùs operâ quàm suis litteris in Aula conspici, adeoque per eumdem tabellarium illa miserunt.

Sed hæc duo errata digitalia sunt, tertium palmare, dum narrat, Gallos postulata deferentes contestatos fuisse apud Præsides, vbi satisfactum sibi non fuisset in Oecumenica Synodo, se sibi satisfacturos in propriis suæ nationis Conciliis. Ex opposito res contigit: nam Oratores per summam reuerentiam exposuere, Regem Synodi iudicio cuncta commissurum; idque præstitere non per modum liberæ comitatis, quâ liberum sibi foret sua verba tamquam vrbana, non tamquam obstringentia interpretari; sed per solemnem expressionem, affirmantes, Regem existimare, talem esse in illis argumentis supremam Concilij auctoritatem. Idipsum quoque scripto significarunt in earumdem petitionum exordio, quas posteà referemus, & habentur latinè & gallicè in libro sæpiùs à nobis producto.

1563. Enimuerò si iussi fuissent Oratores postulata proponere per eam declârationem obfirmatæ voluntatis, quam Suauis comminiscitur, non tam facilè dixisset Lotharingus Legatis, sibi multa displicere, & paratum à se animum geri ad ea reiicienda postridie, si eo die proponerentur.

Summa petitionum, quæ scripto continebantur, hæc erat. Principio dicebatur, ea seriùs tradi, quia Cæsar eadem ferè suo scripto proposuerat. Sed quando res protrahi videbatur, noluisse Regem ampliùs cunctari, cùm affirmaret, se probè nosse, earum rerum cognitionem ac iudicium ad Synodum liberè pertinere. Dein in peculiaribus capitibus, quæ triginta quatuor erant, petebatur.

I. Cùm adeo necessaria esset in Ecclesia continentia Sacerdotum, nonnisi ætate maturâ promouerentur, & populi testimonio commendati; quod ipsorum futuræ probitatis pignus foret.

II. Ne cuncti sacri Ordines die vnico, eodemque tempore conferrentur; sed post interuallum, per Canones præscriptum.

III. Ne quis ad Presbyteratum assumeretur, nisi vno eodemque tempore aut prouentus ex Sacerdotio, aut ministerium ipsi impertiretur, ex Concilio Chalcedonensi; siquidem antiqui Patres titulos ad suscipiendos Ordines, posteà excogitatos, non agnouerant.

IV. Vt Diaconis, aliisque ad sacros Ordines euectis functiones veteres redderentur, ne dici posset, esse nuda nomina, & in solis cæremoniis sita.

V. Vt Sacerdotes, & ij qui sacris Ordinibus initiati admouebantur ad Ecclesiæ ministerium, se in sua vocatione continerent, nec alia exercerent munera, nisi quæ Diuinum ministerium decerent.

VI. Nemo crearetur Episcopus, nisi ætate legitimâ, ac præditus cunctis dotibus necessariis ad docendum, ad bonum exemplum aliis præbendum, & ad exercendum munus suum per seipsum.

VII. Idem proportione seruaretur in Curionibus.

VIII. Nemo constitueretur Abbas aut Prior in Cœnobiis, nisi sacras Litteras in celebri aliqua Academia professus fuisset, & ad magisterium aliúmve gradum promotus.

IX. Vt Episcopus siue per se, siue per alios à se substitutos, quotquot Diœcesis postularet, concionaretur cunctis diebus Festis, cunctisque Quadragesimæ, Aduentus aut ieiunij diebus.

X. Idem præstarent Curiones, dummodò auditores haberent.

XI. Vt Abbates & Priores in Cœnobiis sacram Scripturam interpre-

terpretarentur; instituerent Xenodochia; adeoque scholam & hospitalitatem veterum temporum Cœnobiis restituerent. 1563.

XII. Vt qui Sacerdotium obtineret, & illud administrare per seipsum nequiret, aut adiutorem acciperet, aut illud relinqueret.

XIII. Vt de Catechismo doctrinæque Christianæ compendio id fieret quod Cæsar proposuerat.

XIV. Ne vni eidemque plura Sacerdotia concederentur, sublato discrimine veteribus ignoto, *compatibilium* & *incompatibilium*, quod multas Ecclesiæ calamitates intulerat; & regularia Sacerdotia regularibus, non regularia non regularibus traderentur.

XV. Vt qui reipsa plura Sacerdotia obtinebat, aut illud solum retineret quod breui sibi elegisset, aut in pœnas veterum Canonum incideret.

XVI. Quò sordes omnes ab Ordine sacerdotali remouerentur, curarent Episcopi, aut per Sacerdotiorum coniunctionem, aut per decimas; &, vbi hoc fieri non posset, curarent Principes laici, vt collatis à plebe pecuniis, valeant Curiones se, & duos pluresque Clericos alere, & hospitalitatem exercere.

XVII. Vt in Missis Parœciarum è suggestu exponeretur clarè Euangelium; & precationes illæ, quæ illic habentur, à populo, præeunte Parocho, vulgari linguâ recitarentur; & absoluto sacrificio preces vulgari sermone recitarentur; quo tempore liceret populo decantare sacras cantiones, aut etiam Psalmos, in idioma vulgare conuersos, & rectè priùs expensos, si Episcopus id opportunum arbitraretur.

XVIII. Vt renouaretur Decretum Leonis ac Gelasij, de sumenda Eucharistia sub vtraque specie.

XIX. Quò cuncti, ac præcipuè idiotæ, vim ac virtutem Sacramentorum in eorum singulis intelligerent, præmitteretur linguâ vulgari breuis quædam explicatio illius quod reipsa administrabatur.

XX. Ne secundùm antiquos Canones Sacerdotia darentur exteris, neque à Vicariis, nec ab ipsis Ordinariis, quorum industria in hac electione præcipuè exerceri debet. Quod si ea intra sex menses non darentur, aut indignis darentur, potestas transiret in proximè superiorem, & gradatim ad Pontificem, ex Concilio Lateranensi: collatio autem aliter à quocumque peracta, esset irrita.

XXI. Vt mandata distribuendi *Exspectatiuas*, *Regressus*, & *Commendas*, reuocarentur, ac reiicerentur ab Ecclesia, quippe Decretis aduersantia.

XXII. *Resi-*

1563. XXII. *Resignationes* pro certo quouis capite, omnino extinguerentur ab Aula Romana, cùm per Canones interdicatur, ne quis successorem sibi quærat aut seligat.

XXIII. *Prioratus* simplices, quibus contra ipsorum institutionem subtracta fuerat animarum cura, in Vicarios translata cum modica mercede, vbi primùm vacarent, in vsum pristinum reponerentur.

XXIV. Cùm in multa Sacerdotia abusus inductus fuisset, vt scilicet carerent onere administrandi Sacramenta, aut concionandi, aut similium functionum, Episcopus de Capituli consilio aut curam aliquam rei sacræ illis imponeret, aut coniungeret cum propinquioribus Parœciis; cùm Sacerdotium absque munere nequaquam deceat.

XXV. Ne pensiones in posterum imponerentur, & vt iam impositæ tollerentur.

XXVI. Vt restituerentur Episcopis in vniuersa Diœcesi Ecclesiasticæ iurisdictiones, exceptis Ordinum capitibus, & Monasteriis, quæ illis subiecta sunt, & quæ celebrant Comitia generalia, aut probant perspicuis monumentis complurium sæculorum immunitatem. Et prospiceretur, ne illa quidem fruerentur plenâ immunitate à correctione.

XXVII. Cùm debeant secundùm Canones Episcopi negotiagerere ex Capituli sententia, curaretur, vt Canonici essent assidui in Cathedralibus, ornati bonis moribus, & saltem vigesimum quintum annum attingerent; ante quem lex non existimat hominem idoneum, ne priuatis quidem rebus regendis.

XXVIII. Vt retinerentur veteres, & noui constituerentur gradus propinquitatis, tum ad carnem, tum ad spiritum attinentis, intra quos per nullam relaxationem licitum esset connubium, exceptis Regibus ac Principibus, boni publici gratiâ.

XXIX. Cùm eâ ætate repullularent Iconomachi, vnde plurima perturbatio exorta fuerat, prospiceret Synodus, vt veram ea de re doctrinam populus doceretur; quod si quæ superstitio aut abusus inductus fuisset, aut in hoc, aut in peregrinationes, aut in sacras reliquias, aut in sodalitia, aboleretur.

XXX. Quoniam sæpè ob enorme delictum populus integer diuexatur, restituerentur Ecclesiæ non modò publicæ pœnæ ob publicas & graues culpas, sed publici luctus ac ieiunia, ad Diuinam indignationem placandam.

XXXI. Cùm anathema sit validissimum telum Ecclesiæ, ne vibraretur

braretur nisi ob grauissimas noxas, in quibus persisteret reus post se- 1562.
cundam & adhuc post tertiam admonitionem.

XXXII. Vt cùm litigia de Sacerdotiis Ecclesiam penè totam contamin auerint, non solùm tolleretur recens discrimen Iudicij *petitorij* & *possessorij*; sed remouerentur nominationes, Academiis concessæ à Synodo Basileensi: atque Episcopis mandaretur, vt ex S. Gregorij effato Sacerdotia concederentur non ea quærentibus, sed fugientibus, ac promerentibus. Illa generatim promereri eum, qui postquam in scholis gradum aliquem conscenderit, aliquamdiu concionatus fuerit cum Episcopi destinatione populique comprobatione. Obtentâ ab Episcopo collatione, aut à Domino nominatione, ne superiori fas esset, alij Sacerdotium conferre; nisi, qui alterutram obtinuisset, à Iudicibus declararetur indignus.

XXXIII. Vbi his oriretur de potestate collationis, aut nominationis, vt primò destinaretur ab Episcopo Oeconomus, qui prouentus omnes colligeret, cunctisque oneribus Ecclesiæ satisfaceret; deinde litigantes conuenirent in eligendis quibusdam viris Ecclesiasticis doctrinâ præditis, qui ad summum sex mensium spatio iudicarent, haud admissâ prouocatione: aut vbi prouocatio admitteretur à Synodo, interim sententia deduceretur in opus; nec vmquam adstringeretur vel Oeconomus, vel qui priorem sententiam obtinuit, ad restituendos fructus à se perceptos lite pendente; vtpote qui solùm conuertendi sint in alimentum sustinentis pondus Sacerdotij, ac pauperum.

XXXIV. Vt decerneretur, singulis annis conuocandas esse Synodos Diœcesanas, tertio quoque anno Prouinciales; in quibus ageretur præcipuè de Ministrorum delectu, & de pœna delinquentium: & inter Concilia Oecumenica, vbi non intercederet impedimentum, decenne solum interuallum esset.

Hæc postulata expectatione moderatiora euasere, in quibus Religionis studium animaduersum est, & in multis etiam prudentiæ plurimum. Sed compertum quoque fuit, aliqua ex parte parum esse opportuna; ac præsertim in rituum mutatione, quâ nihil est Religioni periculosius, nihil eius auctoritati pernicios ius. Ex altera parte optabilia magis quàm possibilia visa sunt, & non congruentia hominum conditioni, quales natura procreat; & rerum statui, quem ferebant tempora: quod posteà exemplo ipsius Galliæ comprobatum est, quemadmodum lectoribus patebit. Potissima Legatorum cautio fuit [c], ne dum ageretur de rebus vnde videbantur vincula posse iniici manibus Pontificis, impingeretur in seditiosam quæstionem de prærogatiua inter ipsum & Concilium; ac de eo præ-

[c] Constat ex epistolâ Legatorum ad Borromeum, 9 Ianuarij 1563.

1562. 1563. præcipuè fusiùs disserüit Mantuanus cum Gualterio antequam ipsum dimitteret. Quin ferunt [d], inter alias petitiones, quas Oratores parauerant, & Lotharingus cum Gallicanis Episcopis impedierat, hanc haberi, quæ ad Monarchiam concutiendam tendebat: Ne Conciliorum sanctiones relaxationibus subiacerent; perinde ac si huiusmodi relaxationum, ipsi Principes frequentissimi maximeque ineluctabiles petitores non sint. Sed nouum non accidit, vt cuipiam res aliqua in vniuersum displiceat, eamdemque simul appetat in euentu peculiari.

[d] Litteræ Fuscararij ad Moronum, 4 Ianuarij, & Iadrensis ad Cornelium, 7. Ianuarij 1563.

CAPVT XII.

Vicecomitis aduentus Romam. Gonzaga & Mediceus Cardinales creati. Pontificis consilia Bononiam se conferendi, eoque accersendi Synodum; sed contrarium Mantuani consilium. Adhibita à Nuntiis studia cum Hispaniæ Rege; eiusque iussa Lunensi Comiti, & Gastellio, qui à secretis erat, data. Moderati piique eiusdem sensus de loco superiori. Lunensis à Pontifice ac Legatis per Scipionem Lancellottum inuitatus. Mandata ad Præsides scripta de ratione agendi cum Lotharingo, ac de discordiis componendis.

VBi resciuit Pontifex, Gualterium fuisse nominatum à Lotharingo, vt is quæ ipse mandauerat, Romam perferret [a], atque ab illo eum laborem libenter suscipi, non modò tamquam peridoneum Gualterium comprobauit; sed censuit, posse ipsum duplici fungi munere, Præsidum simul mandata gerendo. Quare per fiduciæ libertatem Vicecomitis accessum reuocauit, nisi discessisset. Sed iam ille iter faciebat, & Romam peruenit altero ante anni exitum die [b].

[a] Litteræ Borromæi ad Legatos, 26 Decembris 1562.

[b] Litteræ Borromæi ad Legatos, 30. Decembris 1562.

Facile ipsi fuit, suæ testificationis auctoritate, suæque linguæ efficaciâ nubem omnem suspicionis, si quæ erat erga Legatos, ex animo Pontificis dispellere [c]: quod tamen Pius in cunctis litteris, & suis & Borromæi, semper negauit. Atque huiusce tranquilli animi sui non solùm vocibus aperta prodidit argumenta Vicecomiti, sed magis paulò pòst factis primo Legato. Etenim sacro Epiphaniæ die, sibique fausto, quo Pontificiam tiaram acceperat, generalem Cardinalium cœtum habuit, eisque [d] duos primæ magnitudinis addidit; alterum, Fredericum Gonzagam, natum ex fratre memorati

[c] Litteræ Vicecomitis ad Legatos, 2. Ianuarij 1563.

[d] Acta Consistor. & litteræ Vicecomitis ad Legatos, 6. Ianuarij 1563.

iam

iam Herculis Cardinalis, & fratrem Ducis; & dum ipsum nominaret, illius Legati merita[e], illiusque familiæ decora pluribus commendauit. Nouus Purpuratus quò discerneretur à Gonzaga Cardinali sobrino suo, & à patruo, qui Mantuanus dicebatur[f], denominationem cepit ab altera fraterna ditione Montisferrati, donec Hercule demortuo Mantuanus est dictus. Alter in collegium cooptatus, Ferdinandus Mediceus fuit, filius Florentiæ Ducis, qui alterum eâdem ornatum purpurâ, sicuti narrauimus, iam amiserat. Et sanè Cosmi obsequia in Apostolicam Sedem, & perutilia officia, quæ ad eam sustinendam cum Episcopis sibi addictis continenter adhibebat, merebantur eiusmodi remunerationem; quæ tantò maior fuit, quantò minor erat filius, qui annum vndecimum non excedebat. Sed fortasse Pontificem inter alia permouerunt fulgores iam emicantes in puero præcelsi illius animi, raræque prudentiæ, quibus idem posteà & in dignitate Cardinalis summam lucem affudit Aulæ Romanæ, & in potestate magni Ducis attulit singulare decus Italiæ. 1563.

e Patet ex responsis Mantuani ad Pontificem, 15. Ianuarij 1563. inter monumenta Musotti.

f Diarium, 2. Martij 1563.

3 Electionem Frederici Mantuano eius patruo significauit Pontifex per litteras studiosissimas, suâ manu exaratas, & in hanc sententiam[g]: Se ampliùs cunctari non potuisse in promouendo fratris filio; cùm id tandem nimia lentitudo, nimisque indignum videretur, dum patruus tot labores ac molestias in obsequium Dei, Sedis Apostolicæ, & ipsius Pontificis tolerabat. Ibi simul animum suum aperiebat adeundi breuî Bononiam, quò conatum omnem impenderet ad res Christianæ gentis componendas; aut certè ad ostendendum cunctis hominibus, per se non stetisse, siue id fieret per honestam emendationem, siue quocumque alio modo; sperabatque, è propinquo posse melius simul agere, rebusque consulere. Ita Pontifex: sed per hoc fortassis ille intendebat non tam accedere ad Concilium, quàm suauiter ac libenti Patrum animo Bononiam ad se trahere Concilium. Ad id cohortatus fuerat Pium Seripandus, ac posteà ipse Ferrerius, sicuti suis in locis dictum est. Dein verò propensionem animi præ se tulerat[h] Lotharingus, quà propter vtilitatem Synodi, cui sperabatur pacificus ac fortunatus exitus ex ea noua coniunctione cum suo Capite, quà ex cupidine quadam augustioris theatri suarum dotium lumini. Idcircò Pontifex, huic adhærens consilio, negotium[i] dederat Camillo Paleotto, fratri Gabrielis Romanæ Rotæ Duodecemuiri, Concilio assistentis, qui Camillus Orator Bononiæ apud se degebat, vt id Bononiensi Senatui prænuntiaret, & tempori commeatui prospiceret. 1563.

g Signatæ 7. Ianuar. 1563.

h Litteræ Fuscararij ad Moronum, 17. Decembris 1562.

i Acta Paleotti.

1563. Sed Mantuanus cùm ad Pontificem mitteret Episcopum Nolanum, familiæ suæ subditum, vt pedem ipsius nomine deoscularetur, grateſque ageret ob collatam fratris filio Purpuram, voluit simul officium aliud grati animi exhibere; quod eo maius est, quò minus persæpè gratum accidit accipienti, nimirum, contradictionem. Significauit igitur [k], Videri sibi Concilium in eo statu non esse, vt liceret Pontifici ad ipsum appropinquare, certo animo se auctorem fore exitus glorioſi, & non potiùs perturbationis pudendæ spectatorem. Quantò plus magnifici ac prosperi eius aduentus ingenerasset in communi spe, tantò tristius turpiusque euenturum tenue illud ac forsitan improsperum, quod posteà reipsâ pareret, Consultius à se putari, si Pontifex in præsentia iis bonis contentus, quæ posset influere ipsius aduentus expectatus, sed non peractus, conquiesceret, & existimationem Pontificiam procul à discrimine custodiret. Interim autem obseruaret, quò inclinarent controuersiæ quæ agitabantur de institutione ac mansione Episcoporum, & quod susciperetur consilium de Cæsarianorum Gallorumque postulatis; adeoque tam alta machina in scenam non descenderet, nodi soluendi adhuc incerta.

[k] Epistola Mantuani suprà citata ad Pontif. 15 Ianuar. 1563.

Hæc Mantuanus obiecit. Legati verò multum spei, quòd cuncta quas diximus difficultates essent emolliendæ, collocabant in opera Lunensis; tametsi tepidiorem agendi modum in litteris ad Pagnanum ab eo adhibitum cognouerant, sibi persuadentes, hunc ipsum sensuum teporem vim habiturum ad aliorum æstus temperandos, cùm ille sequestrum ageret illius concordiæ, ad quam ipsius consilia vnicè collimare videbantur. Et erat opinio, auctoritatem Regis Catholici, non amplius in inferioris notæ ministro, sed in manu prævalida egregij Oratoris, magni roboris futuram apud Gallos, qui ab eo Rege potentissimo auxilia prævalida accipiebant; multò maioris apud Cæsarianos, ob summam & coniunctionem Cæsaris cum Philippo, & huius fiduciam in Lunensi; & longè maximi apud Episcopos Hispano subiectos. Excreuerat spes ex recentibus litteris ad Pontificem [l], tum à Rege, tum à Nuntiis apud ipsum. Alter ex his erat Alexander Criuellius Episcopus Cariatensis, diu iam suffectus [m], Reuerte defuncto, in eo muniere, qui posteà inter Vaticanos Senatores adscriptus est. Alter erat Paulus Odescalcus, eò posteà missus Nuntius peculiaris, qui deinde Pennensem Ecclesiam obtinuit, & tum anteà tum posteà magna cum

[l] Cuncta extant in litteris Borromæi ad Legatos, 20 Decembris; & in arcanis notis Nuntij Odescalci; & in duabus litteris communibus ipsius, & in Criuellii, alteris ad Mantuanum, alteris ad Legates simul.

[m] Ex litteris Borrom. ad Mantuanum, 9. Nouembris 1562.

cum laude nobiles magistratus gessit. Itaque per eos Pontifex Regem monuerat; Ab Episcopis illi magis obstrictis, cùm esset ipsis incumbendum ad hæreses proscribendas, ad stabiliendam & componendam Ecclesiam & firmissimo dogmatum robore, & sanctissimâ morum emendatione, excitari controuersias non inutiles modò, sed noxias, vtpote fomitem contentionis inter Patres, & scintillas schismatis in Christiana Republica. In huiusmodi postulationibus non solùm cum Germanis, sed cum Gallis etiam consociatos videri. Id planè repugnare beneuolis promissis, piæque menti Philippi, à quo tum ex Religionis studio, tum ex prudentia rectæ politiæ, impedienda erat huiusmodi nouitas, cui consuetum erat Rempublicam peruertere: aliud sibi efficacius non occurrere, quàm præsentiam in Synodo destinati iam Oratoris, cui demandaretur, vt nauiter exprimeret imprimeretque regios sensus Hispanis Episcopis, tum pro Synodi concordia, tum pro Sedis Apostolicæ dignitate. 1563.

6 His à Nuntiis expositis, promptum animum, minimeque tepescentem Rex præ se tulerat, declarans, haud sibi satisfieri, præsertim à Guerrero, qui earum turbarum auctor videbatur, adeoque statuerat illum grauiter de his admonere suis litteris, perferendis à Gastellio, qui à secretis erat, & ad Concilium, vt assisteret Lunensi, mittebatur. Hic autem Gastellius per Galliam transiturus erat, pariqué functurus officio Regis nomine cum Regina, & Tridenti posteà cum Lotharingo; & scripturum se etiam manu sua Rex pollicebatur. Præterea per certum cursorem ad id missum imperauerat Lunensi, ne protraheret amplius suum ad Concilium accessum, missis ad eum mandatis, quæ Nuntiis communicata plenè ipsis satisfecerant. Videbatur quoque dissectum obstaculum ex loci prærogatiua; siquidem scribens ad Pontificem Philippus manu suâ de alio argumento, hæc Hispanicè apponebat[n]: *Statui iam Venetias Oratorem mittere, consilium tuum secutus, & virum idoneum ad huiusmodi munus conquiro. Nec id temporis honoratioris loci rationem habuerim: iis enim, qui obstringuntur muneris vinculis, quibus ego teneor, spectandum non est ad hunc inanitatis fucum in quo inest nihil; sed solum ad id, quod tanti refert ob Diuinum obsequium, ob Ecclesiæ bonum, & ob Pontificiam auctoritatem, cuiusmodi est Religionis conseruatio, & malorum remedium, quæ in præsentia Christianas nationes afficiunt.*

n Eorum exemplum mittum ad Legatos à Borromæo in citata iam epistola, 10. Decembris.

7 Hæc Regis epistola ad Pontificem, addita superiori Vargæ, ipsius spem confirmauit, quòd loci controuersia nec Lunensem ab accessu ad Concilium retardaret, nec post eius ad-

1563. uentum turbas cieret. Quocircà voluit Pontifex suâ etiam epistolâ
o 20 Decembris 1562. illum inuitare ac sollicitare °, quâ insinuabat, sibi pergratum accidisse, ipsum ad id operis seligi; ac simul pollicebatur pluribus verbis, suo calamo adscriptis, æqua omnia ac decentia in Reipublicæ Christianæ commodum. Atque hanc ipsam epistolam ad Legatos misit, eorumque iudicio remisit vt ad Lunensem deferendam curarent: simul etiam significauit, opportunum sibi videri, vt ipsi hominem aliquem ad eum legarent, sed non Præsulem, qui consimile officium eorum nomine illi exhiberet, indicaretque ipsos conscios eorum, quæ Comiti Rex mandabat, & Nuntijs communicarat. Quare Legati, cùm cognoscerent Lunensem Augustæ degere apud Regem Romanorum, lenteque de itinere meditari, Scipionem Lancellottum P Synodi Aduocatum miserunt, qui eorum desiderium illi exponeret de ipsius aduentu, per eam significationem, quæ ostendit, adeoque parit beneuolentiam: quique eidem communicaret quæ proponebantur à Cæsare ac Rege Christianissimo, vt illius animum præoccuparent rationibus, quæ variis eorum postulatis obiectabantur.

p Litteræ Legatorum ad Borom. 4. Ianuarij 1563. & acta Paleotti.

Nec minori solertiâ Pontifex sibi coniungendum curabat animum Lotharingi, qui multis antè diebus misso, sicuti narrauimus, Romam Bertano, per litteras cum eo grauiter questus fuerat de tam multis obtrectationibus, quibus Romæ sua fama lacerabatur, suaque mens falsò insimulabatur. Pontifex igitur peramantes litteras ad eum rescripsit q, Compertum illi esse, quanta ex antiquo tempore esset Romæ licentia loquendi obloquendique de omnibus, etiam de ipso Principe, cui potentia deerat illius frænandæ. Salubre atque vnicum esse remedium, si ipsi tanto melius agerent, quanto deterius alij blaterabant. Certus esset Cardinalis, in ea se opinione à Pontifice haberi, quam idem ipse desideraſſet. Debere hoc illi satis esse, & *malignum* (sic planè scribebat) r *spernere vulgus*. Negligerentur oblocutorum nugæ, mereque nauaretur opera tum communi Ecclesiæ bono, tum proprio Galliæ: nam vtrumque à se promotum iri spondebat quacumque liceret ratione, pro eo ac fusiùs Episcopo Viterbiensi dixisset.

q 30 Decembris 1562.

r Horatius lib. 2 Ode 13

Et quoniam Pontifex in animum induxerat, tum ex modo quo Cardinalis scribebat, & ex dictis Bertani, tum ex Gualterij litteris suprà memoratis, à Lotharingo Legatorum parsimoniam in fiducia erga se, tribui aut vili aut malæ de ipso opinioni, significandum Legatis curauit, s Audiri à se ex varijs partibus has querimonias Lotharingi, cui videbatur, non solùm se præteriri tamquam con-

s Litteræ Borrom. ad Legatos 30. Decembris 1562. & Legatorum ad Borrom. 7. Ianuarij 1563.

tem-

temnendus, sed ex industria procul haberi à negotijs tamquam inimicus: quamobrem velle se, vt cum eo res Concilij abundè communicarentur. Ijsdem etiam imposuit, vt Lotharingo redderent, sicuti fecerunt, Pontificis responsionem, quam recensuimus vnà cum altera Borromei [t], quâ ipsum hortabatur, vt Scotiæ Reginam, fratris sui filiam, benè animaret aduersus technas & impetus hæreticorum, & ex parte Pontificis omnem ipsi opem polliceretur. Verùm Præsides, rati à manu minùs benevola sibi hunc ictum incuti, & quò magis iam assueti, eò magis defessi, quòd quasi signum accusationibus extarent, cum acrimonia rescripserunt; Mirari se, audiri à Pontifice, nedum fidem præberi huiusmodi mendacijs, postquam toties ipsum monuerant: miseram ipsorum conditionem esse, quòd cuiuslibet calamo subiacerent: quam verisimilitudinem persuadere Pontifici, se à Lotharingo tamquam ab inimico cauere, quando tam sæpè suis in litteris res ab eo dictas gestasque commendarant. Compertum à se fuisse in Lotharingo tantum probitatis, religionis ac studij in Pontificem & Apostolicam Sedem, vt ipsius præsentiam sibi fortunatam duxerint, quasi Angelum pacis à Deo missum ad Synodum illum existimantes. Hinc adhibitam à se fuisse vsque ab initio omnem industriam, vt sinistram in quam coniectus fuerat opinionem detergerent, quòd malè animatus in sanctam Sedem veniisset; conquesti cum Borromæo, quòd à nonnullis Romæ litteris, & à quibusdam peruersis ingenijs Tridenti huic ipsorum industriæ officeretur. Lotharingum semper negotiorum participem à se factum, nec vllam vmquam animaduersam ab ipsis causam, cur ab eo se abstinerent: si Pontifex commeritâ animaduersione huiusmodi calumniatores coërcuisset, Legatos ab iniusto dolore, & Pontificem ab inutili molestia liberos perstituros fuisse. Hæc illi. Et tamen dum expostulabant habitam à Pontifice fidem vanis narrationibus, vanam ipsi fidem suis suspicionibus habebant. Id enim non ex falsa calumnia profectum erat, sed ex vera narratione alicuius querimoniæ, à Cardinali iactatæ, & à Gualterio Pontifici significatæ; non quò Legatos læderet, sed quò ab illo impellerentur quò ipsorum plerique vltrò sed timidè propendebant. 1563.

10 Interim Romæ accuratius impendebatur opera ad componenda Decreta contentionibus agitata; & expensis priùs rationibus Tridento scriptis, & Romæ coràm expositis à Vicecomite, in hanc sententiam Legatis responsum est [u]: Primò ipsis communicari varias animaduersiones, habitas super Decretorum tenore. Secundò, cùm admota esset manus ad formandos Canones de Hierarchiâ, cumque

[t] 30. Decembris 1562.

[u] Litteræ Borromæi ad Legatos 9. Ian. 1563.

1563. cumque à Lotharingo præter ſeptem iam paratos octauus fuiſſet propoſitus, quo declararetur, vt rationi conſentaneum videbatur, Pontificis prærogatiua; neceſſarium cenſeri, vt adderentur verba aliàs memorata, pene ad verbum exſcripta ex ijs quæ Florentina Synodus definierat, ſine quibus ſententia manca & ambigua remaniſſet. Curarent idcircò Legati, vt Canon eo modo, conficeretur. Et quamquam credendum eſſet, eos in tam æqua petitione obſtaculum non offenſuros; tamen ſi fortè illud offenderent, ne propterea deſiſterent, ſed conatum omnem exercerent ad illud ſuperandum, conſideratâ intentionis æquitate, atque honeſtâ ſpecie, quam excipiebat ab auctoritate tam ſancti venerandique Concilij, cuiuſmodi fuerat Florentinum. In ſeptimo Canone curatum fuerat, vt multum retineretur ex forma cuius auctor erat Lotharingus; ita tamen, vt in quibuſdam vocibus reconcinnaretur, tribus ad id modulis digeſtis, inter quos primus ſecundo, ſecundus tertio præferebatur, adeoque eo ordine illos proponerent. Tres [x] moduli tales erant.

[x] Extant in Acts Palectti.

1. *Anathema ſit, ſi quis dixerit, Epiſcopos aſſumptos à Romano Pontifice, vt in partem ſollicitudinis non eſſe poſitos à Spiritu ſancto ad regendam Eccleſiam Dei in ea parte, ad quam aſſumpti ſunt; aut per ſanctam Ordinationem non eſſe maiores Presbyteris*, cum reliquis quæ habebantur in Canone dictato à Lotharingo, quæ pariter in duabus alijs formis continebantur, nimirum: *Aut non habere poteſtatem ordinandi; aut ſi habent, habere communem cum Presbyteris; aut Ordines ab ipſis collatos ſine conſenſu & vocatione populi, eſſe irritos.*

2. *Ordinem aut Gradum Epiſcopalem non eſſe inſtitutum à Chriſto in Eccleſia: aut Epiſcopos per ſanctam Ordinationem non eſſe maiores Presbyteris.*

3. Epiſcopos nullo modo eſſe inſtitutos à Chriſto in Eccleſia, aut per ſanctam Ordinationem non eſſe maiores Preſbyteris.

Octauus verò ita ſonabat: *Anathema ſit, ſi quis dixerit, B. Petrum per inſtitutionem Chriſti non fuiſſe primum inter Apoſtolos, & eius Vicarium in terra; vel neceſſe non eſſe, vt ſit in Eccleſia vnus Pontifex, Petri ſucceſſor, eiq; æqualis in auctoritate regiminis; atque in Romana Sede legitimos eius ſucceſſores ad hoc vſque tempus non habuiſſe ius Principatus in Eccleſia, nec fuiſſe Patres, Paſtores, & Doctores omnium Chriſtianorum, nec fuiſſe ipſis traditum à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi Eccleſiam vniuerſalem.*

In Decreto manſionis eo pacto procedendum eſſe, vt hinc efficaciter conſuleretur ſtabili manſioni; hinc, ne tot Patribus inuitis deueniretur ad ſuperuacaneam illam deciſionem Iuris Diuini. Quare

Legati

Legati ad declinandam hanc & consimiles sanctiones, ob oculos semper ponerent, quàm indecorum sit, dogma stabiliri tot capitum suffragijs repugnantibus. 1563.

Impetrato consensu in hanc formam conueniendi, confestim celebraretur Sessio. Offensâ difficultate in septimo Canone, aut in Sessionis Decreto, formari posse hos reliquos Canones, & simul octauum nullâ ratione prætereundum, suspensis septimo, & Decreto mansionis. Vbi alterutrum ex his modis assequi possent, constanter exequerentur, nihil morati quidquid diceret agerétve quicumque mortalium. Quod si vererentur ne secundus etiam modus prosperè cederet, Sessionem prorogarent adhuc per integrum Martium, aut quantum opus esset, fauorem temporis præstolaturi, & quidquid subinde accideret, Romæ nuntiarent.

13 Non obliuiscitur hoc in loco Suauis consuetudinis suæ, scribendi quò minori notitiâ, eò maiori audaciâ. Vice triplicis ideæ Româ missæ Canonis agitati vnicam affert, eamque mendacem, & supra hoc mendacium extruit nouas contradictiones exortas. Pariter erat in octauo, ponens in Decreto doctrinæ quod digestum erat in Canone, & confingens Canonem prorsus alium ab eius vera sententia; adeoque vix ille quidquam veri cognouit præter diem quo tabellarius Tridentum peruenit, hoc est, decimoquarto Ianuarij, sicut ipse narrat. Quod obseruo, vt illi semel certè honorem seruem veridici in recensendis diebus.

14 Alteram præter hanc epistolam scripsit Borromæus ad Legatos, Lotharingo communicandam, vbi appositis reliquis quæ epistola prius recitata continebat, omittebantur mandata ipsis tradita, si repugnantia contingeret: ostendebatur studium impensum in retinenda quàm maximè licuerat forma proposita à Lotharingo, addebaturque commentarius Theologorum Romanorum, in quo mutationum ratio reddebatur:

Haud relictum fuisse minoribus Episcopis nomen Vicariorum Christi: quamquam enim in Missa de cunctis Apostolis dicat Ecclesia, loquens cum ipso Christo de suo grege, *Quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse pastores*: & quamquam aliqui ex antiquis Patribus ita locuti fuerint ante ortas hæreses; tamen recentes Patres eorumque discipuli eam posteà tituli rationem Episcopis vniuersè non tribuerunt, ad ambiguitatem euitandam, quæ frequenter errorem nutrit. Ceterà quicumque Sacramentum quodpiam administrat, ab ipso in ea functione Christi vicem exerceri.

Similiter, vbi in exemplo quod Lotharingus confecerat definiebatur,

1663. batur, fuisse institutos à Christo Episcopos, Episcoporum loco positum esse *Ordinem*, *aut gradum Episcopalem*, ne damnarentur plures Doctores de Catholica Ecclesia benemeriti, qui affirmant, proximè ab ipso Christo solum Petrum institutum fuisse, reliquos verò per Petrum, aut per eius auctoritatem; vt proinde satius ductum fuerit, seligi verba quibus vtraque sententia salua esset, præcipuè verò ne laxaretur aditus importunis illis corollarijs; nimirum, denegari facultatem Pontifici restringendi Episcopis auctoritatem, aut in reseruanda sibi quarumdam noxarum absolutione, aut in reliquis. Insuper non placuisse aliam particulam insertam à Lotharingo, *Episcopos fuisse positos à Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei.* Id quidem conspici à Paulo prolatum in Actis Apostolorum; sed ibi sermonem esse peculiarem de Ecclesia Ephesina, non de vniuersali, sicut hîc sonaret: præterquam quòd nomen Episcoporum illic non accipiatur in arctiori significatione, sed laxiùs pro cunctis Ecclesiæ senioribus, propositis ad eam administrandam; sicuti ex integro contextu colligebatur. Et summatim, tum in mutatione huiusmodi particularum, tum in eius additamento, quo firmabatur prærogatiua Romani Pontificis, visum esse Theologis claritatis plurimum adhibendum; quandoquidem animaduertebatur, cunctas nouas hæreses quasi lineas esse, quæ per varias semitas ad hoc centrum concurrebant, vti Caput ipsi Ecclesiæ tolleretur: & perspicuum esse, sublato capite omnia membra perire.

y Constat ex arcana epistola Legatis scripta.

Alteram simul Epistolam scripsit Pontifex y ad Lotharingum, in qua illi gratulabatur victoriam in Gallia reportatam Guisij Ducis fratris virtute: & consilium se conferendi Bononiam significabat; de quo eius cohortationes acceperat, sed nondum opposita Mantuani consilia. Enimuerò nonnulli Principum, sicut aliquam obtinent similitudinem Dei in eo quòd supremi aliarum rerum motores sint; ita pariter obtinent in eo, quòd sint immobiles.

CAPVT

1563.

CAPVT XIII.

Mors Ludouici Theoduli; vnde materia suppetit ad duos alios Episcopos remunerandos. Liberum Legatorum responsum memoratis litteris Borromæi. Agitata ab ipsis cum Lotharingo super septimo & octauo Canone. Dies Sessioni delectus. Difficultates obiectæ Lotharingo à suis, & ab Hispanis. Ipse & Madruccius destinati ad componendam controuersiam de mansionis Decreto.

1 IN cunctis expeditionibus, siue bellicis siue ciuilibus, nulli maius famæ præmium debetur, quàm illi, cui profusâ ibi vitâ nullum aliud præmium reddi potest. Vt hanc ego legem obseruem, enarrandum mihi est, id temporis, hoc est decimo Ianuarij, naturæ cessisse Ludouicum Theodulum Foroliuiensem, Bertinori Antistitem, quem abundè laudatum comperio [a] ex probitate ac doctrina, quâ viuens collegas adiuuerat, & ex pietate quâ moriens adeam excitauerat. Sed cùm verè contingat perinde in ordine naturali ac in politico, vt corruptio vnius sit generatio alterius, huius obitus opportunitatem Legatis præbuit commendandi Pontifici duos Episcopos Concilij [b], qui plurimum merebantur. Alter fuit Ægidius Falcetta Cingulanus, cuius operam Borromæus iam destinarat suæ Mediolanensis Diœceseos vtilitati, & cuius Ecclesia Caprulana [c] erat pauperrima prouentuum, ac reliquarum omnium conditionum, ex quibus domicilium perpetuum fit tolerabile. Alter, Iulius Soperchius Mantuanus, Carmelita, cui mendicus Episcopatus Acciensis nihil aliud de Episcopi munere conferebat, nisi obligationem habendi se pro Episcopi dignitate: quare prosperitatis loco accepisset, quod Falcetta tamquam miseriam relinquere cupiebat; cùm hoc præstet miseri præ diuitis statu, quòd vni facilis est ingens lætitia, alteri ægrè possibilis. Pro vtraque parte preces exauditæ.

a Litteræ Fuscaratij ad Moronum 10. Ian. & Iadrensis ad Cornelium 21. Ianuarij 1563.

b Litteræ Legatorum ad Borromæum 11. Ianuarij 1563.

c Constat ex litteris Vicecomitis ad Borromæum 2. Febr. 1563

2 Sed non æquè placuerunt Legatis quæ de publico negotio Româ rescripta fuerant. Credi vix potest, quàm molesta ad ipsos peruenerit Borromæi responsio, de qua diximus. Statim Lotharingo eam ostendêre, vnà cum animaduersionibus illi adnexis super forma Canonum ac decretorum; qui alienum omninò animum præ se tulit. Idcircò illi eò acrius extimulati sunt, tum ex molestia nouæ offensionis, tum ex auctoritate alieni iudicij ad ea improbanda,

1563. Romam scribentes acribus formulis, ac penè dixerim felle permixtis. Primo loco angebantur, se nesciuisse tot scriptis ac nuntijs satis exponere Pontifici, eiusque Consiliarijs, illius Concilij statum, & quàm periculosum foret quodcumque aliud susciperetur consilium, præter pacificum illius exitum: cui aduersari videbantur ea mandata, vt certa quædam exequerentur, etiam quocumque mortalium repugnante; & simul, quantum difficultatis euincendum, quantumque industriæ impendendum, quò hic pacificus exitus haberetur; ac proinde quàm dissentanea rerum conditionibus essent mandata limitata ac præcisa, perinde ac si vna eademque res foret, velle ac posse. Durissimo Legatis esse obstaculo firmam eorum coniunctionem, qui addicti Pontifici non habebantur; sed non minùs firmam discordiam eorum, qui se illius studiosos profitebantur, quæ ortum ducebat à singulorum cupiditate ostentandi maioris studij in Apostolicam Sedem ac Pontificem. Dicebant deinde, animaduersiones ad se missas Româ, Patribus ac Theologis Tridentinis visas non fuisse tanti pretij, quanti tempus abearum auctoribus ad id impensum, neque pares aliorum expectationi; quin plenè iam excogitatas à doctis viris Concilij, adeoque tales, vt earum causâ, aliarumque plurimarum, etiam non minoris momenti, ne vnum quidem diem Sessio retardanda esset. Fuisse tamen illas à se communicatas cum Lotharingo, vt ostenderent se illi fidere, & ex sua propensione, & ex iussu Pontificis; sed eas primo aspectu nihil illi satisfeciisse; cùm indignas putaret & loco vnde prodierant, & hominibus qui eas dictarant. Ab eodem postea vnà cum Madruccio, Legatos inuisente, id ipsum confirmatum. In primis mirum omnibus accidisse, quòd Romæ non fuisset animaduersum, si Concilij Florentini verba proponerentur, non tentatis anteà inflexisq; Patrum animis, facilè excitatum iri disputationem, omni studio fugiendam, de Pontificis auctoritate: à Lotharingo subinde difficultates expositas fuisse, in quas offendebat in forma Canonum Romæ concinnata; cui cùm responsum fuisset à Legatis eâ lenitate, quæ conditionem & iuris & negotij decebat, in hoc tandem consilium eum deueniisse, iniquitatem temporum postulare, vt tum per Decreta doctrinæ, tum per Canones, statueretur Pontificis auctoritas; se verò arbitrari opus esse, vt id præmitteretur Episcoporum auctoritati, tamquam inferiori, & à Pontificia pendenti, mutato Canone octauo in septimum, & septimo in octauum: à se quidem operam nauatum iri, vt prior communiter exciperetur ijsdem verbis Româ missis, vnico adiecto ob respectum poste-

posterioris, sicuti videbimus: in posteriori existimari à se opportunas mutationes quasdam, quas scripto exhibebat. Hæ verò quatuor [d] omnino fuere. 1563.

[d] Hæc fusè habentur in Actis Romanæ aulæ, & Palectti, & in litteris Legatorum & in scriptis adiectis voluminì litterarum Strozzj ad Cosmum Ducem, & in Epistola Fuscarinj ad Morenum 18 Ianuarij 1563.

3 Prima in primo Canone habenda respectu secundi erat, vt nominaretur Romanus Pontifex non simpliciter *Christi Vicarius*, sed, *supremus Christi Vicarius*: cùm vtique Episcopi quoque, atque etiam simplices Sacerdotes sint aliquo modo Christi Vicarij ex Canone *Mulierem*, in causa 33. quæst. 5. idque Romanum scriptum fatebatur.

Secunda, vt si Canon septimus poneretur secundùm primam ex tribus formulis Româ missis, delerentur ea verba, *in partem sollicitudinis*, ac merè diceretur, Episcopos à Pontifice assumptos, à Spiritu sancto positos esse.

Tertia, ne exprimerentur functiones Episcoporum, quin simul adijceretur, eos posse *regere ac sacris interdicere*, quod pertinet ad iurisdictionem.

Quarta, ne dicerentur simpliciter *maiores*, sed, *superiores* Presbyteris, quod auctoritatem importabat.

4 Pergebant Legati, coactum à se fuisse ad deliberandum peculiarem cœtum Patrum, quorum alij Theologi erant, alij Canonum periti, additis tamquam viris benè cordatis Marco Antonio Columna Archiepiscopo Tarantino, & Dominico Bolano Episcopo Brixiensi, & omnes consensisse vt ea admitterentur, exceptis Petro Antonio Capuano, Archiepiscopo Hydruntino, Alexandro Sfortia, & Sebastiano Vantio Episcopis, altero Parmensi, altero Vrbeuetano, qui plus minúsve se alienos ostenderant: sed ipsorum difficultates fuisse à reliquis aptè dissolutas. Et sanè compertio [e], Seripandum semel ardenter inuectum esse in morosam illam auersationem ab omni verborum formula, quòd ea possent perperàm detorqueri, admonentem, ne Spiritum sanctum quidem voluisse hanc immunitatem concedere suis effatis, cùm permitteret, vt ea subiacerent siniſtris interpretationibus, in quas ab hæreticis in dies trahebantur. Addebant in suis litteris Legati, Scriptas fuisse eas appendices & mutationes, quæ censoribus probabantur, missasque ad Lotharingum: qui cùm ipsos inuiseret, ægrum animum præ se tulerat, fassus spem sibi non esse, effecturum se, vt illæ ab Hispanis Gallisve reciperentur, quin nec se ipsis assensurum, nisi à Spiritu sancto aliter impelleretur. Tum verò Legatos, malorum sollicitos, quæ præuidebant nisi concordia obtineretur, cùm præsertim ille postremus iam dies esset ad futuræ Sessionis diem præscribendum, iniunxisse Paleotto, vt ipse digereret vltimum do-

[e] In Actis Palectti.

1563. ctrinæ caput, duoſque poſtremos Canones, pro eo ac idem arbitraretur id conformari ſenſibus vtriuſque partis: quæ ambæ illis auditis conſenſum illicò abſque contentione præbuerunt, & eorum omnium exemplum ad Borromæum miſerunt. Viſum eſſe Legatis, particulam illam adiectam, *aſſumptos à Romano Pontifice*, validum eſſe alexipharmacum aduerſus quamcumque iniquam reliquarum vocum interpretationem, quippe quæ vnà cum eo additamento non niſi de iuriſdictione intelligi poterat. Et quamquam non exprimeretur, Epiſcopos aſſumi in partem ſollicitudinis; tamen id colligi per euidentem conſecutionem, quandoquidem formis ampliſſimis ac prævalidis ſuprema Romani Pontificis auctoritas firmabatur; adeoque exponi non poterat, eos aſſumi niſi in eam partem, in qua Pontifex illis indigebat ad Eccleſiam adminiſtrandam. Exiſtimaſſe Prælides, eiuſmodi conſilium ſuſcipi poſſe: ſiquidem hinc Pontificis Romani prærogatiua poſt tam atroces recentium hæreticorum oppugnationes confirmabatur, nulla ex parte quidquam diminuta; hinc vbi ea concordia non ſuccederet, Lotharingus apertè prædixerat, numquam celebratum iri Seſſionem: quod extremam offenſionem illaturum fuiſſet nationibus Tranſalpinis, cùm ipſis innoteſceret, non poſſe Catholicos de Romani Pontificis auctoritate conuenire. Præterquam quòd timenda eſſet conteſtatio, nec ea quidem ſimplex, ſed fortaſſe cum prouocatione ad aliam Synodum liberiorem, & per formarum acerbitatem, quæ ab ira dictari ſolet: poſſe quoque ex huiuſmodi diſcrepantia ſequi Synodi diſſolutionem, cui ſe numquam conſenſuros Legati profitebantur ſine diſertis mandatis, & à Pontifice ſubſcriptis. Cùm enim ex ea grauiſſimæ calamitates Eccleſiæ prænoſcerentur ab ipſis, æquum non eſſe, vt in ſe tota cùlpa recideret, qui operam illi non contulerant, imò repugnarant, vtpote qui ſi ſummi boni auctores eſſe non poterant, nolebant cladium eſſe adminiſtri. Itaque præciperet Pontifex in tempore, ſiue vt conſilium illud acciperent quod bonum ſibi videbatur, ſiue vt eo reiecto ſinerent quodcumque incommodum inde ſuccedere. Animaduerti coniunctionem Cæſarianorum, Gallorùm & Hiſpanorum, quà ex concordia petitionum inter Cæſarianos & Gallos, quà ex indulgentia Hiſpanienſium Gallorum voto de manſionis negotio poſt tot clamores, totieſque patefactam ipſorum mentem: & hinc eſſe veriſimile, Gallos viciſſim cum Hiſpanis de alijs argumentis conuenturos. Narrabant, à ſe ductis eâ ſpe concordiæ, die xv. in cœtu vniuerſali, & ex vniuerſali conſenſu, fuiſſe præſcriptam Seſſionem

die

die quarto Februarij, ibique simul statutum, vt ab ipsis aliqui deligerentur ad conficiendum mansionis Decretum: habere se in animo, duos Cardinales, Lotharingum & Madruccium eligere; hunc, tametsi iuuenem, præditum esse peritiâ, prudentiâ, ac singulari in Pontificem studio, adeoque eius operam non nisi prudentem & opportunam rebus agendis euasuram. In hanc sententiam ad Borromæum Legati scripsere. 1563.

5 Ea Sessionis denuntiatio ad quartam Februarij diem [f], proposita fuerat à Mantuano verbis perpaucis, vt fieri solet in ijs quæ dicenti simul & audienti displicent; omnesque consenserant præter Antonium Ciureliam ex Bario, Budoensem Antistitem: in altera deliberatione, vt Legati deligerent Decreti correctores, nemo dissenserat.

[f] Diarium 15 Ian. 1563

6 Legatorum epistola modò exposita, quod spectabat ad priorem partem de animaduersionibus Româ missis, adeò aculeata visa est Pontifici, vt [g] per Vicecomitem Tridentum redeuntem ipsos, & Oliuum, qui erat à Secretis, monuerit, ne Romam scriberent, nisi tam placidè, vt litteræ legi possent in Romanis cœtibus absque auditorum offensione. Verùm eadem Legatorum epistola non seiuncta perrexit ab altera, ab ipsis paucas post horas Romam scripta, quâ tota negotij facies mutabatur. [h] Nam eodem die Lotharingus ad se Paleottum acciuerat, eique significarat, se non potuisse, quantuis adhibitâ diligentiâ, suos & Episcopos & Theologos adducere ad Decretum illud Canonesque acceptandos.

[g] Ex Epist. Vicecomitis ad Borrom. 3. Febr. 1563

[h] Litteræ Legatorum 16. Ianuarij 1563. ad Borromæum.

7 Nolebant, vt apponeretur in Decreto, ab Episcopis locum obtineri à Romano Pontifice dependentem; obijcientes, in Ordine illos certò non pendere, & in Iurisdictione, in controuersia id versari.

Præterea in Canone, qui recenter septimus erat, non admittebant ea verba, inesse potestatem summo Pontifici regendi Ecclesiam vniuersalem; cùm illa officerent sententiæ neganti eum esse superiorem Concilio; ac proinde, loco *Ecclesiam vniuersalem*, ponendum esse, *omnes fideles, & omnes Ecclesias.*

Tertiò volebant in altero Canone, vt liquidò declararetur, esse institutos Episcopos à Christo, non adiectis illis vocibus, *assumptos auctoritate Romani Pontificis*, sed simpliciter, *assumptos à Romano Pontifice.*

Denique non consentiebant, vt diceretur, *esse Romanum Pontificem æqualem Petro in auctoritate regendi:* siquidem vbi maior est sanctitas, ibi pariter, aiebant, auctoritatem esse maiorem; ac propterea posse quædam à Petro confici, quæ successoribus negabantur, cuiusmodi erat, libros Canonicos dictare.

Hasce

1563. Hasce difficultates distinctè Paleotto tunc non exposuit Lotharingus, sed tantummodò excusauit se, quòd anteà confiderat suprà quàm posset; vt qui sibi persuaserat, quemadmodum à se doctioribus satisfactum fuerat, id sibi apud reliquos euenturum, quod posteà reipsâ, quantâuis impensâ industriâ, non euenerat; spem tamen reliquit rei aliquo pacto conficiendæ.

His commoti Præsides, detento tabellario iam equum ascensuro, prioribus litteris posteriores addiderunt. Posteà verò Osius & Simonetta cum Lotharingo collocuti sunt[i], quò id perficeretur quod anteà statutum fuerat. Sed ille nihil amplius præstare potuit, quàm ingenuè fateri, affirmantem sententiam sibi probari, sed vires non suppetere ad suos Gallos aliosque dimouendos à sententia pernegante; ac die postero Legatos conueniens idem confirmauit, eisque quatuor difficultates, quas attulimus, distinctiùs exposuit.

i Litteræ Legatorum ad Borromæum 18. Ian. 1563

Idcircò Legati admodum anxij, posse quidem existimabant cum aliquo ex antesignanis facilè rem componi, sed in alijs duriorem difficultatem animaduertebant. Firmi tamen in sententia persistebant, priùs extrema quæque tentanda, quàm ad drssidia deueniendum. Quapropter negotium dedere Castaneæ, Boncompagno, Fachinetto, Paleotto, & Castello, vt quatuor obiecta expenderent opportunè: posteà verò illorum responsa cum Lotharingo communicarunt[k], & ipse quoque cum Oratoribus; eos rogans vt concordiam auctoritate officiorum ipsi pariter apud Præsules, & consiliorum prudentiâ apud ipsos Legatos promouerent. Dura hominis conditio, qui se inter angustias videt aut iacturæ aut dissidij, & in dissidio ingentem etiam iacturam videt.

k Litteræ Legatorum ad Borromæum 24. Ian. 1563

CAPVT XIV.

Decretum de mansione à Lotharingo ac Madruccio reconcinnatum. Nouæ difficultates inde subortæ. Oratorum Galliæ colloquium cum Legatis de prærogatiua Pontificis supra Concilium.

a Litteræ Legatorum ad Borromæum 19. & 21. Ianuarij 1563.
b Eorum item eundem 24 Ianuarij.

INterim Legati duos illos Cardinales destinarunt[a] ad reficiendum mansionis Decretum, cum facultate alios sibi deligendi operam collaturos, delectique sunt quatuordecim, natione varij, & sapientiâ præstantes. Tum Lotharingus[b] gloriam inuentoris appetens, protulit ex incogitato formam Decreti, aliam ab ea quam in cœtibus Legati proposuerant. In cuius proœmio minutius explicabantur Episcopi functiones: de cetero abstinebat à vocibus, per

per quas detrimentum pateretur hæc illáve litigiosarum opinionum. Verumtamen incredibile est, quantum laboris impenderint duo illi Cardinales, ac præcipuè Lotharingus negotij Princeps, ad componendam immensam opinionum sensuumque varietatem, adeò vt non semel de sua patientia desperarit. Die quodam aliqua contentio accidit inter ipsum & Archiepiscopum Hydruntinum, & maior posteà inter hunc & Granatensem, quicum Hydruntinus tam frequenter altercabatur, vt id in æmulationem prorumpere videretur. Res ita contigit. Hydruntinus [d] reprehenderat, in forma proposita exprimi curas peculiares Episcoporum & hoc pacto nouas induci quæstiones, non veteres tolli; & insuper dum ibi pronuntiabatur, pascendi munus, & Episcoporum officia esse ex diuino mandato, declarari ex eo, etiam mansionem ad ius diuinum pertinere; quam declarationem compertum sibi esse maioris partis sententiæ repugnare: nec illi cœtui potestatem fuisse traditam noui Decreti condendi, sed concinnandi prioris, à Legatis iam formati. Id quod affirmabat de sententia maioris partis, reiecit Lotharingus, factum inficiatus. Quapropter necesse fuit, vt qui à Secretis erat, summam caperet sententiarum quæ dictæ fuerant; ex qua cùm vera comperiretur affirmatio Archiepiscopi, quin pauci numerarentur qui declarationem flagitarant, Cardinalis, more Principum cùm in disputationibus premuntur angustijs, respondit inflammatior, Penes se quoque summam esse eorum quæ fuerant pronuntiata, plurimumque discrepare, quæ ipse & is qui à Secretis erat notauerant, nec eâ ratione sententias aptè notari: improbauit proinde, vnicum esse Præsulem à Secretis, cùm plures & ex pluribus nationibus esse deberent. Sed Hydruntinus perstitit in eo quod dixerat. Guerrerus subinde eius loco sustinuit distinctam illam expositionem curarum ad Episcopos spectantium, tamquam maximè condecentem, quin ex eo tantummodò eam sibi displicere, quòd amplior non esset. Et subdidit, Ab eo qui diceret, non esse ex diuino mandato munus pascendi, & reliqua ad Episcopos pertinentia, hæresim dici. Quo dicto commotus Hydruntinus, petijt vt Cardinales ad modestiam cogerent locutores, aliter se quoque eam depositurum: se Catholicum æquè ac quemlibet hominum vbique gentium profiteri, nec ampliùs illi cœtui se interfuturum. Tum Granatensis: Posse quidem proferri hæresim ab eo qui non esset hæreticus, quemadmodum innocenter hæresim affirmasset, qui ante definitionem Ecclesiæ negasset Spiritum sanctum etiam à Filio procedere: quæ ratio tametsi alterum purgasset

1563.

[c] Ex duabus Legatorum ad Borrom. 21. & 25. Ianuarij 1563.

[d] Litteræ Legat. ad Borrom. 24. & 25. Ianuarij. & Iadrensis 25. Ian. 1563

1563. gasset hæresi, non tamen ignorantiâ purgasset. Lotharingus verò Guerreri responsione contentus, nihil amplius mouit. Et qui vellet ab alterius partis studio illum absoluere, posset in animo inducere, haud opportunum Lotharingo visum, siue anteà reprimere, siue posteà reprehendere insignem Antistitem æmulæ nationis. Quare Hydruntinus ab huiusmodi cœtibus abstinuit, & cum ipso etiam Dertusensis, qui cum Granatensi contenderat: sed vterque petentibus Legatis posteà redière.

Religiosiores in eo Decreto erant memoratus Hydruntinus, Castanea & Boncompagnus; Marinus anceps substitit. Verùm cùm à reliquis omnibus, maiori scilicet parte, comprobaretur, à Lotharingo ac Madruccio ad Legatos delatum est, redditâ ipsis ratione distinctâ singularum vocum, ostensoque, earum nullâ magis importari mansionem esse iuris Diuini, quàm importaretur in Decreto promulgato in Synodo vsque ab ætate Pauli III. Dein Lotharingus ægro animo propter contradicentium duritiam quam offenderat, in atrocissimas querimonias prorupit aduersus nonnullos Patres generatim; Velle illos ob rationes humanas Religionem, Ecclesiam, & Summum Pontificatum perdere, cùm in causa essent, vt à Romano Pontifice secederet Gallia, & fortasse cum Gallia reliquæ Catholicorum Prouinciæ: ex eo sibi extremum dolorem infligi, quando iam animaduertebat, infructuosos effluere labores immensos à se suisque fratribus susceptos ad regnum illud in obsequio Romanæ Sedis retinendum. Adesse Præsulem, qui ardenter nauaret operam Synodo dissoluendæ. Certum sibi esse, ea tentari & nolente & inscio Pontifice: in eo mens inerat supra quoscumque mortalium rectissima: sed obstringi Legatos, vt de ijs ipsum redderent certiorem; quod se præstiturum aiebat, quippe studiosum ac perpetuum Pontificis famulum. Dubitari non posse, huiusmodi homines omnem lapidem esse moturos, quò Decretum impedirent; sed velle se illius exemplar ad cunctos Christianos Principes mittere, quò palàm fieret, quàm sincerè, quod in se erat, res gesta fuerit, & quàm parum laborarent alij de Ecclesiæ Orbisque terrarum peruersione. Denique dolorem & indignationem animo spirans, affirmauit, apud se statuisse Sessioni non interesse, sed ad Ripam Tridenti se conferre: à quo multis rationibus, & auctoritate magis, illum ægrè remouit Mantuanus.

Diei spatium petiere Legati [e], quo responsum redderent de Decreto. Et primò quidem sperabant, se modicam ac superabilem difficultatem offensuros; sed posteà quò diutiùs habebatur consilium,

[e] Duæ Litteræ Legatorum ad Borrom. 25. & duæ 28. Ianuarij 1563.

silium, eò plura studium ac subtilitas excogitabant, nouasque dubitationes ampliùs suggerebant, & sui cuique amor nodum à se inuentum alijs insolubilem depingebat. Non quidem inter Theologos certabatur, nec inter illos & Canonum Consultos; sed inter ipsos Canonum peritos inter se dissidentes. Atque in monumentis comperio [f], reliquos Præsides conuenisse de recipiendo Decreto, & illi qui erat à Secretis iniunxisse, vt in hanc sententiam scriberet Romam; sed Simonettam recusasse litteris subscribere. Iam verò, cùm ipsi omni sollicitudine conarentur negotium componere, sæpè rebantur ad concordiam se peruenisse, planeque eam contrectare; sed eadem posteà ex improuiso non è manibus solùm, sed è conspectu dilabebatur, ita vt illam omnino desperarent. Cùm eo motu tam turbido perpetuò agitarentur in re, quæ tum religionis tum existimationis studio sibi adeò cordi erat, scripserunt, se nonnumquam propè fuisse vt ipsos vitæ tederet. 1563.

[f] De hoc plura habentur in litteris Mutinensis ad Moronū 28. Ian. & in varijs antecedentibus & sequentibus: & in Epistola Legatorum ad Borom. 25. Ianuarij 1563.

4 Neque labor hic leuabatur meliori reliquarum rerum conditione. Communicarant ipsi cum Oratoribus Principum, sicuti narratum est, ea quæ Præsules Galli obiecerant formæ à Lotharingo dictatæ de Romani Pontificis auctoritate, & Episcoporum institutione, ipsorum opem & consilium pro concordia implorantes. Porrò die vigesimoquarto Ianuarij Galliæ Oratores ad Legatos vesperi [g] accessere; ac Lansacus cœpit ostendere, obstacula concordis processus non minùs ipsis Oratoribus quàm Legatis displicere. Ad illum obtinendum numquam à se prætermissa fuisse, nec prætermissum in posterum iri officia vniuersalia, non vtique peculiaria, vt Decretum illud, & illi Canones reciperentur; cùm sibi mandatum non fuisset à Rege Christianissimo, vt ipsi Præsules cogerent in ijs quæ conscientiam inuoluerent, quin potiùs vt plenissimè compotes libertatis suæ illos relinquerent. De consilio à Legatis quæsito aliud sibi non suppetere, nisi vt procul tum à doctrina, tum à Canonibus haberetur quidquid dissensionem posset inducere; subiecitque, operam se relicturum collegis suis ad reliqua proferenda. Tum Fererius quasi pro certissimo posuit, Concilium supra Romanum Pontificem esse: Religionem & Ecclesiam Gallicanam non modò id sentire, sed profiteri, & iureiurando affirmare tamquam articulum necessarium; idque iure optimo ex Constantiensis Concilij auctoritate. Præscribi quidem sibi in mandatis regijs, ne huiusmodi controuersiam excitarent; sed simul, ne liberum sinerent aditum cuilibet verbo, quod illi ipsorum religioni opponeretur: ac propterea huius rei declarationem à se retardatam fuisse, donec ab ipso

[g] Litteræ Legatorum ad Borom. 24. Ianuarij 1563.

1563. tempore ac negotio cogerentur. Allatas posteà petitiones memorauit, adiecitque, cùm Pontifex iam dixisset, argumenta illa omnino à se in Concilio reponi, se minimè consensuros, vt rursus à Concilio in Pontifice reponerentur. Atque de his omnibus verba faciens, firmam ardentemque voluntatem patefecit.

Ad hæc primus Legatorum ipsis grates egit ob animi studium erga se. De consilio respondit, fas sibi non esse illud aut amplecti, aut commendare; quin numquam se destituros in forma Canonum ac doctrinæ ea ponere, quæ supremam Pontificis auctoritatem declararent. Si Oratores studebant suam opinionem tueri, Præsides studere veritatem propugnare, hoc est, Pontificem superiorem esse Concilio. Ne inducerent animum, vt oppositam sententiam agitandam proponerent, neque vt à Concilio illius definitionem exposcerent: etenim Legatos tam certos in eo persistere, vt vitam potiùs amitterent, quàm id in dubitationem adduci permitterent. Hîc Seripandus ad Fererium conuersus dixit: Allatum ab illo fundamentum Synodi Constantiensis, haud solidum esse: id temporis certum Romanum Pontificem non extitisse; atque hinc ad schisma sedandum opus fuisse, vt declaratio ad Synodum pertineret, adeoque vt illa præesset cunctis illis Pontificibus litigiosis. At in præsentia viuere inter Catholicos supremum Pontificem, certum, legitimum, atque indubitatum, cui vniuersa Ecclesia subdebatur: & ea de re disseruit eruditâ eloquentiâ, pro dignitate viri, & argumenti grauitate. Orationem concluſit, se numquam destituros, quin ea omnia proferrent, quæ hanc veritatem & palàm facerent & confirmarent.

Hinc ad inquirendum progressi sunt, quis importuni illius litigij causam præbuisset. Et Legati contenderunt, ac posteà patefaciendum curarunt eodem ipso vespere in Oratorum scriptis, à Gallis illud excitatum fuisse, opponentibus formæ cum Lotharingo compositæ dictionem illam, per quam affirmabatur, in Pontifice Romano auctoritatem regendæ vniuersalis Ecclesiæ ex Florentino Concilio, officere ipsorum opinioni quòd Concilium summo Pontifici præsit. Subijcientibus denique Legatis, se de ijs omnibus, quæ dicta fuerant, acturos cum Lotharingo Cardinali; Oratores inexpectatum responsum reddidere; Sibi nihil esse agendum cum illo, nec ipsi obtemperandum, sed solùm exequenda Regis mandata, pro eo ac sibi fuerant imposita. Quod vnà cum reliquis, quæ præcesserant, Legatis palàm fecit, non obtineri à Lotharingo eam auctoritatem quam ipsi conceperant, & ille sibi tribuerat: & planè per

per eos dies [h] Insulanus ad Reginam scripserat, Cardinali diffidens, indicansque, à Gualterio delata fuisse ad Pontificem arcana Lotharingi monita, & ampla promissa; atque idcircò, cùm ille Præsul antequam Tridentum adiret, pessimè loqueretur de Cardinali, nunc eumdem summis ab ipso laudibus ad cælum euehi. Tam duræ conditioni subduntur Principis cuiuspiam administri in negotijs cum altero transigendis: si hunc lædunt, in finem qui intenditur peccant, & tamquam impetu perciti, ac imprudentes vituperantur: si blandis modis ac temperatis concordiæ student, eneruium aut infidelium notam incurrunt; & tamen ad has difficultates, & ad hæc discrimina, tamquam ad felicitatem mortales adspirant, siue quòd singulis amor sui consilium, gratiam, prosperitatem pollicetur; siue quòd humana superbia tamquam minùs incommodam tolerat conditionem vexati quàm neglecti. 1563.

[h] 14 Ianuarij 1563.

CAPVT XV.

Oratoris Sabaudi aduentus ad Concilium. Lancellotti reditus Tridentum. Obstacula ne Lunensis accedat, ob loci controuersiam. Acta super eo cum Gallis à Legatis. Responsa quæ Vicecomes retulit Româ communibus Præsidum mandatis, & peculiaribus Mantuani.

1 ACcessit eâ tempestate Concilio nouus Orator, qui non modò nihil perturbationis attulit, vt plerique solebant, sed sæpè profuit ad sedandas perturbationes excitas ab alijs. Fuit hic Marcus Antonius Bobla Episcopus Augustensis in Pedemontio, ac posteà Cardinalis: adfuitque [a] nomine Emmanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis; qui ne fomitem afferret contentionibus de loci dignitate, Synodo molestis, virum Ecclesiasticum elegit; in quo ipsum paulò posteà, sicuti constabit, imitatus est Florentiæ Dux. Is itaque Orator post consuetos honores exceptus fuit in cœtu generali postremâ Ianuarij [b]; siquidem à die decimo octauo, quo duobus Purpuratis tradita facultas est seligendi quoscumque censuissent ad habendum consilium de mansionis Decreto, ad eum vsque diem huiusmodi conuentus [c] intermissi fuerant, quò aliqua concordiæ ratio anteà excogitaretur, Patribus proponenda. Habuit Orator consuetam orationem magna cum [d] laude; datumque negotium est, vt illi responderet Bartholomeus Serigo Castellanetensis Episcopus, cùm is qui erat à Secretis ægrotaret.

[a] Diarium, & litteræ Fuscararij ad Moronum 25. ian. 1563

[b] Acta Arcis Æliæ 31 Ianuarij 1563.

[c] Diarium 28. Ianuarij 1563.

[d] Diarium, & acta Arcis Æliæ vltimo Ian. & Epist. Fuscararij ad Moronum 1. Febr. 1563

1563. Ab altero Oratore, qui auidiùs expectabatur, nuntij parum grati aduenere. Redijt vigesimotertio Ianuarij [e] Lancellottus, ad Lunensem Comitem missus; retulitque, illum post exhibita amoris studijque officia liberè dixisse, non licere sibi eò accedere, nisi prius aut certus redderetur loci pro sua dignitate obtinendi, aut peculiare mandatum oppositum acciperet a Rege. Nec ad permouendum hominem vim habuit id quod Lancellottus proposuerat, fuisse scriptum à Rege ad Pontificem, vbi agebatur de causæ publicæ vtilitate, nolle se vt de his loci potioris conditionibus, ac de his, vt ipse nominabat, inanijs laboraretur. Quare interrogatum quem ipse locum dignitati suæ congruentem intelligeret, respondisse, Proximum infra Cæsareos Oratores, siue is esset infra laicum, siue infra primum Ecclesiasticum; alter enim Orator Ecclesiasticus Ferdinandi non tamquam Cæsaris personam gerebat. Legati cupientissimi illius splendoris accessuri Concilio, illiusque munimenti Pontificatui, quod à Lunensis præsentia sperabant, Lotharingum adiere, vt is permotus desiderio ingentis adiumenti, quod afferret operi Orator Principis, imperantis tantæ parti orbis Catholici, Gallos emolliret ad posterius postulatum, cùm illi ad prius adigi nequaquam possent. Sed is affirmauit, nequaquam etiam ad posterius adigi posse, cùm locus dignior haberetur Oratorum Ecclesiasticorum quàm laicorum. Adiecit, Lansaci fortasse consilio, quò huic propositioni rimula quæuis occluderetur, fuisse statutum in Gallia, vt eidem Lansaco illuc reuocato sufficeretur Ioannes Moruelerius Episcopus Aurelianensis, suprà memoratus, qui perpaucis antè diebus [f] peruenerat, adeoque interuenturos esse Oratores vtriusque gradus. Quocircà Legati [g] consilium, aliàs in deliberationem adductum, iterum tentarunt; videlicet, vt Hispanus è regione Præsidum sederet, quemadmodum sederat Lusitanus ætate Iulij, cùm litigabat cum Hungarico: & quamuis ab Oratoribus Gallicanis id excluſum fuisset, sperabant tamen ab auctoritate Lotharingi, in quo studium maius, & minor animi commotio inerat, eos flexum iri. Et reipsa censebat Lotharingus, dum sedes antiqua Gallis seruabatur, nihil illos moraturos locum extra ordinem Hispanis concessum. Sed alia erat Oratoribus ratiocinatio, aientibus, id quod à se vnicè intendebatur, esse, vt sarta tecta custodiretur Regi Christianissimo dignitas primi post Cæsarem: id minime patefieri, sed in obscuro persistere, quicumque alius gradus concederetur Hispano Oratori præter gradum illi congruentem, & proximum infra Gallos: se in mandatis habere, vt si quid attentaretur

[e] Litteræ Legatorum ad Borrom. 23 Ian 1563

[f] Diarium 17 Ianuarij 1563.

[g] Duæ Legatorum ad Porronæum 28. Ian. 1563

taretur ad rem in litigium reuocandam, illinc abscederent, iube- 1563.
rentque Præsules abscedere, denuntiatâ perduellionis notâ, bonorumque proscriptione. Cùm tamen sperarent Legati obsistendo Gallos ad id impellere, animum præsetulerunt, quo tamquam peruicaciam rationi dissentaneam id putarent, vellentque locum illum Hispano tradere. Ex quo summam indignationem Galli concepere; ratique, Præsides loqui non solùm de Sessionibus, sed etiam de conuentibus, in quibus ex conditione theatri ea sedes ex aduerso Legatorum fuisset maximè honorifica, etiam supra sedes Cæsareis Oratoribus tributas, induxerunt in animum, opportunitatem à Legatis quæri ad Synodum dissoluendam: ipsi verò, vt è contrario cauerent, ne dissolutio contingeret, ex qua dissidium oriretur inter Galliæ & Hispaniæ Regem, cuius ope tunc alter adeò indigebat, aggressi sunt ea moliri, quibus adigerentur Legati ad abrumpendam cum ipsis Gallis concordiam. Et iam tabellarium destinabant, qui rei nuntios ad regiam aulam deferret: sed Præsides in tempore id moniti à Lotharingo, per eumdem Oratores ab errore deduxerunt, suam mentem interpretati de solis Sessionibus, vbi ex locorum situ sedes Hispano designata eam prærogatiuam non præferebat, quæ in conuentibus cernebatur; ab his verò vt abstineret Lunensis se posteà daturos operam, vtpote à priuatis functionibus. Quare superesse videbatur difficultas maximè inexpugnabilis solùm in supplicationibus, ac solemnibus sacrificijs, de pacis osculo, & thuris suffimento; de quibus Lotharingo alia non suppetebat ratio, nisi vt Hispanus cederet habitâ contestatione. Ceterùm etiam de conuentibus consilium ab eodem excogitatum est, vt sederet Hispanus ex aduerso Legatorum, sed extra ordinem Oratorum, & prope Antistitem qui à Secretis erat; ita tamen, vt ea sedes haud videretur à Concilio, aut à Legatis Lunensi destinata, ne quid sibi noui iuris acquireret. Verùm hæc omnia ex se ratiocinabatur Lotharingus, & incertus consensurine essent Galli Oratores. Interim effectum est, ne ipsorum motus vltrà progrederetur.

3 Legatorum sollicitudini [h] aliquod leuamen attulit reuersus Vicecomes, qui Româ profectus exeunte Ianuario, spretis educationis delicijs, ac tempestatis iniurijs, quatriduo Tridentum appulit, quò possent Præsides in tempore ab ipsius narrationibus lucem haurire ad deliberandum de futura Sessione, pridie nonas Februarias denuntiata. Et vix die vnico illum præuerterat cursor, vnà cum eo Româ profectus cum responsis, quæ celeritate præ cæteris indi-

[h] Duæ Legatorum ad Borrom. 1. & 2. Februarij 1563.

1563. indigebant, super argumentis de Episcoporum auctoritate ac mansione.

Habebatur in litteris[i], nolle Pontificem dissolutionem Concilij, aut dissidium cum exteris nationibus. Tum varij apponebantur modi, per quos vt maximè posset satisfieret non solùm rebus anteà à Lotharingo propositis, sed etiam posterioribus Gallorum postulatis. Et cuncta videbantur haud difficulter perfici posse, vnico excepto, nimirum, ne concederetur Pontifici quod à Florentina Synodo ipsi tribuebatur, hoc est, illi deberi vniuersalis Ecclesiæ regimen. Iniquissimè id negari, quando etiam ante eam Synodum in eo cognouerat eamdem prærogatiuam alia Synodus œcumenica, in Gallia Lugduni celebrata; & quando apparebat in vetustissimis diplomatibus præsens consuetudo appellandi Romanum Pontificem *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*, quod tantum sonat quantum *vniuersalis*: quin etiam, quando ritus est à Cæsare vsurpatus, cùm ad Pontificem scribit, vt apponat inscriptioni, *Ad Pontificem Ecclesiæ vniuersalis*. Verumtamen addebatur, ne cum alieni animi duritie decertaretur, posse loco dictarum vocum has poni: *regere vniuersum Domini gregem*; quo pacto loquitur Innocentius IV. cap. 5. *de Schism. lib.6. Decretalium*; aut etiam posse illic relinqui simplicem vocem, *Ecclesiæ Dei*, omissa *vniuersalis*, dummodò alia quæpiam vox mutaretur ex vsurpatis à Concilio Florentino, nec in hac tantummodò mutatio deprehenderetur. Pontifex verò dum quadam die sacris operaretur, eâ disputatione feruescente, obseruauit, iussitque significari Legatis, cunctos Sacerdotes Catholicos in tribus precationibus, quæ ad implorandam opem Romano Pontifici recitari solent, cum Deo loquentes, ter iterare, Deum voluisse, *vt Pius præsit ipsius Ecclesiæ*, adeoque id sibi ab vllo Fidelium negari non posse. Sed subdebatur, vbi arduitas in eo quoque offenderetur sine dissidio insuperabilis, satis futurum Pontifici, si nec de sua, nec de Episcoporum potestate quidquam exprimeretur, illis tantùm editis definitionibus, in quas Patres vnanimi consensu conspirarent. Breuiter, modò Sedis Apostolicæ auctoritas haud vulneraretur, ea Præsides agerent, quæ in obsequium Dei, & in rem Christiani generis cessura existimarent. Quòd si animaduerterent adhuc acerbos animorum sensus, & res effrenatiùs agitatas, protraherent Sessionem, præstolantes auxilium temporis, quod crudiora maturat, & violentiora moderatur.

[i] Variæ litteræ Borrom. ad Legatos & ad Mantuanum 24. 27. & 28. Ianuarij 1563.

Insuper in responsione[k] reddita libello tradito à Legatis Vicecomiti, Pontifex integram in se illorum satisfactionem declarabat, affir-

[k] 24. Ianuarij 1563. vt in monumentis Burghesiorũ.

affirmans, ab eorum fide ac virtute releuari sibi onus ponderosissimum, quod humeris sustinebat; huiusmodi in eo sensus & publica & priuata argumenta posse indies ab illis agnosci: eorum excusationes quò magis exactas, eò minùs fuisse necessarias; quemadmodum ipse æqui faciebat illorum in scribendo libertatem, ita pariter ijdem æqui facerent ipsius libertatem, quæ semper temperabatur negotijs in eorum prudentia repositis: tempus illud, seu longum seu breue, à se existimatum iri opportunum Sessioni, quod ab eorum iudicio statueretur: se ipsorum monita expleturum in habenda parciùs fide narrationibus Tridentinis, de ijs quæ à Legatis gerebantur; sed non minùs ipsi idem obseruarent in narrationibus Romanis de Pontificis dictis. Eorum testificationes de propitio Lotharingi animo, & spem fructus, quem illius præsentia in Concilio afferret Ecclesiæ, gratas quidem Pontifici aduenisse, non tamen inopinatas: proinde se cupere, vt ipsi pergerent cum eo blandè ac honorificè agere, atque illi fidere. Quod ad Gallorum postulata spectabat, cùm breuî reuersurus esset Gualterius cum æquis responsis, haud videri credibile, Oratores quidquam violenter tentaturos. Sed vniuersè tuerentur Legati prærogatiuam suam proponendi, nec alius eam sibi auctoritatem arriperet: numquam autem quidquam proponerent, quod officeret Pontificis Sedisque Apostolicæ auctoritati, perinde ac obseruatum fuerat in legitimis omnibus Concilijs. Varia diplomata ad eos misit, à se promulgata ad Rotam aliaque Tribunalia reformanda: significauitque, parari à se arctissimam emendationem Datariæ ac reliquorum. Videri sibi, nouis legibus quæ statuerentur, solùm futurum complectendum esse; sed se effecturum, vt fortassis illæ ad præteritum etiam extenderentur, vbi Synodus ita censeret. 1563.

5 Subiecerat Vicecomes oculis Pontificis alia mandata ipsi tradita à Mantuano.[1] Petebat hic à Pontifice, vt ipsum, laboribus & ætate iam attritum, nisi Concilium Aprili proximo absolueretur, Pius eo munere exoneraret: & quoniam duo illa munera sustinebat, & Cardinalis à quo Romam vocabatur, & Episcopi à quo Mantuæ alligabatur, studiosissimè flagitabat, vt sibi liceret prius, magis speciosum, deponere, quò se totum impenderet posteriori, magis operoso.

[1] Cuncta extant in monumentis Burghesiorū.

Huic postremæ petitioni nihil responsum, cùm id maximè honorificum responsum videretur, quasi de re tam apertè contraria vtilitati ac splendori Sedis Apostolicæ, vt ne tantum quidem curæ mereretur, quantum sufficeret ad repulsam. Alteri responsum est:

1563. Cùm Synodus tam citò absolui non posset, priuandam non esse tam egregio capite, cum inæstimabili detrimento Diuini obsequij, boni publici, dignitatis in ipso Cardinali, & satisfactionis in Pontifice; qui propterea illum hortabatur, vt alacri animo opus prosequeretur, quò simul omnibus posteà liceret felici operis exitu pergaudere.

Significabat Pontifici Mantuanus, opportunum à se censeri, vt ad Cæsarem, Oenipontum accedentem Osius Legatus mitteretur eum veneraturus, quippe illi admodum acceptus, magnæque apud ipsum auctoritatis, & qui posset ab eius animo detergere sinistram aliquam de Concilio opinionem. Et monitum Pontifici probatum est, traditâ Legatis potestate de re deliberandi, eamque per seipsos exequendi.

Nec minùs Mantuani sententiam amplexus est Pontifex in concedenda absolutè venia Altempsio Cardinali deponendæ legationis.

Aliqui, quos idem commendarat, in ipsius gratiam beneficijs affecti sunt.

Iniunctum pariter est Vicecomiti, vt verbis perhonorificis, ac 6
beneuolentiæ plenis alloqueretur Lotharingum. Hic illi Præsuli, discedendi veniam ab ipso petenti, tria plurimùm commendarat: Morum emendationem, Pontificis accessum Bononiam, & Subsidia liberè suppeditanda ad animandos adiuuandosque Catholicos in Gallia. Quamobrem demandatum est Vicecomiti, vt quod spectabat ad primum, ipsum doceret quæ secum Pontifex communicarat: ad alterum responderet, Pontificem ipsius consilia secuturum: de tertio palàm faceret, moram solutioni iectam fuisse ab ijs ministris, qui has suppetias Catholicorum causæ minimè cupiebant, quandoquidem quæsitæ à Pontifice conditiones non æquissimæ solùm, sed facillimæ videbantur, quod illicò plenè intellexisset Cardinalis, vtpote negotiorum ingeniorumque suæ regionis peritus: tamen sciuisse tandem Pontificem, magnam earum conditionum partem negligi.

Grata similiter responsa retulit Vicecomes ad plurima, quæ pe- 7
tierant tum Legati, siue communi siue proprio nomine, tum Lotharingus, ac varij Patres, tum etiam Martinus Mascaregna Lusitanus Orator; cui redditæ sunt duæ epistolæ, vna Pontificis, altera Borromæi, vbi grates illi agebantur, honorificentissimis formulis conuestitæ, ob eximium viri studium in promouenda Concilij concordia, Sedisque Apostolicæ dignitate sustinenda.

Et

Et sanè laus nulla suppetebat quæ illi hoc nomine non deberetur: imò post hasce litteras à Pontifice missas, sed nondum Tridentum perlatas, nouam ipse laudem promeruerat. Cùm enim certamen ferueret super eo præsertim Canone, in quo potestas Romani Pontificis in Ecclesiam vniuersalem firmabatur, ille [m] cum suis Theologis tres ipsos dies cohortatus est Gallos, vt Canoni assentirentur. Præcipuè verò Didacus Payua [n], & Doctor Comanus, à Rege Lusitaniæ ad Synodum missi, eruditos commentarios elaborarunt ad Pontificiæ auctoritatis emolumentum, qui cum ingenti commendatione à Legatis ad Borromæum missi, parem quoque laudem à Romanis Theologis, & ab ipso Pontifice acceperunt [o]. Quapropter eius nomine relatæ sunt auctoribus singulares illæ grates, quæ non modò intimæ beneuolentiæ argumenta sunt, sed æstimationis plurimæ; quæ supra modum confert, vt reddatur cuipiam beneuolentia Principum non solùm glorioſa, sed etiam fructuosa. 1562.

m Litteræ Fuscararij ad Moronum 28 Ian. 1563

n Litteræ Legatorum ad Borromæum 28. Ian. 1563

o Litteræ Borromei ad Legatos 6. Februarij 1563.

CAPVT XVI.

Errata Suauis. Difficultates tunc insolubiles habitæ, tum in discordia inter Gallum Hispanumque Oratorem, tum de Canonibus Decretisque memoratis. Lotharingi epistola ad se purgandum Romam missa. Consilium concorditer susceptum, & re completum prorogandi Sessionem ad 22. Aprilis, & interim expendendi argumentum Matrimonij.

1 DE his omnibus euentis non nisi extimam, & quasi in cortice notitiam ostendit Suauis, & hunc ipsum corticem sæpè falsò commaculat, dum colorat. Susceptam in postremis Operis huiusce libris consuetudinem prosequar, adeoque nonnullos solùm ex eius erroribus indicabo. Scribit, Adueniſſe ad Concilium Ducis Sabaudi Oratorem Episcopum Astiensem. Satis erat legere non inquam monumenta manu scripta, sed Concilium Antuerpiæ impressum, vt sciret, Augustensem fuisse.

Sed hic leuis est error; at verò grauis est calumnia, Lotharingum inducere strenuum vituperatorem Pontificis, quasi ab eo libertas Concilio adimeretur. Quemadmodum Hebræorum scripta præposterè nobis legenda sunt ad sententiam percipiendam, ita Suauis dicta præposterè pariter credenda sunt ad veritatem eruendam; quandoquidem Lotharingus, sicut ostensum est, Pontificem ad accessum sollicitabat: quò, siue præsentiâ, siue propinquitate, res

& concordiam Synodi promoueret. Acerbè quidem conqueſtus de quibuſdam, qui per affectatum Sedis Apoſtolicæ ſtudium, vt ipſe rebatur, veritati & condecentiæ repugnantes, maximum illi detrimentum inferebant; in quam ſententiam Legati pariter concurrebant, ſicuti toties expoſuimus.

Refert colloquium inter Oratores Gallicos & Legatos, prorſus alienum à vero; quod conſtat ex Præſidum litteris ad Borromæum, illud diſtinctè narrantibus, ex quibus nos penè ad verbum deſumpſimus. Neque hæc tanta narrationis diſcrepantia tribui poteſt Legatorum in ſcribendo moderationi, quaſi temperatâ ac diminutâ auctoritate; ſiquidem longè plus auſteri acerbiúe continetur in illorum ac noſtra narratione, quàm in Suauiana. At quid de certamine, quod ille comminiſcitur, quoniam complures Patrum, Romæ minùs propitij, nolebant fateri in Romano Pontifice auctoritatem æqualem Chriſto tamquam homini, & mortalem vitam ducenti; ſed tamen eidem æqualem Petro tribuebant: quod Romæ fautoribus haud probabatur, veritis, ne Romanus Pontifex adigeretur ad obſcuram ac pauperem S. Petri vitam exigendam? Fieríne poteſt, vt quidquam excogitetur aut amarius ob malignitatem, aut ineptius ob inſulſitatem? Prætereo Paleottum (qui Concilio intererat Sedis Apoſtolicæ adminiſter, adeoque in illius veneratione ac ſtudio nemini concedebat) apertè ſuis in Operibus docuiſſe [a], in Romano Pontifice non ineſſe auctoritatem parem Chriſto mortali, ſed Petro. Id prætereo, & enuntiationem ipſam ex ſe conſidero: Quo pacto in hominis Chriſtiani mente naſci poterat vlla cogitatio de illa inter Pontificem & Chriſtum æqualitate? Numquid vmquam pronuntiatum eſt, obtineri poteſtatem à Pontifice inſtituendi Sacramenta, ſicut inſtituit Chriſtus; condendi leges perpetuas, & à relaxationibus immunes; & derogandi præteritæ legi Diuinæ, quemadmodum Chriſto licitum erat; impertiendi alijs auctoritatem, quæ falli non poſſet in ſcribendis definiendiſque Religionis argumentis, ſicuti fuit à Chriſto impertita? Non adeò deſipiebant Tridentini Patres. Præterquam quod quînam tam luſcioſus in texendis mendacijs Suauis fuit, quin viderit in hoc apertam contradictionem? Si, cùm æquiparabatur Romanus Pontifex Petro, metus inceſſiſſet ne is ad S. Petri viuendi rationem coarctaretur: ſimiliter in eo æquiparando ipſi Chriſto timendum erat, ne adigeretur ad rationem viuendi, quam exercuit Chriſtus mortalis, nihilo certè delicatiorem ſplendidioremque vitâ à S. Petro ductâ. Controuerſia igitur de æqualitate fuit, cuiuſmodi nos oſtendimus, cùm

[a] De ſacri Conſiſtorij conſultationibus par. 1. quæſt. 3. num. 3.

cùm vna pars, Pontifici magis propitia, contenderet hunc æquari Petro auctoritate regendi; & altera dissentiret, rata auctoritatem ex sanctimonia crescere, ac per eam posse Canonicos libros dictari: quod præstare poterat S. Petrus, & absque dubio Pontifex Romanus non potest. Ita concorditer rem narrant tam multa certa ac legitima monumenta quæ [b] produximus. 1563.

[b] Cap 13.

3 Iam verò vt narrationem prosequamur, Præsides vndique implicatos conspicabantur nodos, quos ipsi soluere nitebantur. De Oratorum quæstione Lotharingus illis renuntiauit, congressum [c] se fuisse cum Oratoribus Gallicis, & cum paucis quibusdam è regio Consilio qui aderant, & inter omnes conuenisse, cùm adhuc Rex esset pupillus, fas non esse ministris, assentiri cuipiam mutationi, quæ veterem prærogatiuæ possessionem illi reuocaret in dubium. Quò maior erat Oecumenici Concilij auctoritas, tantò maiorem ab eo tributum iri edito illic exemplo. Continuata Christianissimi Regis promerita apud Ecclesiam nequaquam pati, minores minúsve patentes sibi honores exhiberi ab hac, quàm ab anteactis Synodis eius maiores acceperant. Quicumque locus Hispano daretur, aut à consueto diuersus, nimirum infra Gallos, aut cunctis Oratoribus non inferior (in quo à præterita duritate recedebant) adeoque euidenter infra ipsos, rem dilucidam obturbaret, ac proinde quoddam spoliationis genus crederetur. Quod Oratores ad discessum coëgisset, non sine periculo dissoluendi coniunctionem illam inter duos Reges, adeò necessariam in præsentia Religioni. Singularem tunc rationem habendam esse de Carolo Rege ab eo conuentu, ad remunerandos labores, quos ille tolerabat magna ex parte vt Ecclesiam sustineret: ipsis fauere auctoritatem prudentissimi Senatus Veneti, qui in ea lite iudicarat seruandam esse Regis Gallici possessionem, permissà partibus libertate suas rationes expendendi.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum 7. Febr 1563

4 Ea responsio tantò grauiùs Legatos perculit [d], quantò maiorem spem, sicuti narrauimus, ipsis fecerant Hispaniæ Nuntij & Borromæus, de optimo studio, quo Philippus Rex suos Præsules impulsurus esset, vt Synodum ad salutarem exitum promouerent, vtque Romanæ Sedi sua iura seruarentur illæsa: cùm satis intelligerent Præsides, huiusmodi Philippi mandata, per alterius quàm per Oratoris linguam impressa, euasura instar optimi teli imbecillá manu vibrati.

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum 1. Febr. 1563

Nec maiorem facilitatem experti sunt ad argumenta componenda, de quibus disceptabatur. Oratores Galliæ ipsos adeuntes

1563. dixerunt, Proponendum esse Decretum de mansione, receptum in conuentu habito coram duobus Cardinalibus: hunc fuisse omnium Conciliorum morem, vt in cœtum generalem referrentur quæ in peculiaribus statuta fuerant: ita pariter duos illos Cardinales censere. Quod postremum veritati consonabat, cùm Lotharingus ac Maruccius sibi in animum inducerent, nolle Præsides Decretum illud sententijs exponere, quòd eius comprobationem præuiderent.

Cùm igitur illi studerent hinc suam tueri dignitatem in dandis, non accipiendis ibi legibus à quocumque priuati iuris, hinc rectè prudenterque se gerere; per communes de more formulas Oratoribus responderunt, suo se muneri facturos satis: posteà verò cuncti simul conuenere Lotharingum, ipsi ostensuri, rem proponendam non esse tam multis reluctantibus: sed tam graui tædio & ægrimoniâ oppletum hominem comperêre, vt sibi persuaserint, nullum cibum in stomacho tam turbato bonum in succum conuersum iri. Quare breui vniuersalique sermone habito digressi sunt. Postridie manè ad illum miserunt Senogalliensem Antistitem, & ad Maruccium Archiepiscopum Lancianensem, qui summatim huiusmodi consilium proposuere: vt in alios octo dies differretur Decretum de præscribendo die certo Sessionis: interim verò referrentur in generalem confessum sex Canones minimè controuersi, & Decreta doctrinæ illis respondentia: vt pariter proponeretur Decretum mansionis, à Lotharingo digestum: sed quoniam in comperto erat, complures huic propositioni repugnare, iterùm proponeretur; posteà Decretum aliàs à Legatis propositum, quò Patres quod sibi melius videretur comprobarent: in quo custodiretur, ac palàm fieret plena libertas Concilij: atque hoc pacto Præsides criminationem purgabant, quòd obstarent ne res proponeretur, veriti ne comprobaretur. Sed consilium duobus Purpuratis non placuit. Quapropter ipsos inuitarunt Legati, vt secum Kalendis Februarij serò conuenirent, vnà deliberaturi, quando Sessionis dies iam fores pulsabat. Lotharingus, vt animi perturbationem corrigeret illis se inuisentibus anteà patefactam, ore præsetulit, perinde ac fieri solet cùm rationi spatium conceditur depingendi exteriùs quasi quâdam iride nubes interiores, festiuam speciem affabilitatis ac beneuolentiæ; ita tamen, vt improbarit eas voces in Canone positas, *regendi Ecclesiam vniuersalem*: adiecitque, à se ad conscientiam suam exonerandam, eo die Pontifici fuisse significata cuncta incommoda, vbi voces illæ non delerentur, cùm Galli numquam illis consensuri essent.

Et

6 Et verum quidem fuit, ab ipso longam epistolam eo die scriptam fuisse ad Bertonum Actorem suum, quam hic Pio ac Bortomæo legendam deferret [e]. Ibi post procœmium refertum sensibus egregiæ in Apostolicam Sedem obseruantiæ, pergrati erga Pontificem animi, tristitiæ inæstimabilis ob enatas discordias, horribilis funestæque præsagitionis de futuris euentibus, summa ad quatuor capita redigebatur. 1563.

[e] Extat inter Commentarios Seripandi.

Primum erat, locus communis cum Pontificibus vsitatus ab ijs qui ad consilia remissa atque indulgentia nequeunt illos adducere, videlicet asperrima querimonia, in eos homines iacta, qui per ostentationem studij omni concordiæ obluctabantur, quò aut præcelsos honores consequerentur, illius fucati studij præmium; aut vitæ Pontificis dies detraherent molè laborum, vnde nouo Pontificatui locus aperiretur. Veram Sedis Apostolicæ vtilitatem sitam non esse in vna alteráve vocula, eius prærogatiuas expressius sonante, sed in obedientia prouinciarum, & in quiete Reipublicæ Christianæ.

7 Tria reliqua capita vertebantur in ratione reddenda operæ à se nauatæ tribus articulis, de quibus contendebatur. In articulo mansionis duas esse Patrum sententias, à pluribus probatas: alios velle declarationem quòd ad ius Diuinum spectabat; ab alijs, cum quibus ipse sentiebat, eam non opportunam existimari; propterea quòd complures, haud probè callentes iurisdictionem interpretandi huiusmodi ius, argumentum deduxissent damnandi res anteà gestas, & iustam absentiam Episcoporum. Quamobrem ad hoc incommodum euitandum, positas non fuisse in exemplo Decreti, quod à peculiari cœtu coram se digestum fuerat, alias voces præter vniuersales, & similes vsurpatis Paulo III. sedente. De industria tamen initio eius exempli enumeratos fuisse ab illis Patribus nexus à Deo iniectos ijs omnibus, quibus animarum procuratio committebatur, idque quò tolleretur offensio, quæ vel in ipsos opifices emanarat, quasi Patres Concilij Diuinæ legis hostes essent, & ab eius appellatione abhorrerent. Quidquid in eo Decreto ponebatur, è sacris Litteris esse desumptum, nec ex eo tacendum, quòd siniſtræ distortioni subiaceret; aliter nec oportuisse Euangelium recitare.

8 De institutione Episcoporum se non posse quibusdam assentiri, negantibus, Episcopos, & cum illis Pastores omnes animarum, esse vllo modo Christi Vicarios; neque ijs, qui affirmabant, à Christo solum Petrum fuisse creatum Episcopum, à quo in reliquos Apostolos

1563. ſtolos Epiſcopatus deuenerit : in reliquum , vix eſſe inter Patres Concilij , qui non conueniret in ea forma Canonum & Decretorum , quâ exigeretur in Epiſcopis , tum præteritis tum futuris , aſſumptio ſeu tacita ſeu expreſſa , à Romano Pontifice habita , & obedientia, quæ ab ipſis illi debetur,eorumdem præterea poteſtate ad Eccleſias ipſis commiſſis ab illo reſtrictâ ; per quæ Pontificalis auctoritas non illæſa modò , ſed corroborata perſtabat.

Denique quod attinebat ad ſuperiorem auctoritatem Pontificis , aut Concilij , fateri ſe nutritum fuiſſe in Acedemia Pariſienſi , quæ fauet Concilijs, & à ſe comprobari omni ex parte Synodum Conſtantienſem ac Baſileenſem , non item Florentinam. Certum exploratumque ſibi eſſe , nullum ſuæ nationis Epiſcopum adductum iri ad oppoſiti Decreti conſenſum ; Oratores conteſtaturos ; argumentum porrectum iri ad ſcribenda volumina pro vtraque parte decertantia , vnde Apoſtolicæ Sedis auctoritas in dubium reuocaretur. Quocircà cùm in eo regno nimiùm ſanè cum hæreticis pugnandum eſſet , à ſe Pontificem orari , vt aliorum calamitates miſeratus, nollet nunc tam moleſtam litem cum Catholicis excitare, eoſque impellere ad alienationem illius poteſtatis , cui arctiùs alligandi curabantur ; ſed ſatis haberet , ſi Sedes Apoſtolica in auctoritate ſua ac poſſeſſione perſiſteret , neque maiorem in tam importunis rerum conditionibus declarationem expoſceret. Tum primâ , tum mediâ , tum poſtremâ epiſtolâ ſe obſequenter Pontificis iudicio , & Eccleſiæ auctoritati committebat. Huiuſmodi fuit epiſtola, quam Lotharingus ſignificauit Legatis Romam à ſe miſſam fuiſſe eodem die , quâ ſe purgaret , & Pontificem in ſuam ſententiam traheret.

Præſides igitur poſt longam deliberationem, concordi iudicio cenſuerunt protrahendam eſſe Seſſionem vſque ad primam feriam v. poſt Octauam Paſchatis , quæ feria incidebat in 22. diem Aprilis : interim verò tradendos eſſe Theologis articulos de Matrimonio , congeminatis quotidianis cœtibus ; ita vt Theologi manè de hoc argumento diſputarent, Patres autem veſperi agerent de abuſibus ad Ordinis Sacramentum ſpectantibus;vt per hanc moram inuentâ ratione aliquâ componendi præſentes diſſenſiones,Seſſio copioſa pro dignitate celebraretur , compenſatâ maturitatis tarditate , meſſis vbertate , triſtitiæ nimirum ſolamine in dilationibus ſemper conſueto , ſed ferè ſemper fallaci. Eò libentiùs Legati in hoc conſilium venere , quòd Lotharingus viuidam in ipſis ſpem exciuerat futuræ concordiæ. Hæc autem ſpes in illis confirmabatur

tur ab ingenio temporis, quod per recognitionem defatigationemque conciliator est omnium dissidiorum. Congruebat id pariter menti Pontificis ex postremis litteris ad eos perlatis [f]; in quibus etiam confirmantur memorati nuntij de officijs à Rege Catholico promissis; adeoque verisimile erat, meliores ex mora conditiones euasuras. 1563. [f] 28 Ianuarij 1563.

11 Eodem vespere de inito consilio docuerunt omnes Oratores, quibus tamquam necessarium probatum est, simul mœstitiam aliquam præ se gerentibus propter populorum offensionem ex multiplicata prorogatione in rebus quarum confectio tantùm celeritate indigebat. Galli præsertim responderunt, placere sibi consilium, non solùm quia necessitate honestabatur, sed quia præuidebant, quantùm improbatura esset Gallia eam Sessionem, si fuisset habita nullis editis de disciplina legibus, quarum potissimè Christiana Respublica tunc indigebat. Ægrè quidem se ferre, quòd vnà cum prorogationis Decreto simul eius causa, Synodo probrosa, vulganda esset, videlicet, Patres conuenire non potuisse; idque propterea, quòd contendebatur, vt inter Canones ac Decreta verba insererentur à Theologis non agitata, ab Episcopis non expensa, & aduersantia Religioni: quam tot iam annos amplectebantur Galli innixam in sacrosanctis Concilijs, vt de ea dubitare non liceret; perinde quasi contentio declarandi, mansionem iurisdictionemque Episcoporum esse de iure Diuino (quæ duo postulata harum omnium discordiarum origo fuere) potiùs non fuisset contentio inferendi voces ac res nec in Theologorum disputationibus discussas, nec in Patrum conuentibus compositas; & quasi Basileensis Synodus maiorem auctoritatem obtineret in æstimatione communi Ecclesiæ, quàm Florentina. Addidere Oratores, si vellent Legati vt Rex regnumque illam prorogationem æqui bonique consulerent, ne morarentur ampliùs ipsorum postulata proponere; non quòd Oratores sibi persuaderent se cuncta impetraturos, sed quò possent acquiescere Patrum sanctionibus, eâ parte quæ ipsis concederetur contenti. Concluserunt, ijs absolutis, & quæ Oratores Cæsaris postulabant, nihil superesse in Concilio perficiendum.

12 Præsides in his quæ Oratores, & quæ anteà Lotharingus significarant, conspicati numquam flexibilem Gallorum repugnantiam recedendi ab illa, prout ipsi appellabant, religione, acceptisque anteà mandatis, quæ diximus, à Pontifice, vt ad tot mala vitanda & concordiam componendam, mutationi illarum vocum in alias vniuersaliores assentirentur, aut etiam argumentum illud

1563. omnino prætermitterent, non mediocriter animis fluctuarunt ac vacillarunt. Tandem magis honoris ſtudioſi, quàm quietis auidi, Romam reſcripſerunt: Se quidem iuſſis obtemperaturos: ita tamen, vt, quoniam res agebatur magni momenti, & contraria conſilio maioris partis Canonum Conſultorum, quippe quòd negabatur Romano Pontifici, poſt diuturnam ac publicam litem, id quod iure ipſi debebatur, quodque præcipuè tribuebatur à Synodo Florentina; vnde fieri poterat, vt decurſu temporis ea de re Præſides inſimularentur, orarent Pontificem, ne grauaretur id ipſis per diploma diſertè imperare, in quo apponeretur, id fieri pacis & concordiæ causâ. Itaque die poſtero Patribus ad generalem cœtum conuocatis Mantuanus g hæc locutus eſt.

g Acta Arcis Æliæ, & litteræ Legatorum ad Borrom. & Darium 3. Febr & litteræ Iadrei ſis 4. Februarij 1563

Peruenimus ad Seſſionis diem, non tamen peruenimus ad concordiam Seſſioni præituram. Etenim cùm ingens peccatorum cumulus, inter nos & Patrem miſericordiarum interiectus, nondum ſublatus fuerit, non potuit ipſius miſericordia ad nos deſcendere, quâ diſſiceretur diſſenſio ſupra Eccleſiæ Principes diffuſa. Tum neceſſitatem differendæ Seſſionis oſtendit, rationemque ne dies præſcriberetur aut adeò propinquus vt periculum adiretur indecoræ cunctationis nouæ, aut ita longinquus vt nimiùm grauis euaderet Patribus commoratio, nihil agentibus inter incommoda illius domicilij: idcircò delectam à ſe fuiſſe feriam v. poſt Octauam Paſchatis, quæ feria incideret in diem vigeſimum ſecundum Aprilis. Interim optare Præſides, vt colligerentur à Patribus corruptelæ, quæ in Ordinis Sacramentum irrepſiſſent, earum ſyllabo ei qui à Secretis erat tradito, quò proponi poſſent; & ſimul etiam Theologi diſputarent de articulis Matrimonij, quò perficeretur id quod anteactâ Seſſione præſcriptum fuerat, videlicet, vt ſimul de duobus poſtremis Sacramentis decerneretur. Diuturnum videri non poſſe ſpatium illud cuicumque conſideranti, quot dies impenderentur à Theologis in habendis quæſtionibus, & à quot Patribus poſtmodum ſententia dicenda eſſet. Ipſi perinde deliberarent, quò ſi ſpatium temporis comprobaretur, poſſent poſtridie tradi Theologis articuli de Matrimonio, hoc ordine ſeruato, vt matutinum tempus eorum diſceptationibus tribueretur, & altera diei pars Patrum trutinæ de abuſibus memoratis. Ita ne momentum quidem temporis otioſum efflueret.

Studuit Lotharingus perſuadere conſeſſui tamquam certum, ſi Decretum de manſione à deſtinatis Patribus confectum illuc adduceretur, celebratum iri præſtituto iam die Seſſionem: nolle tamen

men se de quopiam iudicium ferre; velle potiùs credere, huiusmodi intermissionem iustis è causis profectam: sed angi se graviter ex ea noua mora, quæ vulgari non poterat sine ingenti admiratione Fidelium, post tot antegressas prorogationes. Ipsorum noxas eiusmodi esse (idque de seipso, non de alijs à se dici) vt, cùm assisterent Synodo Cæsar ac tot reges per Oratores suos, eaque vera disciplinæ correctio ab omnibus tantoperè fuisset efflagitata, ad id vsque temporis nihil confici potuerit, sed inter ipsos discordiæ dissidiaque persisterent. Quemadmodum in Apocalypsi Ephesinus Episcopus à Deo commendatus est, quòd Nicolaitarum facta odio habuerat, sed ob alia à se gesta castigatus; ita Concilium Tridentinum esse laudabile, quòd integrum in Fide Catholica conueniret, odio prosequens Nicolaitas, hoc est hæreticos; non tamen esse laudabile, quòd minimè conueniret in emendatione morum, cunctis expectata & exoptata. Ceterùm quod propositum fuerat, formis valdè honorificis probauit; cohortatus est Patres ad rem ardenter prosequendam, & opem suam in promptu obtulit. 1563.

15 Muglitius Orator Cæsaris, & Pragensis Archiepiscopus, non minùs elatè quàm prolixè verba fecit. Tam multas prorogationes damnauit: si qua tamen admittenda tunc esset, eam vltra tertiam hebdomadam non esse protrahendam, cùm mansionis Decretum iam formatum haberetur. Incumbendum in posterum disciplinæ, prætermissis dogmatibus; illâ siquidem magis quàm his Ecclesia & Christianus orbis indigebat. Atque ea cuncta protulit potiùs per imperium Præsidentis, quàm per modestiam Antistitis priuati. Huius sententiæ de breuiori ad Sessionem spatio auctor fuerat per amaram quamdam libertatem, in studiosioribus frequentiorem, Archiepiscopus Braccarensis; cui duo de quinquaginta adhæsere, nimirum cuncti Galli, cuncti Hispani, vno excepto, & aliquis ex Italis, qui tam multa conquesti sunt [h], tam multa vituperarunt, vt fortasse numquam illic liberior conuentus habitus fuerit; præsertim verò Antonius Ciurelia ex Bario, Antistes Buduensis, qui ad præteritam prorogationem dixerat [i]: *Non sum Propheta, nec filius Prophetæ, sed præsagio, nec eo die Sessionem habitum iri:* nunc audaciâ desumptâ ex vera sua præsagitione, se augurem nouorum incommodorum venditans, pronuntiauit, Sessionem non sine contentione plurima inter Christianos Principes celebratum iri: atque, vt Prophetarum more planè loqueretur, concluſit: *Reuerendissimi Patres, hæc dicit Dominus.* Neque caruit eo perbreui plausu, quem sibi comparat quidquid ridiculum & mordax est, quibus-

[h] Litteræ Fuscararij ad Moronum 4. Febr. 1563

[i] Extant in Actis Episcopi Salmanticensis.

1563. dam earumdem vocum exemplum ab ipso petentibus. Sed impunis pariter idem non abijt ab illa stabiliori damnatione, quâ maturi consilij homines detestari solent tamquam indecora eiusmodi scommata ob loci maiestatem, & argumenti grauitatem: quin auctâ illi potiùs confidentiâ ex quorumdam leuium fauore, quàm pœnitentiâ ex monitis Legatorum, in vituperationem breuî incidit, ac propè fuit vt puniretur, sicuti narrabimus; ac de ipsius effato prophetico palàm fecit euentus, illum fuisse Prophetam quàm infaustum, tam fallacem.

Sed cunctationi à Mantuano propositæ centum triginta sex suf- 16
fragati sunt, adeoque supra duas tertias partes. Quare Suauis, inique inductâ pro suo more alienâ personâ, queritur Synodum non esse liberam, & eo consilio rem geri, vt defatigationis torturâ cogeretur ad obsecundandum Legatis; quando re ipsâ nec denuntiata, nec prorogata vmquam Sessio fuit sine non maioris modò partis, sed longè maioris consensu. Sed consuetudo seditiosorum est, vt cùm ipsi pauciores sint, in plures vociferentur, vsi vocabulo propitio simul & fraudulento *libertatis*.

HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER VIGESIMVS.

ARGVMENTVM.

CÆSAR Oenipontem venit. Commendonus à Legatis ad eum missus; & quid inde referat. Articuli de Matrimonio Theologis traditi. Orta inter eos lis de prærogatiua ex titulo Nationum; & quo pacto composita. Litteræ Galliæ Regis ad Concilium. Pungens Oratio Fererij, dum litteras Conuentui tradit; & Synodi responsum Regi redditum. Ægrimoniæ Lotharingi ac Madruccij. Vtriusque ad Cæsarem accessus. Quæ ibi Lotharingus egerit, eiusque reditus. Consilium à Cæsare habitum cum varijs Theologis de duodecim articulis. Aduentus Tridentum Mantuani Ducis, ad Ferdinandum pergentis. Mors primi Legati, qui Ferdinandi Ducis patruus erat. Vita Cardinalis demortui breuiter narrata. Adhibita à Cæsarianis & Gallis studia, quò Pontifex illi sufficiat Lotharingum. Electi actutùm à Pontifice noui Legati Moronus & Nauagerus. Molestia idcircò in Lotharingo comperta à Gualterio Româ reuerso. Cædes Guisij Ducis constanter à Cardinali fratre tolerata. Obitus ac laudes Seripandi Cardinalis. Armorum strepitus Tridenti inter varias nationes, labore plurimo sedatus. Litteræ Cæsaris ad Pontificem, & ad Legatos, cum quatuor postulatis. Altera epistola eiusdem arcanò data Pontifici. Huius responsio ad vtramque. Iter Lotharingi Ve-

netias, & posteà Vicecomitis, cum illo acturi de Pontificis Cæsarisque aduentu Bononiam, quem Lotharingus proposuerat. Musottus, qui Seripando à Secretis erat, adscitus in idem munus à Lotharingo, & ad Pontificem missus. Oliuo post mortem Mantuani cuncta præterita munia à Præsidibus confirmata. Habitus apud Granatensem cœtus Cæsarianorum de vsu Calicis, & auctoritate Pontificis. Pax Galliæ cum Hugonottis, noxia religioni. Varij ea de re sensus Lotharingi. Oratori Militiæ S. Ioannis Baptistæ difficultas Tridenti de loco obiecta. Aloysius Auila Orator Philippi Regis Romæ: eius mandata & responsa illi reddita. Exceptus Moronus Legatus Tridenti, qui statim ad Cæsarem proficiscitur. Lunensis Comitis aduentus. Congressus inter eos de particula, Proponentibus Legatis. Res agitatæ de Oratorum æmulatione, tum Tridenti, tum cum Regina matre in Gallia, tum cum Cæsare. Facilitas & concordia in hoc à Gallis simulata, & cur. Reditus Lotharingi Venetijs: eius querelæ & affectiones. Homo ab eo missus ad Cæsarem: tradita huic mandata, & responsio reddita. Nauagerus Legatus improuisò & priuatim ingressus, & qua de causa. Inter hunc & Lotharingum animorum coniunctio ex Pontificis voluntate. Noua Sessionis prorogatio vsque ad vigesimam Maij, & casus hac in re Legatis molestus. Mors Petri Soti, eiusque ad Pontificem litteræ id temporis scriptæ. Moronus humaniter exceptus Oeniponti. Mandata illi tradita, & quæ idem egerit scripto & verbo super cunctis capitibus litterarum Ferdinandi ad Pontificem. Difficultas perardua in tribus articulis, sed à Moronto tandem diluta, datis ad Cæsarem litteris post abeundi veniam, & acceptis responsis. Reditus Musotti Romá, & Lotharingi satisfactio. Piæ litteræ Scotorum Reginæ, delatæ conuentui ab illius patruo. Huius oratio. Synodi responsio. Liberæ notabilesque sententiæ in cœtu dictæ à Lotharingo & Granatensi, de Episcopis, de Cardinalibus, ac de alijs argumentis. Graues difficultates Tridenti ac Romæ, ob controuersiam inter duorum Regum Oratores, ex Concilio tandem superatæ quod spectabat ad Conuentus. Sententia à Lan-

Lancianensi prolata, & hinc excitata postulatio in Procuratoribus Ecclesiasticorum de ipsorum iure ad ferendum in Concilio suffragium, Legatis in ancipiti ob eam pendentibus. Moroni reditus. Noua prorogatio concors ad 15. Iunij. 1563.

CAPVT PRIMVM.

Aduentus Cæsaris Oenipontem. Commendonus ad eum missus à Legatis. Articuli de Matrimonio Theologis minoribus traditi. Altercatio inter ipsos, coorta ex titulo Nationum, ægrè composita. Noua Gallorum postulata Legatis exhibita.

POSTQVAM Cæsar Augustana Comitia feliciter persoluit, certus iam Cæsarei diadematis filio imponendi, Oenipontem se contulit, centum passuum millibus distans Tridento; vnde licebat ipsi Synodo assistere quantum satis erat, vt de illius rebus edoceretur, ac tempori mandata mitteret, absque incommodo adeundi discriminis ob solemniorem præsentiam maiestatis. Quinque Ecclesiarum Antistes, vbi primùm resciuit Cæsarem accedere, nimirum 26. Ianuarij [a], Tridento profectus est Oenipontem, quò reliquos omnes in ipso edocendo præuerteret. Præuidebatur Lotharingus quoque siue sponte suâ, siue Reginæ mandato illum inuisurus [b], tum ad obsequium, tum ad negotium. Quamobrem Legati pariter statuerunt hominem mittere, qui per eam speciem reuerentiæ, tanto Principi persoluendæ, ipsorum causam re ipsâ sustineret. Et quoniam Osij Cardinalis accessus, à Mantuano sicuti narratum est designatus, iter fuisset maioris lentioriſque nauigij, decreuerunt celeriorem cymbulam interim mittere; animumque ad Commendonum conuerterunt, qui Venetijs morabatur [c], vir cordatus & officiosus, iam notus & acceptus Cæsari, & experientissimus Germaniæ. Quare illum, Româ comprobante [d] reuocatum, eò proficiscì iusserunt, vt vnà cum Delfino Nuntio niteretur à mente Cæsaris arcere sinistras opiniones, quas alij studerent in illum inducere. Erat siquidem Ferdinandus ex eo [e] hominum genere, qui candidissimi in se ipsis, tantumdem candoris in alijs arbitrantur: hinc interdum quia nimium credebat probitatis, nimium credebat improbitatis, dum veracem existimans quemcumque loquentem audiebat:

a Litteræ Fuscararij ad Moronum, 28. Ian. & scriptum Vicecomitis ad Borrom. 3 Febr. 1563
b Extat in mandatis Mantuani Vicecomiti datis, & in litteris Legatorum ad Borrom. 2. Feb. 1563.
c Vita Commendoni à Gratiano Episc Amelienſ. scripta.
d Litteræ Legatorum ad Borrom. 19 Ian. & duæ 28. & altera 2. Feb. 1563.
e Vita prædicta.

1563. diebat; facilè existimabat improbum, quemcumque apud se vitiperatum accipiebat.

Data Commendono documenta, in duplici cardine [f] vertebantur. Prior erat, vt ea purgaret apud Cæsarem, de quibus eius Oratores conquerebantur, hoc est, nondum à Legatis fuisse proposita Cæsarei voluminis postulata; quod sanè præstaret, reuocans in memoriam Cæsari, à Legatis huiusce rei causas fuisse Cæsari significatas, & ab ipso comprobatas, grates illis agere haud dedignato. In his, & in Regis Galliæ postulatis, quæ ex parte concordabant, simulque cum Cæsareis inculcabantur ab Oratoribus vtriusque Principis, duo rerum capita contineri. Alias ad Pontificem, Aulamque Romanam spectantes; has verò satiùs duceret Cæsar reponi in iudicio Pontificis, qui in rebus sibi ob oculos obuersantibus discernebat quid fieri posset & oporteret, longè melius quàm longinqui; nec opus negligebat, vt qui sua tribunalia iam reformarat, solertique curà incumbebat ad opus indies melius perficiendum. Atqui si quidquid corruptum erat non curabatur, animo recolendum esse id quod magis quàm reliquis innotescit Principibus, qui ægritudinum ciuilium medici sunt, quibusdam morbis nonnumquam ex humano vitio remedium admoueri non posse nisi morbo nocentius. Quod si adhuc videretur Cæsari peculiarius quidpiam hac in re sanciendum, id ab ipso Pontifice peteret, à quo ipsi, quantum ferret honestas, satisfieret; Legatos verò suam quoque deprecationem atque operam in eo polliceri. Sin autem super his negotijs ad Synodum confugisset, Pontificem, ad tuendam dignitatem suam, ab hæresi eâ tempestate adeò oppugnatam, id prohibiturum fuisse, & Legatos neruis omnibus obstituros, neque Synodum proximum prosperumque exitum habituram, prout supra reliquos à Cæsare curandum erat, vtpote Primogenito & Aduocato Ecclesiæ: Diœceses verò, diu Præsulibus orbatas, in magno cladium periculo relictum iri. Alterum postulatorum genus in rebus versari magis seiunctis à proxima ratione Pontificis: & ex his haud defuturos Præsides eas proponere, quas facilè honesteque impetrandas censerent. Tamen super his quoque iniungebatur Commendono, vt in colloquijs familiaribus prudenti quâdam ratione aliquid mussitaret de perturbationibus, quas illarum complures essent allaturæ. Sed quoniam eiusmodi animaduersiones, quasi profectæ à consiliarijs suspectis, & auersis à disciplinæ correctione, parum fortasse fidei, parumque audientiæ essent habituræ, eas parcè & opportunè proferret, & per speciem casu potiùs illas iactantis, quàm semi-

[f] Extant inter scripturas Burgesiorũ.

seminantis, quò posteà per seipsas, puræque earum veritatis vi, radices agerent in animis Germanorum. 1563.

Secundus documentorum cardo erat, vt Cæsarem edoceret novas difficultates, à Gallis excitatas, de doctrina, quò ipse dignaretur opem ferre ad eas amouendas in publicæ concordiæ gratiam, posita æquitate causæ pro Sede Apostolica.

3 Non tamen huiusmodi studia, quamuis festinata & multiplicata, effecerunt vt Legatis daretur locus respirandi ex perpetuis aggressionibus, quas nomine Principum sustinebant. Postridie quam prorogatio habita est [g], illis institerunt Oratores Galliæ, vt omnes triginta quatuor articulos nullâ iniectâ morâ proponerent, sicuti Legatos aiebant pollicitos esse se facturos post illum diem; aut sinerent ab ipsis Oratoribus eos proponi, quò alterutro ex his modis palàm fieret, rationem aliquam haberi Christianissimi Regis. Legati nolentes ea proponere ante Gualterij reditum, ad id Romam missi, aut hanc causam Oratoribus patefacere, è cubiculo illos dimisere tantisper dum inter se consulerent de responso; quod huiusmodi fuit. Ad primum; Fuisse quidem se pollicitos, expendendos proponere Concilio, post illum diem quo Sessionem habendam putarant, Ordinis ac Matrimonij abusus, ad quos pertinere censebantur multa ex ipsorum postulatis. Ad alterum: Facultatem proponendi ad solos Præsides ex iure spectare; qui tamen numquam recusassent id præstare in rebus, quæ non solùm ab Oratoribus, sed à quouis Patrum ipsis proponerentur, vbi honestas agnoscerent. Verùm vrgentibus Oratoribus, & affirmantibus, habere se in regijs mandatis, vt ea postulata omnino proponerentur, Legati triduum petiere, quò certius responsum redderent: atque interim Lotharingo significarunt, cùm ipsi concorditer cum illo ea postulata Romam misissent, & posteà etiam Gualterium, alia insuper Lotharingo comperta deferentem, par esse, vt eius reditum præstolarentur. Et opera Cardinalis profuit, vt aliquas in eo inducias impetrarent.

g Litteræ Legatorum ad Borromæum 7. Feb. 1563

4 Nondum hac sollicitudine liberi, ab altera sunt deprehensi [h]. Octo articulos hi Theologis discutiendos dederant de Matrimonio: & pro inducta paulò antè consuetudine, ad minuendum temporis dispendium ex frequentia disputationum, ipsi Theologi se quatuor in classes diuiserant, quarum singulæ de articulis sibi traditis disceptarent. Diuisio cum Lotharingo confecta fuerat, primo ad dicendum loco in singulis classibus tributo Pontificijs, secundo Sorbonicis, tamquam obtinentibus prærogatiuam gradus supra

h Litteræ memoratæ Legatorũ. Acta arcis Æliæ 4 Febr. Paleotti, & Salmăticensis, & duæ litteræ Fuscararij ad Morosum 8. & 12. Febr. 1563.

1563 pra ceteros in alijs Academijs laureatos, exceptâ Bononiensi. Sed Hercules Pagnanus, qui Piscario à Secretis erat, & Martinus Gastelus [i], qui iam venerat ad Concilium, destinatus à Rege Lunensi Comiti à Secretis, cœperunt super ea re obstrepere, quasi dum Galli generatim præferebantur Hispanis, ferretur sententia de controuersia inter duos Reges: atque id neutiquam se passuros denuntiarunt. Conati sunt Præsides illis ostendere, Theologorũ ordini in loquendo nihil esse commune cum Oratorum ordine in sedendo. Quare ambo Hispani, quà rationibus quà auctoritate pressi, eò deuenere, vt solùm peterent, quemadmodum primus in prima classe erat vnus ex Pontificijs, & subinde Galli, ita primus in secunda esset vnus ex Hispanis. Et Lotharingus in Præsidum gratiam consenserat, cùm ad alteram noctis horam Episcopus Salmanticensis, alijque Hispani Doctores adiere Legatos, negantes licere sibi illi negotio acquiescere: siquidem in prima classe, post Salmeronem, primum Pontificium, subsequebantur quatuor Galli [k]; ex quo prærogatiua liquidò apparebat, quâ intendebant viam sternere prærogatiuæ sceptri Gallicani; nam de reliquo, Parisiensis Academiæ priuilegium intelligebatur respectu æqualium, non item respectu antiquiorum in gradu; cùm concessio perinde accipi non posset, vt nouellus Doctor Sorbonicus cuicumque seniori ex alijs Academijs antehabendus sit. Ardenter igitur efflagitarunt Hispani, vt quo pacto inter Patres susceptarum insularum ordo, eodem inter Theologos ordo susceptæ laureæ seruaretur. Cumque hora noctis tardior nouam rei tractationem tunc non permitteret, necesse fuit, indictum postero manè cœtum reuocare. Huic Hispanorum postulato Lotharingus (sicuti Principum & ingentium animorum est de modicis non litigare, nec grandium molimina sibi præpedire) assensus est, dummodo eadem lex Pontificios etiam Theologos complecteretur, ne à Gallis initium duceret, adeoque ad infuscandam eorum supra Hispanos dignitatem cepta videretur. Indulserunt Legati, solùm postulantes, vt in primo conuentu sineretur loqui is qui iam ad dicendum paratus erat, in quo simul Pontificiorum dignitas, quippe primò dicentium, seruabatur: ad id quoque se flexit Lotharingus, modò verba faceret secundo loco Sorbonicus, & tertio Hispanus, alijs antiquitatis ordine locuturis. Atque ita decretum est, & Legati prudenter curauere, vt Gallus esset antiquioris gradus quàm Hispanus, ac proinde videretur anteire ob antiquitatem laureæ, non ob nationis prærogatiuam. Verùm duo illi Hispanienses, qui à Secretis erant, in hoc acriter voci-

[i] Alij scribũt Gardelus, vt Vicecomes in suis litteris.

[k] Acta Salmanticensis, præter adducta monumenta.

vociferati sunt [l]: & quemadmodum minorum mos est, de minutulis admodum laborare, siue ad ostentandum erga Principes studium, siue pœnæ metu, siue intelligentiæ imbecillitate, in minas prorupere, id si fieret, Regem armis vlturum, subtractâ Sedi Apostolicæ obedientiâ, quin ipsam in Hispaniam translaturum. His grauiter responsum [m]: Huiusmodi verba ministrorum, non autem opus Præsidum, Regem Catholicum offensura, qui tam pio erat animo ex imitatione parentis maiorumque suorum, gloria præfulgentium, vt numquam destituturus esset ab amore atque obsequio in Romanam Sedem. Quod si ab illius obedientia se non subduxerat, cùm ab ipsa bello petebatur, multò minùs verendum esse, ne tunc se subduceret, cùm eadem Sedes tamquam patronum ac defensorem illum habebat, exercebatque cum ipso summam beneuolentiam & honorem.

1563.

l Litteræ Legatorum ad Borromæum 11.Feb.1563

m Id habetur tum in litteris Legatorũ modò citatis, tum in epist. Seripandi ad Amulium, signata 13. in volumine Gallico iam dicto.

5 Ea contentio, quæ die nono adhuc manè feruebat, Legatos impulit, vt curarent [n] integrum tempus illius cœtus à Salmerone insumendum, quò vnius diei spatium ad rem componendam lucrarentur. Ac demum oportuit, vt duo illi Hispani ministri satius haberent ipsorum pace rem peragi. Petiere tamen, & obtinuere [o], vt publicis scribæ tabulis Legati declararent, priorem dicendi locum tribui solùm ex laureæ antiquitate, non item ex alio nomine. Et natio acquieuit [p]. Arduum sanè opus in potentia tam sublimi, & in suspicione tam anxia.

n Litteræ Fuscararij ad Moronum 11.Feb.1563

o Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 11.Feb.1563

p Acta Salmanticensis.

CAPVT II.

Priores Theologorum congressus. Patrum generalis conuentus. Gallici Regis epistola ibi reddita. Ferrerij oratio, & Synodi responsio.

1 MAnè die nono, sicuti dictum est [a], primum cœtum habuere Theologi de articulis Matrimonij, quos acceperant; sed res, quæ in hoc & subsecutis conuentibus dicta sunt, à me plerumque prætermittentur, aut in aliud tempus reponentur; quando non successit posteà, vt super eo argumento quidquam in proxima Sessione sanciretur. Solùm notauerim, Salmeronem, qui vnicus eo manè verba fecit, postquam ostenderat [b], Matrimonium esse Sacramentum, idque etiam de clandestino comprobari, & ad efficaciam Matrimonij opus non esse parentum consensu; adiecisse, posse ab Ecclesia huiusmodi consensum necessarium reddi, cùm penes illam esset, quemadmodum

a Acta Arcis Æliæ 9. Feb. 1563.

b Eius sermo est in Actis Arcis Æliæ, & in Diario 9. Febr. & in epistola Vicecomitis ad Borromæum 11.Feb.1563

1563. anteà fecerat, noua impedimenta constituere, Matrimonium dirimentia: quibus comprobatis, quæstionem induxit, an huiusmodi constitutio in rem fuisset; de quo varijs vtrimque adductis rationibus, se aliorum iudicio remisit. Postridie mane integrum spatium expleuit, partim explicatione sententiæ suę, partim oratione de Galliæ calamitatibus Nicolaus Maillardus [c], antiquissimus inter Sorbonicos, & Gallorum primus, cui certè, quoniam nihil prius digestum parauerat ad eum diem, sed solùm paulò antè admonitus fuerat pro suscepto tandem consilio à Legatis & Lotharingo, necesse fuit non verba facere, sed legere, accensamque faculam manu præferre: quod cùm coronæ oculos offenderet, parum ipsi propitias aures reddebat; eas tamen in plerisque auditorum sibi propitias effecit, dum ex opportunitate nominandi Romanum Pontificem, affirmauit [d], illum esse *Pastorem, Rectorem, & Gubernatorem Ecclesiæ Romanæ hoc est vniuersalis.*

[c] Diarium 10.& 11.Februarij, & literæ Fuscararij ad Moronũ, & duæ Vicecomitis ad Borrom. & Iadrensis ad Cornelíũ 11 Feb 1563

[d] Acta Arcis Æliæ 10.Februar.1563. præter monumenta suprà allata.

Postero manè locum habuit primus Theologus ex ijs quos Philippus Rex miserat, Cosmus Damianus Hortolanus, Abbas electus Villebertrandi. Is quoque orationis copiâ illius conuentus horas expleuit, non tamen auditorum animos defatigauit.

Coactus est eodem die generalis conuentus, & Oratores Galli Synodo reddiderunt epistolam Caroli Regis [e], die decimo octauo Ianuarij signatam; quamquam fuerit qui putauerit, eam multò recentiorem fuisse, & procreatam ab ijs qui illam reddiderant, ad aperiendum per ipsam sibi aditum ad ea quæ subijcere studebant. Ibi Rex narrabat Patribus victoriam, ope Diuinâ satis manifestâ reportatam ex eiusmodi hostibus, qui per omnem impietatem atque sæuitiam nonnisi Catholicæ religionis excidium moliebantur. Ad hanc tuendam velle se omne studium ac robur impendere, exemplo suorum maiorum, à quibus acceperat nomen hæreditarium *Primogeniti Ecclesiæ, & Christianissimi.* Sibi tamen esse compertum, ijs malis, quæ tunc Galliam afflictabant, & reliquis Christianis Prouincijs imminebant, admota fuisse temporibus anteactis remedia à Sacrosanctis Episcoporum Concilijs, dum sanctissimi illi Patres, de salute vniuersalis Ecclesiæ solliciti, omni maturitate ac celeritate nascentibus erroribus obuiàm ierant, numquam desistentes, donec extinctos aspicerent. Regem igitur ab ipsis petere, eosque per vnigenitum Dei Filium obtestari, vt reuerà animum adijcerent ad integram morum emendationem conficiendam, quæ Christianorum necessitati ac spei responderet, repararetque in Ecclesia quidquid vitiatum erat siue bellorum iniu-

[e] Habetur in cunctis adductis litteris eo die in iam dicto volumine Gallico, in Diario, & in Actis Arcis Æliæ 11.Februarij 1563

riâ, siue temporum iniquitate, quò ij, qui ex animi leuitate & sine causa desciuerant ab Ecclesia, facilè ad eam allicerentur ab ipsius pulchritudine, ad pristinam munditiem ac nitelam restitutæ. Vti Rex libenti animo cunctos Regni thesauros, viriumque conatus impendebat ad Religionem sustinendam, ac tot ipsius præstantes milites atque egregij duces Deo vitam deuouerant in hoc vltimo prælio; itidem Patres nihil sinceritatis candorisque prætermitterent in Ecclesiastica disciplina resarcienda, sui laboris fructum habituri purum Dei cultum vbique florentem, & eam morum integritatem, vt non modò tumultus Galliæ sedarentur, sed in reliquas etiam regiones Pax & Religio reuerterentur. 1563.

3 Hisce litteris recitatis, Fernerius eloquentem habuit orationem: Ereptam à Deo fuisse victoriam hosti iam victori: eum tamen, quamuis victum, adhuc persistere, & per Galliæ viscera confidenter excurrere. Vnicum perfugium superesse calamitoso illi regno in Patrum auxilio. Monuit, Moysi aduersus Amalecitas pugnanti adfuisse strenuos selectosque bellatores, quibus præerat præstantissimus ductor Iosue; & tamen nisi lapis eius pedibus supponeretur, nisi virgam ipse stringeret, nisi Aaron & Hur ipsius manus diem integrum sustinerent, victus ille fuisset, vti patebat, quandoquidem vbi Moyses manus demitteret, vincebant Amalecitæ. Non deesse Carolo Regi cohortes prævalidas & subditorum & sociorum, non deesse Ductorem magnanimum, qualis erat Guisius: adesse illi prudentissimæ parentis consilium; sed non adesse alium Aaronem, atque alium Hur, qui saxum pedibus supponerent, manusque sustinerent, nisi Patres Concilij: veros Aaronis successores eos esse. Quod Moysi opus erat ob senectutem, Regi ob pueritiam opus esse; lapidem eius pedibus substernendum quo sustentaretur, esse firmam basim Tridentinarum Sanctionum. Ad hunc lapidem stabiliendum fuisse missas à Rege ad Oratores petitiones suas, ab ipsis redditas illustrissimis Legatis, qui pro eo ac spoponderant, confestim proponerent: ab ipso Rege Patrum iudicium super his cupidissimè expectari. Nihil ibi peti proprium Gallæ, sed solùm Ecclesiæ vniuersæ commune: quod si cuipiam omissæ viderentur res maioris momenti, magisque necessariæ, animo reputaret, consultò à leuioribus cœptum esse, quò ad ponderosiora proponenda gradus fieret; studiosè initium à se ductum ex ijs quæ facilioris forent executionis, cui nisi Concilium, antequam solueretur, manus admoueret, vociferaturos Catholicos, derisuros hæreticos, simulque dictum iri, Tridentinos Patres pollere plurimùm

1563. sapientiâ, sed nihil velle conficere: impositas ab illis fuisse leges optimas aliorum humeris, ipsos verò ne digito quidem eas tangere voluisse. Mente repeterent legis peritorum doctrinam, Ab ea lege quæ antiqui iuris est, non solùm opera futura, sed etiam præterita dirigi. Vituperari à nonnemine in illis postulatis Gallos quasi impios, quòd diceret, in ipsis odorari sensum aliquem hæreticis communem. Hoc ab Oratoribus indignum responsione censeri. Ipsi per se Patres responderent, num rationi consentaneum existimarent. & eam formam adhibuit, quæ habetur in Ezechiæ Canticis: *Responde pro me, quia vim patior.* Ab alijs moderationem requiri: & hos videri aliquid tangere, vt qui proferrent leges prudentiæ, cuius vsus est adeò humanæ vitæ necessarius. Sed illis duplex reddi responsum: alterum, Ciceronis dictum in id, quod apud Ennium affirmat Neoptolemus, Philosophandum esse, sed breuiter: Tullius illud corrigit: Errat, qui temperamentum, mediocritatem & modum optat in optima re, eoque præstantiore quò maiore. Alterum responsum in tepidos hosce moderatores esse id quod Spiritus sanctus denuntiat: *Incipiam te euomere; vtinam calidus, aut frigidus esses.* Reuocarent Patres in mentem, quem fructum protulisset emendatio moderata, confecta in Synodo Constantiensi, & in subsecuta (Basileensem indicabat) cuius nomen silentio à se prætermitti, ne delicatæ ac tenellæ quorumdam aures offenderentur; atque in alijs deinceps, Ferrariensi, Florentina, Lateranensi, & in priori Tridentina; siue (vt ex eorum sententia loqueretur, qui vnam eamdemque esse Tridentinam Synodum contendebant) quem fructum protulissent hactenus Tridentina Decreta vsque ab anno decimooctauo. Quot interim regna ab Ecclesia Catholica desciuissent. Non hîc agi de sola Gallorum salute: Itali quoque & Hispani sua pericula alienis malis metirentur: cuinam maiori futuram emolumento veram solidamque morum reparationem, quàm Romano Episcopo, Pontifici Maximo, Summo Christi Vicario, Petri Successori, & cui suprema potestas inerat in Ecclesiam? Concluſit, se fusiùs eiusmodi cohortationem prosecuturum, nisi nosset, Patres in idem curriculum sponte incitari. Quare sermonem absoluit per actionem gratiarum ob piam illorum voluntatem in Regem & Galliam.

Recusauerat Ferrerius orationem suam Legatis anteà communicare [f], quò aptior illis responsio pararetur; sed solùm quædam ex ijs quæ fuerat meditatus, indicarat Præsuli qui à Secretis erat, quædam reticuerat. Non defuit qui arbitraretur, orationem illam fauisse

[f] Litteræ Legat. ad Borrom. & aliæ allatæ à Vicecomite, ac Fuscarario 11. Feb. 1563

fauisse Pontifici: cùm enim aures frequenter allucinentur, & interdum audiant desiderio, affirmarunt aliqui, scripseruntque, attributos ab ea fuisse Pontifici eos titulos potestatis, de quibus disceptabatur: sed in oratione posteà scripto tradita hi neutiquam reperti sunt. Et quoniam vnicuique minùs verisimilis ex dubijs casibus præteritis videtur esse suus in errorem lapsus, Vicecomes [g], alijque cum ipso, qui verbis ac litteris id narrauerant, existimarunt, exemplar ab autographo discrepasse. Verùm, vt sincerè loquar, mihi non licet animaduertere, quæ veri species in eo insit, quòd aut Ferrerius absque vlla peculiari causa vteretur verbis illis, quæ anteà vniuersi regni nomine tam acriter impugnarat, aut posteà auderet proferre tam palmarem falsitatem, cuius à ducentis testibus, omni exceptione maioribus, conuinci possit. Penitius introspexerunt vsque ab initio sermonem illum Præsides, rati, sub floribus demissæ reuerendæque dictionis, ex arte noxias vrticas latere. 1563.

[g] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 15.Feb.1563

5 Qui à Secretis erat, responsionem de more digesserat: & quoniam ipsi per dubiam illam lucem, à voce Ferrerij affusam, nescio quæ torui oris vmbra visa fuerat, ita responsi verba formarat, vt ea ad epistolam Regis omnino referrentur, nihil ad Oratoris sermonem; arbitratus, nullum grauius, cautius, vnaque mitius responsum futurum ipsâ prætermissione responsi. Absolutâ itaque oratione digressi sunt Oratores, & remanserunt Patres, deliberaturi de responso regijs litteris iam parato, cuius sententia hæc erat: Gratulabantur Regi victoriam: grates agebant de ijs quæ Rex significarat: hortabantur ad cœpta prosequenda, occludendasque aures venenatis quorumdam consilijs, qui humanam vtilitatem tamquam mensuram omnium deliberationum adhibentes, ad pacem, quæ vera pax non esset, ipsum sollicitabant. Affirmabant, Concilium interim daturum operam tum emendationi vniuersali totius Ecclesiæ, tum peculiaribus sanctionibus, Galliæ opportunis, neque commissurum, vt quispiam in ipso diligentiam & industriam meritò desideraret, cùm officij sui obliuisci non posset, & qua de causa sanctissimi Pontificis Pij IV. auctoritate fuisset ibi coactum.

6 Lotharingus, qui sententiam suam super eo responso primus dixit, sic etiam protulit: Rationem, quæ sibi habenda erat & de suis genitoribus, & de patria, de familia sua, regiæ familiæ adeò coniuncta, à se poscere, vt aliquid etiam ipse adderet ijs quæ Oratores exposuerant. Commemorauit exemplum Roboami, qui rogatus, vt grauissimum iugum, à parente impositum, aliquantulùm releuaret; quo impetrato perpetuam ipsi obedientiam populi pollicebantur.

1563. licebantur, triduum ad deliberandum sumpsit; posteà verò iuuenum potiùs quàm senum consilium amplexatus, repulsam dedit, vnde calamitates plurimæ secutæ sunt. Hinc se impelli ad cohortandos Patres, vt aliquid iuris sui remitterent, quò Regnum Galliæ, cunctæque Christianæ gentes plenâ illis obedientiâ obsequerentur. Elapsum iam fuisse triduum, cuius primus dies fuerat, cum Oratorum aduentu prima illis postulata Regis nomine delata sunt; secundus, cùm eadem iterata fuerant ad ipsius accessum; tertium esse præsentem diem, quo illa repetebantur: à se minime dici, *Obedite Regi nostro*. Auerteret id à se Deus. Petere Regem ac precari, adeoque se illos hortari ad regem iusto dolore leuandum, excogitandamque rationem, quâ perturbati quorumdam animi ad meliorem spem adducerentur: si diutius cunctabantur, Galliam pessum iri, eiusque ruinam tam multas secum clades tracturam, vt vel earum cogitatio horrorem incuteret. Regi operâ respondendum, adeoque paratum responsum eatenus sibi probari, quatenus illi posteà opus ipsum breuî consonaret; produxitque carmen illud: *Promissis diues quilibet esse potest*. Regem Catholicum, Pontificem, & multos Principes, Galliæ opem tulisse: verùm Regem, Reginam, & Regnum præcipuam opem à Patribus præstolari. Complures in eandem sententiam locuti sunt de opere prosequendo per emendationum sanctiones; sed plurimi simplici voce, *Placet*, responsum comprobarunt: sic illud, quale recitauimus, redditum est.

In eo conuentu post hæc propositum fuit, vt Patres eligerentur, qui corruptelas colligerent, aliaque digererent ad conficiendam correctionem, quam Oratores postularant: cumque id generatim placuisset, Patrum delectu Legatis commisso, Ciurelia Episcopus Buduensis [h], tumidus plausu suis ineptis salibus nuper dato, nec animaduertens discrimen inter alienam oblectationem, & laudem suam, vbi dicendum illi fuit, parum sapienter attulit ea verba Sapientis, *Omnia vanitas*. Quocircà inflammati Prælides, ignominiosam & peculiarem ad Borromæum epistolam conscripsere, affirmantes, adigi se ad id agendum ob Concilij dignitatem, quod numquam hactenus egerant. Narrarunt scurrilia hominis dicteria, & ad ipsorum monita contumaciam. Multis ab eo porrigi argumentum ridendi; multis, & præsertim Transmontanis, dolendi, quòd quasi scena comediæ profanaretur confessus ille tam grauis, tam sanctus, tam venerandus. Ad prudentiam auctoritatemque Pontificis spectare, offensioni publicæ animaduersione condignâ remedium admouere. Sic illi. Pontifex verò haud lentè se gessit in coërcen-

[h] Litteræ Legatorum ad Borromæum 11. Feb. 1563

coërcenda Præsulis proteruia, eiusmodi correctione, quâ risus importunus in lacrymas verteretur, rescribens, Vbi aditus non daretur quibusdam occultioribus modis à se propositis hominis illinc amouendi, illum dimitterent [i] expresse tamquam scandalosum, parumq; dignum illius consessus. Verùm cùm id ab ipsis Legatis [k] exequendum esset, cœperunt eam in agendo difficultatem experiri, quam in dicendo minimè sentiebant, & animo pacatiore minus malum putauere aliquam languoris notam, quàm vmbram, quantumuis tenuem, violentiæ. Quare dehortantes Pontificem ab eo, ad quod anteà hortati fuerant, rescripserunt, Arduum videri, modos sibi propositos ad opus deduci; & cùm alij non suppeterent, se satiùs ducere, si placidâ castigatione vterentur: ad quod etiam fortassis inclinarunt, quia ira meritò succensa, non solùm in ipsis refrixerat, sed eruperat; rati non modicam pœnam reo à se inflictam fuisse, denigrato apud Principem eius nomine, & à prompto Pontificis animo ad eum puniendum abundè repensum contemptæ ipsorum dignitati: nimis quippe arduum homini est in mulcta libranda, æquitatis studium ab æqua ira secernere. 1563.

[i] Litteræ Borrom. ad Legatos 20 Februarij 1563

[k] Litteræ Legatorum ad Borromæum 1. Mart. 1563

CAPVT III.

Ægritudo animorum in Lotharingo & Madruccio à Vicecomite comperta. Lotharingi profectio ad Cæsarem. Quæ significauit Pontifex de Concilio, de processu, de libertate, de suo Bononiam aduentu, de rebus per Legatos gestis, ac de Oratorum æmulatione.

1 ET sanè maior necessitas vrgebat Præsides ad summos viros pacandos, quàm ad infimos puniendos. Vicecomes reuersus, Lotharingum ac Madruccium ægro animo [a] compererat. Alterum, quòd damnum honoris fecerat, vnde lucrum sperabat, quando neque Canones ab eo digesti de institutione Episcoporum, neque ipsius decretum de mansione Patrum consensum obtinuerant; quin non modò mare tumidum non strauerant in malaciam, sed sæuiorem procellam exciuerant. Hinc ille eo planè idiomate, quo vtuntur homines ægrimoniâ laborantes, aiebat, se nolle in posterum munus vllum obire, sed priuati partes agere; non tamen destiturum Legatis inseruire, quod in se esset, suamque operam alijs ad concordiam interponere. Madruccius non tantum angebatur ex improspero euentu Decreti, in cuius textura ipse Lotharingi collegam egerat, satis intelligens, in hunc, tamquam architectum,

[a] Litteræ, & scripturæ Vicecomitis ad Borrom. 3. 11. & 15. Februatij 1563

1563. ctum, præcipuam laudem aut vituperationem operis redundaturam, quantum quòd ipse sibi videretur à Legatis negligi, ibique degere in eo pene seiunio communicatæ secum notitiæ, atque in ea demissione auctoritatis, quæ minoris notæ Episcopo conueniret, non autem nobilissimo Purpurato. Et quidem nimis obscura sibi videbatur ea forma, quâ ipse Concilio intererat, præ illa, quâ Tridentinus Cardinalis eius patruus, & Pacecus interfuerant Paulo sedente, atque etiam tunc Lotharingus. At verò cùm querimoniæ Madruccij breues essent, ac voce submissâ, tamquam dolentis, Lotharingi querelæ prolixæ strepebant, & elatâ voce, tamquam indignantis; ita tamen vt indignatio modestiam non violaret. Amplificabat dedecus à se toleratum; sed non tam ex priuata causa, quàm ex publica ægrimoniam præseferebat. Illatum Pontifici detrimentum à quibusdam ex Italis per affectata in illum studia deplorabat, significans, pro eo quod Pelueus Vicecomiti explicuit, Archiepiscopum Hydruntinum, qui ex integro commentariorum tenore, quos lustraui, reuerà in dicendo agendoque immoderatus mihi videtur, & negotiosus potiùs quàm circumspectus. Attollebat æstimationis suæ potentiam, & erga Pontificem promerita; sed specie narrantis, non gloriantis, dum narrabat, ab hugonottis nationis Concilium postulari, seque ad illud inuitatum ab ipsis fuisse, ostendentibus, hac ratione finem bello imponendum, nationemque pacandam: sed à se recusatum, aiente illicitum illud esse, dum extabat OEcumenicum. Effluxisse in Galliam querelas de se, quòd ipse remissius egisset, ac præsertim in declarando iure Diuino mansionis. Iter suum attigit, quod Oenipontem ornabat, indicans ea quæ cum Cæsare ipse agere potuisset. Affirmauit, viam vnicam ad Synodum citò ac prospere terminandam, esse satisfactionem Principum in paucis, quibus habitis conquiescerent, sicuti per Gualterium Pontifici significarat; ac potissimùm in Calicis vsu, in quem semper pronum animum præseferat Lotharingus, & de quo Gualterius cum eo [b] contenderat, ipsum monens, non omnes Gallos huic sententiæ adhærere, & Principem Ecclesiasticum ciuitatis in Gallia principis, hoc est, Parisiensem Antistitem, illi obstitisse. Iam verò Lotharingus in eo firmus, asseueranter prænuntiabat, neque Cæsarianos, neque Gallos absque Calicis concessione vmquam quieturos, etiamsi ad duos annos Synodus protrahenda esset; & ex altera parte se discessurum denuntiabat, vbi ad Pentecosten ea non absolueretur.

[b] In arcanis Notis Gualterij ad Bor. rom. 17. Decemb. 1562.

Comperit Vicecomes, pro consueta & infelicitate Principum, & infi-

& infidelitate ministrorum, peruenisse ad Lotharingum exemplar complurium litterarum, quibus ab ijs qui Trident commorabantur, apud Borromæum ipse vituperabatur; simul etiam peruenisse notitiam de varijs arcanis mandatis ad Præsides Româ missis, ac præcipuè, vt ipsi, sicuti retulimus, paterentur in alias mutari voces illas, *Ecclesiam vniuersalem*: sed hæc notitia [c] similis illi fuit, quam de fulmine tonitru edit, nimirum de re quæ fuit, sed non est: cùm enim Pontifici aut plus lucis aut plus animi accessisset ab oppositio Legatorum responso, iam ipse id temporis recusauerat diploma conscribere, petitum à Legatis ad perpetuam ipsorum indemnitatem, & iusso reuocato præscripserat, vt de auctoritate sua nihil minus aut minus clarè diceretur, quàm dicunt Synodus Florentina, Concilia & Patres antiquiores, quin etiam nonnulli ex ipsis hæreticis; cùm Septemuir Brandeburgicus, non semel ad Pontificem scribens, hunc illi titulum tribuisset. Adiecit etiam, se præstò esse ad tuendas sui profusione sanguinis eas prærogatiuas Apostolicæ Sedis, quæ non doctrinâ solùm, sed complurium Sanctorum sanguine firmatæ fuerant. Potiùs ex ijs, quæ aliàs mandauerat, vtrumque argumentum omitteretur, hoc est de iurisdictione Episcopali & Pontificali; quo nouo iussu Legatis mirificè factum est satis. Sed Suauis calamum tractat fortuitò, & pro suo infortunio mendosè, dum susceptum huiusmodi consilium meræ Pontificis sententiæ tribuit; & ita tribuit, ac si eius sententia temperatiori Legatorum iudicio repugnaret. 1563.

[c] Constat ex duabus litteris Borrom. ad Legatos 10. & 14. Februarij, & ex responso Legatorum ad ipsum 18. Februarij 1563

Ex alia parte, ex Lotharingo, & aliunde Vicecomes elicuit, Gallos numquam flexum iri ad memorata iam verba, Pontificiæ potestati fauentia: nec apud ipsos auctoritatem Florentinæ Synodi valere, vtpote celebratæ ad æmulationem, oppositionemque Basileensis, quæ ab Academia Parisiensi sustinebatur.

3 Nec benè animatum offenderat Vicecomes nouum ministrum Hispaniensem Martinum Gastelum, qui Tridenti degebat cum maiori quàm Pagnanus auctoritate; vt qui ab ipso Rege missus fuerat, & re ipsâ potiùs vt Philippum certiorem de rebus faceret, quàm vt deseruiret Lunensi, cuius aduentus tardior ac incertior indies credebatur. Porrò Gastelus, prout initio inexpertis accidit, haustis sensibus quos in plerisque nationis suæ reperit, aiebat, Synodum integrâ libertate non frui ob res ab Italis agitatas: perinde quasi Hispani Galliáque ab ijs abstinerent, & rerum tractatio libertatem non ostenderet potiùs quàm auferret: nemo siquidem assequi studet suffragium illius vocis, cuius lingua mancipium est. Extollebat

1563. tollebat ille Granatensem, quippe qui tanti habebatur à Rege, vt ad Toletanam Sedem, vbi ea vacaret, ab illo promouendus esset. Sed non diu fuit, cùm Pagnanus cœpit alios sensus illi instillare: nec deerant primarij Doctores Hispani, per quos quasi per canales limpidiores aquæ, simulque dulciores in regnum illud inferebantur; præsertim verò Gaspar Cardillus Villelpandeus, Abulensis Episcopi Procurator.

Sed præ ceteris cogitationes curasque conuertebat ad se Cæsar, qui Concilio propinquabat. Legatis exposuerat iam Lotharingus [d], à Regina demandatum sibi fuisse, antequam digrederetur, vt Cæsarem inuiseret; sed ne absentia sua vltra diem duodecimum extenderetur. Posteà subiecit, ipsum à Cæsare per litteras Episcopi Quinque Ecclesiarum festinè vocari, quò cum ipso de negotijs maximi ponderis coràm ageret; quamquam Seldius, præcipuus Cæsaris minister, negasset Commendono illum vocari [e]. Quamobrem Præsides, rati Ferdinandum cum illo communicaturum ea quæ Commendonus ipsi detulerat, satius duxerunt, vt ipsi præuerterent eumdem Lotharingum, edocentes; siue vt eumdem alerent per fiduciæ pignora, siue ne exacerbarent diffidentiæ argumentis: & de his omnibus monuerunt Commendonum, vt cum eo agens parem loquendi tenorem seruaret. Lotharingus, aut quò generali responso suam libertatem retineret, aut quò offensionem aliquam vlciscereturur suspicionis tormento, aut quò æstimationem augeret seueriore grauitate, Principibus consuetâ, paucis respondit [f], Se, vbicumque esset, officio suo non defuturum. Profectus est duodecimo Februarij [g], posteriori diei parte, ad eam horam moratus, quò audiret in matutino cœtu Simonem Vigor Gallum, clari nominis Theologum, & qui nomini reipsa respondit. Secum adduxit comitem, honorarium simul & auxiliarium, optimum ex Episcopis ac Doctoribus nationis suæ.

Vix eo digresso redijt [h] Episcopus Nolanus Româ, quò ad Pontificem missus fuerat à Mantuano ad grates agendas pro collata fratris filio Purpura, sicuti narratum est: & partim ab eo coràm, partim ex litteris per eos dies ad Legatos delatis compertum fuit, voluntatem Pontificis esse huiusmodi, Nolle se translationem dissolutionémve Concilij: quo incredibiliter gauisi sunt. Se Bononiam haud profecturum, nisi priùs Legati significarent, opportunas rerum conditiones sibi videri: omnem operam à se nauatam iri disciplinæ reformandæ, quod ab illis perpetuò sibi commendabatur.

[d] Litteræ Legatorum ad Borrom. 8 & 11. Feb. 1563

[e] Patet ex narratione Commendoni adducta.

[f] Aliæ litteræ Legatorũ ad Borrom. 11. Feb. 1563

[g] Diarium die 12. & duę litteræ Fuscararij ad Moronum, & Iadrensis ad Cornelũ 15. Feb. 1563

[h] Discessit cum litteris fidei conciliatricibus Pontificis ad Mantuanũ, & Borrom. ad Legatos 3. Februar. & responsio ad ea quæ detulit, est in

tur. De Gallorum postulatis expensas fuisse animaduersiones Tridenti habitas, & de his omnibus ad eos mitti quasdam obseruationes, quò Præsides denuò sententiam suam scriberent, maturumque posteà responsum reddi posset. Velle Pontificem Synodo relinquere plurimum potestatis, ac præcipuè, vt penes illam esset auferre matrimonij impedimentum ex vinculo sanguinis in quarto gradu. Prorogationem ægro animo se passum fuisse; tamen causis animaduersis, tamquam prudentem sibi probatam; sed non item electionem Lotharingi ac Madruccij ad conficiendum Decretum de mansione, cum facultate conuocandi ad illud consilium Patres quos vellent. Videri sibi hoc exemplum noxium auctoritati Legatorum, eò periculosius in posterum, quò maioribus in capitibus, maiorisque subiectionis in præsentia; quippe quòd necesse erat Legatis aut illos in Decreto sequi, aut eosdem lædere Decreto improbato, quemadmodum ostenderat experimentum. Sed illi factum excusarunt, causati, quocumque alio suscepto consilio maius incommodum illatum iri: aut enim totidem vnius opinionis quot alterius deligerentur, & id perinde fuisset, ac ipsos destinare ad certamen, non ad concordiam; aut æqualitas non seruaretur, & illicò vociferationes attollerentur. At verò commisso negotio duobus illis Cardinalibus, videri prosperum exitum à prudentia præsagiri; quando Lotharingus in dicenda sententia patefecerat, opportunum à se non putari, vt sanciretur, Mansionem iure Diuino præscriptam esse; Madruccium verò boni esse iudicij, optimæque voluntatis. In posterum fecere certum Pontificem, id iterum non euenturum, cùm Lotharingus, tristis ex præterito, declarasset, nolle se huiusce modi muneribus amplius fungi. 1563.

6 Significabat pariter Pontifex, ad omnem æmulationis aleam declinandam (cuius rei supra modum se cupidum in multis litteris ostenderat, quòd plurimùm Lunensi fideret) posse præscribi, ne Oratores ad functiones publicas accederent nisi vocati; quod numquam effectum fuisset in duobus æmulis inter se: consilium ab Oratore Lusitano iam propositum. Sed Legati rescripserunt, Id quidem initio fortasse fieri potuisse, non tunc, cùm penes Oratores erat possessio liberi accessus pro suo arbitratu: nec posse nouam illam prohibitionem induci, vero illius fine non patefacto; siquidem Galli iam obsurduerant cuicumque consilio, quod dubitationem præ se ferret de ipsorum prærogatiua.

7 Et quidem Legati peculiarem libellum ad id Commendono tradiderant [i], dato illi negotio, vt exponeret Lunensi, cuncta studia

[i] 29. Ianuarij 1563. vt in libro Archiuij Vaticani.

1563. ab ipsis impensa satis non fuisse, ad partem alteram inducendam in id quod ipse à se optari Lancellotto significarat: proinde consilium caperet pro sua prudentia, fortasse præsentiæ suæ efficacia eas difficultates euictum iri; sed sciret, superesse alias magis insuperabiles in publicis functionibus Ecclesiæ, vbi in ingressu, in exitu, in excipiendo pacis ac thuris honore euitari non poterant aperta prærogatiuæ argumenta.

Non tam grande molimen eloquentiæ Græco illi opus fuit ad matrem permouendam vt filium morti traderet, quàm ad inducendum Principem opus est, vt æmulo primas tradat; in quo certamine pro nihilo habetur seipsum obiectare mortis periculo.

CAPVT IV.

Theologorum dubitationes. Profectio Madruccij ad Cæsarem. Reditus Commendoni, eiusque narratio de sensibus Cæsaris & Germanorum, & quid inde sperandum esset. Lotharingus illic exceptus. Theologorum consilium à Cæsare postulatum de variis articulis, & responsa super illis Petri Canisij.

PRosequebantur interim Patres sine intermissione [a] congressus suos: cumque in reliquis articulis consentirent, in duobus dissidebant. Alter erat: Num quodcumque inter Christianos coniugium esset Sacramentum, quod ferè omnes sentiebant: an illud solum, quod Sacerdotis benedictionem suscipit, secundum Guilielmi Parisiensis opinionem, quæ propugnabatur à Simone Vigor, de quo diximus, & ab alijs paucis; sed eo maiori conatu, vt assolet, quò minor assclarum numerus efficiebat, vt causa singulis tamquam propria videretur, & defensio quò magis ardua, eò magis honorifica. Alter, Num expediret, in posterum clandestina matrimonia irrita reddere; quod à nemine ad id vsque temporis negabatur esse in Ecclesiæ potestate. Quapropter deerrat Suauis, dum appositam sententiam apponit memorato Parisiensi Decano, inducitque super eo magnum litigium inter illum & Salmeronem. Etenim non modò nullum hac de re verbum habetur in sententia ibi dicta à Decano, relata summatim in Acta; sed Episcopus Munnensis, qui adfuit, suis in litteris ad Moronum rem contrariè narrat.

Sub idem tempus celeriter accitus est à Cæsare etiam Madruccius [b], profectusque [c] 17. Februarij; & eodem planè die [d] regressus est

[a] Litteræ Fuscararij ad Moronum 15. Feb. 1563 & litteræ iam adductæ Ladrensis.

[b] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 10. Oct. 1563

[c] Diarium 17. Feb. [d] Litteræ Strozzij ad Florentiæ Ducem, & Fuscararij ad Moron. 18. Feb. 1563.

est Commendonus, cui non licuerat agere cum Lotharingo[e] in aula Cæsaris, sed solùm cum eo loqui breui congressu per viam. Ille de rebus à se gestis Legatos edocuit [f], à quibus iussus est eas scribere, vt ad Borromæum mitterent, sicuti fecerunt; quod inuito animo præstitit Commendonus, propterèà quod eius sententia, quippe in timorem procliuior, dissidebat à sententia Delfini Nuntij, qui tunc spectabilior erat minister, ac peritior ingenij aulæque Ferdinandi: cumque iniunctum fuisset à Legatis Commendono, vt ex consilio Nuntij rem gereret, hic ipsum dimouerat, ne proponeret Cæsari quasi non necessariam postulationem, quæ sibi primo loco commissa fuerat, sicuti narrauimus, vt Cæsar æqui bonique consuleret, ea, quæ spectabant ad Ecclesiæ Caput, ab ipso Principe, non à Concilio reformarentur. Quocircà cùm peculiaria postulata Commendonus haud propesuisset, non nisi communia responsa reportarat. Nec aliud cum eo Cæsar apertè questus est, nisi quòd vnicus Præsul Concilio à Secretis esset, de quo sæpè sermonem cum Legatis habuerat Lotharingus [g], & hi ad Borromæum scripserant: sed Pontifex in cepto perstiterat, considerans hanc esse consuetudinem, & in eius mutatione sinistrum aliquid latere posse. 1563.

[e] Apparet ex ejus narratione, inter commentarios Burgesiorum.

[f] Litteræ Legatorum ad Borrom. 18. & 19. Febr. 1563.

[g] Litteræ Borromæi ad Legatos 10. Feb. 1563

3 Sententia narrationis, quam Commendonus litteris consignauit, huiusmodi fuit: Tantum Christianæ pietatis in Cæsare inesse, vt ea in cunctos Germaniæ Principes Ecclesiasticos & laicos partita, satis foret ad eas Prouincias Religioni Catholicæ restituendas. Posse tamen dubitari de ipsius mente, ac de futuris eius operibus erga Synodum, & Apostolicam Sedem: videbatur enim à rationibus, quæ quorumdam operâ illi suggerebantur, altiùs impressum fuisse Cæsaris animo, Synodum ac Pontificem suo muneri, & emendationis necessitati deesse; ac proinde ad se pertinere, tamquam Primogenitum & Aduocatum Ecclesiæ, eos obstringere: ipsum in hanc sententiam paulò antè suos ad Oratores scripsisse. Nonnullos sibi persuasisse, Cæsarem haud postulaturum à Synodo Decreta ad res Pontificis pertinentia, cùm ipse ac Seldius in ea essent sententia, quæ Romanum Pontificem Concilio superiorem affirmat; sed nihil huiusmodi opinionis in Cæsare Commendonum elicuisse ex colloquijs cum ipso. Deueniisse Cæsarem, vt illi concrederet arcana quædam de Rege Romanorum, quò significaret, prout credebatur, velle se, ne in morum emendatione suo filio primigenæ parceretur. Parari illic conuocationem Theologorum, de qua plurimùm timendum erat; nam si quid Cæsari speciosum

1563. sum pauci illi comprobassent, tamquam licitum ac pium propositum à consilio ministrorum, creditumque Germaniæ conducibile, ipsum satis consultum conscientiæ suæ putaturum, ac proinde infaustis auibus illuc Sorbonicos tunc accedere. Propitio Deo referendum, quòd inter conuocatos Theologos adesset Petrus Canisius è Societate Iesu, *vir*, vt ille nominabat, *maximæ probitatis ac doctrinæ, magnusq; auctoritatis Pontificiæ defensor*: sed timeri posse, parum ab eo solo confectum iri. De Lotharingo sublimem illic æstimationem, & auidissimam expectationem esse; adeoque cùm ijdem vehementes sensus de reformanda Ecclesia in eo conspicerentur, credibile reddi, eos vicissim in eamdem ituros sententiam, coniunctionemque in rebus agendis sibi promissuros. Non deesse qui obijceret (Delfinum fortassis ille indicabat) Cæsaris ministris aduersus illam adeò ab ipsis efflagitatam emendationem, difficultatem illius vbique exequendæ, præsertim in Germania. Ad id tria ab ipsis responsa reddi: (prioris merum recitatorem agam, ne verbulo quidem per modestiam subtracto, aut per affectionem aucto) *Iesuitas palàm fecisse tandem in Germania, quid reipsâ sperandum illis esset: siquidem vitæ probitate, & concionibus, & Gymnasiis suis retinuerunt, & adhuc sustinent Religionem Catholicam. Quare dubium non est, vbi multa Collegia, multaq; Gymnasia construerentur, vnde multi operarij suppeditarentur, incredilem fructum decerptum iri. Sed incepto semel opus est.* Alterum erat, Cùm omnis Ecclesiæ pernicies ex suorum ministrorum criminibus ortum traheret, & ad eius reparationem plurimâ Dei miserentis ope necesse esset, hanc impetrari non posse absque illorum emendatione ac pœnitentia, quidquid insuper alij conarentur. Tertium, Cùm honestum sit vt suos quisque mores corrigat, id esse præstandum, tametsi alius inde fructus non existeret. Vbi sui animi sensa Commendonus exposuit, adijciebat, Delfinum sibi discedenti commisisse, vt Legatos hortaretur, alacri essent animo; ab eo siquidem ita rebus prospectum, ita cuncta prævisum ac præmuntiatum iri, vt nulla superuentura esset eluuies, quin spatium daretur aggeris extruendi ad eam coercendam.

Pius ob congressum Cæsaris & Lotharingi sollicitus, arcanè & enixè petierat à Mantuano [h], vt ipse pariter, siue Legationis extraordinariæ nomine, ad quam diplomata ipsi mittebantur, siue vt Princeps Legatorum Concilij, siue simplici formâ, tamquam Cæsaris necessarius, ad obsequium in ea propinquitate illi exhibendum se conferret ad Ferdinandum; cùm illum Pontifex idoneum existimaret, qui tum exteriori familiæ coniunctionisque auctoritate, tum

[h] Litteræ Borrom. ad Mantuanũ, & aliqui versus manu Pontif. 10. & 13. Februarij 1563 & diplomata ro illius Legatione ad æsarem & Regẽ Rom.

tum interiori virtutis ac prudentiæ, tum beneuolentiæ ſtudijque vigore poſſet vallum firmiſſimum obtendere Cæſaris animo, ad obſiſtendum cunctis aggreſſionibus aduerſus Concilium & Apoſtolicam Sedem. Atque vt ad eam expeditionem illum impelleret, præter iteratas litteras quibus extimulabatur à Borromæo, eaſdem corroborauerat, pro eo ac ipſe interdum ſolebat, efficaciſſimis chirographi ſui appendicibus, patefactâ illic excelsâ hominis exiſtimatione, & inflammato operis deſiderio. Sed Mantuanus recuſauit: ſeu quod eiuſmodi machina non poſſet honorificè produci in tam aſpectabile theatrum ſine operoſo ingentium ornamentorum comitatu; ſeu potiùs, vt mea fert opinio, quòd cùm ſe quotidianis laboribus conſumptum ſentiret, & quaſi proſpectaret animo occultos propinquæ mortis nuntios, vires illi non ſuppetebant ad huiuſmodi onus ſubeundum. Et fortaſſe, ne oſtenderet ſe pigritiâ priuatóve reſpectu retineri, priora ſua ſenſa mutauit; ſcripſitque, ſtatuto iam acceſſu Commendoni, ſuperuacaneum etiam eſſe illuc Olium Legatum mittere, cuius rei anteà fuerat auctor. 1563.

Peruenit Oenipontem Lotharingus die decimo ſexto [i] Februarij, & vigeſimo ſecundo abijt, cùm eo peruenijſſet Madruccius veſperi, pridie quàm ille diſceſſit. Exceptus eſt comiter & honorificè ſupra conſuetudinem: quod non ſolum obſeruatum eſt ab otioſis, qui huiuſmodi officiorum ſpecie ſermones & cogitatus nutriunt; ſed etiam à negotioſis, ob eam cauſam, quam affert Antonius Maria Gratianus, relictus tunc [k] ibi à Secretis Commendono, & poſteà celebris Hiſtoricus: nimirum, quia nonnumquam cortex hic nuclei index eſt. Dum ille ibi morabatur, habitus eſt congreſſus, quem diximus [l], Theologorum Oeniponti. Primas partes egere Caniſius Fredericus Stafilus, & qui Romanorum Reginæ ſacras confeſſiones audiebat. Epiſcopus Quinque Eccleſiarum tamquam Præſes intererat. Varij articuli fuerunt illis propoſiti: & Gratianus, vtpote amicus Caniſio, & qui ſuam illi operam contulerat in ſcribendis eius ſententijs, de articulorum doctrina prolixè dictatis, ſicut in ſcripturis Germanicis mos eſt, Commendono ſignificauit, huiuſmodi ſententias, prout ipſe rebatur, plurimâ pietate ac prudentiâ eſſe digeſtas. Ex his verò complures, tum ex ipſarum notitia, quam habuit, tum ex memoria, quam potuit retinere, redactas in ſummam edidit, quemadmodum hîc exponemus; ita tamen, vt hæc ſumma in quibuſdam partibus ea narret quæ Cæſar propoſuit, abſque Caniſij reſponſione, quippe quæ ſuper illis latuit Gratianum. Articuli, de quibus ſententiam rogabatur Caniſius, erant.

[i] Tres litteræ Antonij Mariæ Gratiani Oeniponto ad Commendonum 18. 20. & 22. Februarij 1563

[k] In ſuis litteris ad Cõmendonum.

[l] Præter litteras Gratiani duæ Murienſis Epiſcopi ad Mononum, 18 & 22. Febr. & epiſtola Vicecomitis ad Borromæum 22 Februarij 1563.

1563. *An Cæsari laborandum esset pro continuatione Concilij; an eius abruptio, aut suspensio permittenda.* Respondebat Canisius: Nihil esse Cæsari conuenientius, quàm vt omni studio continuandum curaret.

Vbi in articulo superiori prima pars eligeretur, num per minas, & cuius generis agendum erat, ne abrumperetur. Respondebatur, Minas adhibendas non esse, sed priùs amicas omnes rationes tentandas. Quòd si nonnisi postrema hæc agendi ratio supereesset, rectè priùs expendendum, lucrúmne an damnum ea esset illatura: huiusmodi enim exemplum Cæsaris multos Principes excitaturum ad habendas nationum Synodos schismaticas, absque communicatione cum Summo Pontifice.

An proponendi potestas esset Legatorum propria, an Episcopis & Oratoribus communis. Affirmabatur, vnicam esse Legatorum, qui tantum actoritatis obtinent, quantum Pontifici libet; in cuius potestate est cogere, regere, & confirmare Concilia. Ad huius articuli calcem quærebatur, An reprehensionem mererentur Legati, dum ostium Concilij, quod cunctis patere oportebat, ab ipsis occluderetur Cæsari: super eo responsum haud comperi.

Cùm contingeret, Præsulem vnicum esse à Secretis Concilio, eumq; parum opportunum, parumq; fidum, quid agendum. Responsio erat; Oportere cum Legatis agi; vbi verò hi de re edocti remedium negarent, ad Pontificem confugiendum.

An esset curandum, vt Patres duas in classes diuiderentur, quarum altera ageret de doctrina, altera de emendatione. Nulla pariter hîc apponitur Canisij responsio.

Num acriter promouenda esset summi Pontificis, Aulæq; Romanæ emendatio, quando verendum esset, ne animi Pontificis & aliorum, in quos illa recideret, adeò exacerbarentur, vt ad Synodum præcidendam impellerentur. Hîc similiter Canisij responsum à Gratiano non subditur.

An esset reformandus Ordo Ecclesiasticus, & quâ in re. Ad primum solum respondens, affirmabat absolutè, & de cunctis Ordinibus: sed non minùs idem conficiendum in cunctis Principibus laicis, qui libertatem opprimebant, & sanitatem Ecclesiæ violabant.

An in rem esset, iterùm postulari sumptionem Eucharistiæ sub vtraque specie, matrimonium Sacerdotum, & liberum carnis vsum cunctis dicendi. Negabat in rem videri.

Quænam esset ineunda ratio, quò Episcopi Germaniæ ad Synodum pergerent. Existimabat, vrgendum esse Pontificem à Cæsare, vt ipse grauioribus iussis, denuntiatâ priuationis pœnâ, eò illos acciret; mittendumque ab ipso Cæsare simul cum Pontificis ministro Oratorem

torem suum, qui coniunctim auctoritate Cæsareâ eos compelleret; cùm indignum esset, ob hæreticorum metum deseri vtilitatem Christianæ Reipublicæ, vbi tanta necessitas & opportunitas aderat. 1563.

An expediret vt ipse Cæsar se conferret ad Concilium. Respondebat, Hanc futuram fuisse expeditissimam rationem componendi inter Præsules præsentia dissidia,& euitandi futura;& vbi Cæsar ac Pontifex aut Mantuam aut Bononiâ conuenirent,agi potuisse de capite membrisque reformandis; vnde Cæsar & præmium apud Deum, & gloriam apud homines promeruisset, alter penè Constantinus.

Quænam opera esset opportuna in capite de mansione Episcoporum, & in ijs rebus quæ per sacros Canones sancitæ fuerant. Id vacat responsione.

An permittendum Legatis, vt res proponerent quo sibi liberet ordine. Hic etiam responsum desideratur: nec amplius notæ progrediuntur.

7 Narrabat Gratianus: In articulo, vbi sermo erat de Roma reformanda, præsertim de coarctando Cardinalium numero, & relaxationum largitate, posuerat anteà Canisius, *Rogandum esse Pontificem, vt se reformari pateretur.* Sed cùm ipse Canisio suggereret, huiusmodi formulam inusitatam videri, adeoque offensuram Pontificem, perinde ac ipse superiori potestati subderetur, in hanc fuisse commutatam, *Rogandum Pontificem, vt ipse se, aulamq; Romanam reformaret.* Addebat postremò, Canisium quoque, qui vir sanctus dici poterat, cupere vt Romæ quædam emendarentur quæ sibi displicebant: eius scriptum esse admodum pium & eruditum, & absque dubio Cæsari gratum futurum. Famam audiri, Gallos neruis omnibus conari tantum virum ad se trahere, tametsi modeste ille recusaret; sed constantiam illius probitate certam reddi.

8 Mutati posteà fuerunt articuli quos diximus, & ad eos duodecim multiplicati, quos recensebimus: aliorum quinque, quos commemorat Suauis, inuentrix mendax id temporis malignitas fuit, quîcum pro more fœdus inijt fama. Quare cùm illi in Oratoris Florentini manus deueniissent, hic satis cautè ad Florentiæ Ducem eos scripsit[m], nimirum tamquam nullius auctoritatis; quin potiùs ex ipsius sententia tamquam adulterinos, vtpote reiectos tamquam commentitios à Cæsaris Oratoribus, *& tamquam parum prudentes, & absurdos.* Et Suaui quidem, ad eorum falsitatem pernoscendam, satis fuisset legere litteras Amulij ad Seripandum, impressas in volumine Gallico, sæpiùs à nobis adducto, in quibus veri articuli à Ferdinando propositi duodecim numerantur. Tot itaque fuerunt, & in summa[n] huiusmodi.

m Litteræ Strozzij ad Ducē 4. Martij 1563. & 1 extant in harum litterarum volumine.

n Extant præsertim in Actis Salmanticensis, & in alijs monumentis, & in litteris Iadrensis ad Cornelium Kal. Martij 1563.

1563. I. *An Concilium legitimè coactum fauentibus Principibus, possit in progressu mutare aut constituere ordinem alium ab eo, quem illi Romanus Pontifex decreuit.*

II. *Num expediat Ecclesiæ, vt à Concilio agendæ ac statuendæ sint res absque directione Pontificis Aulæq; Romanæ.*

III. *An demortuo Pontifice Concilij tempore, electio ad Patres pertineat.*

IV. *An vbi agatur de rebus ad pacem tranquillitatemq; Christianæ Reipublicæ spectantibus, ferendum sit ab Oratoribus Principum iudiciale suffragium, quamuis illud ipsis non competat de dogmatibus.*

V. *Possintne Principes reuocare à Concilio Oratores suos ac Præsules, non communicato Præsidibus reuocationis Decreto.*

VI. *Possitne Pontifex remouere aut suspendere Concilium, non communicato huiusmodi Decreto Principibus, ac præsertim Cæsari.*

VII. *An expediat vt Principes interponant se, quò agantur in Concilio res magis necessariæ & conducibiles.*

VIII. *Insit ne Principum Oratoribus facultas exponendi per seipsos Concilio Dominorum suorum mandata.*

IX. *Num ratio sit ineunda, quò Patres liberi sint respectu tum Romani Pontificis, tum suorum Principum, in ferenda sententia in Concilio.*

X. *An excogitanda sit ratio, ne causâ numeri fraus vlla, aut violentia, aut à veritate detorsio committatur.*

XI. *An agendæ sint in Concilio res siue ad Fidem, siue ad emendationem spectantes, quæ à peritis anteà non fuerint expensæ.*

XII. *Num congruens videatur, vt Cæsar Concilio interfit.*

His duodecim veris articulis quinque, falsò adiecti ab odio in Romam & Italiam, & à Suaui recitati hîc apponuntur.

I. *Quænam sit potestas Cæsaris Sede Romanâ vacante, & extante Concilio.*

II. *Quidnam effici possit, ne summus Pontifex & Aula Romana sese interponant, præcipientes quæ in Concilio tractanda sunt, quò Patrum libertas haud impediatur.*

III. *Quod esset excogitandum remedium, vbi Præsules Italici obstinatè persisterent in præpediendis rerum sanctionibus.*

IV. *Quæ ratio esset ineunda, ne Præsules Italici simul conspirarent, si sermo haberetur de auctoritate Romani Pontificis.*

V. *Quâ ratione amoueri posset industria acquirendi suffragia, quò mansionis articulus decerneretur.*

Non solùm in falso depingendo, sed in vero exponendo studet Suauis veritatem obtegere. Exemplo sit. In eo articulo, vbi sermo est de ratione excogitanda, quò sententiæ liberæ sint, *& à summo Pontifice & à Principibus*, hanc postremam voculam ille præterit, quò

quò tota opinio & integrum odium læsæ libertatis in Pontificem recidat; veritus, ne si ea accusatio legeretur tamquam communis laicis Principibus, ex iudicio prudentum collatis ex aduerso inter se actionibus, rationibusque singulorum, ille vnicus absolueretur quem solum damnatum cupiebat. Homini autem, qui non studio ducitur, sed turbido animi motu, mos est accusare non operum effectores ex operum odio, sed opera ex odio effectorum. 1563.

CAPVT V.

Legatorum cogitata de recitatis articulis à Cæsare propositis. Agitata Oeniponti à Lotharingo. Eius regressus. Propitia Spes ab eo Legatis facta de Cæsaris animo; ac de euentu.

1 ARticuli, quos adduximus, suspicionem incussere Legatis, velle Cæsarem admouere manum ad ea quæ non sunt Cæsaris, sed Dei. Idcircò Seripandus Pontificem cohortatus est ad fortiter resistendum, scribendumque Cæsari diploma, simile diplomati quod Paulus III. scripserat Carolo V. anno 1544. contra Spirense Decretum, sicuti fusè retulimus; & illi dictando suam pene operam offerebat. Sed Ferdinandi animus, omnino mansuetus ac pius, parum rationi consentaneum metum hunc ostendebat; & Delfinus illius probè conscius, studebat non temerè Legatos securos facere. Plurima tamen suspicio inuaserat ministros Pontificios Oeniponti de ijs quæ agitanda essent à Germanis simul & Gallis super iam allatis articulis: quamquam spectatis ijs, quæ ibi ac Trideti elici potuerant ex illis Gallis, qui linguâ magis lubricâ [a] esse solebant, & ijs quæ Lotharingus ipse datâ fide affirmauit, nec ipse, nec ipsius Galli ad hanc trutinam vocati sunt, nec vlla de re interrogati; tantummodò, cùm ostenderet Cæsar die quodam Gallicis Theologis coram Rege bibliothecam, quam illic habebat, eos familiariter percontatus est, Dignúmne concessione vsum Calicis arbitrarentur. Quod ipsi libere negarunt. Et Cæsar, conuerso ad Maximilianum ore, ijsdem protulit illum Psalmi versiculum: *Quanto tempore proximus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde:* significans impetum suarum petitionum non ab interiori propensione, sed ab exteriori impulsu profectum fuisse.

[a] Apparet ex litteris scriptisque Vicecomitis ad Borromæum 1. Martij 1563.

2 Voluit Cæsar, vt eò Lunensis veniret, ageretque cum Lotharingo, quò ratio aliqua reperiretur, quâ liceret illi honorificè interesse Concilio. Quod ab ipsis Gallis non minùs quàm à Pontifice

1563. cupiebatur, tametsi spe contrariâ permotis: illi enim existimabant, eumdem, qui contendebat in ordine sedendi, concordaturum cum ipsis in ordine procedendi; cùm recentia mandata Lunensis accepisset à Rege, coniunctim procedendi non modò cum Cæsarianis, sed etiam cum Gallis in emendatione curanda, ac præsertim plurimum tribuendi Lotharingi Cardinalis auctoritati; in quo promde cùm coniungeretur studium causæ Gallicanæ cum cupiditate honoris peculiaris, post agitata cum Lunensi consilia, per expeditum tabellarium de ijs litteras in Galliam misit.

[b] Diarium.

Tridentum redijt Cardinalis 27. Februarij [b]. Et quoniam de ijs, quorum multi homines curiosi, multi conscij sunt, citò se prodit notitia, confestim cœpit euanescere metus effectorum, quæ ex propinqua illa coniunctione [c] grandium stellarum expectabantur, cùm audiretur, Cæsarem prorsus alienum à turbulentis consilijs, & à conquirenda per nouum dissidium pace Christiani generis, se intra pietatis suæ fines continuisse, pollicitum, vbi opportunum Lotharingo visum esset, se aditurum Concilium, flexisque genibus roga turum Patres, vt Christianæ Reipublicæ misererentur, eiusque innumeris calamitatibus opem ferrent.

[c] Litteræ Mutinensis ad Moronum 27. & 28. Februarij 1563

Sed horum omnium lux clarior emicuit ex primo Lotharingi colloquio cum Legatis. Comperit ille graui oppressum morbo Mantuanum; cui morbo, iam anteà parato ab annis, immensisque tum corporis tum animi laboribus, vltimam inclinationem adiecerat improuisus [d] Aquilo, qui illum in campestri loco diminutis inopportunè vestibus deprehendit, pro quodam diuitum quasi fato, vt defectu aut alimenti aut vestimenti sæpè moriantur. Extemplò eum inuisit Lotharingus. Alter verò, ex ægrotantium more, qui leuamentum conquirentes, quidquid noui sibi obijciatur, in eo se releuari falsò putant, mirificum præ se tulit animi solatium. Oius quoque ægrotabat; sed ita leuiter, vt negotium admitteret. Quare in eius domo Lotharingus coram ipso, ac duobus collegis beneuolentibus [e] retulit quæ ipse transegerat; nec præterijt consuetam sibi rationem exprimendi res peractas eâ formâ, in qua operæ suæ promerita relucerent. Narrauit, statim ac Oenipontem ipse peruenit, ipsius inuisendi gratia Nuntium aduenisse, qui significauit, in Cæsare non amplius repertum iri veterem voluntatem Concilio propitiam: eam verò in illo mutationem cœpisse ex aliquo tempore, ob animi molestiam & Tridenti & Romæ sibi illatam; ac proinde ipsum rogauit ad ea præstanda officia, quæ Cardinali & huiusmodi Cardinali digna erant, & quæ ob ipsius conditiones ingentem

[d] Litteræ Fuscararij ad Moronum 25. Feb. 1563

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum 1. Martij 1563.

gentem vtilitatem causæ publicæ ac Pontifici afferre poterant. Responsum à se fuisse, Numquam se commissurum, vt in se desideraretur quidquid Purpura, & gratus erga Pontificem animus postulassent: idque à se posteà expletum in eo negotio. Coram se prorupisse Cæsarem in acerbas querelas, quòd nulla de se fuisset habita in Concilio ratio suprà quàm de quouis priuato haberetur; cùm Præsides in volumine à se misso multa comperissent, fassi ea digna esse quæ proponerentur: illos tamen tot mensium spatio numquam ad id deuenisse, spretâ dignitate eiusmodi Principis, à quo illa profecta erant, & ipsius Oratorum, qui officia tam feruentia, tam multiplicata interposuerant. Præterea, Legatos præcisè recusasse, alia in eodem volumine contenta proponere, causatos, indecorum Cæsari futurum, si ipsius nomine exponerentur suffragio rerum mutationes, quas vix ausi fuissent hæretici postulare. Quod Cæsar sibi offensioni duxerat, quasi arbitrarentur Legati, ab ipso ea peti, quòd suæ fidei, suisque votis illa consonarent, non autem merè quò suis populis satisfaceret, quibus deprecatio Cæsaris deneganda non erat: alijs denique ex rebus illic propositis audientiam negari à Legatis, quippe argumentis ad Pontificiam auctoritatem spectantibus. Hîc verò Cæsarem non mediocriter inflammatum pronuntiasse, nondum quidquam alicuius momenti in eo conuentu peractum fuisse; Romanum verò Pontificem decipi aut à Concilio Tridentino, aut ab altero concilio suo, quod Romæ habebatur, cùm vitiosa ambiguitas committeretur cum ingenti detrimento, in confundendis abusibus cum Apostolicę Sedis auctoritate. 1563.

Hæc à Lotharingo relata sunt per viuidam expressionem, & per speciem non aliena sensa merè narrantis, sed sua firmare studentis superiore alterius auctoritate.

§ Liberas ab omni vinculo manus habebant in ea re Legati, cùm à Pontifice accepissent [f] non facultatem modò proponendi cuncta postulata & Galliæ Regis, & Cæsaris, vbi aliâ ratione illis Principibus satisfieri non posset; sed amplam potestatem concedendi grauissimos articulos cum aulæ Romanæ detrimento. Accedebat, quòd ipsorum prudentiæ omni ex parte permittebatur denuò à Pontifice integrum negotium; cum aliqua querimonia, quòd eâdem Pontificis permissione, anteà illis denuntiatâ, numquam illi vsi fuissent, nisi postulato eius aut assensu, aut iudicio. Quoniam autem id summoperè confert ad declarandam hac in re Concilij libertatem, libet mihi ad verbum hîc referre partem epistolæ quam Borromæus iussu Pontificis scripsit ad Simonettam

[f] Litteræ Borrom. ad Legatos in communi 17 21. & 25. Februarij, & ad Simonettam peculiariter 20. Feb. 1563

1563. nettam g: *Pontifex respondet iteratis vestris responsionibus, vt videbitis,*
g 20 Feb. 1563. *cùm alios Cardinales super illis consulere noluisset; nam ab initio in vestro iudicio cuncta reposuerat. Quare maluisset, vt à vobis ipsis id consilij fuisset susceptum, quod magis expedire videretur, nullâ amplius in hoc genere molestiâ illi exhibitâ. Per hæc responsa videretur etiam exhausta summa postulatorum Cæsaris in rebus honestis, & magnoperè satisfieri cunctis hisce correctionis petitoribus, quibus licebit nunc pernoscere Pontificis animum, multa in his litteris indulgentis, quæ fortassè Cardinales ad hæc negotia destinati minimè concessissent, si Pontifex eos audisset. Equidem censeo sanctissimum ab eo susceptum fuisse consilium, & ipsius probitate dignum, & præsenti calamitoso tempori accommodatum. Cupio tamen sententiam vestram de his omnibus priuatim cognoscere.*

Vobis quoque permittit Pontifex, vt cuncta Gallorum postulata, sicuti sunt, proponatis, vbi aliter illis satisfieri non possit: sed in eo casu videtur Pontifici idem agendum in volumine Cæsaris, ne inter vtrumque discrimen ponatur, cùm de ipso maior ratio habenda sit; eoq; magis, quòd prior ille volumen suum miserit.

h Iam dicta epistola Borrom. ad Legatos 21. Februar. 1563

Verumtamen postridie Pius h, ijs quæ scripta fuerant haud reuocatis, addi iussit litteris ad Legatos: Quando Cæsar consentiebat prætermissioni quorumdam ex capitibus voluminis sui, hæc verò ab ipsis rationi dissentaneæ putabantur, satiùs esse illa omitti.

Præsides igitur, non quidem ob Pontificis interdictum, sed proprio ipsorum arbitratu tam multas tamque absurdas mutationes proponere recusabant, præuidentes, alias graui offensioni hominum generi ipsâ postulatione futuras, alias graui molestiæ tam præcelsis petitoribus ob repulsam, quæ magis offendit re ipsâ quàm animo solùm concepta, donec spes est, ipsam speciem prompti ad eam accipiendam animi conducturam ne illa re accipiatur; alias denique graui dissensioni Patrum iudicio, cunctas simul infinitam moram, aliaque deterrima allaturas. Quamobrem post Lotharingi sermonem, Seripandus, ibi Legatorum primus, dixit, Se non adeò mentis inopem esse, vt haberet in animo, quidquam reuerentiæ atque obseruantiæ tam benemerito ac tam pio Cæsari debitæ prætermittere, ad quod tum propriâ ipsorum propensione, tum diserto mandato Pontificis impellebantur: selectos à se articulos in eo volumine, tamquam dignos vt proponerentur, partim fuisse traditos Patribus ad hoc destinatis in ijs quæ spectabant ad abusus in Ordinis Sacramento, partim propositum iri, perinde ac argumentorum tractatio postulasset. De prætermissis Cæsareæ dignitatis gratiâ, se speraſſe meritum, non onus ab eo reportaturos; quando-

quidem

quidem experimento compertum erat in Calicis petitione, quæ honestiorem quàm reliquæ speciem præ se gerebat, quantum offensionis Patribus incussisset, quasi huiusmodi postulata essent Fidei iniurioſa. De tertio, hoc est, de ijs reformandis quæ ad Pontificiam auctoritatem pertinebant, quânam vnquam ratione, quâ decentiâ postulari, vt subditi Principem reformarent, adeoque assuescerent cum eo agere tamquam cum subdito, quod est Principis prærogatiua? nimis esse voluptabilem, adeoque nimis etiam procliuem transitum à veneratione ad contemptum & arrogantiam: nihil magis contrarium videri quàm hoc, tum Hierarchiæ à Christo institutæ, tum omnis probi regiminis normæ. Quapropter se iterùm affirmare, in huiuscemodi rebus Pontificem & legislatorem & legem sibi esse debere: cum eo Cæsar ageret, nacturus in eo omnem animi propensionem, quemadmodum liquebat ex emendatione Romanæ Aulæ, iam à Pontifice inchoata, & assiduè continuata. 1563.

7 Iam verò in hoc postremo, quod maximè periculosum erat, quia maximè speciosum inuidiæ populorum, adeoque maximoperè promotum ab occultis hæresis fautoribus, Lotharingus Legatorum animos mirificè recreauit, luculenter contestatus, Cæsarem velle stabilem atque integram Pontificis auctoritatem, certissimum non modò numquam mutandi Catholicam Religionem, sed numquam se subtrahendi ab obedientia Principis eam moderantis, ac præsertim Pij IV. de quo maximam optimamque opinionem habebat, quæ de quouis Pontificum concipi posset; sperans, ab eo quodcumque bonum in Ecclesia desperandum non esse, dummodo à suis Consiliarijs non induceretur in fraudem, quemadmodum Cæsari certò videbatur anteà contigisse. Et quantum aliunde [i] conijcio, potissimam culpam Ferdinandus tribuebat consilijs duorum insignium Purpuratorum, Moroni & Cicalæ: pro eo quod fieri solet, vt duriora ac molestiora Principum facinora illis ministris adscribantur, qui eorum fiduciam amplius possident, & flagrantius in ipsos studium præ se ferunt.

[i] Scriptum Vicecomitis ad Borrom. 3. Mart. 1563

8 Gradum fecit Lotharingus ad ea quæ Cæsar differüerat aduersus repugnantiam priùs adhibitam, tum ne iurisdictio & obligatio Episcoporum tamquam iuris Diuini declararetur, tum ne tolleretur particula, *Proponentibus Legatis*. De vtroque responsum est: & cùm de priore sibi satisfactum ostenderet, de altero dixit (& euentus præsagium comprobauit) haberent pro certo Legati, ardentiorem, magisque inexorabilem in eo Philippum Regem esse quàm Ferdinandum, propterea quòd Synodus carebat libertate; & vbi Prin-

1563. cipes obstrictam sibi linguam illic haberent, ignorabant ad quodnam opus Oratores eò mitterentur. Tum Seripandus: Existimare se rem illam optimè callere, & cupere de ipsa opportuniùs colloqui cum Lotharingo, eique palàm facere, per illa verba illæsam libertatem relinqui, quò ipse postmodum eâ quâ pollebat auctoritate & eloquentiâ, eamdem veritatem Hispanorum, & cuiusuis etiam animis imprimeret; quod etiam à se cupi vehementer Lotharingus ostendit. Finem hîc fecit, commendans Legatis negotij celeritatem, cui maximè proclives eos comperit, & affirmans, illius vniuersi congressus velle se certiorem Pium reddere. Ex quo eò certiùs arguebatur, studere Lotharingum sê de Pontifice benè meritum, non ab illo auersum ostendere. Etenim vbi cum superioribus agitur, vnicuique curæ est, benefacta in lucem euocare verbis, malefacta occultare silentio.

CAPVT VI.

Ducis Mantuani accessus Tridentum, dum pergit ad Cæsarem. Defunctus ibi Cardinalis eius patruus. Ipsius conditiones, & res ab eo gestæ, paucis expositæ. Communis mœstitia. Petitiones Legatorum ad alium collegam obtinendum. Industria Cæsarianorum Gallorumque, quò electio in Lotharingum caderet. A Pontifice Moronus & Nauagerus electi. Reuersio Gualterij Tridentum. Cædes Guisij Ducis, ibidem cognita.

PRopinquitas Cæsaris Oeniponti commorantis ad celebranda ibi Comitia [a], Mantuanum Ducem illius generum excitauerat ad ipsum consultandum; eiusdemque rei gratiâ, sed lentiori ac muliebri gressu, virum subsequebatur coniux Eleonora. Ex huius itineris opportunitate Tridentum peruenerat Mantuæ Dux, paucis post Lotharingi reditum horis: cumque oppressum morbo patruum offendisset, ab amore atque officio coactus est illic subsistere, donec intra triduum, hoc est, postridie Kalendas Martias vesperi adfuit tristi spectaculo patrui decedentis. Mortis culpa in medicos reiecta est, qui vero illius morbo non comperto idonea ipsi remedia non admouerant. Verùm vt in multis disciplinis artificis vitium in artem transfertur, ita frequenter in hac artis vitium imputatur artifici.

[a] Litteræ Vicecomitis ad Borrom. 1. & 4. Martij, & Legatorũ ad eumdem 3. & 4. Martij, & Diarium 2. Martij, & litteræ Fuscararij ad Moronum 25. & 28. Febr. & 4. Martij, & Acta Palcotti.

Viuere

2 Viuere desijt ætatis anno quinquagesimo octauo [b], ex quibus triginta Purpurâ exornarat. Sublimi fuit ingenio, natalibus pari, tolerantiâ studij natalibus haud consentaneâ. In eo conspirauit splendor Principis cum exemplo Ecclesiastici, & æstimatio prudentiæ politicæ cum reuerentia Christianæ pietatis. Illustris superfuit, in laudibus duorum præsertim eruditissimorum Cardinalium Bembi & Sadoleti. Duo summa inter Reges capita, sibi inuicem æmula, votis concordibus Christianæ Reipublicæ Patrem ipsum volebant: qui illum excluſit, non defectum, sed excessum dotium ipsi obiectauit; fuitque vnica illius nota ne ascenderet, ipsius excellitas: lucem tamen illi etiam affudit Pontificatus haud obtentus, nec tantam quia ipsum meruit, quantam quia non cupijt, aut saltem ita temperatè in sinu, vt nihil illius cupiditatis in opere transluceret. Præsens interfuit Concilio inuitus, & obtemperandi gratiâ, & in eo pariter obtemperandi gratiâ perseuerauit; sed tam accuratâ solertiâ, vt palàm fecerit, non esse violentum virtuti quod molestum est, vbi honestum sit. Ibi inter tam varia hominum ingenia ac studia nemo primas illi laudes non deferebat; adeoque cùm ab ipso sua secessio agitaretur, conuentus vniuersus commotus est, cuncti Principes Christiani Orbis illi obstiterunt, Cæsar se ad preces, & Pontifex ad iussa deueniens se fortasse magis inclinauit. Paulò anteà quàm moreretur, ex desiderio impendendi postremos annos in Episcopi curas, petijt vt sibi liceret vnà cum onere Purpuræ decus deponere. Et tamen euitare non potuit ambitiosi calumniam [c], quasi splendidi vitij, & summis viris communis, quin visus fuisset ad altiorem gradum aspirare, atque hujusce rei gratiâ blandiùs agere cum Patribus, quippe quos propè esse censebat vt futuri Pontificis electores euaderent. Sed quicumque animo recolebat, quantum prodesset Ecclesiæ & intra Concilium placidissimæ administrationis alacritas, & extrà integerrimæ libertatis existimatio, agnoscebat in Præside maiorem virtutis laudem, dum quò publicæ causæ seruiret, seipsum exponebat notæ ambitionis priuatæ. Eam exercuit charitatem in suo grege pascendo, etiam quod ad corpus spectabat, vt eo anno, quo ipse diem obijt, difficultate cibariâ plurimum laborante, distribuendum Mantuæ curauerit in dies singulos mille pauperibus quantum farinæ ijs alendis sufficeret: quin non intra solam Mantuam restrictâ charitate, sed per vniuersam Insubriam diffusâ, compertum est subductâ ratione, tribus postremis annis sterilitate miseris, immensam & inæstimabilem pecuniæ vim ab eo in pauperes erogatam fuisse. Vitæ tum pietati tum liberalitati respon-

1563.

[b] Vide Ciaconum anno 1527. cum appendice Vgellij & Victorelli, & auctores ab ipsis citatos, & conclaue electionis Pij IV.

[c] Narratio iã dicta Oratoris Veneti.

1563. dit mors. Mentis vigorem retinuit donec spiritum traxit, eumque integrum per actus egregiæ pietatis exercuit. Sed quoniam tunc deterrima morbi conditio est, cùm tollitur morbi sensus, dum reliqui de ipsius vita spem omnem amiserant [d], ille ne suspicionem quidem suæ mortis habebat; famuli verò, amici & consanguinei, quadam reuerentiâ & amore, qui beneuolentia non est, ipsum commonere non audebant. Id præstitit Camillus Oliuus, qui quadraginta iam annos in eius familia duxerat, cui grates egit herus affectu pari monentis virtuti, & beneficij raritati. Postrema Sacramenta [e] illi administrauit Didacus Lainius, Generalis Præpositus Societatis Iesu, anteà regressus Mantuâ, illuc missus vt per breuem excursionem hominum pietatem excoleret, & sui Ordinis Collegium ibi conderet: de quo ipsius codicillus repertus est. Eiusdem testamentum, in quo non nisi characteres aut amicitiæ, aut charitatis, aut grati animi visebantur [f], laudibus euectum fuit; potissimùm ob eam popularem virtutem, quæ plausum communem sibi conciliat in Principum obitu, hoc est, ob remunerationem impensàm famulis, cùm ille sibi abiectioni non duxerit nominatim abiectissimos etiam famulos remunerari.

Iusta funebria Tridenti celebrata illi sunt ab vniuerso Conuentu [g], dein alia Mantuæ à Duce fratris filio, qui mutatis itineris sui cursu & officijs, regredi vxorem iussit, & ipse Mantuam reuersus est ad honorandum patrui corpus, quod multi nobiles Præsules comitati sunt, Cardinalis studiosi, & grati frigidis etiam illis reliquijs quæ in terris supererant. Sed funus honorificentissimum, quod nec sanguinis nec gradus excellentiâ obtinetur, celebratum illi fuit à luctu publico, quo singulorum ora squallentia cernebantur. Et certè non amplificatio, sed historia est [h], per eos dies Tridenti non nisi suspiria ac singultus audiri, perinde ac si communis Christianæ gentis spes in eo viro fuisset extincta. Legati præcipuè [i] eo ictu attoniti hæserunt; & Seripandus, prorsus alienus ab ea ambitione, quæ optabiles depingit hominibus primas partes, & inter eos maximè qui primarij sunt, sollicitè scripsit ad Pontificem, vt dignaretur sufficere Legato vitâ functo alterum, ita in Collegio veteranum, vt sibi superior esset in Concilio.

Cæsariani huiusce futuræ electionis necessitatem conspicati, confestim in Lotharingum oculos conuerterunt. Differebant [k]. Si ea legatio illi committeretur, satisfactum iri cunctis Principibus & nationibus, ipsi quippe concorditer fidentibus, adeoque certam inde spem affulgere prosperi glorioso(que) exitus Concilio. Idcirco per

[d] Narratio Concilij Nicolai de Ponte, Oratoris Veneti.

[e] Appendices ad Ciacconū, & Sacchinus initio lib.7.

[f] Præter Acta Paleotti duæ litteræ Iadrensis 3.& 4.Mart.1563

[g] Diarium 3.Martij.

[h] Præsertim litteræ Fuscararij ad Morōū 4.Mart. 1563.

[i] Litteræ Legatorum ad Borromæum 8.Martij, & respōsio Borrom.ad scripād.10 Martij 1563.

[k] Apparet ex scripto Vicecomitis ad Borrómæum 8.Martij 1563.

per expeditum tabellarium cohortati sunt Cæsarem, vt ad id Pontificem suis petitionibus stimularet, in quas aliorum Oratores facilè concurrissent: & in animum inducebant, Pium, vbi in ea re postulanda summos Principes coniunctos esse cerneret, putaturum fuisse vtile consentire, aut inhonestum recusare: nec huiusmodi industriæ erat omnino insçius Lotharingus. Sed longè alia Pontifici mens erat. Præuidebat ipse hinc tam validos precatores, hinc intelligebat, id in rem esse non posse: quamquam tres maximi Principes multa concordes peterent, in alijs tamen petitionibus inter se admodum discrepare; proinde minimè oportere, vt primus Præses motorque Concilij vllius nationis proprius esset. Innotescere, quantum Calicis concessio, aliæque derogationes varijs Ecclesiasticis legibus, promouebantur à Lotharingo, & à Galliæ Rege, simulque quantum ab ijsdem Hispaniæ Rex abhorrebat. Præterquam quòd cùm Gallica natio contrariam se profiteretur ijs prærogatiuæ titulis, quos Florentina Synodus Romano Pontifici tribuerat, quo pacto Romano Pontifici licebat absque detrimento clauium, quas illi sanctus Petrus custodiendas commiserat, delegare primaria, quin sua munera, in Concilio homini illic destinato tamquam duci eorumdem Gallorum, & qui sensus ostenderat ab illis in eo minimè dissidentes? Quapropter ipsi Lotharingo graue fortassis accidisset, se in necessitatem adduci, vt vel esset infidelis Pontifici, cuius minister euaderet; vel videretur infidelis Regi, cuius minister aduenerat. Ea temperata consilia, quæ forsitan satis fuissent boni Præsulis officio, satis non esse vinculo fidelis Legati. Quocircà gnarus Pontifex, magis honorificam, adeoque minùs iniurioſam repulsam haberi, cùm quis præuertitur, atque ita oppositio facto petitionem præpedit; vt primùm Mantuani mortem accepit, nouos Concilij Legatos constituit [l] Moronum & Nauagerum, de quibus sæpius lectorem edocui. Ratio cur tunc hosce duos elegerit, fuit, quoniam cùm inter antiquos Legatos duo præclari Theologi numerarentur, Seripandus & Osius, & vnus Canonum egregie peritus, Simonetta; opus erat in recentibus plus prudentiæ & experientiæ ciuilis, quàm scientiæ: & priores ambæ dotes non sine aliquo scientiæ lumine mirificè par illud Præsidum decorabant, magisque in Ecclesiasticis negotijs Moronum, qui propterea Synodi legationi destinatus fuit iam tum cùm ab initio denuntiata ea est Tridenti, sed incassùm [m], vti memorauimus, à Paulo III. Quare accedente illi pariter intimâ cum Pio coniunctione, ob communem vtrique patriam, ob veterem familiaritatem, ob

1563

[l] Acta Consistorialia 7 Martij 1563.

[m] Vide lib. 6 cap. 1.

1563. reciproca beneficia, opportunè contingebat, vt ipse quoque ex Purpuræ antiquitate primas magistratus partes obiret.

Tametsi studeret Pontifex Præsidum delectum adeò accelerare [n], vt ab eo cuncta studia pro Lotharingo adhibita præoccuparentur, adeoque proximo manè post allatum Tridento nuntium, coëuntibus Purpuratis ad sacellum Pontificium, & de cœtu destinato pro consuetudine non præmonitis, adierit Pontifex conclaue, quò illi conuenerant, nouosque Præsides promulgarit; ipsi tamen id parum profuit. Etenim rem subodoratus Burdesius Cardinalis, eodem manè, antequam id ageretur, Pontificem accessit, eique ob oculos posuit momenta rationum, suadentium munus illud in Lotharingo esse collocandum; spectatâ eius auctoritate, doctrinâ, pietate, prudentiâ, peritiâ, & gratiâ apud omnes Principes, nationesque Christianas. Et tanto maiori animi conatu eas rationes animauit, quanto magis opus erat, vt ille palàm faceret, persuadere se velle. Siquidem cùm aliàs statuisset Pius, eam Legationem ipsi committere, suspicari licebat, aut ob æmulationem, aut ob inuidiam, parum illi optabilem reddi electionem alterius ex Gallica natione. Respondit Pontifex: Cùm Lotharingus tamquam vnius partis antesignanus aduenisset, haud oportere præfecturam illi tradere, quæ & affectionem & opinionem animi nulli partium addicti postulabat.

[n] Litteræ Insulani ad Regem 7. Martij 1563.

Pridie quàm hæc electio haberetur [o], Osius accepit litteras, quantum animaduerto, à Borromæo, quibus certior fiebat, hæresim aliquam per ipsius Diœcesim propagari; & per Vicecomitem Pontifici proposuit, vt Tridentina legatio ipsi mutaretur in Polonicam, in quo regno magis ille profuisset Ecclesiæ quàm in Concilio. Verùm non nisi tertio post obitum Mantuani die id Osius significauit, & repulsam accepit eo nomine [p], quòd ipsius præsentia Tridenti opus erat. Nec illa significatio Romam peruenit eo tempore, quò re ipsa influeret in electionem nouorum Præsidum, sicuti Suauis comminiscitur, adiecto grauiore mendacio, nimirum, Simonettam cupidum ad clauum sedere, positâ Osij imbecillitate, quamuis in superiori gradu, conatum fuisse dehortari Pontificem ab omni mutatione in Concilio, tamquàm periculosa: cùm liqueat contrarium ex litteris vtrique communibus, ad Borromæum [q] datis, quo tempore plurimus erat metus de morte Seripandi, propter morbi grauitatem, de quo infrà; quibus rescripsit Borromæus [r], A Pontifice, non quòd vrgeret necessitas, sed quò feruidis ipsorum petitionibus satisfieret, suffectos fuisse duos Legatos Mantuano demor-

[o] Litteræ Vicecomitis 6. Martij 1563.

[p] Litteræ Borrom. ad Simonettam 13. Ap. 1563

[q] 3. Martij 1563.

[r] Litteræ Borrom. ad Legatos 10. Martij 1563.

demortuo, & Altempsio inde profecto. Prætereà in eiusdem [r] responso ad peculiarem quamdam epistolam à Simonetta scriptam 10. Martij, adeoque post mortem Legati, & antequam innotesceret noua electio Romæ habita die septimo, illi significauit, valdè dolere Pontificem, quòd per eam epistolam accepisset, ipsum capite grauiter laborare; tamen hortari, vt alacri esset animo, & opus prosequeretur. Hinc animaduertant lectores, quàm longè tunc abesset Simonetta ab eo studio persuadendi Pontifici, vt absque Legatorum subrogatione ipsius humeris integrum quasi onus relinqueret. 1563. [r] Litteræ Borrom. ad Simonettam 17. Martij 1563.

7 Antequam hæc acciderent, Pontifex Gualterium tandem remiserat, præmissis eius profectioni [t] per cursorem animaduersionibus, quas ipse, sicuti diximus, Gallorum postulatis adnotarat, quò liceret Legatis eas proponentibus satisfacere celeritati quam Oratores cupiebant, sed reposito integro negotio in ipsorum Præsidum iudicio, suâque mente declaratâ, quòd ipse consilium daret, non præscriberet: quam declarationem idem posteà confirmauit, cùm illi quædam à se expensa super illis notationibus rescripsere, & ipse sententiam suam iterum explicauit. Breuiter, cunctis litteris à Pontifice ad Legatos datis de huiusmodi argumentis affirmabatur, aut rem in ipsis reponi, aut queri Pontificem quòd eâ facultate Præsides non vterentur. Præsertim verò in obitu Mantuani rescribens Borromæus [u] ad peculiarem quamdam Seripandi epistolam, acriter expressit grauem Pontificis molestiam, quòd ipsius iussa ad singula quæque peterentur; detrimentum, quod ex eo inferebatur propter cunctationem, turbarum omnium causam; & immensum in se desiderium, vt in posterum pro ipsorum prudentia res peragerent. [t] In litteris Borrom. ad Legatos 17. 21. & 25. Februarij 1563. [u] 20. Martij 1563.

8 Hanc ipsam Pontificis mentem exposuit Viterbiensis Episcopus de mansionis Decreto [x]. Vnde Legati, qui maluissent in eo securitatem executorum, quàm auctoritatem arbitrorum, tristati sunt. Peruenit ille Tridentum quinto Martij [y], & animo turbato Lotharingum offendit. Pridie siquidem Oratores Veneti funestum nuntium illi detulerant [z], acceptum litteris Oratoris Veneti apud Sabaudum. Is erat, Ducem Guisium, Cardinalis fratrem, & familiæ columen, fraude malâ vulneratum à tergo fuisse propè Aureliam, cum vitæ discrimine. Ea res adeò perculit Lotharingum, vt quamuis interesset corpore cœtibus Theologorum, alijsque functionibus, videbatur tamen magnâ animi sui parte inuitus alibi degere: neque obtentum constantiæ velamen satis erat, quin in ipsius vultu [x] Litteræ Legatorum ad Borromæum 8. Martij 1563. [y] Epist. Legat. [z] Ex litteris Legatorū ad Borromæum 8. Martij, & duę Gualterij 8. & 9. & Diarium 10. Martij 1563.

1563. vultu legeretur animi suspensio atque commotio. Mox paucas post horas vulgata fuit ab ijsdem Venetis, ex litteris quæ superuenerant, etiam mors Guisij Ducis, post septimum ex inflicto vulnere diem. Sed curatum est, vt hæc posterior fama remoueretur ab auribus Lotharingi, ne dolore forsitan imaginario cruciaretur, quando rei confirmatio aliunde non habebatur. Verumtamen pro consuetudine famæ publicæ, quæ mille sibi aditus vndique molitur, prohiberi non potuit, quò minùs aliquis etiam mortis susurrus ad illum irrepserit. In scriptis narrationibus huius euentus, perinde ac etiam vniuersè rerum omnium, magnoperè variant minutiores rerum conditiones, quippe quæ parum arrectis auribus, parum intentâ memoriâ, parum cauto calamo excipiuntur: quare si cui liberet interdum mihi notam inurere, allatis testimonijs aduersantibus narrationi meæ, illa priùs libret testimonijs à me productis in margine, & animaduertet, me multis iam lustratis, ea in singulis argumentis secutum, quæ auctoritate præstarent.

Lotharingus itaque in ea animi ægrimonia, ad prima Gualterij colloquia respondit verbis tam mutilis [a], tam nauseantibus, vt parum sibi ille acceptus esse videretur: quo posteà sedatiori cogitatione animaduerso, per hominem missum rem excusauit. Gualterius verò se abstinuit id temporis à sermonibus de quouis alio argumento, quod non esset ad oblectandum idoneum, & ad auertendum Cardinalis animum à curis molestis; tantumque dumtaxat aspergebat de publicis negotijs, quantum varietati conferret maximè opportunæ, ne mens defixa persistat [b]. Sed paulò pòst per missum tabellarium res certò constitit: in quo præsentiorem animum Lotharingus præ se tulit, quàm in dubio, seu quòd ipsa dubitatio animum vulneri parauerat, doloremque magna ex parte per metum efflauerat; seu quòd vnusquisque libenter boni possessi amorem retinet, dum spem retinet illius conseruandi: sed ab ea spe destitutus, amorem quantum potest destituit, solumque à fortitudine leuamen & honorem quærit. Quapropter ex infausto nuntio rei certus, in genua prouolutus, & ad Deum conuersus dixit: *Domine sontem fratrem in vita reliquisti, & insontem abstulisti.* Non destitit Gualterius eum certum reddere, Pontificem suam omnem auctoritatem adhibiturum ad benemeritam ipsius familiam sustinendam: nec minùs id præstitit honorificis argumentis Regina [c], collocatis in iuuene Duce, demortui filio, cunctis parentis magistratibus, datisque sollicitè mandatis, vt Cardinalis vita cautè custodiretur [d]. Cædes enim Guisij Castilionensibus tribuebatur, ac

præ-

[a] Ex scripto Vicecomitis ad Borom. 8. Martij 1563.

[b] Literæ Gualterij ad Borromæum 9. Martij, & Legatorum 11. Martij 1563.

[c] Litt. Gualt. ad Borrom. 13. Martij 1563.

[d] Litt. Gualt. 9. & 13. Mart. 1563.

præcipuè illius familiæ Cardinali iam hugonotto; qui vt sollemniter Purpurâ priuaretur, Lotharingus & anteà & tunc in eo casu ardenter institerat, sed tamquam studij, non inimicitiæ causâ. At verò Pontifex se continuerat, vt pateret ostium reo, quà se honestè retraheret, ne ferretur in præceps. Et sanè interfector, qui priuatus hugonottus erat, in iudicij quæstione affirmauit, rem à se peractam ex mandato Gasparis Castilionensis Dynastæ, qui supremus erat rei maritimæ Præfectus, & Cardinalis frater: & quamuis adductus iterùm in quæstionem posteà variaret, hæc suspicio influxit in illos cruentos euentus, in quibus fortius bellum gessit in Gasparem Dux mortuus, quàm gesserat viuus. Itaque inter huiusmodi tunc suspiciones timendum erat, ne ijdem Castilionenses, quò tam validos hostes suæ sectæ delerent, suamque familiam ab æmulis tam potentibus liberarent, insidias quoque molirentur vitæ Cardinalis, non minùs ipsis formidabilis in toga, quàm anteà eius frater in armis. Sed is Gualterio dixit: Nullâ id humanâ custodiâ tutò caueri posse; adeoque viuendum non esse in sollicitudine nimia viuendi, sed vitæ curam permittendam Deo, in eam dominanti. Ideircò à priuato periculo ad publicum totius Galliæ in colloquio progressus est: & post multa conuenit inter eos, præcipuum rerum cardinem in Rege Catholico statuendum esse, atque ab eo petendum, vt ipse declararet, velle se quasi tutoris munus exercere erga vxoris fratrem, pupillum, ac destitutum. Contrà verò nonnulli, qui sibi persuadere non possunt aliam in regnantibus normam, nisi callidam rationem regnandi, disseminabant, ipsum Britannicæ Reginæ persuasurum, vt antiquam possessionem Caletorum repeteret, ab interfecto Guisio Gallis recuperatam; simulque cohortaturum regios consiliarios ad cessionem, prætentâ specie, id vtiliter impensum iri, quò Rex ætate tam imbecillâ, & inter intestinos tumultus, exteriorem pacem mercaretur. 1563.

Verùm sicuti compertum fuit, neque nationis suæ discrimine, neque familiæ suæ luctu à cura dignitatis suæ amotus est Lotharingus: siue id accidat quòd nihil extra nos vim habeat nostri animi à nobis distrahendi, siue quòd in summis doloribus cupiditas ad voluptatem quasi ad medicinam inflammatur.

1563.

CAPVT VII.

Legationis cupiditas in Lotharingo. Querimoniæ, quòd ea sibi non offerretur. Agitata à Legatis cum ipso & cum Cæsaris Oratoribus de mansionis decreto. Morbus & obitus Seripandi. Breuis commemoratio eorum quæ laudabiliter ille gessit.

ANtequam nuntij de duobus additis Legatis peruenissent, actum fuerat Tridenti de hac futura electione [a], quâ cùm vnicus eligendus putaretur, alij Moronum, alij Cicalam prædicebant. Aduersus Moronum multa Lotharingus Gualterio retulerat, à Cæsare vituperata: de Cicala sinistram in se opinionem ostendebat, quippe haustam ex narrationibus quorumdam Præsulum ob vulgatam famam, de qua suprà diximus, quòd Romæ illius operâ meliora consilia desererentur. Sed Gualterius prudenti solertiâ studuerat illum abducere ab ea persuasione, quò vtrauis tandem haberetur electio, aduersum Lotharingi animum non offenderet. Ceterà suæ hic hærebat sententiæ, oportere vt Pontifex Tridentum appropinquaret, Bononiam se conferens [b], præsertim cùm ad primi Legati mortem accessisset per eos dies grauissima secundi ægrotatio. Etenim, aiebat, frustrà sperari successum prosperum, & alicuius momenti, de duobus Legatis qui supererant. Verùm eiusmodi exceptiones, in Præsides bene valentes ab ipso iactatæ, & in eos Cardinales, qui facilè suffici poterant demortuo, & ægroto si moreretur, non tantum tendebat ad alios submouendos, propiusque trahendum Pontificem, quantum ad seipsum promouendum, qui siue cupiditate gloriæ sibi comparandæ, siue studio Christianæ Reipublicæ opitulandi, auidissimè illius nauigij gubernaculum appetebat. Et quoniam ad id opus erat, vt in Pontifice abstergeretur suspicio de Principibus Lotharingo coniunctis, & de ipso Lotharingo, ad vtrumque sua cuncta argumenta conuertebat.

Quod spectabat ad Principes: ipse cum suis maximè intimis optimum animum testabatur in Cæsare; à quo, audiente se hæc verba fuisse prolata, narrauit Gualterio Archiepiscopus Senonensis: Si Pontifex vnum sibi oculum eruisset, illum à se benignè altero inspectum iri. Quod verò ad se spectabat, operosius rem vrgebat, vtpote voto suo maximè conducibilem. Et certè siue hoc accideret ex egregia fortitudine, siue ex summa religione; siue quia, sicuti Gualte-

[a] Arcanæ notæ Gualterij ad Borrom. 8. Mart.

[b] Litteræ Gualterij ad Borromæum 9. Martij 1563.

Gualterius scripsit [c], mœstitia in animo Galli non diutiùs quàm vnicâ nocte hospitium habet; siue quia vehemens animi affectio superueniens priorem extinguit, tantam alacritatem ille præferebat, quanta in rebus agendis numquam ante recens infortunium visa fuerat. Cumque animum Synodi negotijs omnino intentum præ se gereret, significauit Gualterio [d], in rem non esse Pontificis, consilium constituendi per se leges tam seueras; tamq; assiduas Aulæ correctiones multò minùs à Principibus expeti. Nec fortassis existimaret Pontifex id opportunum, quasi libertatem sibi relinqueret angustias pro suo arbitratu posteà relaxandi: semel enim ab eo sancitis austeris illis legibus, decreta singulis in regnis constitutum iri consonantia, specioso titulo, quòd ea cum legibus Pontificijs conformarentur; nec posteà earum abrogationem permissum iri: opportunius fore, si mitior emendatio auctoritate Concilij stabiliretur, cui omnes acquiescerent. Idem Vicecomiti insinuauerat; adieceratque [e], nihil verendum esse Pontifici, ne per eam ipsius potestas coarctaretur; quippe quòd nullus Principum sibi persuadebat, nefas esse Pontifici sanctiones illas relaxare, cùm ipse id expedire arbitraretur. Sed de hoc ipso variè disserebat per consuetam illi varietatem & in affectionibus [f] & in dictis.

1563.

c Ad Borrom. 13. Martij 1563.

d Litteræ proximè citatæ.

e Scriptum Vicecomitis, signatum 8 Martij 1563.

f Ex plurimis Gualterij litteris.

3 Ita conabatur Lotharingus eiusmodi sensus ostentare, quibus Pio spem faceret, gratos sibi fructus eum decerpturum ex præfectura, ad quam Cardinalis aspirabat. Cùm autem id quod maximè reluctabatur ipsius voto, esset Pontificis suspicio, per eos dies conqueri non cessabat, quòd nollet vmquam Pius sinistram opinionem deponere, perinde ac si Romanæ Aulæ perniciem ipse moliretur; idcircò Legatos nihil illi fidere Tridenti, nihil Pontificem ipsius Romæ administris. Iterùm verò eius aduentum Bononiam perurgebat; quasi cupidus ipsum habere spectatorem suorum operum, eorumque rectorem; tametsi posteà significaret, audire se ex litteris, quæ ad ipsum è Gallia superuenerant, aduentum illuc Pontificis haud acceptum futurum, quasi directum ad Synodi seruitutem. Quare vt is Principibus probaretur, opus esse, vt priùs cùm ipsis conueniret Pontifex de rebus gerendis: in quo suam ipse operam offerre tamquam singulare beneficium videbatur. Tandem Gualterio dixit, Rationem quamdam sibi suppetere absoluendi intra mensem Concilij, sed non ante viginti dies eam à se patefieri posse: simul etiam Simonettæ spem [g] fecerat, se suosque Gallicos Præsules ad ea deuenturos, quibus Pontifici satisfieret.

g Ex responso Borrom. ad Simonettã 9. Martij

4 Interim arbitrabatur, propitiam auram studij plaususque communis,

1563. munis, quâ ad Synodi regimen eueheretur, sibi afflatum iri, si palàm fieret, conuentum post tam acerbas altercationes in ea conuenire quæ ipse excogitarat ac proposuerat. Eapropter à Legatis petijt [b], vt exponeretur Patrum sententijs Decretum mansionis, eâ formâ præcise, quâ illis à se traditum fuerat, omissis mutationibus se conscio posteà appositis, sicut illi statuerant: cùm autem ij se difficiles in hoc præberent, subdidit ille, aliter palàm futurum, Synodum non esse liberam. Quare Legati, ex morbo Seripandi numero animoque diminuti, ne qua perturbatio ipsis tribueretur, responderunt, Quamuis rei propositæ ipsorum iudicium repugnaret, quòd scirent complures Præsulum repugnaturos; tamen quando ille affirmabat id opus esse, ne qua species exhiberetur læsæ in Concilio libertatis, se Decretum proposituros, sed tamquam Lotharingi decretum, non tamquam suum denuntiantes; etiam tum, si quid inde absurdi oriretur, se extra culpam futuros. Hinc ille lætissimus, assensum in eo Legatorum illicò Cæsarianis aperuit. Hi verò alterius rei causâ Præsides adiere; auditâque ex illis dubitatione, ne ab ea propositione dissidium excitaretur, adeoque compertâ ratione, quâ ad id impellebantur, affirmarunt, nihil ipsorum ac Cæsaris voluntati magis opponi, quàm argumentum quodcumque dissidiorum. Quare si quod illius periculum Legati prænoscerent, nullis conditionibus ad ipsum proponendum adducerentur: idque confestim Oratores Lotharingo retulere [i]. Porrò cùm Annorus à Gualterio mitteretur ad Lotharingum, aliquid ea de re nuntiaturus, ille negotio prætermisso, vti mos est animis turbatione commotis, prosilijt in ardentem querelam: Opus fuisse, à suis familis se doceri de Legatis, à Pontifice recèns electis; Præsides verò, qui post aduentum tabellarij secum in cœtu fuerant, ne vno quidem nutu ipsum fuisse dignatos. Hinc à conditionum querimonijs ad rem ipsam, quæ magis illi dolebat, expostulandam progressus est; Magnam sibi videri iniuriam, quòd Pontifex, cui plane compertæ erant ipsius conditiones, & Cardinalis, & Principis, & de Ecclesia benemerentis, animum non induxisset ad offerendam illi Legationem, quam sine dubio ipse recusasset, illius oblatæ honore satis contentus. Hunc esse occultum sensum illius dicti à se paulò antè prolati, Non posse ante diem vigesimum à se patefieri Pontifici excogitatam ab ipso rationem absoluendi feliciter intra mensem Concilij. Etenim cùm ipse Oemponte regressus, apud se statuisset Mannensem Abbatem ad Pontificem mittere, rationem illam à se excogitatam illi expositurum, posteà supersedere decreuerat, cùm com-

[b] Duæ Legatorum ad Borromæum 8. & 14. Martij 1563.

[i] Arcanę notæ Gualterij ad Borrom. 14. & 17. Martij 1563

complures Præsulum Oratorumque legationem ipsi auspicarentur, adeoque cauendum sibi esset, ne Mannensis missio eò tenderet videretur. 1563.

5 Gualterius his ex Antinoro cognitis, confestim Lotharingum adijt, ipsum pacaturus, dixitque, Putare se duas causas suasisse Pontifici, ne ipsum in eo gradu collocaret. Alteram, ne Cardinali noceret apud Reginam, quæ illum ad Synodum miserat, vt illi tamquam ipsius minister, & Gallorum ductor assisteret, non tamquam Pontificis personam agens: alteram, ne se & Apostolicam Sedem ampliori fructu priuaret, quem è Cardinalis studio à se collectum iri sperabat, dum ille eam auctoritatem fiduciamque apud suos, cunctosque Transalpinos sibi conseruaret, quam idem renunciatus Pontificis minister extemplò perdidisset. Sed ille his excusationibus minimè acquiescebat, & querimonias prosequebatur tanto animi ardore, tantàque prolixitate sermonis, quantis vti solent cordati homines, cùm offensæ acerbitatem amplificant quò sibi satisfiat, non quò animi commotionem inutiliter patefaciant. Quare in suspicionem venit Gualterius, illum secundi etiam honoris cupidum: quando electio Moroni ob antiquitatem Purpuræ ipsi spem omnem primi honoris ademerat, aspirare loco Seripandi, qui eo planè die Synodo noui luctus argumentum præbuit.

6 Febris illum inuaserat in cœtu [k], qui octauo Martij habebatur; statimque incessit alios metus, ipsum verò dubitatio mortis suæ. Quapropter nihil ille cunctatus, ne vnam quidem horam omisit in ijs præparationibus è propinquo peragendis, quas è longinquo peregerat toto religiosissimæ vitæ curriculo. Eucharistiam sumpsit non detractis vestibus, nec in lecto decumbens, sicuti quidam, de ipsius valetudine magis solliciti, ipsum cohortabantur, sed [l] indutus vestibus, & innixus genibus, dicens, Velle se hanc postremam veniam petere quàm maximè decenti formâ; & in vltimo digressu à Collegis, à Patribus, à familiaribus, multum tenerioris affectus, plurimum pietatis mouit. Vtraque hæc animorum commotio aucta est, dum ipse alteram in ijs qui aderant cohibere vellet; videns quippe complures præcipuos Præsules amicos suos complorantes, illis Apostoli verbis eos allocutus est: *Quare contristamini, quasi in vobis non sit spes?* In quam sententiam egregium Latinè sermonem habuit, & eiusmodi, vt ipsius exemplaria prodierint, seueriori oculorum iudicio comprobata, siue quoniam tunc eloquentior homo est, cùm magis ex animo loquitur, siue quoniam commoti affectus locutio instar ignis est, qui non solùm acriùs vrit, sed clariùs

k In Litteris Legatorũ ad Borromæum 9. Martij vsque ad 17. & in alijs Vicecomitis, & Gualterij per eos dies.

l Narratio citata Veneti Oratoris & litteræ Episcopi Tarusini infirmo Iadrensi ad Cornelium 15. Martij 1563.

1563. lucet à natura profectus, quàm ab arte depictus. Cumque susurrus nescio quis illius aures pupugisset, quosdam suspicari de sincera in eo Fide, fortasse ob proprias illius opinationes de peccato Originali, ac de Iustificatione, ætate Pauli III. in Concilio ab eo prolatas, compluribus primarijs Theologis ad se conuocatis, recitatisque singulatim coram ipsis nostræ Fidei articulis, iurauit per Deum, qui se statim iudicaturus erat, illis semper se firmissimè adhæsisse assensu cuiusuis dubitationis purissimo.

Seripandi periculum proximum, post Mantuani casum, incredibile est quo dolore ac terrore Synodum oppleuerit, quasi irati sibi Cæli argumentum. Atque ne hæc iactura posterior, vbi Diuinæ voluntatis consilio, non tribueretur vitio, perinde ac prior artis humanæ verteretur, illi curando summâ sollicitudine adiecit animum Simon Pasqua [m] Genuensis, Sarazanæ Episcopus, vir variis disciplinis eximius, sed medicinâ præcellens, adeò vt Vicecomes[2], paucis antè diebus admonens Borromæum exemplo Mantuani, quantum inferat detrimenti medicorum imperitia, auctor illi fuerit, vt Romam alio prætextu Simonem acciret, quò valetudini iam malè affectæ Pontificis operam daret. Nec reticuero ad pleniorem huiusce viri notitiam, illum ante acceptas infulas missum à sua Republica fuisse Oratorem ad Philippum Regem, & post exitum Concilij summo gradu, sed paucos menses cohonestatum. Sed quidquid diligentiæ & à Pasqua & ab alijs adhibitum est, nihil profuit, ne post alternas grauis timoris & leuis spei vices die 17. Martij egregius ille vir occumberet.

m Vide Ciacconum, & Vghellum in Italia sacra de Ecclesia Sarazanensi epist. 55. n 4. Martij 1563.

Natales ille habuerat in vrbe Neapoli ex nobili familia ante septuaginta annos, quinquaginta sex habitum Eremitarum S. Augustini gesserat, ab eo susceptum, dum illum Ordinem moderabatur Ægidius Viterbiensis, ipse quoque eruditissimus Cardinalis. Hic statim optimam iuuenis indolem agnouit, & ex ea bene culta fructus decerpsit. Cùm Seripandus parem ingenio linguam obtineret, non eloquentiâ minùs excelluit, quàm scientiâ. A Paulo III. Ordinis Vicarius Generalis electus est, & ab Ordine posteà Generalis Magister. Adijt, ad agenda patriæ suæ negotia missus, Carolum Quintum, qui non ob alias preces, nisi promeritorum ipsius, illum nominauit, & inuitum adegit ad Archiepiscopatum Salernitanum. Posteà Pius IV. eiusdem capiti Purpuram imposuit, potiùs ad nouos labores adijciendos, quàm ad susceptos remunerandos, cùm illum iusserit desudare in perducendo ad exitum Legati auctoritate Concilium illud, cuius primordijs plurimum lucis

lucis ac fulcimenti sub Paulo III. attulerat Generalis Magistri conditione. Ijs quæ ille in vtroque statu ibi egerit sapientiâ, consilio, studio & exemplo, nostra historia pluribus in locis scatet. Possemus in animum inducere, ipsum à fortuna male habitum, quippe denegante perfectum ab eo conspici ædificium illud, cuius idem tam præcipuus architectus extiterat, si fugeret è memoria, veram fortunam Deum esse, atque animis virtute præditis non auferri, sed augeri voluptatem ob res prosperas Religionis in terris, cùm ipsis ea licet è cælo spectare. 1563.

CAPVT VIII.

Armorum tumultus Tridenti inter varias Nationes, ægrè tandem sedati. Cæsaris litteræ ad Præsides, & ad Pontificem, & quatuor ipsius postulata. Alteræ ipsius ad eumdem litteræ arcanæ; & Pontificis ad vtraque responsum.

1 ADaugendum Legatorum angorem ex duplici morte, alterâ iam spectatâ, alterâ tunc tantummodò formidatâ suorum Collegarum primæ notæ, maximæque auctoritatis, togatis paulò antè certaminibus accesserant armata. Octauo [a] Martij iurgium coortum fuerat inter complures famulos duorum Episcoporum, Galli & Hispani, in quo Gallus quidam lethalem plagam accepit: & rumor fuit (veráxne an pro more famæ, quæ fortunæ propitiæ aduersari solet) vim iniquiùs illatam illi fuisse, quippe quòd plures Hispani in Gallum irruerant; adeoque quidam ex Italis accurrerunt, illum aut adiuturi, aut vindicaturi: hinc Hispani in Italicam nationem commoti, cœperunt quemcumque Italum, quem inermem offendissent, malè habere. Quare frequentes in rixas itum est, per quas non effusas, sed enutritas irâ atque odio, eò deuentum, vt ampliùs Præsules non auderent famulos extra domum mittere; nec etiam ipsi famuli prodire, siue audiendi Sacri, siue cœtus adeundi causâ, nouas semper turbas extimescentes, præsertim ob inductam consuetudinem conclamandi, *Italiam, & Hispaniam*, quod multitudini temerariæ ac leui prælij signum sonabat, quasi ex fideli studio in gentis suæ dignitatem. Conuentibus à Legatis dies aliquot intermissis, præcipuos interim Nationum Episcopos conuocarunt, quò pax componeretur; sed nihil peractum: & duodecimo Martij tantâ armatorum frequentiâ concursum est, vt conflictus potiùs quàm rixa videretur, multis aut occisis, aut vulnè-

[a] Duæ Legatorũ ad Borrom. 15. Martij 1563. & Diarium 8. in quo aliquid variat ob ea, quæ Legati narrant.

1563. vulneratis. Legati in tam horrifico tumultu opem petierunt non solùm à Tridenti Præfecto Dario Poggiolino Imolensi [b], sed etiam à Duce militum Cæsareo, vrbis custode, qui per consuetum æris campani sonitum bonam militum manum in foro coëgit, quibus tunc tumultus repressus; sed illicò terrore sedato furor exarsit. Quare Legati per expeditum tabellarium monuerunt Madruccium Cardinalem, qui Brixinone non longè Oeniponte Comitia præstolabatur, & Nicolaum ipsius parentem, vt redirent, rebusque adeò perturbatis consulerent, ac frænum injcerent. Sed cunctante Cardinalis responso, & ægrotante ipsius Parente, adeoque itineris impotente, nec ordinario militum præsidio viribus satis pollente ad inquietos coërcendos, nihil suppetebat opportunius, quàm vt arma cunctis demerentur: quod principio succedere non potuit; siquidem Lotharingus inter denuntiatas sibi suspiciones de paratis vitæ suæ insidijs armatam familiam postulabat, nec peculiari custodiæ publicorum armatorum, à Legatis exhibitæ, acquiescebat. Quod autem Lotharingus iustè incolumitatis suæ suspicione petebat, idem ab alijs nimiâ quâdam dignitatis suæ zelotypiâ petebatur. Lansacus existimabat, sui muneris honori deberi huiusce priuilegij indemnitatem, sine vlla numeri limitatione, & ne scripto quidem traditis suorum famulorum nominibus, quò veri à simulatis discernerentur. Quare neque pariter Hispani se inermes esse patiebantur: & ex inopia opportuni consilij sex iam dies conuentus intermissi fuerant; cùm demum Legati cunctis Oratoribus accersitis aperte denuntiarunt, Si vellent Tridenti Concilium, opus esse vt pacem quoque Tridenti vellent, & vbi animi ita ferueſcunt, nullam iniri posse rationem pacis, nisi subtractis instrumentis belli, nimirum armis. Quapropter idoneum tempus non esse custodiendi tenaciter priuilegia, quæ in alijs rerum conditionibus faciunt ad pompæ ostentationem, nunc verò ad sanguinis effusionem. Et quoniam tam diu perdurat in vano pertinacia, quamdiu non animaduertitur eadem solidò nocere; cùm abhorrerent omnium Oratorum animi à dissolutione Concilij, in hoc conuenerunt, vt honoris gratiâ ipsis, & certo famulorum numero liceret arma gestare; ita tamen, vt eorum syllabus Magistratui traderetur, appositis nominibus, distinctisque tesseris, fallaciæ haud obnoxijs: vt idem concederetur extra omnem limitem Lotharingo ob proprias & cogentes causas. Sed cùm eiusdem syllabi vinculo cuiuscumque alterius familiæ illa interdicerentur: & sicuti efficacissima prohibitio, in eo quod ratio decori postulat, est superiorum exemplum; ita Legati legis

[b] Ex variis legitimis tabulis penes Auctorem, in quibus etiam constat datam fuisse posteà à Legatis Poggiolino ex parte ipsorũ iurisdictionẽ illius præfecturæ.

legis obseruationem à suis familijs cœpêre. Hoc pacto extinctus tumultus, & die postero 16. Martij conuentus habiti. Plurimum autem posteà contulit quietis firmitati Cæsareum edictum, vt quicumque in rixa deprehensus, Tridento exularet. 1563.

2 Non tamen otiabatur negotium, cœtibus otiantibus. Reuersus fuerat ab Aula Cæsaris Drascouizius [c], litterasque à Ferdinando ad Legatos scriptas attulerat, & aliarum litterarum, quæ ad Pontificem mittebantur, exemplar; simulque Præsides orabat, vt suam ipsi operam apud Pontificem impenderent super petitionibus illic expositis. Præstolabantur illi post huiusmodi colloquium Oenipontanum, & post tot consilia Ministrorum Theologorumque, grandiorem quemdam partum, & fortasse formidabiliorem. Sed neque Drascouizius voce quidquam addidit præter ea quæ scripto exponebantur, neque hæc ipsa quidquam summatim continebant, nisi post vniuersalem querimoniam quatuor peculiaria postulata. Querimonia in eo vertebatur, quòd Synodus non procederet ordine à Principibus sperato, & Christianis necessario: quòd plures menses sine vlla Sessione abijssent; & quòd dum expectabatur Patres reconciliationem dissidentium curaturos, ipsos inter se dissidere & concertare audiretur, graui fidelium offensione; cui malo Cæsar Pontificem rogabat vt remedium admoueret.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum 9 Martij 1563.

Primum ex quatuor capitibus exponebat: Rumorem esse, de dissolutione aut suspensione Concilij cogitari; ad quod fortasse impelli Pontificem à memoratis dissensionibus: sed à Cæsare pro singulari filij reuerentia illi significari, sibi aliam omnino sententiam esse. Hinc excitum iri in multis desperationem, in multis despectum, in quamplurimis offensionem, id tamquam fugam ab agitata morum emendatione interpretantibus. Ex eo magnum discrimen imminere: populos, quasi in naufragio, se proiecturos velut ad tabulam, ad Synodos proprias Nationum, quæ Religioni tam noxiæ ab ipso Pontifice censebantur, & è contrario à tot Prouincijs toties fuerant efflagitatæ.

Secundum continebat præualidam petitionem, vt in Concilio plena libertas concederetur, quâ fas esset Oratoribus & Episcopis proponere quidquid ipsi arbitrarentur consentaneum retinendæ Religioni, & obedientiæ Pontifici debitæ, ac conducibile Regnis peculiaribus; atque vt non minùs frueretur Synodus eâ libertate in dicendis sententijs, rebus ita constitutis, vt decerni posset sine mora confugiendi aliò (quod Romam significabat:) huiusmodi esse maiorum exempla; nec oportere Christianorum

1563. rum animos, adeò exulceratos ac perturbatos, irritari nouis modis inductis

Tertium, sollicitum emendationis studium expromebat. Hîc petebat à Pio Ferdinandus per summam reuerentiam, vt sibi certò persuaderet, id ab ipso non dici quò derogaret siue sapientiæ siue probitati singulari Pontificis, siue eiusdem prærogatiuæ atque auctoritati, ad quam tuendam paratus erat & regnum & vitam impendere: sed solùm, quia cùm varia fuissent ad se perlata quæ animos à Sede Apostolica potuissent auertere, suum esse officium existimarat (quippe qui eiusdem se filium primogenitum, & Ecclesiæ Patronum profitebatur) ea illi significare, vt pro sua prudentia, & ope Diuinâ imploratâ, ijs consuleretur; ad quod quidquid ipse conari posset, vnà pollicebatur.

Postremum dicebat: Cùm in Historijs legeretur, plurimum sæpe Concilijs profuisse summorum Pontificum Cæsarumque præsentiam; prompto se animo esse ad cuncta incommoda tolerandà, cunctaque negotia negligenda tam sacrosancti operis gratiâ, atque ad id quoque Pontificem cohortari.

De negotio emendationis, intra formulas vniuersales hanc epistolam continuit Cæsar, non sine quadam Legatorum admiratione: id tamen ab eo factum est, propterea quòd de eodem argumento altera eodem tempore scripta ab ipso fuerat ad Pontificem arcana, & Legatis ignota, rato eam formam rei subiectæ magis consentaneam: nos, quò minùs lectoris memoria defatigetur, hîc priùs summam responsionis publicæ ad epistolam publicam apponemus, dein summam occultæ tum epistolæ tum responsionis conjunctim afferemus.

d 18. Martij 1563. In publico responso [d] initium ducebat Pontifex à laudibus consuetis, pietatem Cæsaris extollentibus, cùm ipsas quoque Patrum dissensiones improbaret.

Quod spectabat ad primum caput, existimabat pariter, summam offensioni futuram quamlibet suspensionem: sed affirmabat, numquam se animum ad eam adiecisse; quin magnorum Principum cohortationibus in eo repugnasse. Ad secundum: Amari à se Concilij libertatem, præsertim in ferendis sententijs: facultatem proponendi directè Præsidentibus reseruari, pro eo quod fieri consueuerat in rectè constitutis communitatibus; atque de eo conuenisse eamdem Synodum ab initio, concordi sententiâ, vno vel altero exceptis: sed velle se, vt Legati postulationibus Oratorum, ac præsertim Cæsarianorum, satisfacerent. Quod si in eo deessent, pollicebatur

batur se rebus prospecturum : sibi tamen displicere Patrum discordiam de articulis quos Legati non proposuerant, nec Lutherani oppugnarant. 1563.

De tertio, Nauiter à se animum intendi ad disciplinæ correctionem, & iam rem inchoatam fuisse in Aula Romana, nullâ cuiusuis iacturæ suæ habitâ ratione. Postremò ad quartum respondit, Nec angustias sterilitatemque Tridentinas duabus Aulis tam amplis capiendis satis esse, nec ob propinquos Rhætos Heluetiosque hæreticos ac Protestantes tutum ibi domicilium futurum, cùm adhuc memoriæ obuersaretur fuga Oeniponte inuictissimi Caroli Quinti. Præterea sibi non licere Româ adeò recedere sine tumultus discrimine, propter terrorem classis Othomannicæ. Suum denique accessum ad Tridentinam vrbem detrimento futurum fuisse, vt qui ad opprimendam Synodi libertatem tendere videretur. Suum tamen Bononiam aduentum à se offerri ad Cæsarem coronandum, quò fortasse Concilium sponte se contulisset, ibique à Pontifice disciplinæ leges pro Cæsaris arbitrio magna ex parte statutum iri : sed cuncta vt copiosiùs per nouum Legatum Moronum ipsi exponerentur, se curaturum. Hanc sententiam duæ publicæ mutuæ litteræ complectebantur. Iam de arcanis.

Initio arcanæ suæ epistolæ Cæsar in Pontificis memoriam redigebat humanam mortalitatem, adeoque necessitatem emendationis maturandæ, antequam ab aliquo infortunio cœptũ opus præcideretur; quin nimis diu protractam iam fuisse Concilij conuocationem.

Primo loco videri sibi formam excogitandam esse, quâ Pontificis electio omnino sanctè rectèque haberetur, ac potissimùm sine vlla simoniæ suspicione ; siquidem à sano capite in membra reliqua sanitas deriuatur. Hinc gradum faciebat ad creationem Cardinalium & Episcoporum, commemoratis dotibus quibus illi opus haberent; monebatque quantum ab eorum opera, exemplo atque existimatione bonum ac dignitas Ecclesiæ penderent; & tamen ex vtrisque conspici nonnullos gradu inferiores, parum honorificos, ac parum vtiles eidem Ecclesiæ. Et quoniam ex Episcopis alij à Pontifice promouebantur, alij nominabantur à Principibus, alij ab Ecclesiasticis Collegijs eligebantur, primi atque alteri experimento plerumque deprehendebantur reliquis meliores; dubitari posse de huiusmodi electionum sinceritate, adeoque ipsis prospiciendum.

Angebatur posteà Cæsar aliquantò liberiùs quàm in publicis litteris, quòd omnia Romanæ deliberationi committerentur; &

1563. quòd ibi priùs in cœtu Pontificio quàm in Tridentino agitarentur, ac proinde videri duo extare Concilia. Satius ex opposito esse, vt Pontifex ab Oecumenica Synodo consilium caperet, quàm à suo peculiari conuentu, atque vt ex ea comprobante leges quoque ad Pontificia Comitia, Romanamque emendationem spectantes ipse constitueret.

Dein extremam necessitatem ostendebat mansionis Episcoporum apud suas sedes: de quæstione id temporis agitata, diuini nec ne iuris ea esset, locum dari suspicioni, complures Episcopos ad eam partem propendere, quam Pontifici gratiorem arbitrarentur. Præterquam quòd in tres classes Episcopos diuidebat, alios aspirantes Purpuræ, alios pauperes, alios opulentis Ecclesijs dotatos, & ipsis contentos: dubitandum non esse, postremos sententias suas sincere dicturos; sed suspicioni causam suppetere, vtrisque prioribus mansionem molestam futuram. Breuiter à se rogari Pontificem, vt vbi ipse cognosceret id sibi fas esse secundùm Deum, sineret eam definitionem progredi. Et quamquam ipse Pontifici minimè negaret auctoritatem relaxandæ mansionis, ab eodem tamen se petere, ne vniuersalis vtilitatis gratiâ eam exerceret.

Auerteret Deus, adijciebat, vt sibi caderet in animum aduersari Pontificis auctoritati, à Christo illi traditæ, quâ idem secundùm ipsum Christum in terris Ecclesiæ caput erat. Tamen defendendam quidem esse à Pontifice Pontificiam auctoritatem, cui suas omnes vires iterùm ipse offerebat; sed ita defendendam, vt palàm fieret, in eo non nisi Diuinam gloriam, incrementum Fidei, & Ecclesiæ vtilitatem quæri.

Hæc epistola vt liberis ac significantibus formulis referta erat, ita in principio, in medio, in fine demulcebatur officiosis vocibus excusationis, reuerentiæ, subiectionis; præcipuè verò illæsum præstabat à quauis leuissima labecula tum Pontificem ipsum, tum ipsius potestatem: quin vtrique plurimum venerationis exhibebat. Addebat Cæsar, Seorsim ab altera hanc à se datam epistolam, propterea quòd nouerat illam per complurium manus ituram. Suo charactere hanc exaratam à se non esse, ne Pontificis oculos scabrosa illius forma defatigaret; adhibitum tamen fuisse ministrum fidelissimum, & cuius calamo in arcanis grauissimis vtebatur: à Pontifice se poscere, vt consimilis ministri operâ ad ipsum rescriberet. Adiecit ad calcem versus aliquot suo chirographo, amorem obsequiumque spirantes, per quos Tridentum rursus Pium inuitauit.

Pontifex in hanc sententiam respondit: Se prudenter admonen-

à Cæ-

à Cæsare propinqui transitus ab hac vita mortali: defixum in eo animum à se geri, & inter alia, quæ ad terrificum illud iter ipse parabat, non infimo in loco esse studium sollicitum Ecclesiæ, sibi à Christo commissæ, reformandæ. Meritò affirmari à Cæsare, incredibiliter interesse Christianæ Reipublicæ rectam sinceramque summi Pontificis electionem: editas super eo fuisse à superioribus Concilijs ac Pontificibus tam sanctas prudentesque leges, vt nihil superaddi posse videretur: verumtamen quò abusus omnis eradicetur, promulgatum à se fuisse recens diploma, cuius exemplum ad eum mittebat. Libenter, antequam illud ederet, cum Synodo à se communicatum iri, quod posteà ab illa probatum vulgaret: sed quò minùs id faceret se abstinuisse, quippe præteritas dissensiones expertum; quâ experientiâ sibi compertum erat, ægrè quidem ibi quidquam vmquam confectum iri in tantæ molis negotio, tot capitibus, tot animaduersionibus obnoxio. Quare perinde fuisset illud diploma Synodo committere, ac efficere non vt trutinæ exponeretur, sed vt hæreret in sabulo. Idem quoque respondebat de reliquis Aulæ correctionibus: quas tamen aiebat à se non nisi auditis plurimorum præstantissimorum hominum sententijs constitui: si diploma memoratum vellet Synodus solemniter comprobare, gratissimum sibi fore. In animo sibi non esse nouos Cardinales eligere; sed vbi ad id inclinaretur, studium à se impensum iri ad eos eligendos ijs ornatos dotibus, quæ à Cæsare postulabantur, ac ea de re Moronum Legatum plenè cum eo collocuturum. Æquis votis optabile esse, vt idem proportione seruaretur in Episcopis: & huic rei iam consuluisse Concilium Decreto suo; quod vt custodiretur se curaturum, adeoque vt admouerentur Ecclesijs homines digni, ac priùs in ipsorum anteactam vitam moresque diligenter inquireretur, nec minùs vt seueriùs acta consueta formarentur. 1563.

De eo quod spectabat ad mansionem, Se optauisse vt Synodus decerneret, & apud se statuisse eius Decretum comprobare. Sed ad id vsque temporis plurimum fuisse decertatum, decretum nihil, propter sententiarum varietatem. Nunc in animo habere se, vt, siue declararetur mansio esse legis humanæ siue Diuinæ, ab omnibus ea inuiolatè seruaretur, & vel ab ijs Cardinalibus, quorum administrationi Ecclesiæ committebantur: quandoquidem rei necessitatem intelligebat, eo præsertim tempore, quo in omnem ferè prouinciam hæresis contagio serpebat, & Christi ouili opus erat suorum Pastorum præsentiâ.

Velle se, vt integrâ libertate Synodus frueretur; neque vmquam

1563. præcepisse, ne quid ibi stabiliretur se inconsulto. Interdum tamen euenisse, vt in quibusdam magis arduis ipsum Legati consuluerint, nec à se consilium suum potuisse aut debuisse denegari. Nihil hoc aduersari libertati; quin nec inconueniens, nec insolitum fuisset, si Synodus ipsa sententiam rogaret Apostolicam Sedem, primam Ecclesiæ Cathedram, & veritatis magistram. Nec speciem duplicis Concilij præberi, quòd Concilium superiori suo coniunctum cerneretur, magis quàm in homine duo corpora appareant, quòd membra coniuncta & obtemperantia capiti videantur. Nihil pariter dedecere, si Pontifex, quò reddat Legatis petitum à se consilium, consuleret Cardinales eximiæ prudentiæ ac doctrinæ; præsertim cùm suæ mentis non esset, vt ipsius consilia Synodum cogerent ad ea amplexanda.

Grates agebat de oblata per omnem virium conatum defensione Pontificiæ auctoritatis, de qua admodum piè scribi à Cæsare, & secundùm etiam Pontificis mentem, dum monebat, sustinendam custodiendamque eam non esse, nisi ad Dei gloriam, & emolumentum Religionis.

Ad inuitationem Tridentinam ea summatim repetebat, quæ fusiùs in altero diplomate disseruerat. Rei veritas ita se habet, hæc duo Pontificis responsa ad Cæsarem, quorum summam attulimus, & quorum exemplar in volumine litterarum Pontificiarum continetur, parata quidem, sed non missa fuisse; cùm videretur materia vasta, ac digestu prædura, necesse habere vt paulatim à calore vitali halitus concoqueretur. Quare illorum vice Pontifex breuiter
e 20.Martij 1563. ad Cæsarem e rescripsit, ipsum commendans ob eiusdem pietatem in Pontificem, Sedemque Apostolicam, ob studium vtilitatis conferendæ Christianis gentibus ex correctionibus ab eo propositis, nec minùs ob denegatam ab eodem fidem falsis rumoribus. Deinsignificauit, responsiones ad singula capita, Cæsari, vt ipse certò credebat, acceptas, redditum iri coràm à Morono, vtrique ipsorum probatissimo, qui breuî Legatus ad ipsum iturus erat, præter legationem Tridenti postmodum ab eodem exercendam. Interim certo esset animo, se nec suspensionem nec dissolutionem velle Synodi à se coactæ, ac retentæ tanto labore, tantoque tot Principum auxilio; sed honestum ac fructuosum exitum, cum ea morum emendatione, & cum eo Christianæ Reipublicæ bono, quæ curæ atque spei præteritæ responderent.

Iam verò non modò Suauem latuit, hæc responsa fuisse solùm concepta, non parta (quod magno vitio illi non verterem) sed in narran-

narranda tum earum, tum litterarum quas Cæsar scripsit, sententia, palàm facit, ad se peruenisse crassam quamdam & confusam quasi vmbram, ad cuius normam ipse posteà confidit eorum sententiam à se depictum iri, pro eo quod sibi verisimile visum est. Etenim non modò tacitus omnino præterit distinctionem publicæ arcanæque epistolæ mutuæ, sed nec nisi modicam partem veræ præcipuæque illarum summæ recensèt; & è contrario somniat, ibi à Ferdinando quæstionem institui cum Pontifice, an Cæsaris, aliorumque Principum consensus necessarius sit & conuocationi & dissolutioni, suspensioníve Conciliorum, appositis prolixis responsis probationibusque Pontificis pro absoluta sua potestate: quod neque rerum conditionibus, nec Ferdinandi reuerentiæ congruebat. Quare Suauis in his depingendis non inquam verum narrauit, de quo parum laborabat; sed nescijt illud confingere, quam artem profitebatur. Præterea Cæsarem inducit in Romæ contumeliam multa iactantem, de quibus modestus ille cordatusque Princeps nihil ad Pontificem scripsisset. Æquè insuper falsa est longior querimonia, quam idem adducit in Pontificis responso, aduersus eos, qui dissertationes habebant in Concilio ad oppugnandam auctoritatem, Sedi Apostolicæ à Christo impertitam in Ecclesiam vniuersalem; & quædam iracundior punctio, in qua diceret, reliquorum Principum Aulas minùs reformandas non esse: & cùm Cæsar enumerasset multa ex deprauatis moribus incommoda, omnium maximum, & reliquorum fontem, silentio fuisse ab eo prætermissum; nimirum, eos quibus lex à Concilijs accipienda erat, velle Concilijs legem dare. Enimuerò illis epistolis, meram beneuolentiam vrbanitatemque redolentibus, ne granum quidem aspergebatur illius aloës, quæ in hortis solùm Suauianis nata est, quamquam colocynthis potiùs quàm aloë dicenda est; huius siquidem amarities seruat corpora, illius verò corrumpit. 1563.

Verax tamen est, dum refert, præter hæc à Ferdinando litteris significata, Delfinum Nuntium scripsisse[f], Seldium, egregium Iurisperitum, magnum Cæsaris Cancellarium, conatum fuisse illi persuadere, omittendas esse voces illas, *vniuersalis Ecclesiæ*, ne molesta litigia suscitarentur, & ne Cæsar alijque Principes ad expromendam in hoc mentem suam traherentur; atque in hanc sententiam cum ipso Nuntio Cæsarem posteà locutum fuisse[g]. Quare fieri cœpit, Theologicas Tridenti controuersias non per verba componi posse, sed per silentium, quod sæpè sicut vmbra, quamuis in se nihil sit, optimum est vt alijs benè sit.

[f] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 18. Martij 1563.

[g] Litteræ Legatorum ad Borromæum 18. Martij 1563.

CAPVT

1563.

CAPVT IX.

Noua Cæsarianorum Gallorumque Oratorum apud Legatos petitio, & horum responsio. Discessus Lotharingi Venetias, eiusque ad Galliæ Regem litteræ. Vicecomes ad eum profectus, de aduentu Pontificis Bononiam cum illo acturus, & colloquij inter eos summa. Musottus à Lotharingo adscitus, vt sibi à Secretis esset, & Oliuus consueta Concilij munera prosecutus. Cœtus Cæsarianorum apud Guerrerum habitus de vsu Calicis, & auctoritate Pontificis. Transitus Mantuanæ Ducis Tridento.

PRæter memoratas Cæsaris postulationes nondum cessabant Oratores Cæsarei stimulare Legatos [a], vt ei qui à Secretis erat, socios adiungerent: illi siquidem re ipsa diffidebant omnino Transmontani, quippe & vnico, & penitus Pontificio. Sed facili negotio Præsides petitionis vim declinarunt expectatione recentium collegarum, sine quibus rem tanti ponderis inducì par non erat.

a Litteræ Legatorum ad Borromæum 15. Martij 1563.

Eadem Gallis obtenta excusatio, ad grauiores emendationes ipsos sollicitantibus [b]. Quoniam verò ij ob eiusmodi causam studebant Legatos abducere à dogmatum tractatione, quasi à magno temporis dispendio cum paruo commodo, responsum ab illis est, non ita cunctos sentire; quin vrgeri se à Cæsare, vt disputationibus agitaretur quidam articulus de Matrimonio, ad coniugatos & ad sacerdotium spectans.

b Litteræ Legatorum ad Borrom. 18. & 22. Martij 1563.

Porrò disputationibus Theologorum breuî [c] absolutis, Legati ad Ordinis corruptelas operam conuerterunt, quò eas Conuentus iudicio exponerent, statim ac delecti ad illas colligendas Patres munus suum obijssent: interim electos collegas sollicitabant. Lotharingus verò cùm animaduerteret, vsque ad eorum aduentum quamdam feriarum speciem fore, eâ cessatione vsus est, vt Patauium ac Venetias excurreret, siue ad meram animi relaxationem, siue ad negotium, quod semper potest, semperque creditur intercedere inter Principum congressus. Secum adduxit complures [d] ex Theologis, & quosdam ex Episcopis primarijs, & Patauium rectà perrexit, quò illic in propinquo loco cum Hercule Ferrariæ Duce, sibi sanguine coniuncto, conueniret, vt effectum est, & quò posteà Venetias iret, proximas Paschatis ferias peracturus. Antequam discederet [e], breues litteras ad Regem scripsit, quibus exponebat, disputasse

c 22. Martij ex Diario, & litteris Legatorum eo die.

d Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 25. Martij 1563.

e 18. Martij 1563.

tasse Theologos de Matrimonio multa cum doctrina, sententiarumque varietate: spondere Legatos, confestim disciplinæ capita se complexuros; sed nihil sperandum de Synodo, donec accederent duo noui Præsides, duobus demortuis suffecti; & donec simul interim compertum esset, quid Romam afferret ab Aula Hispanica Aloysius Auila, nouus Philippi Regis Orator. Exemplar etiam misit epistolæ publicæ, à Cæsare missæ ad Pontificem, sibique ab eo communicatæ. Quædam ex his pariter significauit Reginæ Lansacus; adiecitque, Cum Theologi censuissent, fas esse Pontifici, in aliquo casu ingentis publicæque vtilitatis, legem relaxare Sacerdoti ad matrimonium contrahendum, credibile esse, id ab illo indulgendum Borbonio Cardinali, pro eo ac à Rege optabatur; idque Lotharingo Cardinali pergratum fore. Ratio erat [f], quoniam coniugium agitabatur inter Borbonium & filiam Guisij Ducis interfecti; ex quo coniunctior, adeoque robustior euasisset pars Catholica, simulque honoratior ac firmior familia Lotharinga, quæ, vtpote extera, & auctoritate pollens in Gallia, obnoxia erat acerbæ inuidiæ; quæ affectio vbi dominatur in multos, eosdemque potentes, semper amplitudinem inuisi capitis quasi largâ quadam obsidione diuexat. 1563.

[f] Arcanæ notæ Gualterij ad Borrom. .... Martij 1563.

3 Studuerat plurimis argumentis Gualterius Lotharingum ab eo consilio adeundi Venetias abducere [g]. Etenim ex animi ægritudine, quæ in illo comperta erat erga Pontificem & Legatos, sibi quemque inducturum in animum, huiusmodi secessionem ab illa fuisse profectam, adeoque in ipso patefactum iri animum parum propitium, parumque bonam spem in eam Synodum, vtpote minimè laborante, quòd ex sua suorumque profectione res illic in sterili atque ignobili otio langueseeret. Contrà verò si perstitisset, ita ibi negotia digestum iri, vt ad recentium Legatorum aduentum liceret postremam illis manum admouere. Sed Lotharingus in ea illius motus voluntate immobilis perstitit, varijs obtentis coloribus, qui numquam non suppetunt ad depingendam huiusmodi consiliorum vtilitatem.

[g] Litteræ, & arcanæ notæ Gualterij ad Borromæum 22. Martij 1563.

4 Vix ille discesserat, cùm peruenere Tridentum litteræ Borromæi [h] ad Gualterium ac Vicecomitem, quò cum Lotharingo pressiùs ageretur de Pontificis aduentu Bononiam, de coronatione illic Cæsaris, ac de translatione Synodi, de quo cum vtroque Præsule Lotharingus non semel sermonem habuerat; quod animo Pontificis adeò insederat, vt illud Cæsari offerri voluerit in responso ad Ferdinandi litteras, ipsum inuitantes vt Tridentum conuenirent, per

[h] Signatæ 4. & 7. Martij, sicuti ad eas responsa 25. Martij & 5. Apr. 1563.

1563. Moronum Legatum illi reddendo, vti narrauimus. Quocirca Gualterio ac Vicecomiti præcipiebat, vt rem cum Lotharingo transigerent, quò ille cum Cæsare perficiendum curaret. Sed Gualterius, cui diutiùs ingenium Lotharingi exploratum erat, existimauit perinde fore post illum currere, ac ipsum in fugam agere: nec deerat aliquod argumentum ad hoc persuadendum, cùm idem Lotharingum Oeniponte reuersum ea de re iterùm allocutus, multò magis ambiguum languidumque repererat. Quapropter quando iam ille Tridento discesserat, noluit aut pedem aut calamum ad id mouere, sed solùm quietè rem contulit cum Archiepiscopo Senonensi, qui Tridenti manserat, & sine dubio super ea ad illum scripsisset. Hanc aiebat Gualterius optimam sibi artem videri cum Lotharingo adhibendam, quâ illi ostenderetur Pontifex eò adduci Cardinalis consilio, & quasi postulato, cùm is in eo esset hominum genere, in quibus tunc voluntas tepescit, cùm eam in alijs succensam animaduertunt.

i Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 25 Martij 1563.

Aliâ Vicecomes incessit viâ: abijt ille post Lotharingum [i], Simonettæ consilio ad id impulsus: sed ad commentationes itineris declinandas vulgauit, Patauium se contendere ad inuisendum fratris filium, auditorem in eo Gymnasio, grauiter ægrotantem, & quem diem iam obijsse reperiebat. Cùm illuc eodem die quo Lotharingus peruenisset, illicò ipsum inuisit, reddiditque litteras Borromæi [k], compositas ad studiosam & honorificam doloris significationem ex obitu Guisij Ducis, in cuius laudes semihoram insumpserat Pontifex in Senatu [l]: simulque præceperat, vt solemne illi funus celebraretur, sicuti magnis regibus persolui solet, vniuersi Collegij interuentu. Huic in ea familia iacturæ noua posteà accesserat ex morte magni Galliæ Prioris, vt vocant, qui pariter Cardinalis frater erat, nondum Romæ cognita, & per consuetam constantiam ab illo tolerata. Gratissimum ipsi accidit primum illud officium Vicecomitis, cui breui redditâ responsione, extemplò percontatus illum est de Moroni ad Cæsarem accessu. Nec Vicecomes, cùm videretur iam aditus opportunus, itineris sui causam dissimulauit. Reuocatis igitur in memoriam ijs quæ Lotharingus agitarat de aduentu Pontificis Bononiam, ac de rebus alijs, quæ illic confici potuissent, dixit, de illis à se plenè Borromæum edoctum fuisse. Hîc verò subsistens, expectauit, vt alter ea de quibus disseruerat, sicut accidit, confirmaret, percontatus per summam curiositatem, quænam Pontifici mens inesset. Tunc Vicecomes siue ad vsuram, siue ad ostentationem libertatis, Borromæi & Delfini

k Variæ litteræ Vicecomitis Patauio ad Borrom.

l Litteræ Borrom. ad Legat. 17. Martij 1563.

Nun-

Nuntij, ad quem ille scripserat, responsiones ostendit. Vtriusque 1563.
sententia erat, comprobari consilium, optariqúe operam Lotharingi apud Cæsarem, quâ illum ad id pertraheret. Sed is aut in ipsa re animaduertens spem à se factam suprà quàm posset, aut pro ipsius ingenio, quod Gualterius descripserat, linguâ statim vultuque mutato, Priùs, inquit, expectandum esse responsum Pontificis ad Cæsarem, qui eum Tridentum secum inuitauerat, nec minùs ea, quæ nouus Orator Hispanus Romæ peregisset. Expeti à Principibus plenam morum emendationem, cuius ad id vsque temporis non nisi vanus sonitus longinquarum pollicitationum exceptus fuerat: ab huiusmodi conuentu Bononiam Pontificis, Cæsaris, & Concilij, excitari posse suspicionem alicuius in hæreticos fœderis, quo ad præuertendum, & ad Christianam Rempublicam perturbandam stimularentur: suam à se operam interponendam non esse illi negotio, quando Pontifex tam modicam in ipso fiduciam præ se ferebat, vt ne obtulerit quidem legationem, quam ipse recusasset; sed eius honorem, tamquam æstimationis testimonium, plurimi fecisset. Studuisse maleuolos quosdam sollicitare Pontificem ad eam electionem, quòd præuiderent, à Cæsare alijsque Principibus ipsum propositum iri, atque ab ijsdem maleuolis nouum semper pabulum suppeditatum fuisse Pontificis animo, quò aduersus ipsius sinceritatem suspicio nutriretur.

6 Ad hæc Vicecomes: Frustrà lucem aliam expectari de mente Pontificis ex eius ad Cæsarem responsis, aut ex eius cum Auila sermonibus, quandoquidem ea clarè liquebat in litteris Borromæi, ipsi iam ostensis: rectam efficacemque Pij voluntatem de reparatione disciplinæ ex eo conspici, quòd ille in dies operabatur & seueris constitutionibus, & earum executionibus, in Aula Romana. Synodi cunctationem in eo genere ortam fuisse ab obseruatione Decreti, vt subinde morum leges doctrinæ tractationibus copularentur. Tunc verò quasdam elaborari à Legatis, summi momenti, Ordinis Sacramento respondentes. Esse quidem retinendum memoriâ dictum sapientissimi Purpurati à Turrecremata in Synodo Basileensi, Abusus, non vsus auferri oportere. Fœderis suspicionem tolli à composita in Gallia cum hugonottis pace, de qua mox. Denique nouorum Præsidum destinationem tam citò post Mantuani mortem euenisse, vt nemini spatium relictum fuerit ad Pontificem sinistrâ operâ sollicitandum.

7 His argumentis Lotharingi duritia nequaquam cessit; quod certiùs Vicecomes posteà cognouit ex Musottò, qui anteà illuc aduenerat,

1563. nerat, & per quem Legati Pontificias litteras ad Lotharingum mi-
m Litteræ Legatorũ ad Borromæum 29. Martij 1563. serant [m], officia animi dolentis exhibituras, & cui idem Lotharingus integrum colloquium enarrarat. In illius familiam transierat Musottus defuncto Seripando, quo viuente sæpiùs ei contigerat agere cum Lotharingo, cuius animum sic ille sibi conciliarat, vt non priùs veteri hero se orbatum, quàm à nouo inuitatum senserit vt ipsi à secretis esset, ac posteà, perfecto Concilio, vt Romæ eiusdem nomine Actoris munus exerceret. Cui Legati non obstitere, prout facilè poterant, præsertim cùm is esset nobilis Bononiensis, adeoque Pontificis subditus. Quamobrem meritò Gualterius [n] illos per-
n Litteræ Gualterij ad Borromæum 22. Martij 1563. strinxit, quippe quibus considerandum erat, non modò inanima tabellaria, sed non minùs animata, exteris clausa esse debere: nec ab huius cautionis necessitate homines immunes euadere, quòd ipsi rectè se gesserint, adeoque sibi dedecus timere nequeant ex declaratione veritatis, cùm quælibet auri sinceritas in terra procreari aliquam terræ mixtionem in se patiatur. Præterquam quod nec omnino bonum est, omne bonum patefieri, cùm ex eius notitia fieri possit, vt illud aut fraude malâ impediatur, aut in malam partem trahatur. Idcircò Natura Socrate doctior, & boni communis amantior Socrate, non modò sine fenestra, sed cum impenetrabilibus seris corda construxit. Quod si quis speret, priuatum hominem, cui ex plurima notitia rerum reconditarum atque optabilium pretiosum peculium est, eâ non vsurum interdum ad augendam sibi gratiam apud herum nouellum, aut Platonicam virtutis ideam sperat, aut certè singularem. Abundè est, si ille verâ contentus monetâ, falsam non cudat, confictis siue adauctis arcanis, quod sæpè contingit. Et ex altera parte hoc familiarium genus nec pariter nouo domino tutum est: semper enim nescio quid propensionis retinent in antiquam partem; qui si non ex beneuolentia, saltem ex iactantia potentiæ illi benefaciendi, ad detegenda ipsi arcana lubrici sunt. Non hæc profero quòd reipsâ Musottus detrimentum posteà aut turbamentum negotio intulerit, & instrumentum seu Pontifici seu Cardinali noxium euaserit, quin potiùs opportunitas mihi aderit narrandi, illum vtriusque amicitiæ plurimum profuisse. Sed euentûs prosperitas actioni absoluendæ satis non est.

Non ita cum Camillo Oliuo actum. Hic post decessum Mantuani, auctore Vicecomite [o] à Legatis cum assensu Pontificis iussus est
o Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 4. Mart. & ad Ptolomeum Galliũ 8. Aprilis, & tres Legatorũ ad Borrom. 22. Martij, & 5. & 15 Aprilis 1563. eadem prosequi ministeria, quibus hero viuente fungebatur, & post aduentum Moroni certum illi stipendium quadraginta scutorum singulis mensibus Præsides decreuerunt, ad labores præteri-

tos remunerandos ; ac prætereà hominem Pontifici commenda- 1563.
runt, quò superiora illius promerita alijs præmijs compensarentur: & ab ipso tum Legatis tum Pontifici semper integrè satisfactum, vt in Operis processu patebit. Adeò mendax deprehenditur Suauis, dum scribit, Cùm Oliuus missus fuisset ad Pontificem à Mantuano post primum de mansione certamen, nec posteà eius promissis effecta respondèrent, auersum ab eo animum perstitisse; adeoque ea de causa per falsas & commentitias suspiciones, ad id vlciscendum diuexatum posteà fuisse Mantuæ à sacra Inquisitione, postquam eò redierat defuncti heri corpus delaturus. Quæ fabula maximum fabularum pretium consequitur, quod est, admirationem parere: nam ex omni parte stuporis argumentum suppetit, quo pacto historiarum scriptor audeat seu consultò mentiri tam effrenatè, seu certè casui calamum committere, cùm certum sit, nec Oliuum, sed Pendasium à Mantuano Romam fuisse missum, vt iam ostendimus; nec demortuo Cardinale Oliuum discessisse à Concilio; nec in eum vindictâ Pontificem vsum, sed blandimentis, honoribus, fiduciâ, mercede. At quidem, vt nihil dissimulem, comperio, semel dumtaxat Oliuum, antequam ad prosequenda munia retineretur, notatum fuisse in quibusdam Borromæi litteris P ad Simonettam P 9. Martij
nocentis mordacitatis. Et huiusmodi dos vinculum fortasse fuit 1563.
illius amicitiæ inter ipsum ac Suauem, à Suaui commemoratæ: si tamen credibile est, amicitiam vllam extitisse, quando tantum errorum deprehenditur in vno de casibus maximè conspicuis in altero, cùm proprietas amicitiæ sit non modò casuum, sed arcanorum communicatio.

9. Vt reuertamur ad ea quæ Patauij egerat Vicecomes, ipsi confirmatum ibi fuit id quod audiuerat Tridenti ex Oratore Sabaudiæ, qui Oeniponte redierat post exhibitam Cæsari reuerentiam, simulq; ex Episcopo Aurelianensi, Ferdinandũ non suam coronationem curare, sed potiùs filium nouum Romanorum Regem coronandum desiderare: nec deerat qui suspicaretur, velle ipsum fratris exemplum sequi, remisso regnis nuntio & secessu, quà videbatur eius animus minùs auersus futurus ex minùs prospera fortuna, magisque propensus ex ingenio magis quieto. Prætereà Lotharingus ita loquebatur de immutabili Principum voluntate, quâ in grauissimas emendationes, & intolerabiles Pontifici ferebantur, vt satis patefaceret, sibi nec eam inesse auctoritatem apud illos quam anteà iactitare videbatur, nec eam Bononiensis translationis voluntatẽ, quam significarat; mutato fortasse eius animo ob recentes litteras Galliâ acceptas, postquã

1563. Oeniponte reuersus erat. Quare cùm is Vicecomiti negare non posset superiores hortationes suas ad rem decernendam, obices ad perficiendum amplificabat. Status negotij cum Gallis ita se habebat.

Ex parte Hispanorum suauis & austeri mixtio sentiebatur. Rex ad Lunensem scripserat [q], conquestum secum fuisse Pontificem de Hispanis Episcopis. Et quamquam ipse sibi persuaderet, id orti ex notitia praue ingesta Pontifici, non ex modica reuerentia in ijs Præsulibus deprehensa in Apostolicam Sedem; tamen inuigilaret Lunensis, efficeretque, vt res ita procederent, ne Pontifici ad querelas ansa præberetur; quod Episcopo Salmanticensi, & alijs, qui obsequentiores Pontifici fuerant, gratum accidit: apud Granatensem, & eos qui simili sensu afficiebantur [r], tantummodò valuit, vt epistolam impetrarint à Lunensi, quâ ipsi fusiùs purgarentur, clypeum præsertim attollentes splendidum simul ac validum conscientiæ, ad quem omnis auctoritas moderata subsistit.

q Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 22. Martij 1563. & Acta Episcopi Salmanticensis.

r Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 25. Martij 1563.

Cæsariani auersum animum haud præseferebant; quin paucos ante dies acciderat, vt Drascouizius cœtum haberet apud Granatensem: cumque orta esset opinio illic, ab eo solùm intendi, vt Hispani [s] ad concessionem Calicis pertraherentur; aliud tamen verum extitit. Suprà narrauimus Commendoni querimonias cum Cæsare ob Gallorum oppositionem, ne definiretur Pontificis potestas in Ecclesiam vniuersalem; ad quam potestatem comprobandam varia Conciliorum sanctorumque Patrum testimonia idem protulerat, Cæsarem rogans, vt vellet, quippe Sedis Apostolicæ Patronus, eam tueri in causa tam æqua. Easdem preces iteraverat semper Delfinus Nuntius. Et quamuis Cæsar initio responderet, opportunum non esse Synodum implicari difficultatibus nodosiorum huiusmodi quæstionum; tamen cùm ipsi ponderandum obijceretur, non licere Pontifici, dum Episcoporum potestas statuebatur, sinere de sua reticeri, præsertim ex contradictionis obstaculo, ad rem promouendam animum conuertit, scripsitque; Drascouizio, vt super ea re cum Hispanis Episcopis ageret, qui habebantur in hoc tamquam homines extra factionem, & non tamquam aduersarij, sicuti Galli, atque vt ipsis ostenderet testimonia, à Pontifice pro se producta. Id igitur exposuit Orator multis Hispanorum, accersitis in domum Guerreri, qui eo audito respondit, Illorum Conciliorum, Patrumque testificationem ipsis superuacaneam esse, qui Florentinam Synodum admittebant, adeoque cum Gallis potiùs adhibendam. Cœtu soluto Bartholomæus Sebastianus Episcopus Patrensis, vnus ex Hispanis Romæ propitijs, hinc opportunitate captâ Guer-

s Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 25. Martij 1563.

Guerrerum hortatus est, vt ipse alijque sibi addicti in eam sententiam scriberent ad Pontificem, suam ipsorum mentem explicantes in agnoscenda suprema illius auctoritate, quod conduceret ad purgandum Pontificis animum aduersâ aliquâ opinione, ipsi aliunde impressâ. Sed Guerrerus, negligentis more dedignatus alienam sibi gratiam exquisitis modis comparare, respondit, Id opus non esse; satis fore, si Pontifex cùm de sententijs prolatis edoctus fuerit, vera persenserit: adiecitque: *Nobis quod nostrum est ille det, & nos dabimus quod suum est.* Tum in querelam prorupit, quòd dicerentur Episcopi respectu summi Pontificis, esse tamquam Vicarij generales comparatè ad Episcopos, adeoque vnos æquè ac alteros amoueri posse superioris arbitratu. Ad quod Sebastianus: Id affirmatum non esse; sed solùm licere summo Pontifici cum Episcopis concurrere in proprijs ipsorum Ecclesijs. At Guerrerus: Huiusmodi sententiam, de qua querebatur, etsi non disertis verbis, tamen quantum satis erat vt intelligeretur, significatam fuisse. Quoniam autem malâ tunc corporis etiam habitudine afficiebatur Granatensis, operæ pretium non duxit Sebastianus ampliùs progredi, gnarus, ad cuiuspiam animum conuincendum plurimum roboris subtrahi rationum acumini ab eiusdem dissensu, tametsi absque ratione præstito. 1563.

12 Per idem tempus illac iter habuit Eleonora [t] Mantuæ Dux, quæ rursus in viam se dederat, Cæsarem parentem, vt factum est, inuisura Oeniponti, & post aliquot dies Guilielmus Dux eius vir subsecutus est: [u] qui tamen Tridentum non ingressus, nec exhibuit, nec accepit ea incommoda, quæ ex deprauata consuetudine afferunt summi honores non minùs honorato quàm honoranti.

[t] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 25. Martij 1563.
[u] Diarium 15. Aprilis 1563.

CAPVT X.

Galliæ pax. Capta hinc opportunitas à Gualterio arctiùs coniungendi Lotharingi cum Pontifice. Melitensis Oratoris aduentus Tridentum, & controuersia de loco. Aloysius Auila Philippi Regis Orator Romæ: eius mandata, & Pontificis responsa.

1 STatim ac Lotharingus Tridento discessit, eò peruenit priùs rumor, dein certus nuntius [a] pacis compositæ inter Galliæ Regem, eiusque perduelles hugonottos, conditionibus Regno indignissimis, & Religioni summè pernicioſis. Sed à Regina, quæ illius regiminis rotam vertebat, omne studium impendebatur ad conseruandam tum sibi potentiam, quæ in manu muliebri nimis vacil-

[a] Litteræ Gualterij ad Borromæum 27 Martij 1563. & pacis capita, sunt in Diario 27. Aprilis

1563. vacillabat inter arma, tum securitatem filijs pupillis, adeoque expositis periculo non minùs ob suorum Ducum quàm ob hostium victorias; atque, vt quisque rationes excogitat, per quas sibi persuadeat, honestè fieri id quodalioquin appetit, in animum illa inducebat, neque contra rationem decori se quidquam acturam, si illud ageret quod conducebat ad tuendum potissimùm omnis decoris fundamentum in Principibus, quod est dominium: neque contra cultum Religionis, dum per ea minora detrimenta illam subducebat periculo maioris plagæ, quæ ex nudato hugonottorum ferro impendisset. Ea pacificatio, quippe opposita sensibus commodisque Guisiorum, eademque propitia maris Præfecto, illis inimico, accidit ipsis penè [b] inscijs, & omnino inuitis: ac præcipuè Lotharingo Cardinali, qui aberat, priùs pacis confectio quàm tractatio innotuit.

[b] Litteræ Gualterij ad Borromæum 25. Martij, & 5. Aprilis 1563.

Hinc existimauit Gualterius, aperiri sibi viam ad aliquid in rem suam moliendum; & absente Lotharingo sermonem habuit cum Archiepiscopo Senonensi, atque ob oculos illi posuit, quàm malè Guisijs præmia repensa essent à Regina; quàm debile filum, quo ipsi adhærerent, eius gratia esset putanda; quàm facilè posset contingere, vt ipsis necesse foret æmulorum inuidiæ ac violentiæ cedere, regno ad aliquod tempus secedentibus; quo euentu ipsis neque tutius neque honestius superesse perfugium Româ, illius Religionis Regiâ, cuius causâ vexabantur, & in qua Regia duo ex ipsis summorum Senatorum locum possidebant. Quod si etiam nollent cedere, sed obsistere, sicuti Pontifex successum præuidens, proximè superiori mense cum eodem Gualterio differuerat, posse id tantummodò & prosperè fieri, si Pontifex vires suas ad hoc conferret, suâque auctoritate Hispani Regis auxilia pertraheret: eo siquidem casu Catholici robustiores euaderent, & formidabiliores Reginæ quàm anteà hæretici. Quare quoniam timor in ea Religioni ac dignitati præstiterat, nunc maiorem timorem minori præstiturum. Guisios alioqui pollere in Gallia gubernationibus Campaniæ & Burgundiæ, atque inter eos superesse strenuum militum imperatorem, etiam post recentem iacturam duorum fratrum, nimirum Aumaliæ Ducem, in armis meliùs exercitum quàm Condeus, partis hugonottæ ductor, magisque pariter quàm Guisius Dux extinctus, qui nimiâ quadam cautelâ, ne ingens numerus externæ militiæ induceretur in Galliam, se ipsum & Galliam perdiderat. Iam verò cùm posset Cardinalis animaduertere quàm vtrimque necessarium foret Sedis Apostolicæ patrocinium ad se sustinendum, anteferendam à se non esse Reginæ Regiorumque

giorumque ministrorum gratiam gratiæ Pontificis, sacrique Collegij; cùm hæc præsertim adnecteretur honestati & obligationi conscientiæ simul ac honoris, ex imposito sibi pileo præfulgentis. Pileum igitur exornaret adiectâ gloriæ coronâ, quæ illum loco galeæ tueretur, dum ipse pacem Ecclesiæ, eamque regentis auctoritati firmitatem afferret. Hoc pacto à se comparatum iri perpetua laudum monumenta in acclamationibus Christianæ Reipublicæ, & præualidum præsidij patrocinium in Sede Romana. Hæ rationes mirificè impressæ sunt in animo Senonensis, ægrimoniam iam spirantis ob illam pacem, quæ Guisiorum potentiæ quædam veluti clades erat. Hinc præstolabatur impatienter reditum Lotharingi, quò eosdem in eo spiritus excitaret; & ad ipsum præuolasset, nisi perbreuî opperiretur. Etenim Cæsar, auidus æquè ac sollicitus prosperi Concilij successus, non priùs de Lotharingi discessu cognouit, quàm eo improbato, ipsum vt sine mora reuerteretur litteris suis rogauit. 1563.

3 Tridenti à publicis functionibus cessabatur, & cuncta negotia præsentia, pro eo quod in huiusmodi inducijs contingit, erant varia consilia ac præsagia futurorum. Antiqui Legati statuerant [c], non nisi post nouorum accessum in cœtu proponere Canones & capita Doctrinæ reformata, & mansionis Decretum à Lotharingo digestum, de quo posteà mandata Româ acceperunt, simulque nuntios, fuisse iam traditam collegis Crucis tesseram, & veniam abeundi. Hæc plana rerum malacia vnicâ contentione leuiter fluctuâuit. Tridentum peruenit Martinus Rojas Portarubeus, Orator missus à supremo Magistro Ordinis Hierosolymitani. Locum ille inter Laicorum Principum Oratores petebat: sed extemplo Procuratores Archiepiscopi Salisburgensis, & Episcopi Eistatensis, & aliorum, qui Præsules simul ac Principes erant in Germania, restitere; opponentes, se inter Ecclesiasticos sedere, propterea quòd ipsorum Domini erant Ecclesiastici, tametsi Principatum obtinerent; adeoque si ea lex valebat, inter eosdem considendum esse Oratori Supremi Magistri, qui Ecclesiasticus pariter est, & Ecclesiasticos moderatur. Hæc in Melitensem Oratorem obiecta suggessere Legatis Paleottus, alijque Bononienses; vnde suspicatus est Orator, eam nationem ipsi aduersari propter litem Romæ pendentem inter sui Ordinis & illius vrbis Oratores. Has verò pro se rationes ipsis obiecit.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum 25. Martij 1563.

4 Ordini S. Ioannis [d] laicam quoque militiam adnecti, classes ac ditionem ab eo possideri, monetam cudi, superiorem non agnosci:

[d] Summa rationum Romam missa extat apud Barberinos.

1563. noſci: ab ipſo, vtpote tali, mitti ad Concilium non Procuratorem, qualem Saliſburgenſis mittebat, ſed Oratorem: à Pontifice in diplomate ad ſupremum Magiſtrum ipſi diſerte imponi, vt Oratorem non Procuratorem illuc vice ſuâ mitteret: Romæ ab ætate Leonis X. ad eam vſque diem obtineri ab Oratore Melitenſi locum in ſacello Pontificio inter Principum Oratores; ita præcipi duobus in locis à rituali: idem obſeruari in Aula Cæſaris, duorumque potiſſimorum Regum. E diuerſo debere Epiſcopos ſecundùm legis ſanctionem intereſſe Concilio, & in eo ſuffragium ferre: quare, tametſi Epiſcopus aliquis Principatum poſſideret, hunc exiſtimari rem tamquam aduentitiam, quæ ſequitur naturam principalis: itaque ſi Saliſburgenſis, vbi ipſe præſens adfuiſſet Concilio, in ordine ſuo inter Epiſcopos conſediſſet, illius Procuratori fas non eſſe ſuperiori inter Oratores loco adſpirare. Legati cùm & litem nollent decidere, & ea inter duos Eccleſiaſticos verſaretur, rem Pontifici remiſere.

Grauioris erat ponderis legatio, quæ Romam peruenerat aduentu Aloyſij Auilæ, maioris Commendatoris Alcantaræ, à Philippo Rege ad Pontificem miſſi. Mandata ipſi tradita pridie Kal. Decembris, & à me alibi ex tranſitu nominata, erant huiuſmodi.

Pontifici redigeret in memoriam, quàm prompto animo, quantoque ſtudio Rex Synodo fauerat, gnarus emolumenti, quod illa Chriſtianæ rei poſſet afferre, eò miſſis ſuis Epiſcopis, deſtinatis ſuis Oratoribus, priùs Piſcario, dein Lunenſi, ob alias Piſcarij occupationes, & præcipuam Lunenſis peritiam de rebus Germaniæ, & nauatam ſolerter operam ſuam in Gallia & in Germania ad Synodum promouendam. Cùm graues quædam difficultates Synodo interueniſſent, ſe Pontificis voluntati ſemper obſecutum fuiſſe, idem miniſtris & Epiſcopis ſuo nomine inculcaſſe: ſperari à ſe, vt illa inter præcipuas ac celeberrimas ex longinquo tempore in Eccleſia habitas emicaret; ſed percupi à Rege felicem ipſius exitum in cunctis controuerſijs tum Religionis tum emendationis.

Cùm Synodus coacta eſſet ea potiſſimùm de cauſa, vt qui aberrauerant reducerentur, in rem videri, eos iterùm inuitari: in quo ſuas omnes vires à ſe offerri, haud opportunum rato id peragi nomine Pontificis, ne ipſius dignitas illorum irreuerentiæ exponeretur: adhibendum cum iſtis eſſe circumſpectionem plurimam, nullâ re aut peculiariter aut vniuersè ipſis oblatâ, quæ illius ſanctæ Sedis auctoritati ac prærogatiuæ non congrueret. Si quo infortunio Concilium ad proſperum exitum ſecundùm vota non perduceretur,

tur, timendas esse pessimas res nouas in Gallia; proinde curandum, vt Regnum illud cuncta Religionis litigia Concilio committeret, atque à Rege omnem vt maximè efficacem operam ad id exhiberi. Quapropter non celeriter, sed maturè in definitionibus procedendum, ne hæreticis argumentum querelæ, Catholicis offensionis præberetur. 1563.

7 Par non esse, de Synodi suspensione agi: oportere abusus Ecclesiasticorum plurimùm emendari: atque, vt omnibus satisfieret, æquum Regi videri, vt ea cuncta in Synodo conficerentur; quod auctoritati Pontificis nihil officiebat, cùm ille conuentus fuisset ab ipso coactus, rectusque ab ipsius Legatis, & cuncta ipsius potestate essent confirmanda. Præterquam quòd omnes Concilij Patres non solùm Diuini obsequij, bonique publici studiosi erant, sed propensi obstrictique ad Sedem Apostolicam, & Ecclesiasticam dignitatem tuendam: contrà verò, si Romæ leges disciplinæ sancirentur, tametsi seueræ, non tamen eas acceptas futuras. Quocircà vbi tandem vellet Pontifex Aulæ tribunalia Romæ corrigere, pro eo ac inceperat, ipsius rei summam Synodi trutinæ committendam.

8 Potissimùm in Synodo peti libertatem tum in re ipsâ, tum in specie; cuius libertatis gratiâ non ignorari à Pontifice quæ primùm à Rege fuerant obiecta in particulam restringentem, *Proponentibus Legatis*. Eumdem in præsentia cogi ad sollicitandum Pontificem, vt rei prospiciat, antequam à Principum Oratoribus idem postuletur: eo siquidem casu sibi non licuisset suam cum ipsis operam non coniungere. Videri præterea sibi, de mansionis negotio multa fuisse peracta in Concilio à ministris Pontificis repugnantia libertati, & par esse, ne ex parte Pontificis impediretur ea definitio, quæ ipsius potestati ac prærogatiuæ nihil detrahebat.

9 Aliter de concessione Calicis Regem existimare, quæ tot nouis rebus & incommodis grauida præuidebatur, vt quamuis etiam ad eam vnicam hæreticorum conuersio redigeretur, maturè adhuc de ipsa cogitandum esset. Quamobrem vt summum hunc articulum postremum in locum reseruandum, cùm de reliquis omnibus actum esset; id autem à se Pontificem rogari.

10 Quod spectabat ad continuationem, satis esse Regi eam in re certam, & in diserta declaratione diplomatum, quæ Pontifex ea de re ad ipsum scripserat, etiamsi apertis notis illa tunc à Concilio non poneretur.

11 Hæc erant Regis mandata, quibus ad Pontificem delatis respondit ille vigesimo octauo Martij; ita tamen, vt per mansuetum mo-

1563. dum amicæ querelæ rei partes à se in regem, partes actoris à rege in se transferret. Se, difficultate operis animaduersâ, Synodum numquam recluſurum fuiſſe, niſi certò ſperaſſet Regem ſibi quaſi brachium ducemque affuturum; ſed infortunio ſuo contigiſſe, vt Rex non ante diem illum Oratorem ſibi fidum miſiſſet, tametſi 16
à se perpetuò poſtulatum. Eius aduentum tam ardenter optatum petitumque à Pontifice fuiſſe non aliam ob cauſam, niſi ob ſiniſtram operam à compluribus adhibitam aduerſus vtriuſque commoda. A Piſcario vix vnum pedem illatum Tridentum: à Lunenſi expectationem tantummodò defatigatam fuiſſe, quamuis in mandatis indicaretur, à Rege illum ibi commorantem à se credi, cùm 17
omnia quæ imperauerat, iam peracta cenſeret. Rationi conſentaneum omnino fuiſſe, vt Regis Orator adeſſet Synodo, quando alijs Principibus ſatis non fuerat vnicum, ſed plures aſſiſtere. Ab huiuſmodi abſentia Oratoris, qui Epiſcopos in officio & concordia contineret, extinctam eſſe vim mandatorum, quæ Præſules Hiſpani acceperant à Rege, vt cum Pontifice concorditer ſe gererent; excitamque inter ipſos diuiſionem, adeoque cunctas difficultates, lites ac diſſenſiones, quæ acciderant in Concilio, eiuſque improſperum progreſſum. Verùm quantò minùs fortunatum principium ac medium Synodus habuerat, tantò feliciori fine ſe à Deo ſperare eamdem fruituram per ſanctas reparatæ diſciplinæ leges, quibus curandis numquam ſe defuturum quoad à probo Pontifice, probóque Chriſtiano effici poſſet.

Fuiſſe à Pontifice abalienatos à se animos Cleri ac Præſulum Hiſpanorum, propter ſubſidia Regi ſuppeditata ex prouentibus Eccleſiaſticis; & idcircò tantò acerbiorem in se ſenſum fuiſſe, quòd ab Rege deſtitutum ſe cerneret. 18

Hæreticorum reſtitutionem, quantumuis Concilium adniteretur, ægrè ſperari poſſe, niſi Catholici principes in id conſpirarent. 19

Quod in primis optabatur à Rege, vt Galli ſe Concilio committerent, profectò ſupra modum profuturum fuiſſe: ſed è contrario nihil hactenus loqui Gallos de dogmatum deciſione, quin ſolùm loqui ad eam impediendam. Scire Pontificem, à Rege plenè intelligi id quod ipſe breuiter indicabat; ac proinde quamcumque Regis operam, ea de re cum Gallo & cum alijs adhibitam, opportunam futuram.

A se multò anteà repoſitum iri in Concilio cunctas emendationes, ſi cognouiſſet eas ibi conficiendas & comprobandas eſſe: ſed cùm per eam tempeſtatem contrarium ipſi prædicerent præſen- 20

tes

tes dissensiones, opus à se fuisse iam inchoatum, & per id Patres 1563.
inuitatos ad ipsum imitandum; & apud se statuisse, denuò Concilij ope statutas etiam emendationes reformare: sed hoc discordijs illic perdurantibus fieri non posse.

16 Addebat, nonnullos grato emendationum nomine ad ea aspirare, quæ ipsorum intererant, præsertim de legibus Comitij Pontificij. Quare, si ipse decessisset ex proximo morbo, sicuti periclitatus fuerat, duos Pontifices creatum iri, alterum Tridenti à Synodo, alterum Romæ à Collegio, cum clade Christianæ Reipublicæ: quod à Rege præ oculis habendum erat.

17 Verba, *proponentibus Legatis*, apposita fuisse ab ipsa Synodo, se ne conscio quidem; comprobata consensu generalis conuentus, ac posteà primæ Sessionis, duobus tantummodò repugnantibus. Reuerà si huiusmodi forma seruata fuisset, nequaquam exortum iri contentiones perquam noxias, ob quæstiones non à Legatis, sed ab Episcopis propositas, & ab alteris toleratas, ne impediretur in alteris ea, quam aliqui appellabant libertatem. Iam verò quoniam Rex multique Principes libertatem huiusmodi cupiebant, quæ tandem non nisi in effrenem licentiam abitura erat, se quod ad ipsum spectabat, illis acquiescere; sed se culpæ subducere ob quodcumque detrimentum, quod inde redundaret in Regem, sicut ad id vsque temporis euenisset, nisi forti brachio in Regis emolumentum ipse repugnasset. Indicabantur per hæc variæ concessiones de rebus Ecclesiasticis, Regi perutiles, quæ libenter ab Hispanis Episcopis in Concilio reuocata fuissent.

18 Mansionem magis à se quàm à quopiam expeti, adeoque iam fuisse denuntiatum etiam Cardinalibus Ecclesias obtinentibus, vt ad eas se conferrent.

19 De Calicis vsu, per consuetam sibi fiduciam, quam cum Rege loquens exercebat, haud sibi temperare, quin diceret, videre sibi opposita postulata, Vt cunctis liberum esset proponere; & simul, Vt obstaret Pontifex, ne ea proponerentur, quæ Cæsar, Rex Galliæ, & Dux Bauariæ iam statuerant in medium per suos Oratores proferre etiam inuitis Legatis. In re concedenda se procrastinasse: magnas clades à Principibus sibi prænuntiari, vbi repulsa daretur; præsertim verò ipsorum subditos, alioqui Catholicos, si Romæ id ipsis denegaretur, per seipsos accepturos, cum hæreticis cohærentes, à quibus in huiusmodi euentibus Religionem abiurare cogebantur.

20 De his ac de plurimis alijs rebus facilè conuenturos Pontificem ac Regem, vbi licuisset ipsis inter se coràm colloqui: plurimùm

1563. quoque rebus profuturum fuisse, si Pontifex cum Cæsare congrederetur, cùm certè Cæsar ab ipso coronandus esset.

Ad vadim onium continuationis, iam apud Regem vnum diploma, alterum apud Vargam esse; simile aliud à se missum iri ad Piscarium; adeoque esse in Regis potestate illud, vbi vellet, ad Legatos deferendum curare, & ita rem absoluere: per quod Pontifex significauit, nolle se debitore m esse Regi illius indulgentiæ, de qua nihil ipse laborabat, & in quam alter non sui, sed Cæsaris gratiâ reuerà se flexerat. Omne debitum ac ligamen naturali hominum, & præsertim Principum superbiæ graue est; sed illud intolerabile, quo admisso videntur sibi non laudem tamquam grati, sed contemptum tamquam decepti promereri.

CAPVT XI.

Aduentus Tridentum Moroni Legati, ac posteà Lunensis. Prior ad Cæsarem destinatus: eius colloquium cum varijs Principum Oratoribus, eiusdemque verba in cœtu generali.

ITa res habebant, cùm Moronus Legatus, vt ceteris præesset electus, ad Concilium aduentabat. Et quamquam communi voce compertum esset [a], illum, antequam Tridenti persisteret, Oenipontem iturum, tamen Legatis idipsum, per Aulæ litteras nondum cognitum, affirmare non licebat sine periculo erroris ac leuitatis. Quare melior ipsis conditio videbatur, credi se vel parui habitos à Pontifice in communicatione negotiorum, vel nimis obtegentes sui in ea dissimulanda, vt qui nihil certi promebant. Et quidem in huiusmodi sententiam tacitè conquesti sunt Borromæo rescribentes, qui tandem ipsis rem significarat vnà cum profectione iam susceptà à duobus Legatis; quod excusauit Borromæus [b], respondens, rei notitiam Tridentum transuolasse per tabellarium Româ missum ad Cæsarem ab ipsius Oratore; in Aulâ verò morem non esse tradendi litteras aliorum tabellarijs, adeoque hinc effectum, ne ille certum ac legitimum nuntium Legatis afferret. Quod exemplum documento sit ministris, ne statim angantur, quasi despecti à suis Principibus in aliquo euentu, aduersùs quàm ipsi mereantur, cùm innumeræ nec opinabiles sint rerum conditiones, à quibus necessarium aut rationi consentaneum redditur id quod dissentaneum videbatur. Moronus comitem præuertens Tridentum peruenit die [c] decimo Aprilis, Paschatis peruigilio. Anceps fuit,

[a] Litteræ Legatorum ad Borromæum primâ Aprilis 1563.

[b] Ad Simonettã 27. Aprilis 1563.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum 11. Aprilis.

1563 & Acta Arcis Æliæ: vbi pariter referuntur ingressus Moroni, eius verba in cœtu generali, prorogatio Sessionis habita 11. Aprilis, ingressus Nauageri, litteræ Reginæ Scotiæ, & responsum Concilij.

fuit, an priuato ritu ingrederetur: sed veteres Legati existimarunt, decori ac lætitiæ gratiâ id cum pompa & solemniter peragendum. Quapropter obuiam honoris causâ processerunt tum ipsi Legati, tum Madruccius, ad hoc officium reuersus, tum Oratores omnes, excepto Veneto, qui ægrotabat, tum cuncti Præsules [d]. Ingressus est habitu Pontificali, sub vmbella: duo verò Legati, qui mille passus ipsi obuiam ierant cum carbasina & exomio, infrà sequebantur vnà cum Madruccio. 1563.

d Præter dictas Legatorum litteras, epist. Vicecomitis ad Borrom. 13. Apr. 1563.

2 Ingens omnibus incessit lætitia, non impar spei conceptæ, ad accessum tam adspectabilis Præsidis, de prospero successu illius operis, cuius difficultas desperationem penè pepererat. Creuit autem in animis vtraque iucunda affectio ex aduentu post biduum Claudij Quignonis [e], Lunensis Comitis, Hispani Oratoris, qui, vtpote nimis expectatus, iam quasi contra expectationem apparuit. Occursus difficultate non caruit, non ab ipso, sed à Drascouizio iniecta [f], qui statuerat interesse; adeoque vetus litigium inter ipsum & Lusitanum reuixisset. Quapropter necesse fuit Legatis ad preces studiosissimas confugere, quibus hominem retinerent. Voluit tamen illi occurrere Sigismundus Tonus, quicum contentio non erat, quippe Cæsaris quatenus Cæsaris Orator: nec ipsum tunc remouit recreatio ab ægritudine, siue id ageret ad Lunensem honorandum, suo Principi percharum, siue, vt quidam suspicabantur, vt peruerteret consilium Lusitani, qui iam statuerat Hispanum Oratorem deducere medium inter se atque Lansacum; cùm homines propensione quâdam ferantur, etiam sine odio, ad impediendos per artem honores alterius, eosdem sibi per artem conquirentes.

e Litteræ Legatorum ad Borromæum 13. Aprilis 1563. & Acta Salmanticensis.

f Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 13. Aprilis 1563.

3 Vix peruenerat Moronus, cùm ipsum adiere [g] omnium Principum Oratores, omniumque nationum Episcopi. Exposuerunt Galli necessitatem emendationis festinandæ, & ad proponenda triginta quatuor ipsorum postulata eumdem sollicitarunt. Ad primum, de quo pariter Hispanorum Præsulum petitiones conueniebant, respondit: Pontificem desiderio cunctos præire, & quamprimùm proximis operibus verba comprobatum iri; cui alij se credere professi sunt, alij ad effecta fidem reseruare: & vniuersè in Patribus animos deprehendere visus est Legatus varios potiùs quàm malos. De altero dixit Gallis, Antequam de re ageret, oportere sibi Cæsaris mentem audire, quò iniretur ratio rei conficiendæ, quâ cunctis satisfieret: celerem suam profectionem futuram; & reditum, vbi liceret, celeriorem. Illi comprobato responso eum ad iter cohortati sunt, quod reliqui omnes præstitere, sed post aduentum Lunensis,

g Litteræ iam citatæ Legatorum.

1563. nensis, qui præstò erat vt postridie ingrederetur, & expectato Lotharingo, propediem adfuturo, quorum vterque id per litteras à nouo Legato petierant.

Lusitanus in expromendo consueto sibi studio non modico processus optimi se continuit [h]: Venetus rectam rerum absolutionem maximoperè commendauit, obtulitque omnem quam posset opem Reipublicæ suæ. Cæsarei, ac præcipuè Drascouizius, solitam statim chordam de concessione Calicis tetigerunt: eisque responsum est, Ea de re, quod spectabat ad Synodum, iam compertum ipsis esse quantum sententiæ variarent; quod verò ad Pontificem, postquam Patres rem illi commiserant, nouam ad eumdem Cæsaris petitionem non accessisse. Quod quidem verum erat, quamquam Drascouizio accideret inopinata: etenim Cæsar, antequam ad iteratam petitionem progrederetur, apud se statuerat cum Principibus & de re ipsa & de modo deliberare, sicuti explicabimus. At quidem Bauarus Oratores huius rei causâ [i] miserat ad Pium; Galli verò ipsum assiduè fatigauerant.

Dein [k] Legatos etiam inuisit Lunensis, eisque reddidit regiam epistolam, iam vsque ab Octobri elapso scriptam. Moram suam excusauit partim interiectis morbis, partim alijs publicarum rerum obstaculis: spem Regis exposuit de fructu Concilij in tanta Christianorum necessitate; mandata sibi tradita ad illi fauendum vniuersâ Regis auctoritate, & paratum in se animum ad ea perficienda.

Tum Regi, tum Oratori responsum est, pro eo quod decet & solet. Hi post verba superuacanea, sed simul necessaria vrbanitatis, Comitem rogarunt, vt, quippe in primis peritus Aulæ Cæsareæ ac Germaniæ, ipsis viam aliquam indicaret ad aberrantes reuocandos. Quibus respondit, aliam à se non conspici, nisi vt boni Concionatores adhiberentur, &, quantum posset, Societas Iesu propagaretur, sermone de concessione Calicis datâ operâ declinato.

Idibus Aprilis exceptus est [l] nouus Legatus ritu consueto ab vniuerso conuentu, recitatoque diplomate, quo eligebatur, Oratorem ipse habuit rebus accommodatam. Calamitates enumerauit regionum Christianarum, ad quarum leuamentum eam Synodum Pontifex collegerat, quò Diuina indignatio placaretur, & Christiani populi aduersus communis hostis superbiam in vnum coirent. Dignitatem illius conuentus ostendit, cui duo Principes Cardinales aderant, tot Regum magnorumque Dynastarum Oratores, tot Præsules quibusuis animorum dotibus venerabiles, tot excellenti doctrinâ Theologi. Doluit ob recentem iacturam duorum

[h] Litteræ Moroni ad Borromæum 17 Aprilis 1563.

[i] Primū constat ex litteris Borromei ad Legat. 10 Februarij 1563 alterum ex adductis monumentis.

[k] Litteræ Legatorum ad Borromæum 14. Ap. 1563

[l] Litteræ Legatorum ad Borromæum 14. Ap. 1563

rum clarissimorum Præsidum; sui ac Nauageri subrogationem exposuit. Dixit, à se, quoad licuerat, onus suis viribus formidabile recusatum, sed obedientiam denique timori præualuisse. Sibi tunc ad Cæsarem eundum esse, & illinc per summam celeritatem reuertendum, vt ipse Patrum socius bonum publicum promoueret. Etiamsi quæuis alia sibi deessent, duo quidem à se geri; Primum, optimam voluntatem Pontificis, cui summa votorum erat, vt doctrina Catholica erroribus, Ecclesiastica disciplina corruptelis, Christiana Respublica abusibus perpurgarentur; vt prospiceretur peculiari Prouinciarum necessitati; vt Ecclesia vel cum aduersarijs pacem iniret, quantum per Religionem, Sedisque Apostolicæ dignitatem liceret. Alterum, suam ipsius voluntatem, sua cuncta studia, viresque suas omnes impendendi ad ea bona consequenda: quantum ea, quæ secum afferebat, profutura essent, in Patrum potestate collocari: eorum prudentiâ, doctrinâ, auctoritate, ad optatum exitum deduci posse Concilium. Quapropter se illos cohortari, ac per Deum obtestari, vt depositis contentionibus, quæ plurimum offensionis Christianis nationibus creabant, & ineptis quæstionibus, quæ non ad ædificationem Fidei, sed potiùs ad peruersionem audientium, temporisque iacturam faciebant, animos ad id quod erat perneceſſarium, coniunctim & omnino conuerterent. Cauerent in primis, ne scientiæ vento è tuto submissi animi portu pellerentur, memores effati, quòd Deus, à quo cuncta bona sunt expectanda, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Si demisso concordique animo forent, euenturum vt S. Spiritus ductu proferrent Ecclesiæ vberrimum tot itinerum, sumptuum, studiorum ac laborum fructum, atque vt accenderent quasi præcelsam ac perpetuam facem, ad cuius lumen non præsentes modò homines, sed futuri vitæ curriculum dirigentes, facilè ad tutum salutis portum appellerent; simul etiam, vt summis Deus laudibus coleretur eorum operâ, adeoque fierent ipsi huiusmodi laudum participes in terris, ac solidiori immortaliqué gloriâ donarentur in cælo. Eâ ratione communi plausu acceptâ dimissus est cœtus, plerisque cum pari lætitia fiduciaque abeuntibus. Etenim tametsi verba, quippe facilia, debile difficilium operum indicium præferant; pauci tamen sunt, qui concinna ac neruosa verba tamquam grande pignus operum non accipiant. Adamantinus est ille animus, qui eloquentiæ incantamento resistit. 1563.

1563.

CAPVT XII.

Nouum Lunensis colloquium de particula, proponentibus Legatis, *cum Morono. Huius profectio Oenipontem versus. Agitata de loci controuersia inter duorum Regum Oratores. Lotharingi reditus, eiusque querelæ & affectiones. Sessionis prorogatio, & quid in ea contigerit.*

CVm de Lotharingi reditu nihil nuntiaretur, cumque significaret Lansacus, [a] eum Venetijs commoraturum dies aliquot suprà quàm anteà crediderat, adeoque moras amplius illius causâ Morono ducendas non esse [b], hic decimo sexto Aprilis Oenipontem ad vesperam profectus est. Eodem manè ipsum seorsim Lunensis inuiserat [c], ac denuò mandata sibi à Rege tradita amplificarat, præsertim ad Sedem Apostolicam sustinendam: hinc processerat ad ea verba, *proponentibus Legatis*: in mandatis iniunctum sibi diserte à Rege, vt omnem nauaret operam, vt illis prospiceretur, cùm rumor esset, earum causâ Concilium libertate non frui. Responsum à Morono redditum est, de quo sæpiùs diximus. Cui Orator: Huiusmodi verba in anteactis Concilijs vsurpata non fuisse, & oportere, vt absque dubio ad remedium admouendum animus adijceretur; siquidem Legatum ipse certiorem faciebat, inisse Reges Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ, & Cæsarem conuenire.

Oppugnationi tam validæ Moronus propugnacula non minùs valida obijcere conatus est; ac primum quidem illud fuit, quod in eo cum Hispanis certamine videbatur supra cunctas eorum machinas eminere, adeoque aduersus illos inuictam semper defensionem præstiterat: Quînam id fieri posse, cùm in Sessione forma illa iam fuisset statuta? Non animaduerti à Lunensi, non solùm ex eo in dubium adductum iri cuncta iam stabilita (à quo supra cetera Rex abhorrebat) sed eadem reuocatum iri, additâ reliquis audaciâ postulandi res nouas longè grauiores, ac peruertendi diruendique quidquid extructum fuerat: cui alluuioni imminenti vnicum erat obstaculum agger ille, ne scilicet fas esset de rebus iam decretis quæstionem inducere. Præterquam quòd quantum confusionis, quantumque prolixitatis allatum iri, vbi singulis tam amplæ ac tam variæ multitudinis capitibus liceret Synodum cogere ad ferendas sententias de absurdis, quæ cuique libuisset? Denique, quo pacto hanc Regis petitionem concordare cum eo quod idem profite-

[a] Litteræ Iadrens. 19. Ap. 1563.
[b] Litteræ Legatorum ad Borromæum 15. Ap. 1563
[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum 16. Ap. 1563

tebatur, nimirum, se fauturum Apostolicæ Sedi, cuius & auctoritati & existimationi altior inde plaga infligeretur? 1563.

3 Orator, vti sensit, perinde ostendit se conuictum rationum vi, cui cordatus ac sincerus vir nec animo nec ore potest obsistere. Quo animaduerso Legatus, tametsi Lunensis adhuc se excusaret fixo Regis iussu, qui merum executoris munus ipsi relinquebat; animum tamen recepit, haud ignarus, huiusmodi iussionibus magnam inesse vim, cùm habenæ sunt, quippe ministro quod sibi interdictum est agere non audente; modicam verò, cùm sunt calcaria, quippe quòd rarò ac difficulter contingat, vt vir animo non omnino seruili, prosequatur ardenti studio quod domino suo indecorum ac noxium existimat: idcircò iussio validissima ad inducendum ministrum vt voluntatem Principis exequatur, ea est, quâ simul in illius animo ipse Principis sensus imprimatur; quandoquidem nulli potestati magis quàm propriæ menti obtemperari solet. Varia igitur inter eos temperamenta proposita: elatoque Legatus cunctationis clypeo aduersus aggressionis impetum, spatium temporis petijt, donec cum Cæsare colloqueretur, eiusque mentem pernosceret.

4 Oratore digresso, Moronum conuenere Granatensis Archiepiscopus, & Episcopus Segouiensis, inter Hispanos existimatione præpollentes, & in contentionibus perduri. Et sicut eorum mos est, qui à veteribus magistratibus discreparunt, optimam erga nouos animi propensionem præseferre, affirmarunt, summoperè illi confidere; adeò vt Granatensis dixerit, Vbi visum sibi foret, à conscientia obstringi se vt à maiori parte dissentiret, eam in Cardinalis conscientia reponendo sedaturum. Hic verò, apud se iustâ parte promisso subtractâ, respondit pari comitate; Gaudere se, quòd in ea significatione cognosceret Patres vel maximè aduersarios studere se beneuolentes ostendere, quod (ratiocinabatur ille) saltem effecisset, vt remissius aduersarentur.

5 Non minorem sollicitudinem collegis intulit alia Hispanorum lis apud ipsos pendens, quàm ea iam memorata, quæ in ipsos mouebatur; nimirum, vetus controuersia de prærogatiua loci cum Gallis. Cœpit vrgere negotium [d] Lunensis post Moroni discessum: & in summa proposuit, vbi gradum supra Gallicum Oratorem obtinere nequisset, acquieturum se loco sibi concesso è regione Galli ad alterutram partem, pro illius optione, sed contestatum, nihil per id intelligi ex iure sui Principis detractum: aliam quoque sedem accepturum se, quam Legati tribuerent, dummodò eiusmodi,

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum 14. Ap. 1563

1563. vt ex ea ipse inferior non haberetur. Quòd si tandem quiuis locus sibi denegaretur, in quo cum sui Principis dignitate consideret, se in mandatis habere, vt litteris regijs in Conuentum delatis extemplò discederet. Nec id simulabatur ad meliorem conditionem obtinendam, sed veritati consonabat; cùm Rex è sui Consilij sententia mentem mutasset, quam anteà Pontifici significarat, de vanis cœremonijs haud curandis. Legati his auditis inter se differebant, Ob nouam concordiam initam in Gallia cum hugonottis quantum minuebatur in Gallis necessitas auxilij Hispanici ad tutelam incolumitatis, tantumdem in ipsis auctum iri duritiam ad æmulationem prærogatiuæ: hinc verò censebant, abalienandum non esse Regem Catholicum, cuius patrocinio supra cetera Synodus indigebat, cum ipse summam auctoritatem non solùm apud Hispanos Præsules, sed etiam apud complures Italos obtineret. Quare vbi recusarent Galli memoratas conditiones, in quibus videbatur signum aliquod prærogatiuæ ipsis adhuc seruari, propendebant Legati ad non impediendam eorum absentiam, quorum præsentia quantum splendoris Concilio, tantumdem inquietis afferebat. Sed de his omnibus Pontificem per arcanas notas certiorem fecerunt, eiusque responsum præstolabantur.

Id temporis aduentante Sessionis die, quæ vgesimo secundo e Aprilis indicta fuerat, compertâque eius prorogandæ necessitate f, quoniam nihil peractum erat, & duo Legati aberant, duo, qui aderant, inter se conuenere, posse ad eam destinari diem tertium Iunij, qui esset quintus in Pentecostes hebdomada, quo tempore arbitrabantur rem in promptu futuram; atque hunc ipsorum sensum f significarunt cunctis Oratoribus, Madruccio, ac Lotharingo, qui eo die Tridentum redierat. Omnes assensere, adeoque id in cœtum postridie retulere, cum fiducia communis consensus. Sed eos fefellit euentus. Lotharingus, vtpote suis in sententijs varius, eam tunc mutauit, rursus nouam certi diei præscriptionem adducturam Concilium in discrimen noui dedecoris, vbi ea denuntiatio, sicuti plurimis antegressis euenerat, in irritum caderet. Quapropter re à Legatis propositâ, dixit ille, opportunius sibi videri, si ad incertum terminum Sessio protraheretur, ita vt conuentus sibi facultatem tribueret vsque ad vigesimum Maij certam diem constituere. Tunc verò eam statutum iri siue tertiam Iunij, vt in præsentia Præsides arbitrabantur, siue aliam, sed extra dubitationem successus. Huiusmodi ratiocinatio adhæsit animo Madruccij, maiorisque partis etiam ex maximè studiosis Pontificis ac Legatorum, vt qui sibi persuade-

e Litteræ Legatorum ad Borromæum 20.Ap.1563.

f Die 20 Aprilis.

suadebant id illis pariter futurum gratius, eosque abstinuisse à prorogatione ad incertum diem proponenda, quòd complures Patrum alienos ab ea credidissent; vt proinde in sententiam frequentioris partis inter alios iuerit Gualterius, de quo Præsides conquesti sunt, quandoquidem pridie ipse internuntius eorum sententiam ad Lotharingum attulerat, eiusque comprobationem ad ipsos retulerat. Id quod in seipso leuius, grauius tamen Legatis accidit, tunc dignitatis suæ maximè sollicitis, cùm æstimatio & contemptus in ipsos integrè redundabat, nec inter socios diuidebatur. 1563.

7 Ponderosior causa Gualterium premebat, modica videlicet firmitudo [g], quæ in Lotharingo deprehendi sibi videbatur; vnde fiebat, vt ipse in contexendis per laborem assiduum nexibus mutuæ beneuolentiæ inter ipsum ac Pontificem, semper opus sibi redordiendum animaduerteret. Idcircò verebatur, ne Romæ conspectis frequenter euentibus contrarijs recenti spei à se factæ, ipse in opinionem incideret aut decipientis aut decepti, quamquam opportuna remedia non omiserat, quibus huic accusationi se subduceret, exposito cunctis in litteris ingenio Lotharingi. Qua in re tandem moneo; Ad vesperam pridie quàm Iulius III. eligeretur, ab eo per certum tabellarium ad Henricum Regem perscriptas fuisse validissimas rationes, quibus ab illius electione remouebatur; manè autem postero adhibitam ab eodem operam cum Farnesio Cardinali ad Iulium promouendum, & in opus deductam. Ingenium Lotharingi, secundùm exemplar quod Gualterus expinxerat, temperamento inter igneum & aëreum erat, ad succendendas affectiones velox, sed non minùs ad tepefaciendas; totum iracundum, totum placabile: sed iracundiæ tempore supra modum intemperatum in ea promenda, & in cladibus minitandis; adeoque si quis tunc hominem audisset, ratus linguam animo concordare, poterat malignum in eo animum suspicari. Contrà verò, beneuolentiæ tempore adeò in promisso profusum, vt cuipiam ea posteà cum effectis componenti, liceret adscribere artificiosæ calliditati, quod ab inconsiderata sinceritate profectum erat. Paucis, cuiusmodi sunt ædes publicæ magistratus, vbi quod excellit maiestate ac pulchritudine, in fronte atque in aula collocari solet: sed ornamenta huiusce frontis & aulæ plurima erant & rara, magnanimitas, comitas, beneficentia, pietas, doctrina, perspicacia, eloquentiæ vigor, & boni publici studium.

[g] Litteræ & arcanæ notæ Gualterij ad Borromæum 22. Ap. 1563

Huius autem variantis indolis noua proferebantur à Gualterio argumenta, per eos etiam dies accepta. Scripserat Lotharingus, vt

1563. narrauimus, cupere se cum Morono colloqui, antequam hic ad Cæsarem abiret, ac propterea se confestim rediturum. Posteà reditum retardauit, vulgauitque, se consultò cunctatum, ne, si alter mandata de rebus cum Cæsare agendis cum ipso communicasset, suspicaretur, vmquam operam à se contra successum prosperum fuisse collatam: alij tamen in eo compererunt, vel crearunt, subtiliorem rationem & artem, aientes [h], Lotharingum Venetijs elicuisse à Nauagero, patriam repetente antequam Tridentum veniret, plurima ex mandatis sibi traditis ad Cæsarem, eaque prænuntiasse per certum tabellarium Cæsari, adeoque in eo cessasse festinationem cum Morono loquendi: sed quemadmodum acutiores hæ coniecturæ [i] mentium politicarum aberrant plerumque, ita in voluminibus litterarum ex Aula Romana scriptarum comperio è contrario; cum impositum fuisset Nauagero, vt Venetijs intento animo obseruaret siniſtras opiniones, quas fortasse Lotharingus imprimere Senatui tentaret, eisque obsisteret, ipsius operam pergratam fuisse in eo quod egerat & cum Lotharingo & cum Republica. Non ita processit ex sententia aliud quod eo itinere Nauagerus sibi conficiendum proposuerat [k], nimirum vt Amulius Cardinalis in Senatus Veneti gratiam rediret, tametsi studiosas Pontificis litteras ad id deferret, animatas ab ipsius lingua spiritu viuidæ eloquentiæ, qua præditus erat tum ex ingenio, tum ex vsu in eodem theatro: adeò constans est firmitas illius Senatus in suis sanctionibus. Ex quo fane eò spectabilior redditur tum auctoritas Alexandri VII. tum virtus Caroli Caraffæ Episcopi Auersani, illius Nuntij, tum obsequium Reipublicæ erga talem Pontificem, quo petente, dum hoc Opus in lucem editur, placuit illi Senatui meam Religiosam Familiam suis in ditionibus redintegrare, singulari lætitiâ in me collatâ, quòd huiusmodi prosperitas interuenerit, moderante meum Ordinem Gosuino Nickel, qui tum efficaci auctoritate in me huic Operi admouendo, tum prouidâ charitate in cunctis commodis mihi exhibendis, planè vt generalis ductor præ milite inferiore, longè supra me meretur, quantum laudis deberetur huic meæ non infortunatæ pugnæ in gratiam iustæ causæ. Iam verò narrationem vnde eam defleximus eò repetemus.

Varium ingenium Lotharingi ostensum est à Gualterio Pontificis per aliud argumentum, à Cardinali præstitum eodem die quo Tridentum reuersus est. Is enim loquens cum Antinoro, qui reliquos obuiàm progressos anteuerterat, acerbè questus est de inita cum hugonottis concordia, significauitque, regnum illud à se tamquam perdi-

[h] Litteræ, & Codicilli Vicecomitis ad Borromæum 22. Ap. 1563

[i] Litteræ, & artanæ notæ Borrom. ad Nauagerum à 13. ad 24. Apil. 1563.

[k] Morosinus lib. 8. Historiæ Venetæ.

perditum haberi : paulò pòst cum Gualterio eadem de re verba faciens, ostendit, concordiam illam sibi non improbari, & culpam omnem reiecit in Hispanos ac Pontificem, qui manu debili opem Galliæ suppeditassent. Hîc verò risum mihi excitat Suauis narratio, quâ dicitur, huius pacis nuntios peruenisse Tridentum memorato die vigesimo Aprilis, quo redijt Lotharingus, cùm ex aduerso cunctæ paginæ Trideti exaratæ à tribus vsque superioribus hebdomadis, refertæ sint huiusmodi nouitate, ex qua, vtpote ex assumptione præcipua, leguntur deducta plerumque argumentationum corollaria, quæ illic quâ voce quâ litteris tunc habitæ sunt de rebus humanis, pro eo ac anteà varijs modis ostensum est. 1563.

9 Sed quod attinet ad Lotharingum, siue leuitas in eo, siue ars esset, cùm ipse studeret & hanc & quamuis aliam à se notam abstergere, quòd tam ardenter ac tam sæpè Pontifici proposuisset vt Bononiam conueniret, & posteà Pij consensu iam accepto consilium mutasset, voluit ad excusandum se Pontificem incusare: Quoniam dum res tam honorifica illi proponebatur, oportuisse liberum responsum reddi, non autem epistolam confertam simulatis difficultatibus, quas ille in eo itinere animaduertebat; perinde quasi plurimam gratiarum actionem ex eo ipse non meruisset, quòd Cæsarem induxerat ad conseruandam Pontifici tanti iuris possessionem in eo coronando, & ad se ea de causa saltem Mantuam vsque conferendum : in quo iam recedebat Lotharingus ab eo quod toties de Bononia statuerat. Addebat, in ea epistola contineri conditiones conditioni suæ valdè dissentaneas, videlicet, efficiendum sibi esse vt Principes acquiescerent disciplinæ legibus, quas Pontifex statuisset, atque vt Synodus quamprimùm absolueretur. De quibus conditionibus mirum videbatur conqueri Lotharingum, quando quæ ipse proposuerat super his nitebantur. In summa, se longè alium ab eo qui paulò anteà fuerat, & acrimoniâ percitum ostendebat.

10 Venetijs adhuc degens Musottum Romam miserat, vulgauitque, non modò illum mitti quò per eum Lotharingus se apud Pium purgaret, sed quò etiam ab eo impetraret, vt peculiaria capita edoceretur criminationum, quibus, vt ille affirmabat, à Pontifice insimulabatur, quòd nimirum sibi capitis partes assumeret, ac mala semina inter Cæsarem ac Pontificem spargeret; præsertim verò, quòd eiusmodi querimoniam Nuntij contra Præsules Gallicos in Concilio, à Regina per litteras accepissent, eos insimulantis quasi prosperum progressum impedirent; quæ insimulatio videbatur in primis

1563. primis ipsum petere, qui primum inter eos locum obtinebat. Hic verò res à se gestas accommodatâ sibi formâ depingens, dicebat: Si Pontificis criminatio sita in eo foret, quòd ipse Cæsarem cohortatus fuerat, vt suam operam interponeret ad maiorem libertatem Synodo obtinendam, non expectatis ad minutiora quæque mandatis Româ, vt prospiceretur mansioni, & Episcoporum institutio stabiliretur, & purgarentur corruptelæ; licere Pontifici pro suo arbitratu ad Inquisitionem ipsum accersire. At si vitio non verteret hæc consilia, & alioqui comperisset, ab ipso in mansionis controuersia omne suum arbitrium impensum ad Apostolicam Sedem iuuandam, nec minùs in alijs rebus ab eodem perfracta fuisse sui Regis mandata in obsequium Pontificis, arbitrari se honorandum, non onerandum esse. Pergebat dicere dolentium & indignantium linguâ: Se cunctis humanis affectionibus à Deo solutum ob fratrum funera; velle imposterum sententiam in Synodo pro more eâ libertate dicere, cui vnica esset norma Diuinum obsequium & conscientia.

Verumtamen non tantum timoris incutiebant Gualterio hæ denuntiationes iram spirantes pro hominis ingenio, quantum notitia, quòd magnus Galliæ Cancellarius, minister, vti dictum est, non admodum Religionis studiosus, operam dederat, vt in munere magni Palatij Magistri, quod vno ex fratribus demortuo vacauerat, sufficeretur filius fratris Lotharingi Cardinalis, dum Comestibilis competitor munus illud filio suo affectabat[1], qui rem tam ægrè tulit, vt ab Aula secesserit, excitatâ suspicione. Id verò magnum Cancellarium aliquo pacto Cardinali reconciliarat, curamque in eo cum spe reuocauerat ad Reginam sibi propitiam habendam, non ampliùs iactâ solùm anchorâ in Sedis Apostolicæ patrocinium, quemadmodum anteà sibi opus esse differebatur. Quapropter Gualterius ad partem magis flexibilem aggressione conuersâ, quod verum erat, Lotharingo narrauit: Complures ex Galliæ Præsules de ipso conqueri, quòd ad Hispanis gratificandum, in Ordinis controuersia negligeret capita, quæ Galliæ magis cordi erant: adeoque discrimen aderat, ne tam aucta cum Hispanis coniunctio tot eius aduersarijs, & apertis & occultis, in Aula arma ad ipsius cladem suppeditaret: cuius rei consideratio, tametsi verbis ab eo spreta, respondente, vt vsu venit, satis sibi ex conscientia cautum esse, visa est eius animum altè subijsse.

Fererius sensus Lotharingo contrarios præseferebat, cùm volubilem eius animum improbaret, eique simul opponeret, ab ipso nonnihil

[1] Præter iam dictam epistolam alia Gualterij ad Borromæum 3. Maij 1563

nonnisi familiæ suæ commoda promoueri. Ceterùm sententias Apostolicæ Sedi propitias proferebat, & rationes prævalidas, quippe profundæ intelligentiæ vir, adducebat, ob quas solis Legatis fas esset proponere, & ob quas Pontifex Concilio præcelleret; quod pariter Gallorum aliqui sentiebant, præsertim verò Hieronymus Soucherius Abbas Clarauallensis [m], qui merebatur obtinebatque eximiam existimationem probitatis ac doctrinæ. Quin Fererius, cùm animum præseferret, vt interdum accidit, præsens regionis suæ regimen improbantem, affirmare non omisit, à se optatum iri in eo rerum statu se Episcopum esse, quò sententiam pro suo arbitratu expromeret in Concilio, ac palàm faceret, à Gallis, dum, corruptelarum emendatio acriter ab ipsis petebatur, nouas indies induci per maximam offensionem atque perniciem. Non tamen plenè sibi persuadebat Gualterius [n], illum ex animo loqui; nam cum Romà reuersus eum nancisceretur sibi cuncta consentientem, nihil ipsi credidit, suspicatus hominem simulare, quò certi aliquid eliceret à Pontifice. Verùm ex quacumque suspicione fieri non potest, quin vbi quempiam audimus dicentem efficaciter in rem nostram quæ vera sunt, & ad persuadendum alijs idonea, ea credamus ex animo ab illo dici, sibique persuaderi. 1563.

[m] Epistola Gualterij ad Borromæum 26.Ap.1563

[n] Arcanæ notæ Gualterij ad Borrom. 11.Martij 1563.

CAPVT XIII.

Petri Soti obitus, eiusque ad Pontificem litteræ. Aduentus Nauageri Tridentum. Acta à Morono Oeniponti cum Cæsare de primis quatuor capitibus arcanæ Ferdinandi epistolæ ad Pontificem, suprà memoratæ; hoc est, de Synodi diurnitate; vbi disseritur de suffragijs pro nationum numero computandis, de suspensione, de libertate, & de communicatione à Legatis cum Pontifice vsurpata.

1 RES memorabilis, quæ id temporis accidit, narrationem nostram à Gallis ad Hispanum conuertit. Fuit hic Petrus Sotus, de quo plurima à nobis habita mentio. Summam ille obtinebat existimationem seueræ probitatis, solidæque scientiæ: & vtramque suorum Hispanicensium Episcoporum sententiam semper sustinuerat, nimirum, mansionem auctoritatemque Episcoporum esse iuris Diuini. Porrò cùm in morbum grauissimum incidisset die decimoseptimo Aprilis, post quem tres tantùm dies viuus superfuit, alieno chirographo ad Pontificem scripsit epistolam; eiusque

1563. eiusque sententiæ similes è Soto voces à se paulò antè auditas testatus est Vincentius Iustinianus, tunc supremus illius moderator, ac posteà Cardinalis. Hæc epistola statim [a] Tridenti vulgata, ob rei argumentum, hominisque conditionem, celebris posteà per vniuersam Europam euasit. In ea Pontificem ille hortabatur, pro ea fide gratoque animo, quem extrema illa hora ab ipso postulabat, ad dandam operam, vt definiretur, cuiusnam iuris esset mansio tum Episcoporum, tum reliquorum Ecclesiæ ministrorum, curaretque eam seruandam, alio prouentuum genere extra episcopatus Cardinalibus attributo; & non minùs, vt declararetur, institutionem auctoritatemque Episcoporum esse iuris Diuini: non conducere Sedis Apostolicæ dignitati aliorum abiectionem. A se viuente ac moriente affirmari, summum Pontificem cunctis Concilijs superiorem esse, nec ab illis vllâ ratione iudicari posse: opportunum à se censeri, vt id pariter aperte definiretur; contrarium siquidem in seditiones, bella & schismata manifestò tendere. Duo simul Pontifici commendabat, Ne consentiret, vt cuiquam facultas traderetur suscipiendi sacros Ordines à quouis Episcopo, cùm expediret Ecclesiæ bono, vt id Ordinario reseruaretur; & Ne in sacerdotijs distribuendis suam suorumque ministrorum vtilitatem quæreret, sed animarum salutem, & Ecclesiarum emolumentum. Denique huiusce libertatis suæ veniam precabatur.

[a] Præter epistolam Soti, epistola Vicecomitis ad Borromæum ... Ap.1563

Soti mors, coniuncta cum perfecto religiosæ pietatis exemplo, summoperè displicuit Concilio, cui visum est relinqui velut in infausta caligine, ademptis sibi in omni genere quibusdam è suis maximis luminaribus. Sed pro eo quod accidit rerum mortalium vicibus, iacturæ mœstitia lucri gaudio compensabatur, ac ferè continenter, hoc est, 28. Aprilis, magna facta est lucis accessio Nauageri aduentu. Priuatim ille [b] lecticâ vectus, post primas noctis tenebras intrauit, electâ sibi horæ obscuritate, ne vlli pompæ splendori esset accommodata, atque eadem de causa prænuntiatum aduentus diem vno die anteuertit. Ratio quæ hominem ad hoc impulit, ea fuit, ne certamen de loco excitaret inter duorum Regum Oratores, qui ipsi obuiàm ituri fuissent.

[b] Diarium 28 & litteræ Legat. & Vicecomitis ad Borromæum 29. Ap. 1563

Sed summa rerum Tridentinarum extra Tridentum tunc verti videbatur, nimirum Oeniponti, in ijs quæ à Morono cum Cæsare agitabantur. Noluerat ille Præsulem vllum Synodi secum adducere [c], ne Germani sibi persuaderent, ab eo non dici quæ suggerebantur ab ipsius iudicio, Synodi contentionum integro, sed ab alicuius instigatione, qui studio, animique commotione iam illis esset

[c] Acta Pachotti.

esset addictus. Sed dein missus ad eum est Promotor Castellus, qui, vbi opus foret, rerum gestarum notitiam illi subministraret. 1563.

4 Mandata, quæ Româ secum ferebat, vertebantur in sententia arcanæ epistolæ, à Cæsare scriptæ ad Pontificem, qui in breui iam missa responsione, sicuti dictum est, se ijs remittebat quæ amplius à Legato exponenda erant. Quare mandatorum libellus, præter officiosum proëmium, in varia capita distinguebatur, memoratæ epistolæ capitibus respondentia. Nos verò quò lectores meliùs aptiusque rem intelligant, in singulis capitibus subinde ponemus ea quæ Morono responsa, & quæ ab ipso superaddita fuere, cùm apud nos extet eorum summa, iussu Ferdinandi ab ipsius ministris desumpta, & etiam monumenta à Morono seruata.

In primo mandatorum capite sermo erat de Concilij diuturnitate, quæ dicebatur non minùs Pontifici, quàm Cæsari displicere, cùm inde innumera damna sequerentur, periculum amittendæ indies nouæ alicuius Prouinciæ, vti tunc in Gallia contingebat; Patrum dissensio, adeoque tenuis æstimatio Synodi; sumptus supra vires tum Apostolicæ Sedis, tum ipsorum Episcoporum; Ecclesiarum detrimentum ex Pastorum absentia; magnæ perturbationis discrimina, si deficeret vita Pontificis; grauissimæque iacturæ, si decederet Cæsar, in cuius patrocinio ac religione Synodus nitebatur; agendi licentia, quæ ibi indies gliscebat; periculum tum intestinæ discordiæ, quam aliquis improbus excitaret, obtento studio Ecclesiæ reformandæ; tum alicuius tumultus, qui Synodum præcideret, & fructu vacuam redderet.

5 Enumeratis diuturnitatis incommodis, eorum causæ patefiebant, & remedia proponebantur. Causas fuisse, suffragiorum multitudinem, prolixitatem sententias dicentium, qui sæpè vt in argumenta noua ingrederentur, è propositis egrediebantur; discordias inter Patres ex huiusmodi digressionibus profectas; superiora Oratorum Gallorum postulata, vt Lotharingus, eiusque comitatus expectarentur; vtilitatem eiusdem Cæsaris, qui optauerat vt definitiones protraherentur, donec in Comitijs Francofurti Maximilianus eligeretur; subsecutas Gallorum petitiones, vt alij suæ nationis, & Angli etiam ac Germani expectarentur; nouas quæstiones inter Theologos ad trutinam adductas, cùm vera dogmata ab hæreticis oppugnata firmanda essent; mandata plurima Oratorum, quæ ita sibi tradita suis à Principibus affirmabant, vt ab illis digredi non possent absque nouo mandato, vnde non parum moræ creabatur; aliquorum postulationes, vt argumenta iam proposita iterùm pro-

1563. ponerentur, sicut in præsentia contingebat Gallorum postulatis, quorum multa alijs temporibus expensa ac decreta fuerant; aduersam operam à quibusdam nauatam, occultis forsitan fautoribus Lutheranorum, adeoque satoribus litium ac turbarum, quod similiter accidere consueuerat in Germaniæ conuentibus; mutationes quæ in dicendis sententijs fiebant in rebus propositis, perinde ac euenerat in capite de mansione, in quo proponebatur vt Decretum formaretur de disciplina, & complures rem ad Fidei dogma redigere cupiebant.

Ad id reparandum proponebatur, vt in posterum eiusmodi cau- 6
sæ remouerentur. Quod confectum fuisset, vbi Cæsar cum Pontifice reuerà coniungeretur, iuberetque Oratores suos opitulari Legatis; vnde fieret, ne inducerentur in Synodum nouæ dogmatum disputationes, & idcircò ad solas controuersias cum hæreticis operam conuerterent. Præterea, vt emendationis articuli de communi 9
consensu proponerentur, nec liceret cuilibet noua volumina in medium proferre, quod in causa erat, vt eadem res sæpiùs in quæstionem rediret. Secundum Decretum primæ Sessionis concordi obseruantiâ custodiretur; adeoque à Legatis proponeretur tempori quod opportunum erat, & à Principibus optabatur: vt ea morum emendatio, quæ ad Aulam Romanam ac Magistratus spectabat, acciperetur quo pacto illam statuisset Pontifex, qui rigido intentoque animo illam ordinabat; nollentque in disputationem illic adducere, vbi perpauci negotia illa callebant: nec Principes, eorumque ministri, sectas & conuenticula Præsulum sibi conflarent, singulis libertati suæ conscientiæque relictis, quemadmodum à Pontifice relinquebantur. Ipsi quoque Principes boni consulerent 10
rationem aliquam, quæ excogitaretur ad recidendam prolixitatem in sententijs explicandis.

Ad hæc Cæsarei dixerunt: Cùm causæ potissimæ diuturnitatis 7
essent tum negotiorum tum hominum multitudo, duo videri opportuniora temperamenta. Quod spectabat ad priorem causam, ne disceptaretur de ijs, quæ in sacris Litteris & Concilijs habebantur, ab hæreticis non oppugnata. Quod verò ad posteriorem, vt viri docti ac pij ex quauis natione seligerentur; quod Cæsar intendebat vsurpatum fuisse in varijs Synodis antiquis ac recentioribus, quodque in conuentibus laicorum fiebat: hoc etiam pacto plurima di- 11
uersa eodem tempore concoquerentur à diuersis cœtibus, & cuilibet priuato capiti fas esset significare delectis Patribus quæ sibi in mentem venirent de illis peculiaribus argumentis; dein ab ipsis hæc

hoc pacto concocta ac digesta, ad generalem conuentum referrentur. 1563.

8 Primum à Morono acceptatum est, sed simul agnitum, haud satis fore. Alterum eidem visum est ad ea absurda & schismatis pericula tendere, quæ consecuta fuissent ex potestate iudicandi, nationum numero, non autem capitum attributa, contra antiquitatis vniuersæ consuetudinem. Quare cùm ille satius duceret possessionem sine pugna seruare quàm vincere, contentionem declinauit, & vniuerse respondit: Propositam à Cæsare rationem iam vsurpatam fuisse, & vsurpandam fore quantum æquum erat & congruens, quando designati fuerant cuiusuis nationis Episcopi ad conficiendum librorum indicem, & corruptelas colligendas; & insuper constituebantur in reliquum à Legatis peculiares cœtus, cum accepta, cùm opus erat, ab vniuerso conuentu potestate.

9 Pergebatur in mandatis: Vt certus fieret Cæsar, Pontificem suspensionem nolle, quamquam ille à summis Principibus inuitaretur, in eo ipsum proposito persistere ex mero boni publici studio, non ex metu mali, quod aliter immineret ex proprijs nationum Synodis; illis siquidem nocentiora erant Comitia & Edicta, reipsa à Principibus fieri solita. Ex altera parte, non esse cur quispiam suspicaretur, ab ipso suspensionem optari, quòd morum correctionem euitaret; hæc enim optabatur à se, etiamsi quouis infortunio Synodus dissolueretur: suumque apud animum statutum esse, effecturum se, vt vbicumque posset ea seruaretur. Id iam experimento probari per complura diplomata à se promulgata, & quorum exempla mittebantur ad Cæsarem, solius mali, non item boni conscium. His nihil opponendum occurrit Cæsari.

10 Tertium caput erat de libertate. Eam, quod spectabat ad Pontificem, adeò inuiolabilem fuisse, vt Patribus permitteretur sententiam etiam licentiùs promere. Audiri libenter à Legatis quemlibet Episcoporum, etiam priuatim de agitatis argumentis: designari peculiares cœtus pro Concilij voluntate; res in consilium cum Oratoribus adduci, antequam proponerentur, easque ex ipsorum arbitratu sæpè reformari. Quod si quâ ratione dici posset in Concilio libertas lædi, id mandatis, à quibusdam Principum missis ad suarum Prouinciarum Episcopos, esse tribuendum; ac proinde Legatus petijt vt huic incommodo consuleretur.

11 Responderunt Cæsariani, Cæsarem à conscientia non argui, quòd vlla vmquam dedisset mandata paucis illis Concilij Patribus sibi addictis, vnde ipsorum libertas minueretur: de reliquis Princi-

1563. pibus sibi satis compertum non esse : quod si id accideret, oportere Legatos conqueri cum ipsis Oratoribus ac Principibus, vbi id opus erat. Offerre Cæsarem, se imperaturum suis Oratoribus, vt in eo studia Legatorum adiuuarent, paratoque esse animo ad suam etiam operam per seipsum impendendam, vbi hoc à se flagitaretur. Ita se sperare, Pontificem pariter integram libertatem concessurum Præsulibus Pontificiæ ditionis, alijsque quibus ipse subueniebat. Etenim, si apertiùs loquendum sibi erat, aliquod ea de re murmur obstrepere, & aliquam querimoniam, tametsi longè aliter Cæsar sentiret, quem probitas ac recta mens Pontificis non latebat.

De his Moronus: Huiusce murmuris falsitatem deprehendi posse ex tenore sententiarum, quas memorati Præsules edixerant; quando eorum complures acriter promouerant opiniones illas, à quibus potissimùm abhorrere Pontifex dicebatur : libenter excipi à Legato oblatam à Cæsare operam suis Oratoribus adhibendam, ac sperari, auctoritatem Cæsaris & exemplum ad permouendos reliquos vim habitura.

Post hæc in mandatis accusatio purgabatur, quòd Præsides de omni & qualicumque re Pontificis sensum exquirerent. Dicebatur: Si ministris omnibus consuetum erat, suum principem de rebus gerendis edocere, multo magis id obseruandum esse à Legatis erga caput Ecclesiæ in rebus Religionis; cùm semper in more positum fuerit, vt Summus Pontifex de grauioribus argumentis certior fieret. Hinc non adimi libertatem, quandoquidem Decreta pro maiori suffragiorum numero firmabantur. In veteribus Concilijs, vt in Chalcedonensi & Constantinopolitano, non solùm fuisse permissum vt res cum Summo Pontifice communicarentur, sed acceptam illius sententiam à Patribus fuisse subscriptam. Antiquos illos ac religiosos Imperatores consueuisse suis subditis imperare, vt Fidem sequerentur, quam Damasus, Agatho, alijque Romani Pontifices retinebant. Tantum in præsentia non postulari à Pontifice, Legatisve; sed vt maiori Patrum numero sanctiones committerentur.

Ad ea responsum à Cæsare : Quamquam auctoritas constituendi in Ecclesia Decreta Fidei & emendationis, in Romano Pontifice præcipuè tamquam in capite resideret; tamen ab ipso in membra quoque ea deriuari : idcircò consuetudinem fuisse, maximas controuersias, etiam in Romanis Concilijs decisas, iterùm Oecumenicis remitti. Hoc posito, nequaquam à Cæsare sibi arrogari potestatem ea de re definiendi, nec velle, sicuti dici solet, in cælum os

os ponere; sed quando cupere Legatus videbatur Cæsaris iudicium audire, illud huiusmodi esse: Si quid noui negotij accideret in Concilio præter ea quæ in diplomate conuocationis legebantur expressa, de eo consulendum esse Pontificem; sed super alijs rebus, à se iam præuisis, & de quibus credendum erat plenissima mandata fuisse ab ipso tradita Legatis, viris eximiâ fide ac prudentiâ, posse in eorum & tot præstantissimorum Patrum iudicio eas reponi: aliter à se dubitari, ne exclamaretur, haberi Concilium non Tridenti, sed Romæ, nec ad Decreta Patrum operâ, sed tabellariorum deueniri. 1563.

15 Contrà verò Legatus: Fieri non potuisse, vt res tam multæ, & à tot ac tam varijs ingenijs pendentes, præuiderentur, nisi generatim & confusè; cùm tamen prudentiæ Decreta recidant in peculiare ac definitum, adeoque necessarias esse nouas illas peculiaresque communicationes; & singulos Principes proportione necessitatem illam experiri in arduis negotijs, quæ à ministris à se longinquis agitantur. Ex eo nullam adimi libertatem in decernendo; hanc numquam à Pontifice præpeditam fuisse. Quod si mansionis articulus definitus non fuerat, id non Pontificis vetito, sed Patrum discordiæ tribuendum.

Conflagrant homines tam anxio libertatis, hoc est dominationis amore, vt existiment illam sibi adimi, ex eo solùm quòd possit adimi; adeoque grauis quasi prohibitio illis est, quòd velit superior de illorum operibus prædoceri, quia per id aptus redditur ad ea prohibenda, tametsi non prohibeat.

CAPVT XIV.

Alia in mandatis Moroni contenta. Ab eo cum Cæsare agitata de particula, proponentibus Legatis. *De diuisione à Cæsare in suis litteris habita Episcoporum diuitum ac pauperum, qui Synodo intererant. De reformando Ecclesiæ Capite. De promouendis Cardinalibus & Episcopis: & de ipsius Cæsaris aduentu Bononiam.*

1 QVinto loco agebatur in mandatis de particula tam oppugnata, *proponentibus Legatis*. Monebat, eam solemniter à Patribus firmatam fuisse tantâ concordiâ, vt si posteà reuocaretur, infringeretur auctoritas Concilij, & irrisionis argumentum præberetur hæreticis, quodam tramite patefacto, qui ad nullum terminum quæstiones deduceret. Nec idcircò magis liberum euasurum

1563. surum Concilium, sed magis populare, tumultuosum atque confusum: vera siquidem salubrisque libertas ordini ac regulæ non aduersatur. Hunc ordinem in cunctis Synodis fuisse, quin in cunctis Collegijs seruari: proinde huiusmodi exemplum, quod nunc in Tridentina cerneretur tot Principibus postulantibus, inæstimabili detrimento futurum cunctis conuentibus Ecclesiasticis ac laicis, adeoque totius humani generis gubernationi. Quid porrò, si resciſſo semel hoc vallo, populi, semper in ipsorum Principes queruli, confugerent ad Concilium, ac leuamen deposcerent impatibilium onerum, quæ sibi dominantes imposuissent? In rem Principum nihil conferre quòd Oratores proponerent, quando nihilominùs ex voluntate Pontificis præstò erant Legati ad cuncta ipsorum postulata suo tempore proponenda.

Responsio Cæsaris fuit huiusmodi: Certum esse, primariam proponendi facultatem penes Pontificem ac Præsides esse; sed de secundaria opiniones variare. Nolle se nunc subtiliorem disputationem instituere; sed quoniam Synodus ea verba posuerat, reuerenter à se eadem accipi, nec recusari suis ab Oratoribus ad Legatos ea deferri, quæ à se illis committebantur proponenda, atque ab ijsdem audiri quæ Præsides ex aduerso opponerent & hortarentur, quorum consilium sibi pergratum futurum; sed id saluo omni suo iure, & reseruatâ sibi potestate, vt vbi recusarent Legati res à se propositas ad Concilium referre, & in sua ipsi sententia persisterent, fas sibi esset easdem per suos administros proponere, quod sibi, tamquam primario Ecclesiæ Aduocato, licitum erat. Et quoniam intelligebat, id Pontifici minimè displicere, optari à se, vt apertis notis declararetur.

Tum Legatus promissum confirmauit: sed adiecit, opus non esse; nouo Concilij Decreto, propterea quòd & absque illo eius obseruatio, quæ solùm Cæsaris intererat, haberetur; & ea noua declaratio, tum re tum modo quo fieret, plurimum contentionis, perturbationis & cunctationis afferre potuisset.

Distinxerat Cæsar in epistola, quam recitauimus, inter Episcopos, non ministros Aulæ Romanæ, adeoque non aspirantes ad Purpuram, diuites alios, alios pauperes; affirmaratque, sperandum esse in diuitibus, quorum pars maior ex transmontanis erat, quippe suarum Ecclesiarum prouentu contentis, plus sinceritatis super mansionis quæstione, quàm in pauperibus, quorum plurimi ex Italicis erant: quâ ratiocinatione plus ponderis tribuebat sententijs contendentibus declarationem illius legis tamquam Diuinæ.

Id in

5 Id in mandatis refellebatur, cùm obseruaretur, in diuitibus Episcopis aliarum nationum minùs inesse libertatis, quàm in Italicis pauperibus: illi siquidem maiori metu coërcentur, maioriqúe spe stimulantur, veriti, ne ipsorum reditus detineantur à Principibus laicis, quemadmodum in illis regionibus sæpè contingit, quod numquam in Italia fieri solet à Pontifice; simul etiam spe compulsi, opulentiores Ecclesias obtinendi per eosdem Principes in ipsorum ditionibus. Denique, cùm ius suffragij par in singulis sit, eos tantummodò maiori auctoritate pollere, qui rationum soliditate præstarent. Ad hæc similiter nihil Cæsar obiecit. 1563.

6 Succedebat ex epistolæ ordine sermo de Capite reformando; & affirmabatur, Paratum esse Pontificem ad libenter excipienda Cæsaris consilia: sed non posse de hoc agi in Synodo, quin simul agatur de Pontificia auctoritate, quod ab animo Cæsaris longè aberat. Numquam in more positum comperiri, à Concilio Pontifici normam præscribi, præsertim verò dum hic ad se reformandum præstò erat, idque reipsa perficiebat. Ceterùm, fas non esse Concilio, legem Pontifici præscribere, quando lex omnis Concilij eatenus vim legis obtinet, quatenus à confirmatione Pontificis illam accipit: id autem absurdius esse, quàm si Imperij subditi vellent Imperatori legem imponere: multò minùs inesse laicis Principibus potestatem legis dandæ Pontifici: quin Ecclesiæ morem fuisse, vt Pontifices Constitutiones ederent comprobante Concilio, atque vt posteà Imperatores illis subscriberent, & exequendas curarent. Par non esse, vt Principes emendationis ac Religionis obtentu studerent in Concilio mercaturam exercere. Per hoc indicabatur, Pontificiæ auctoritatis diminutionem ab illis tentatum iri ob rationes politicas, siue vt ad se eam traherent, siue vt gratificarentur hæreticis. Decere Cæsarem, vtpote Aduocatum ac propugnatorem Ecclesiæ, illius Capiti patrocinari, non autem cum ijs coniungi, qui directè aut obliquè illi aduersabantur.

7 Ad huiusmodi caput ita Ferdinandus: Hanc esse rem inter ceteras maximi ponderis. Dubitari non posse, emendatione opus esse non solùm membris Ecclesiæ vniuersalis, quæ iam à Synodo incepta fuerat, sed etiam Capiti, quod erat Ecclesia Romana, & ipsius Episcopus. Non esse mentem Cæsaris, per ea verba viuentem Pontificem notare, qui apud se in optima erat æstimatione, & à se credebatur in eadem apud vniuersum hominum genus haberi; sed generatim loquendo. Extra controuersiam esse, plurimos abusus inductos fuisse per Pontifices in relaxationum prodigentiam,

1563. in delictorum impunitatem, in immunitatum frequentiam, in sacerdotiorum multitudinem, in pecuniæ cupiditatem; qui abusus suppeditauerant magna ex parte materiam recentium hæresum incrementis, & arbitrari se, nec Pontificem pro ipsius sinceritate ac probitate id inficiaturum. Hoc posito, manum nequaquam, vt iam præmiserat, admouendam esse emendationi in ipso Pontifice, nec pariter in ijs quæ spectabant ad ipsius temporariam dominationem, eius administratione ipsi cum Cardinalium Senatu relictâ: sed in alijs negotijs ad Ecclesiasticum regimen pertinentibus, quæ ab Aula Romana in Ecclesiæ reliquum influebant, variare sententias de Concilij auctoritate. Par sibi non esse, super ijs argumentis in arduam cum Pontifice disputationem congredi; solùm per filij reuerentiam & amorem à se moneri, tametsi Pontifex ad id stricto iure non obstringeretur: Christianarum gentium conditionem eiusmodi tunc esse, vt oporteret Pontificem seipsum vincere, rerumque necessitati ex parte indulgere. Dubitandum non esse, per faciliorem, maioriſque auctoritatis rationem posse opus illud perfici à tot præstantissimis ac sanctissimis Patribus omnium nationum, in quos nulla infidelitatis aut socordiæ suspicio cadere poterat, quàm Romæ à paucis hominibus, Pontificem adiuuantibus; de quibus aut ex humana imbecillitate, aut ex vtilitate priuata sperandum vix erat, quin quidquam omitterent dignũ quod adhiberetur, vel quidquam adhiberent dignum quod omitteretur: meliùs à pluribus alienam causam agi, quàm propriam ab vno pauciſve. Quod omniũ interest, ab omnibus comprobandum. Quantum gloriæ Pontifici redundaturum ex hac sui demissione, quæ vtique heroica esset imitatio illius supremi Domini, quem ipse referebat? Quantum auctoritatis accessurum Concilio? Quantò ampliùs spei conceptum iri, cunctos Principes euasuros studioſos illius executores, vbi per suos Præsules ac ministros eiusdẽ participes forent? Addebat postremò Cæsar, Cùm sibi ostensæ fuissent à Legato sanctissimæ leges, à Pontifice de Vaticanis Comitijs latæ, plurimum id profuturum, si cum Synodo communicarentur; quò per auctoritatem ipsius, cui tot Principum Oratores aderant, tuto quasi munimine obsisteretur molitionibus, quæ ab illorum ministris extrahi consueuerant aduersus sacrosanctam illam electionem, in quas grauissimæ querelæ iactabantur, & quibus difficulter alibi quàm in Concilio aptè consuli posset.

Aduersus hæc Moronus: Quando Cæsaris mens non erat, pro ipsius pietate ac obseruantia, vt de ipso Pontifice ageretur, ab eo se petere, vt è scripto Cæsaris sibi tradito eraderetur vox illa, *in Capite*, ne

ne si fortè scriptum illud in manus hæreticorum deueniret, id in peiorem partem traheretur. Atque ita effectum est, alijs [a] vniuersalibus verbis subrogatis. Ad reliqua respondit: De cunctis corruptelis à Cæsare connumeratis decretas iam fuisse, & in posterum decernendas esse in Concilio idoneas emendationes. Duo ab illo excipiebantur, electio Pontificis, & Cardinalium creatio, quæ re ipsa ad illius electionem redigebatur. Ob varias atque oppositas nationum vltra montes, inter se æmularum, vtilitates, non licere de his agere in Synodo sine periculo aut grauis dissidij, aut alterius incommodi magis noxij. Si Cæsar in diplomate Comitiorum appendicem aliquam desideraret, à Pontifice illius sensa libentissimè auditum iri. Quin ne anteà quidem omissurum fuisse idem diploma Concilio proponere, quò illic simpliciter comprobaretur, non tamen expenderetur, nisi dubitasset, ne à modica rei peritia, & à contrarijs animorum affectionibus dissensio ac mora crearentur: cùm à Pontifice deriuaretur in Patres reformandi potestas, æquum non esse, vt ipsi posteà vellent ex sua ipsorum auctoritate in disputationem adducere ea quæ per summam curam ac maturitatem ab eodem Pontifice statuta fuerant. 1563.

[a] Constat ex respons. Cæsaris ad propositionem Legati.

9 Et planè de Comitiorum articulo respondebat epistolæ Cæsaris huiusmodi caput mandatorum, quæ Romæ Legato tradita sunt. Offensiones perturbationesque in Comitijs exortas, frequentiùs ac potissimùm Principum ministris esse assignandas; adeoque plurimum inter cetera profuturum, si à proferendis mandatis, rerumque tractationibus illi abstinuissent, aut si pariter ad ipsos irrogatæ pœnæ extenderentur: non tamen negari, aliquem etiam ex Purpuratis interdum peccasse; sed idem contingere in cunctis hominum collegijs, perinde atque contigerat in Apostolico. Obijci non posse, defecisse Pontifices, quasi non senserint in eo, & secuti non fuerint sententiam Conciliorum: quin ferè omnia, quæ Pontifices de Comitijs promulgarant, esse vel à Concilijs desumpta, vel ab ipsis comprobata. Ac demum afferebantur rationes iam indicatæ, ob quas tunc Pontifex nouam Constitutionem suam ad Synodum non mittebat, de quo paulò antè vidimus plenè fuisse disceptatum inter partes super articulo superiori.

10 Tum ad electionem Cardinalium progrediebantur mandata. Fieri non posse, vt eorum numerus restringeretur, quemadmodum Cæsaris epistola proponebat: etenim cùm illius gradus dignitati perpetuitas deberetur, nec par esset, Pontificem obstringi vt ijs tantummodò Consiliarijs vteretur, qui decessoris intimi fuerant,

1563. necesse erat, sibi fas esse nouos creare: præterquam quod ad id etiam sæpè compellebatur & Principum deprecationibus, & Præsulum promeritis. In animo tunc Pontificem non habere alios ad eum ordinem assumere; sed vbi hoc ageret, ipsum quos oporteret selecturum, & præstò esse ad conficiendum diploma de conditionibus illi gradui necessarijs. Neque pariter his contradictum.

Postea de Episcopis eligendis sermo erat in scripto: Firmata super eo iam esse multa Decreta in ipso Concilio; sed rogari Cæsarem, vt eamdem ipse rationem de ijs haberet, qui ob ipsius nominationem promouerentur. In hoc argumento prolixam dissertationem Cæsar exhibuit, recensitis conditionibus, quibus ex hominum prudentum ac religiosorum sententia opus haberet, qui sacras Infulas susciperet; & ostensâ nimiâ licentiâ, quæ in Clericorum collegia irrepserat, quòd eorum complures Episcoporum potestati subtrahebantur. Et Legatus adiecit, ea omnia in Synodo expensum iri.

Hinc gradum faciebant mandata ad articulum mansionis: Maluisse Pontificem, illic numquam excitam fuisse inutilem controuersiam de iure Diuino; sed quoniam ad id deuentum erat, æqui bonique se facturum declarationem aliquam, dummodò pacifice concorditerque confectam. Mansionem existimari à se necessariam, ac velle vt ab ipsis quoque Cardinalibus ea custodiretur.

Responsum est: Tametsi satius fuisset ab initio quæstionem illam prætermitti; tunc tamen eò deuentum esse, vt nefas esse videretur ipsam dissimulari, cùm præter Decreti promulgationem aliud non deesset: id verò necessarium censeri, quò, vtriuslibet esset iuris mansio, intelligerent Episcopi, se ad illam obstringi, de quo, vbi nihil decerneretur, fortasse dubitarent.

Breuiter Legatus: Operam eiusmodi à se sponderi, quâ res ad concordiam adduceretur, & mansio, cuiuscumque tandem iuris esset, obseruaretur.

Postrema pars mandatorum, rationes complectebatur, cur Pontifici non liceret Tridentum, sicut à Cæsare inuitabatur, se conferre, simulque hortabatur Cæsarem vt Bononiam adiret. Excusationes, vt in litterarum responso retulimus, ad quinque capita redigebantur: Ad senectutem & inualetudinem Pij, rigidi Tridentini cæli intolerantem: Ad locum à Concilio occupatum, adeoque minimè capacem duplicis Aulæ tam amplæ: Ad indignitatem quâ illic morarentur Pontifex & Cæsar, ex præsenti licentia: Ad periculà, propter Germanorum hæreticorum propinquitatem, & propter fœdera cum ipsis inita à Condeo, Gallorum hugonottorum duce:

duce: Ad necessitatem, quâ tunc Roma vrgebatur, vt propinquum sibi Pontificem haberet ob Turcicam classem. Contrà verò nihil eorum obstare Bononiæ: Posse Cæsarem sine armorum apparatu, & per modicum sumptum eò venire per suam ditionem, Mantuam vsque iter habentem; eique à Pontifice offerri, vt Bononiæ æquè ac ipse dominaretur. Timendum Cæsari non esse Germaniæ causâ, cùm ibi filium relinqueret, Romanorum Regem iam electum, & quem omnes amore ac studio prosequebantur. Posse id peragi bonâ Germanorum pace, quando illud iter susciperet Cæsar emendationis gratiâ, tam ab illis efflagitatæ, quæ reipsa perficeretur, translato in eam vrbem Concilio. 1563.

14 Claudebatur caput illud ac mandata: Quemadmodum apud se statuerat Pontifex, in Ecclesia reformanda nec sanguinem nec vtilitatem spectare; ita, vbi ageretur de lædenda auctoritate, non ab hominibus solùm, sed à Deo ipsi tributa, grauissimas perturbationes excitum iri; cùm ipse id passurus non esset, sicut non sine graui noxa pati posset.

15 De Pontificis accessu Tridentum rescripsit ad Legatum Cæsar: Quamquam amplissima bona inde speraret, tamen auditâ difficultate, se ab eo stimulando destiturum. De suo Bononiam aduentu, si tantùm ad coronandum Cæsarem eò pergeret, & si temporum conditio id permisisset, neutiquam se recusaturum fuisse, ne deesset suo muneri, maiorum suorum exemplo, & gratæ obseruantiæ erga eum Pontificem, cuius paternæ beneuolentiæ argumenta tam præclara obtinebat: sed cùm illic vniuersalis Ecclesia reformanda esset, arduum ac diuturnum opus illud esse, nec leui manu ac festinanter tractandum; & tamen ne breui quidem temporis spatio tunc sibi licere Germaniæ terga vertere, multis ibi occultis molitionibus feruescentibus, quæ nisi celeriter extinguerentur, vniuersum Imperium opprimere potuissent. Nec satis esse Romanorum Regis præsentiam, tum quòd ob Hungariæ turbas illic adesse cogebatur; tum quod semper in more positum fuerat, vt maioris momenti negotia de rebus Imperij ad ipsum Cæsarem deferrentur. Quoniam autem Pontifex post discessum Legati sermonem aliquem habuerat cum recenti Oratore Hispano (sicuti narrauimus, responsa ad illius mandata recensentes) vt pariter Philippus Rex Bononiam conueniret, & Legatus pro exceptis Româ mandatis aliquid ea de re Cæsari significarat, quasi per id impulsurus esset Cæsarem ad illud iter; Ferdinandus respondit: Admodum difficile videri sibi, tantæ molis colossum è tam longinquo eò pertractum iri: sed

1563. vbi succederet, hoc ipsum maiorem prolixitatis necessitatem allaturum, adeoque eò minùs liberum sibi futurum fuisse ipsius aduentum, quando ad tuendam præsentiâ suâ Germaniam adigebatur. Grates à se agi Pontifici ob ea quæ benignè offerebat; sed illò pergere modico sumptu, & infrequenti comitatu, videri sibi dissentaneum Cæsareæ dignitati: quin opus esse, in huiusmodi euentu secum adducere præcipuos Germaniæ Præsules; quod id temporis magno fuisset incommodo illorum Ecclesijs: præterquam quòd difficulter eos à se inductum iri ad Synodum extra Germaniam. Polliceri se quidem Pontifici, vbi primùm sibi liceret, victo quouis dispendio, iturum se ad hoc illi obsequium exhibendum, vt nimirum ab ipso coronam acciperet.

Ad hæc Legatus conquieuit, siue abiectâ spe Cæsaris permouendi, siue satis habens, ne is vltrà calcaribus vteretur ad Pontificem stimulandum; cùm longè maior insit homini sollicitudo mali vitandi, quàm cupiditas noui boni consequendi, adeoque maximæ habeantur inter voluptates tum corporis, tum animi corpore obuoluti, illæ quæ reipsa medicinæ sunt.

CAPVT XV.

Colloquia inter Cæsarem & Legatum super capitibus recensitis; & ipsorum concordia, exceptis tribus, de quibus posteà per litteras ipsi conuenêre: & Moroni reditus ad Concilium.

EA quæ memorauimus, multis vtrimque iteratis responsionibus argumenta præbuere: quæ responsiones cùm ijdem magna ex parte alijs atque alijs vocibus repeterent, plus molestiæ quàm notitiæ lectoribus essent allaturæ. Sed quoniam in mutuis scriptis plurimum superuacanei ponitur, plurimumque necessarij præteritur, quorum vtrumque non nisi in aperta colloquij luce discernitur, efficacissimi nimirum argumenti ad implicatissima negotia conficienda, cupijt Legatus per se coràm agere cum Cæsare, absque Consiliariorum interuentu, qui ad studiosum solertemque animum ostentandum, nouas semper difficultates adnectebant aduersus id cuius gratiâ res tractantur, quod est concordia. Legatus aliâ tempestate gratiosus admodum Ferdinando fuerat, plurimique ab eo habitus, apud quem annos plurimos Nuntium egerat Pauli III. interfuitque Comitijs celeberrimis, maximeque operosis, ad Religionis negotia coactis; posteà verò semper in Aula Romana

mana singulare studium is præsetulerat tum vniuersè in Austriacam familiam, cui subiectus erat, tum peculiariter in ipsum Cæsarem, eiusque negotia. Quare tametsi per hæc postrema tempora nescio quis studuisset illum in inuidiam apud eum Principem vocare, quasi ex ipsius consilijs emanaret suspicio & arctior agendi modus Pontificis in Concilij rebus; numquam tamen in animo miti Ferdinandi vetus beneuolentia extincta fuerat. Et huius argumentum prætulerat in responso Pontifici [a] reddito de nuntijs duarum legationum, quæ Morono recèns impositæ fuerant, nimirum, apud ipsum Cæsarem, & Concilium, adhibitis singularis lætitiæ formulis, Non potuisse destinari quempiam à Pontifice nec sibi gratiorem ex vèteri familiaritate, nec in maiori apud se pretio, ex comperta sibi hominis sapientia, studioque Religionis; adeoque ex huiusmodi electione aiebat polliceri sibi exoptatam afflictæ Christianæ Reipublicæ reparationem. Noua posteà Cæsar edidit argumenta huius in Legatum amoris, cùm primùm illum excepit, mille passibus extra [b] vrbem obuiàm progressus. 1563.

[a] 28. Martij 1563.

[b] Acta Paleotti.

2 Haud difficulter deinde Moronus caliginem omnem, si qua tamen adhuc supererat, efficaciâ linguæ dissipauit, sibique pristinam Cæsaris fiduciam omnino restituit, quæ validissima ad res componendas machina est; idque tunc experimento patuit. Legato semper displicuerat inchoata rerum agendarum ratio, non modò tamquam prolixa, sed tamquam periculosa, cùm Cæsar subinde [c] committeret expendenda suorum Theologorum consilio cuncta capita in horas exurgentia, ex articulis cum Cardinali agitatis per libellos vtrimque mutuò exhibitos. Et quamquam Legatus adiumenta sibi conquireret quorumdam operâ, magis Religioni studentium in eo cœtu, ac præcipuè Staphili & Canisij; tamen præter difficultatem quidquam conficiendi in argumentis propositis, semper sollicitudine premebatur, ne quæstiones procellosæ ac seditiosæ cierentur, cuiusmodi erat, de Pontificis auctoritate. Quocircà veteri renouatâque amicitiâ nisus, Cæsari significauit, eam agendi rationem dissentaneam esse ad componendam concordiam, quam optabat Cæsar ipse, tum ex animi sui probitate, quietem publicam cupientis, tum ex eiusdem amicitia, quam cum Pontifice exercebat. Initos hucusque modos non solùm non conducere, sed obsistere ijs quæ intendebantur. Quapropter res transigendas esse cum ipso Cæsare à Legato, qui sperabat à summa ipsius æquitate ac sapientia, se illi ostensurum, à Pontifice quantum posset ipsi concedi; quod vltrà petebatur, ne ipsius quidem Cæsaris

[c] Cuncta ex plena narratione Legati ad Borrom. scripta Tridēti 17. Maij 1563. & in reliquis scripturis inter ipsum & Cæsarem, à me prolatis.

menti

1563. menti consonare, adeoque eidem de rebus edocto gratam posteà futuram eam ipsam, quam tunc ægrè ferebat, quasi duritiem. Haud difficulter in eo Cæsar Legato consensit; neque hic minores spe fructus decerpsit. Etenim ambo per se ipsos longo arcanoque colloquio de ijs quæ sequuntur conuenere.

Quæstiones superuacaneæ præciderentur, & ea præsertim, in quibus hæretici non aduersabantur Catholicis. Cunctis Patribus plena relinqueretur ad sententiam ferendam libertas, quam Cæsar pollicitus est etiam in ijs qui ipsius personam in Concilio gerebant.

Obsisteretur digressionibus, & modestia in locutoribus exigeretur: quod pariter affirmauit Cæsar, suis ministris à se iniunctum iri. Et eo sanè opus erat: siquidem Ciurelia non cessabat[d] sibi risum seu potiùs fremitum conuentus conquirere inconditis suarum prædictionum dicterijs; adeò vt Lansacus indignatione incanduerit non modò in dicentis petulantiam, sed in Præsidum tolerantiam.

[d] Duæ litteræ Vicecomitis 21. & 29 Aprilis 1563.

Pontifex relinqueret Concilio, sicuti obtulerat, integram ad res decidendas libertatem.

Cùm Legatus ostendisset Cæsari, à Synodo sub Paulo & Iulio, & etiam sub viuente Pontifice emendatas fuisse complures consuetudines minùs consentaneas Aulæ Romanæ; cumque is Legatum rogasset, vt si qui superessent, eorum emendatio perficeretur, non solum id illi promissum, sed multi Canones ostensi sunt, qui iam in eo genere à Præsidibus cudebantur.

Accuratiori solertiâ prospiceretur inordinatæ Episcoporum electioni, & immunitati Collegiorum ab eorumdem Ordinarijs, quæ duo malorum innumerabilium origo erant.

Resciuisse Cæsarem, à disputatione, An mansio Diuini iuris esset, acre certamen succensum, & plurimum temporis absumptum fuisse, vt proinde interdum sibi persuaserit, satius esse ea de re minimè decertari, & solùm Episcopos ad residendum cogi; sed cùm quæstio adeò progressa esset, & propè iam vt decideretur, Cæsarem rogaturum fuisse Præsides, vt ad optabilem concordiam res deduceretur.

Cùm Cæsari renuntiatum esset multis, & multas ob causas, rationi dissentaneam videri vsurpatam hactenus consuetudinem, vt vnicus à Secretis esset, qui res Concilij in Acta referret; rogari amicè Legatum, id cum suis collegis attentiùs expenderet, saltem quò querelæ cauillationesque vitarentur. Et quamquam satis esse videretur Morono vnius opera, qui à Secretis esset, & querimonia rationi dissona; tamen suum apud animum statuit, in eo Cæsari grati-

gratificari, vbi postulato is insisteret: iam enim Ferdinandus declarabat, electionem adiuncti habendam esse Pontificis ac Legatorum auctoritate; adeoque nihil inde detrimenti oriebatur. 1563.

Denique cùm id temporis opportunum non esset, vt Cæsar Bononiam se conferret ad suscipiendam à Pontifice coronam, quò ab illo inuitabatur; non tamen ipsum neglecturum quàm celerrimè posset, æquam illam ac laudabilem maiorum suorum consuetudinem sequi.

Præter hæc scripto tradita, coràm conuenere, si fortè Romana Sedes vacaret extante Concilio, & Ferdinando viuente, illum impensurum suas omnes vires Collegij patrocinio, quò antiquum ius creandi noui Pontificis retineret; de quo Moronus toto legationis suæ spatio sollicitus fuerat, veritus ne quædam ex postulatis eò collimarent.

4 Verumtamen tria, quæ statim exponemus, inter eos integrè non conuenere, quod clariùs patuit ex libello, huiusce colloquij gratiâ tradito Cæsaris nomine proficiscenti Legato. Quare hic perquàm honorificè alioquin habitus, ita vt inuiseretur ab ipso Cæsare [c], ad leuandam illi molestiam eò se famulorum ope deferendi, dum podagrâ laboraret; seque à Concilij necessitatibus reuocatum intelligens, in digressu, die 12. Maij, non destitit eos clauos retrudere, quos nondum firmiter defixos animaduerterat. Sed quoniam per temporis angustias, & illius officij conditionem, sibi non licebat animo suo ac negotio satisfacere, epistolam eodem die ad Ferdinandum scripsit, & per Delfinum Nuntium deferendam curauit, cuius hæc erat summa.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum 10 Maij 1563.

5 Deum à se testem vocari, post obsequium ab ipso tamquam Cardinali debitum Pontifici, & Apostolicæ Sedi, neminem esse cui maiorem obseruantiam, magisque se obstrictum profiteretur quàm Cæsari: eapropter velle tunc se ad ipsum scribere, vtpote ad Principem, cui grates innumeras debebat, & in quo summam benignitatem expertus erat, atque ijs nominibus solito liberiùs eo die cum ipso, sed fortassis æquo breuiùs, collocutum fuisse: porrò angi se ex triplici capite postremi libelli, sibi nomine Cæsareo traditi.

6 Vnum esse, Vt cœtus destinarentur habito nationum respectu; in quo per illud responsum Cæsar se persistere significabat. Non posse in eo vltrà quàm egerint Legati quidquam confici, sicut ipse indicauerat Cæsari, & sicut eidem Cæsari licebat cognoscere, vbi doceretur à Nuntio verum Concilij statum; & rationem Patrum frequentiæ habendam. A quanam æquitate postulari, vt vnus aut alter ex Anglis aut Hibernis auctoritatem obtinerent, triginta Gal-

1563. lorum aut Hiſpanorum auctoritati parem, ne de Italis mutiretur? Non eſſe in Principum, quin ne in ipſius quidem Romani Pontificis poteſtate, in Synodum inducere pluribus inuitis nouum morem, & quadamtenus vſurpatum dumtaxat à Conſtantienſi, cùm ſummus in Eccleſia Pontifex non erat, & à Baſileenſi nequaquam receptum. Præterquam quòd cùm id compendiariâ veluti viâ proponeretur, certum erat ex aduerſo, ſolam tantæ nouitatis trutinam longè diuturnius tempus deuoraturam, quàm inde ex re confecta lucri fieret. Nec ſufficere, quòd affirmaret Cæſar, rem à ſe reponi in Pontificis, Legatorum, & quorumdam aliorum iudicio: nam ſolum rumorem huiuſcemodi ſenſus in Cæſare, ſatis futurum ad graues turbas ciendas, quarum omnem anſam ingenia quædam auidè arripiebant.

Caput alterum eſſe, Declarationem, quam Cæſar poſtulabat, illarum vocum, *proponentibus Legatis*. Id æquè petitum iri, ſi quidquam Legati negligerent in proponendis Principum poſtulatis, ad commoda ſuarum ditionum ſpectantibus; ſed eâ neceſſitate ſubmotâ, ceſſabat etiam omnis ratio vrgendæ rei. Huiuſmodi declarationem acceptum iri quaſi obiectam mutationem; quod non ſine perturbatione plurima, ſimulque abiectione Concilij effici poterat: nec eam declarationem à vocibus, pro eo quod in Decreto tunc ſonabant, poſtulari, perinde ac ſi iuri Principum illæ officerent; ſiquidem in ipſis poteſtas proponendi Legatis impertiebatur, nec auferebatur Oratoribus. Ceterùm vbi ea Oratoribus diſertè adiudicaretur, quînam fieri poſſe vt eadem Epiſcopis denegaretur? Hinc ſatis animaduertere Cæſarem, quantum peruerſionis in tantâ multitudine exoriretur.

Poſtremum eſſe, De Pontificij Comitij diplomate, quod Cæſar iterùm efflagitabat vt Synodo proponeretur. Par non eſſe, vt Pontifex aliorum iudicio ſubderet id quod ipſe maturè & de ſententia præclariſſimorum hominum ſtabilierat; præſertim cùm Patres Concilij parum aut nihil experti fuiſſent opus illud non minùs arduum quàm ſingulare. Numquam ea de re fuiſſe actum in Synodis, niſi præſente Pontifice; nec id innouari poſſe ſine graui Sedis Apoſtolicæ detrimento, præter cunctationem, rixas ac diſcrimina, quæ inde contigiſſent. Si Cæſar exiſtimabat, per eam Conſtitutionem haud ſatis conſuli obſtaculis, quæ Principes inijciebant, & opportunum arbitrabatur vt aliquid Concilio proponeretur, ab eo ſanciendum de ijs quæ ad ipſos ſpectabant, id ageret quod ſibi prudentia ſuggeſſiſſet.

Voluiſſe

Voluisse Legatum ea Cæsaris menti subijcere, quoniam ægrè sibi erat, per suam legationem nec Cæsari nec Pontifici satisfactum iri; & supra modum se cupere, vt à Cæsare etiam in rebus iam memoratis exerceretur pietas, ab eodem exercita in reliquis erga Sedem Apostolicam, & commune bonum, quod maxima ex parte pendebat à felici Synodi euentu, hic verò à coniunctione inter Cæsarem & Pontificem in ijs quæ vellent ac sentirent. 1563.

8 Cæsar quam diximus epistolam humaniter legit, audijtque de ijsdem argumentis loquentem Delfinum. Postea rescripsit die postero Maij decimo-tertio cum plurima tum Legati tum Nuntij commendatione, certoque affirmauit Morono, à se cum hominum viuentium nemine libentius super huiusmodi negotijs actum iri.

Quod spectabat ad cœtus, nationum respectu destinandos, id à se propositum fuisse Legato, quia is consilium ab ipso petierat de præcidenda mora: se sibi minimè persuasisse, vnum aut alterum ex Anglis æqualem obtenturos auctoritatem triginta capitibus aliarum regionum; sed ea quæ selecti Patres digesserant, in Synodum posteà delatum iri, quò pro maiori suffragiorum numero comprobarentur aut reijcerentur. Interim verò id emolumenti decerptum iri, quòd nationes infrequentiores in Synodo, sed indigentiores medicinâ, adeoque vsu peritiores morbi, se minimè neglectas crederent in deliberationibus: hæc autem omnia à se fuisse proposita non volentis in modum, sed consilium exhibentis.

Earum vocum, *proponentibus Legatis*, disertam quidem declarationem à se optatam fuisse; sed quò animum suum patefaceret gratificandi Legato, satis esse, sibi reseruare facultatem communicandi Præsidibus ea postulata, quæ ipse in rem ditionis suæ arbitraretur, vt eorum sententijs auditis, vbi ipse in voto persisteret vt ea proponerentur, illi verò (quod minimè sperabat) hoc recusarent, posset eâ vti facultate per suos administros; quod pariter ceteris Principibus concessum rebatur.

Comitij diploma sibi perplacere: nec aliud à se postulari, nisi vt Pontifex illius obseruationem firmiter stabiliret, simulque opportuna sancirentur, vt effectum fuerat de Cardinalibus, eorumque socijs in Comitio, ita de Principum ministris populoque Romano; quod in Concilio optimè conficiendum censebat.

Verba tandem apponebat ingentis amoris subiectionisque erga Pontificem, cuius iudicio, perinde ac etiam Synodi, aliorumque se peritiorum, sua omnia sensa se subijcere profitebatur.

9 Hæc Ferdinandi responsio eodem die decimo tertio & Nuntio

1563. delata fuit, & ab eo reddita Legato, qui iam Moteram peruenerat, oppidum Oeniponte non dissitum, & probata illi est. Etenim quod nationes adhiberentur vniuersè in deliberationibus, videbatur ipsi non modò nihil noxium, sed conducibile ad ferendam in illis claritatem, facilioremque cunctis reddendam Concilij acceptionem, dummodò non exæquaretur indiscriminatim earum auctoritas in rebus sanciendis ad eleuandam Italorum prærogatiuam. Facultas proponendi permissa Oratoribus cum restrictionibus admissis à Cæsare, æqua eidem videbatur, noueratque Pontifici haud molestam fore. Quod verò ad extensionem diplomatis attinebat, rebatur nihil detrimenti per eam accessurum Pontifici, sed potius onus Principibus, ad quorum Oratores pœnas Synodus ampliasset. Quamobrem absque mora ad Cæsarem rescripsit magno grati animi, lætitiæ ac spei sensu de prospero publicarum rerum euentu: & secundùm hæc, quæ postremò Cæsar significauit, reconcinnata legitur summa rerum, de quibus ipse cum Legato conuenerat, quæ summa illi pridie tradita fuerat, sicut narratum est.

Iam verò huiusmodi rerum tractationis tam variæ, tam nerosæ, tam amplæ, & vsque adeò efficacis Concilio Tridentino, vt fatetur Suauis, profectam hinc fuisse catastrophen à turbis ad quietem; idem ipse, qui huius Concilij historiam scribit, studetque persuadere, latebras omnes secretiores à se summâ curâ exploratas, non nisi tenuem & caliginosam notitiam sibi tribuit. Etenim hoc negotium vix extimè attingit perpaucis versibus: per hos ait ille referri à se quidquid constat ex publicis documentis ibi statutum fuisse. Sed ignoscerem homini, si inter perpaucas illas lineas recta vnica deprehenderetur. At vbi dicitur in prouerbio, *In multiloquio non deerit peccatum*; illic de Suaui dici potest, *In pauciloquio multum peccatur*. Errata ibi recensere longum esset & permolestum: si cui libeat, breuem illam periodum huiusce rei gestæ legat, & singulas quascumque particulas componat cum ijs quæ narrauimus, & cum certis pleniscque monumentis, quæ sunt penes nos, & produci à nobis posse affirmamus.

Ad hanc publicarum rerum narrationem, quasi extra omnem dubitationem à se adductam, arcanum addit, quasi rumorem à fama non leui sparsum id temporis; nimirum, patefecisse Cæsari Legatum, nullum fructum ex Concilio sperari posse. Etenim pro se quisque nitebatur studium præseferre optatæ morum emendationis promouendæ; sed neminem parato esse animo ad illius pondus suscipiendum in ea parte quâ ipse premebatur. Hanc esse eausam

causam cur Pontifex leuem illi manum admoueret, gnarus, efficaciſſimam chirurgiam ab vlceroſis non expeti. Huiuſmodi ratiocinationem, in Cæſaris animum inductam, effeciſſe, vt is ſuperiori ſpe depoſitâ, ſineret Synodum lentè prolabi ad honeſtam ſepulturam. Ita narrat Suauis. Nolo equidem hîc hominem damnare, quòd ſcriptorum illuſtrium exemplo Legatum inducat ea cauſatum, quæ reuerà non dixit, ſed quæ dicere potuiſſet, non omnino aliena ab ea repugnantia, quæ ferè in ſingulis inerat in admittenda perfecta morum correctione in ſe, quam omnes in omnibus poſtulabant. At ſanè per intolerabilem calumniam adſcribit Legato, ipſum affirmaſſe Cæſari, ex Concilio fructum minimè decerpi poſſe: non quoniam hominum vitio præpediretur Conuentus ille, ne vniuerſis nationibus ſanctimoniam afflaret, Adamiq́ue filios ad innocentiæ ſtatum reduceret (quod à nulla Eccleſiæ Synodo, & ne ab ipſo quidem corporato Dei Verbo effectum eſt) deſperandam negligendamq́ue eſſe immenſam bonorum acceſſionem, quam illa ſupra reliquas quaſcumque re ipſa attulit humanæ Reipublicæ. Et quidem an Legatus in animo Cæſaris tunc Synodi curam tepefecerit, palàm fit ex ijs, quæ Ferdinandus eiuſq́ue miniſtri poſteà geſſere, cuncta animorum ſolertiam ardoremq́ue ſpirantia; quod ne Suauis quidem audet inficiari. Verùm vbi præter hæc luſtraſſet diuturnas diſputationes ſuper his argumentis inter Cæſarem & Legatum ad vltimam legationis ſuæ diem, nouiſſetq́ue quàm graui neceſſitate compulſus Legatus prolixam epiſtolam perſuaſoriam ad Cæſarem ſcripſerit ab eo digreſſus, eiuſq́ue efficacitate peruicerit tres articulos tam ponderoſos, ad id vſque temporis inſuperabiles, haud certè in animo ſuo huiuſmodi ſomnio locum dediſſet. Præterquam quod aſſeruantur in Archiuo Vaticano literæ [f] ad Legatum ſcriptæ à Borromæo, poſtquam hic plenè cognouerat de rebus Oeniponti à Legato confectis; quibus litteris affirmat, numquam Pontificem tanto lætitiæ ac voluptatis ſenſu affectum fuiſſe à cuiuſuis alterius miniſtri opera toto ſui Pontificatus tempore, oſtenditq́ue & ſuum & Pontificis animum mirificè inflammatum ad ſacroſanctum illud opus perficiendum; & hanc ſpem aiebat ille collocari poſt Deum in virtute ac pietate tanti Legati: & quamuis inextricabiles ac periculoſæ Oratorum æmulationes honeſtam cauſam porrigerent ſe expediendi; tamen (ſic ille loquitur) *Pontifex aliud quidpiam magis ſalutare non reperit, quàm felicem Concilij exitum; adeoq́; firmam Diuini auxilij ſpem concipit, vt nec humana prudentia, nec mali dæmonis impulſus nocere nobis poſſint, tametſi vt indies magis vigilemus id nos excitat.*

1563.

[f] 19. & 22. Maij 1563.

1563. Sed omittamus quod verum ac verisimile est expendere, & id quod possibile est consideremus. Quînam effici potest, quod Suauis recenset, *rumorem fuisse disseminatum Tridenti, qui pro certo à magis cordatis habebatur, res scilicet magis arcanas à Legato cum Cæsare eiusq; filio Romanorum Rege agitatas fuisse?* Quînam, inquam, id effici potest? quandoquidem satis compertum erat Tridenti non solùm hominibus magis cordatis, sed etiam lippis & tonsoribus, Romanorum Regem tunc abfuisse Oeniponte; vt proinde ipse cum Legato numquam fuerit collocutus, sicut idem Moronus scribit[g] in plena legationis suæ narratione, & vti constat [h] ex responsione memorati Regis ad Pontificem, vbi electionem illius Legati plurimùm probans, significansque sibi pergratum futurum fuisse cum eo agere de salutis publicæ negotio, pro eo quod Pontifex digesserat, subdit, quando id à rebus quæ acciderant prohibitum fuerat, conaturum se pio Pontificis animo aliâ ratione operam conferre. Id sanè perinde est, ac postulare, vt *rumor pro certo habitus à cordatis viris*, tunc futura Suauis vota prædiuinaret, & in ipsius gratiam fabellas componeret. Enimuerò ardua, adeoque admirabilis inuentorum ars est, vtpote adstricta ad tria absurda euitanda, quæ coniunctim facilè vitari possunt, confingere res inter se oppositas, notorijs contrarias, credibili repugnantes.

g Tridento 17. Maij
h Vienna 10 Maij 1563.

CAPVT XVI.

Villemeurius ad Cæsarem missus à Lotharingo, & mandata illi tradita de rebus Concilij, & de Oratorum æmulatione; & responsa Cæsaris. Colloquia inter Lotharingum & Nauagerum, & amicitia inter eos impulsu Pontificis contracta. Musottus Româ reuersus. Litteræ Scotorum Reginæ à Lotharingo redditæ Conuentui generali. Eiusdem Lotharingi allocutio: ipsius & Granatensis in cœtu sententiæ de electione Præsulum Ecclesiasticorum, & de alijs argumentis.

MOroni legatio ad Cæsarem, sollicitum Lotharingum habebat, veritum ne Princeps ille, quippe flexanimus & humanus, indulgeret aut supra ipsius votum, aut ipso inconsulto; adeoque in se redundarent vituperationes & odia ex præterita agendi duritie. Idcircò triduo postquam Tridentum redierat, Villemeurium [a] ad Ferdinandum legauit, vt illum sui reditus certiorem

a Vide in memorato libro Gallico mandata à Lotharingo tradita 23. Aprilis, & responsum Cæsaris 3. Maij.

tiorem redderet, suorumque Theologorum sententias ad eum mitteret super memoratis Cæsaris articulis; ipsum opportunè cohortatus, vt in rebus cum Legato transigendis sensus suos religionis plenos in Ecclesiæ rem præstaret, & ab eodem petens tum vt secum communicaret quæ in illis colloquijs digererentur, tum ne per aliquod temporis spatium recederet Oeniponte, quò propinquior in Synodum vim influeret; quod aiebat communi illorum Patrum voto appeti. Misit etiam ad ipsum epistolam à Scotorum Regina sibi scriptam, quâ illius in Religione constantia exprimebatur. Significauit denique, se ad exequenda Cæsaris postulata proposuisse Gallorum Reginæ, vt aliquâ ratione ab ipsa consuleretur difficultati inter Oratores; ab ea verò ita responsum: A Regina tenerè amari Regem Hispaniæ filium suum (sic illum, quippe generum, appellabat) optarique, vt non modò illi honor seruaretur, sed etiam augeretur, Si penes ipsum fuisset possessio, vt eius Oratores supra Regis Christianissimi Oratores locum haberent, numquam in mentem Reginæ venturum fuisse, vt illum adimeret: sed compertum esse ex omnibus Concilijs, Oratores Gallici Regis consedisse supra ceteros, infra Cæsareos, ac præcipuè supra Hispanici Regis Oratores: ita in Constantiensi celebrem Ioannem Gersonem, tamquam Christianissimi Regis Oratorem, in primo loco adfuisse, & infra ipsum sedem acceptam à Raimundo Floh Cardonæ Comite, Alfonsi Regis Oratore: & in postremo Lateranensi sub Leone X. dum Ferdinandus, cognomento Catholicus, cuncta regna possidebat, quibus in præsentia potitur Philippus Rex, eius pronepos, Hieronymum Vichium Ferdinandi Oratorem liberè cessisse in octaua, nona ac decima Sessione Aloysio Solierio Oratori Regis Ludouici Duodecimi. Non licere Reginæ eâ Regis Caroli pueritiâ se ad res nouas inflectere cum filij nationisque detrimento. Eâ expositâ responsione Cæsarem rogabat, vt auctoritatem suam interponeret, quò Lunensis consuetis acquiesceret, illi pollicitus, in reliquum se suique Regis Oratores cunctis honoribus Lunensis fauturos, cunctasque ipsius petitiones promoturos. 1563.

2 Cæsar absoluto per consuetam gratiarum actionem primordio, respondit, Nondum in negotio cum Legato adeò se progressum, vt quidquam suppeteret quod cum Lotharingo communicaret: sed pro certo illi affirmare, se ad promouenda Ecclesiæ emolumenta constanter operam nauaturum. Huiusce rei gratiâ velle diutiùs Oeniponti subsistere quàm reliquarum suarum rerum procu-

ratio

1563. ratio postulasset. Nolle se de superiori inter Oratores gradu diiudicare, aut disceptare, sed reuocaret in mentem Cardinalis ea quæ ipse secum egerat, Gallos suâ veteri possessione minime spoliari, vbi in antiquo loco relinquerentur, & concederetur Hispano quædam extra ordinem sedes. Eapropter optare se, vt ipsi per se Oratores extra suorum Principum operam amice fraterneque rationem aliquam inirent ad rem componendam, ad quod enixè Lotharingum rogabat, vt neruos omnes intenderet. Hæc Ferdinandus.

Tametsi Legatorum Princeps Oeniponti moraretur, non desistebant Galli [b] suis stimulis morum emendationem vrgere; & Lansacus Nauagero dixit: Cùm ipse Regis Orator ad ea negotia Romæ degeret, compertum à se fuisse, Pontificem tam benè animamatum ad Ecclesiam reformandam, vt in Galliam regressus regnum vniuersum eo nuntio exhilararit: nunc verò se tristari ex animo, quòd cerneret tam lentè rem progredi: & quando Dei consilio Nauagerus ad munus illud obeundum missus fuerat, ipsum à se rogari, vt dignaretur celeriter opitulari tantæ necessitati, tantisque votis Christianæ Reipublicæ, ac potissimùm Galliæ. Sic ille. Ad quæ Legatus: Numquam ab Oratore tam vehementer commendari posse huiusmodi procurationem, quàm impensè à Pontifice fuerat commendata. Nescire se præteritæ cunctationis rationem reddere, quippe in ijs negotijs nouum; sed se vadem futuri constituere, vbi primùm collega remigraret: interim autem à selectis Patribus argumenta præparari.

[b] Litteræ Legatorum ad Borrom. 3. 6. & 10. Maij 1563.

Ardentiùs cum eodem Legato, & ijsdem de rebus egit Lotharingus. Etenim vti animi commotio moræ impatiens est, nè tantisper quidem quiescebat, dum Moronus rediret. Itaque cùm ea mora dies aliquot vltrà quàm crediderat protraheretur ex significato per litteras podagræ impedimento, vnde & negotij processus, & illius reditus claudicabant, oportuit re ipsa proponere digestas emendationes conuentui, antequam primus Præsidum interesset: sed patefaciens Lotharingus veram inquietis suæ causam, initium fecit apud Nauagerum ex laudibus Mantuani demortui, à quo dixit sibi fuisse concredita negotia, quoad illi licuisset; at verò reliquos Legatos ostendisse, non pluris ipsum à se fieri, quàm simplicem quempiam Episcopum: ipsum sibi polliceri, aliâ secum ratione Nauagerum acturum; & è conuerso eumdem à se certum fieri de ijs quæ à se conscientia postulabat: conditionem ac familiam suam nunquam sibi permissuras, vt vllum Ecclesiæ emolumentum negli-

negligeret; non tamen propterea oblitus suæ patriæ commoda, 1563.
suique Principis mandata.

5 Ad postremam partem respondit Nauagerus: A se paratissimum ad habendam illi fidem animum geri: rationes enim, quæ Lotharingum impellere poterant ad coniunctionem cum Apostolica Sede, tam validæ, tam apertæ videbantur, vt non modò Principi tam solerti, sed oculo longè minùs perspicaci eas intueri licuisset. Quod ad priorem partem spectabat; cùm sibi postremus & gradu & auctoritate locus inter collegas deberetur, paruam quoque pollicendi suo nomine facultatem inesse; multum tamen confidere, cunctos conaturos ipsi gratificari eumque honore prosequi. Non omisit Lotharingus in eo colloquio potentiæ suæ opinionem attollere, ostenditque, adstrictam à se fuisse intimam fiduciam cum Cæsarianis, cum Gallis, & cum Italis; præsertim verò affirmauit, inter Gallos & Lunensem summam concordiam intercedere, eosque iam inter se de loco conueniisse, adeoque nemo sibi persuaderet, inde fomitem desumptum iri ad dissidia inter ipsos succendenda. Et sanè studuerant Galli huiusmodi persuasionem alere pro sua virili parte [c], vocato idcircò ad conuiuium Lunensi, priùs à Lotharingo, dein à Lansaco, simulque exhibitis cunctis studiosæ honorificentiæ argumentis. Sed res ipsa paulò pòst duo patefecit: hanc coniunctionem se habere contrà quàm se habeat coniunctio inter partes corporum grauium extra suum locum, quæ ita copulantur, vt tamen singulæ singulis impetum faciant, quò infra illas abeant; Pontificios verò non solùm non aspirare ad mala disseminanda inter duorum illorum Principum ministros, sed per summum laborem auertere potuisse ea mala quæ imminebant publicis rebus ex hac illorum controuersia.

[c] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 8. & 10. Maij 1563.

6 Pontifex excepit lætus, à Lotharingo hunc aditum aperiri Nauagero Legato ad eius consuetudinem ac fiduciam: siquidem inaudiuerat, priùs quàm id accideret, à Vicecomite [d], ac posteà à Musotto, illum suspicionibus in Gualterium agitari, eiusdemque pertæsum esse. Quare ad Præsides scribi iussit, vt eo sequestro relicto, amicitiam inter duos memoratos Cardinales nullo interposito curarent. Et quidem inter Legatos non nisi Nauagero id committi poterat: duo quippe antiquiores parum existimatione, minusque beneuolentiâ pollebant apud Lotharingum; Moronus verò nihil eidem acceptus erat, vt qui Moronum læserat, & ab eo victus fuerat, cùm idem de Morono fuisset perperàm locutus tamquam de noxio apud Pontificem Consiliario in rebus Concilij, & cùm ipse,

[d] Constat præcipuè ex epistola Vicecomitis ad Borromæum 19. Ap. 1563

1563. eiusdem æmulus in munere Præsidis consequendo, fuisset illi posthabitus. Lotharingi animo tam alieno accesserant recentes nuncij, ad ipsum delati [e] litteris Episcopi Senetensis, Oratoris Gallici apud Cæsarem, Moronum sibi dixisse, ministros Gallicos iniuste conqueri de Legatis, quòd Synodus non esset libera, cùm ab ipsis potiùs durâ premerentur seruitute Præsules Galli, in eos vociferantibus si quando ij Oratoribus haud prorsus obsequebantur, & sanè ad conuentus nationis suæ ipsos aduocantibus, de quo complures ex illis Episcopis secum conquestos fuisse. Quâ accusatione rebatur Lotharingus se omnino peti, vtpote illius phalangis ducem. Contrà verò Nauagerus, animi affectionibus ac patrâ nulli addictus, purus omni tincturâ præteritarum æmulationum ac certaminum, probitate ac prudentiâ plurimi habitus, & in negotio moderatissimus, videbatur quasi quædam variarum dotium conflatio, aptissima ad hunc mercurium defigendum. Et sanè huiusmodi familiaritati inchoatæ tempori accidit reditus Musotti, qui [f] per singularem humanitatem habitus à Pontifice, acceptisque optimis ad res propositas responsionibus, quę perhonorificis erga Lotharingum verbis condiebantur, nuntios reportauit, quibus eius acerbitas plurimùm mitigata est, & cunctis Gallis vniuersè satisfactum.

[e] Litt. Gualt. ad Borrom. 30. Ap. 1563

[f] Litt. Gualt. ad Borrom. 30 Aprilis & 3. Maij, cum alijs Vicecomit. ad eumdem eodem tempore.

Interim opportunitas accidit Lotharingo officij grati simul & honorifici præstandi. Delata ipsi fuit epistola Mariæ Scotorum Reginæ, sui fratris filiæ, & olim vxoris postremi Galliæ Regis, ad Synodum scripta. Quare ipse petijt, vt liceret sibi eam reddere in Conuentu generali, sicut obtinuit die decimo Maij[g]. Ibi excusabat se Regina, quòd Episcopos ad Synodum mittere nequaquam posset, & tum ipsi tum Apostolicæ Sedi perpetuam obedientiam pollicebatur. Epistolâ recitatâ, Lotharingus oratione magnificâ, tametsi minimè præconceptâ (sicut ipse affirmauit Massarello, qui à Secretis erat, illius exemplar petenti) amplificauit Reginæ dignitatem, nobilitatem familiæ, animi pietatem, labores ab ea toleratos ad retinendam in eo regno Religionem, illius calamitates propter hæreticos: non illi licere Præsules Oratoresve illinc ad Synodum mittere; scripsisse tamen ad paucos quosdam suæ nationis Episcopos, qui exules degebant in Gallia, vt eò conuenirent, pro eo ac futurum sperabat: sed procul dubio velle se subijcere ijs omnibus, quæ ab eo sanctissimo Conuentu sancirentur, tamquam obsequentem Sedis Apostolicæ filiam. Responsum est à Massarello per eas formulas, quæ tam religiosam ac diuexatam Reginam, simulque conditionem orationemque sequestri decebant.

[g] Litteræ Legatorum ad Borrom. 6 & 10. Maij 1563 & Diarium 10 Maij, vbi relata est responsio Synodi ad Lotharingum.

Magis

8 Magis tamen memorabiles extitere, quod spectat ad hanc historiam, Lotharingi negotiosæ id temporis sententiæ, quàm officiosæ allocutiones. Digesta iam erant à delectis Patribus capita super emendatione corruptelarum in Ordinis Sacramento. Vnde statim compertum est, quantum correctio, ab Oratoribus adeò efflagitata, generatim ab ipsis recusabatur, vbi ad peculiaria deuentum est. Cum enim ageretur in primo capite de Episcoporum electione, ibique probationes plurimæ [h] testificationesque postularentur de illorum promeritis, qui Romano Pontifici essent ignoti, Lunensis apud Legatos institit, vt ea capita contraherentur, ne proponerentur volumina, tempusque prodigè profunderetur in prolixas disputationes: quod cum illi excusarent, aientes, id omnino selectorum Patrum munus esse, subiecit Comes, ab ipsis committendum illis Patribus, vt ea contraherent: sed Præsides non assensere, postulato ad deliberandum spatio, ne ipsis posteà obiectaretur, Concilium non esse liberum, quemadmodum præ ceteris vociferari consueuerant Oratores. Ac postremò detectum est, id quod Lunensi dolebat in paratis capitibus, qualitatem esse, non quantitatem: quoniam per eas peculiares conditiones probationesque, ad Episcoporum creationem quæsitas, potestas regia in ijs nominandis admodum restringebatur. Quapropter Lusitanus, cuius pariter idipsum intererat, liberè postulauit, vt primum illud caput omnino tolleretur: sed fieri non poterat, vt tanti momenti res omitteretur. 1563.

h Forma horum capitum propositorum in cœtu 12. Maij 1563. extat in Actis Arcis Æliæ: reliqua apparet ex epistola Legatorum ad Borromæum 28. Aprilis, & ex altera Vicecomitis eodem die.

9 Iam verò Lotharingus, qui pro more auctorem se potiùs quàm comprobatorem esse cupiebat, animum conuerterat ad formanda, loco iam digestorum [i], alia quatuor capita de eodem themate, vt ea proponeret. Quoniam autem id recusabant Præsides, tum ne iniuria inferretur Patrum muneri, quos Conuentus delegerat, tum ne prærogatiua concederetur cui Conuentus eam non tribuerat, ægro ille animo id ferebat. Denique conuenit, vt primo loco scriptum selectorum Patrum adduceretur, atque vt posteà Lotharingus in sua sententia dicenda alterum arbitratu suo proferret in medium. Ita in cœtu vniuersali die duodecimo [k] Maij peractum est. Lotharingus verò, qui primus omnium dicebat sententiam, scriptum longissimum recitauit, non tamen integrum, sed tantùm super quatuor ex propositis capitibus, locuturus de reliquis, vbi Patres dicendi finem imposuissent. Quod supra modum displicuit Episcopis, tum Hispanis, tum Italis: quemadmodum quidquid insolitum est in negotijs, virisque summis, artificij speciem præfert, & causat suspi-

i Ex vna Gualterij ad Borromæum 3. Maij 1563

k Litteræ Legatorum ad Borrom. 13. & 14 Maij 1563. & duæ Gualt. 12. & 16. Maij; & Archiepisc. Iadrens. 13. & 17. Maij, præter Acta Arcis Æliæ.

1563. suspicionem. Sed Præsides arbitrati ad consueta illum deducere, mutuam in ipso suspicionem exciuerunt; & dum dimouere student, confirmarunt. Contigit tamen, vt is paucorum tantummodò auditis sententijs, quæ de sua supererant exponeret, quod à se factum indicauit, quia sibi satis erat Archiepiscopum Hydruntinum audiuisse, quem præcipuè suspicabatur destinatum à Legatis ipsi aduersarium. Et sanè Hydruntini dissertatio egregijs laudibus apud Borromæum ab illis celebrata est.

Eorum quæ Lotharingus protulit, hæc summa fuit: A delectis 10
Patribus arrogatam sibi fuisse potestatem ipsis neutiquam concessam; quippe colligentibus eos abusus, de quibus collibitum ipsis 11
fuerat Canones componere; adeoque liberum esse singulorum conscientijs nouas appendices adijcere: primo loco rite statuendum, quænam essent desumendæ notitiæ de Episcopis promouendis, & quas dotes tum in ipsis, tum in alijs minoris notæ ministris Dominus postularet: ad id varia Scripturæ effata considerauit. Electionem Episcoporum tunc vsurpatam à Romano Pontifice, improbauit tamquam imperfectam, simulque nominationem Principum & Capitulorum, tamquam pernicioſam, plerumque absque consilio habitam, nec infrequenter vtilitatis gratiâ. Verumtamen perhonorificam Caroli V. & Philippi Regis mentionem fecit; sed addidit, adeò cordatos Principes sæpè non reperiri. Scotorum Reginæ non pepercit, ratiocinatus: Si vetantur mulieres in Ecclesia loqui, quantò magis Præfectos Ecclesiæ destinare? Nec se ob reuerentiam in suum Regem cohibuit, ne pronuntiaret, se, tametsi veterem Regis Consiliarium, & ab eo summis beneficijs affectum, à conscientia compelli, vt fateretur, in Episcopatuum distributione plurimum erratum fuisse. Et quò in hac eadem confessione laudi verteretur ipsi id quod in aliorum exprobratione poterat ipsum perstringere, inter illa errata connumerauit, sibi decimum quartum annum agenti concessas Infulas. Neque pariter sibi probari habitam à populo electionem, sed exquirendam esse formam quamdam, accedentem, quoad fieri posset, ad formam à Christo & Apostolis traditam: tum quatuor Canonum, quos ipse excogitarat, summam proposuit. Postremùm acriter inuectus est in Episcopos ex mero titulo, præsertim cùm interdum duo Episcopi ac duo Patriarchæ eiusdem ciuitatis constituantur, vt Constantinopolis, aliarumque vrbium in Græcia: & quamquam eorum alter esset schismaticus, tamen Confirmationis, Ordinumque collationem ab illo exercitam ratam esse. Sperandum, Græciam tandem reconciliatam fore,

quo

quo euentu quînam fieri posse, vt duo eiusdem Ecclesiæ sponsi Concilio interfint? Episcopos titulares, perinde ac alios, iureiurando se obstringere in sua consecratione ad concionandum populo sibi commisso; in quo Spiritui sancto mentiebantur, quippe contrarium propositum habentes: aut illos sacris Ordinibus initiandos non esse, aut mittendos ad suas diœceses, quamuis infidelibus dominis subiectas. Cùm Episcoporum sit, paratum animum gerere ad martyrium pro suo grege tolerandum, quemadmodum egerant Episcopi Redemptoris ætati propinquiores; idcircò huiusmodi laruas ab Ecclesia esse remouendas. 1563.

11 Cùm secundò suam sententiam absoluit, dixit, Absurdissimum esse, Cardinalibus Diaconis Episcopatum committi; abominandum siquidem est, vt is Episcopatum obtineat, qui Episcopus esse non vult: dissonum pariter esse, tametsi tolerabilius, Ecclesias commendationis titulo tradi Cardinalibus Presbyteris, quibus tamen illic residendum esset; tametsi satiùs fuisset, vt Presbyteri forent Presbyteri, non Episcopi: si Ecclesias cuperent, veri Episcopi euaderent, easque ex Episcopi titulo, non ex commendatione suscipierent: se præstò esse ad Rhemensem dimittendam; ita tamen, vt si Cardinali fas non esset Episcopatum retinere, libentius purpureum pileum deposuisset, quò suæ Ecclesiæ deseruiret. Atque hinc arrepto argumento ad loquendum de Cardinalibus, censuit, non ante vigesimum septimum ætatis annum eos esse creandos, aut saltem ætate Diacono præscriptâ, cuius defectus tam honorifico paludamento supplendus non erat. Oportere Episcopos consecrari, & eos potissimum qui aderant Synodo, cùm hæreticis graui esset offensioni, quòd in causis Religionis ij iudicent, qui potestatem imponendi manus non habent, & penè sunt laici. Eapropter Decretum edendum esse, vt ij aut consecrarentur in præsentia, aut Episcopatu priuarentur, aut certè iure suffragij in Synodo. Progressus est dicere: Cùm ignota Ecclesiæ quingentos annos fuissent legum laxamenta, ac posteà tam nequiter vsurpata, consultiùs à se putari, si quinque aut duos annos ab illis abstineretur: & aduersus laxamenta protulit consilium Pauli III. datum ab illo celebri delectu Cardinalium, Præsulumque, ac posteà per typos vulgatum, de quo amplè suo loco disseruimus. Functiones quatuor Ordinum minorum constitutas initio fuisse optimo consilio, adeoque eas esse repetendas, exercendasque re ipsa in Ecclesia: atque ad id produxit libros eiusdem Osij Cardinalis, & Ayalæ Segouiensis Antistitis, priorem rogans, vt id temporis auctoritate perficeret,

1563. ret, quod aliàs Religionis studio idem optarat. Hæc illius fuit sententia.

l Acta Arcis Æliç 5. Maij, & epist. iam producta Gualterij 16 Maij.

Dein Granatensis locutus, Lotharingo penè concors [l] fuit, nactusque apertum aditum ad differendum de Cardinalibus, in hanc sententiam dixit: Dum agebatur de Ordine, Synodusque potestatem in omnem terrenam potentiam obtinebat, excepto Summo Pontifice, qui tamquam numen quoddam in terris erat, & omnia Synodi Decreta censeri poterant ab ipso Pontifice confecta, quippe ab illo confirmanda, consentaneum sibi videri, vt de Cardinalibus, eorumque conditionibus & electionibus ageretur: non quòd hæ procederent à Pontifice, idcircò in Concilio reticendas; id vbi esset, silentio quoque fuisse prætereundos Episcopos, qui pariter eliguntur à Pontifice. Improbauit, ab ijs, quorum erat assistere Romano Pontifici, illum eligi, eosdemque complurium grauissimorum munerum vinculis obstringi; committi prætereà curam Ecclesiarum cum tanto salutis ipsorum discrimine: si tamen eas vellent, ex titulo, non ex commendatione illas susciperent, sicuti Lotharingus monuerat; & rationi dissentaneum esse, vt ij Diœcesibus remotis præsiderent, simulque Romæ perpetuò degerent. Hæc à se dici, non quòd fructum ipse speraret (in quo experimur, infelici præsagio felicem exitum apponi) sed quòd Dei gloriam existimaret, vt vna saltem vox audiretur, quæ id Concilio exponeret. Damnauit similiter vsum Episcoporum titularium, quos Ecclesia primæua ignorauit. Pluribus posteà inuectus in immunitates ac retentiones, vulgò *Reseruationes*, quas Apostolica Sedes concedebat, vocabula, vt ipse affirmauit, Ecclesiæ veteri ignota. Offensum se nonnumquam grauiter fuisse, dum consideraret, leges esse temporarias, immunitates verò ac retentiones, quæ sunt legum laxamenta, esse perpetuas, & reperiri sacerdotem aliquem in Hispania, & etiam in India, cui iudex competens non esset nisi Romæ. Concluſit, Potuisse aliàs putari tempus opportunum immunitatibus ac retentionibus; tunc verò tempus adesse restituendi Episcopis quod suum erat. Quandoquidem humana imbecillitas in animorum tum affectionibus tum sensibus minimè sperabilem reddit temperationem, boni publici seruatricem, conducibiles sunt contrariæ exuperantiæ, siquidem hæ sese inuicem obtundentes, rem ad mediocritatem deducunt.

CAPVT

CAPVT XVII.

1563.

Multa Suauis vitia. Agitata Tridenti ac Romæ de prærogatiua inter Oratores duorum Regum, & inita pro cœtibus concordia. Sententia Archiepiscopi Lancianensis aduersus contumaciam absentium Germanorum; & lis iterùm excita per eam occasionem de facultate Procuratorum in Concilio. Moronus Tridentum reuersus: noua prorogatio vsque ad decimum quintum Iunij.

1 ADeuitandam interruptionem narrationis, molestam lectoribus, omisi pluribus in locis frequentem Suauis malitiam notare; & tamen ne illam obliuiscar oportet: etenim obtrectatio eiusmodi vim obtinet ad persuadendum, vt humanæ fidei possessionem adipiscatur, vbi recentes in memoria non vigent exceptiones contra testem maledicum.

Affert ille epistolam, à Soto scriptam ad Pontificem, quâ ipsum cohortabatur ad assentiendum, vt definiretur, mansionem institutionemque Episcoporum esse iuris Diuini; & diuersus ab illo qui è vipera medicinam extraxit, nititur è laude vituperationem extorquere, narrans, à plerisque tunc fuisse perpensam eximiam probitatem illius viri Deo mancipati, temporisque conditionem, nullius suspectam fraudis, in qua scriptum illud dictauit. Benè est: Duæ quas diximus opiniones Soti Apostolicæ Sedi non aduersantur, nec ipsa sui etiam studiosos vetuit illas tueri, tametsi studeret id temporis earum definitionem declinare, ne id quod verum est, ab hominibus seditiosis adhiberetur quasi vncus ad falsum. Sed cur ille silentio præterit, Sotum in eadem epistola profiteri supremam Romani Pontificis auctoritatem supra Concilium, & auctorem esse, vt id apertè pronuntiaretur, refellentem oppositum opinamentum, tamquam schismatum seminarium? & tamen hæc est columna præcipua, quæ sustinet Vaticanum, hoc est arcem illam, aduersus quam singulæ Suauis periodi singuli quasi cuniculi sunt.

2 Præterea scribit id quod legit in litterarum volumine Vicecomitis ad Borromæum [a]: cùm Granatensis cum alijs Hispanis Episcopis Lunensem adijsset, abeuntibus deinde duobus ex illis, ipsum in duos illos oblocutum fuisse formulis aspernantibus, vtpote in eos qui se abduci sinerent ab aliorum voluntate, nec ampliùs prodesse, quàm ad numerum exaugendum, eumdemque subdidisse,

[a] 18. Maij 1563.

1563. disse, vbi decernendæ res essent pro maiori suffragiorum numero, sicuti hactenus, parum bonæ spei concipi posse, adeoque oportere vt non hominum, sed nationum ratio haberetur. At verò cur obtegit silentio, eumdem Granatensem verbis grauidis apertisque affirmasse, sicuti ostendimus, in cœtu Generali, Romanum Pontificem Concilio non subiacere, & esse numen quoddam in terris? Præterquam quòd animaduertendum à Suaui fuisset, à se per huiusmodi narrationem suam imprudenter proprias ipsius machinas percelli, si maior numerus aduersus Granatensem pugnabat, nimirum pro sententijs Pontifici propitijs. Igitur ipse, & non Pontifex, intendebat libertatem Concilij violare, cùm in omni communitate magis integra libertas non sit, quàm vbi prævalet id quod maiori parti probatur; adeò vt adnotauerit Seneca, in Rerumpublicarum diuisionibus abijsse in adagium, *Maior pars pro me stat*, tamquam argumentum causæ pro se legitimæ, & seditiosæ ex parte contrarij; præsertim cùm duo illi, de quibus loquebatur Granatensis, Hispani essent, & non Itali.

Inducitur à Suaui Lotharingus, affirmans in sua exposita sententia, munera Episcopi & Cardinalis inter se repugnare, & ideircò improbans, Cardinales simul Episcopos esse: at verò Lotharingus oppositum apertè pronuntiauit. Inducit eumdem etiam multa dicentem, quæ ille non dixit, & multa valdè grauia reticentem, quæ ille non reticuit. Omitto, nihil à Suaui memorari de illa diuisione differendi duplici tempore, quæ adeò fuit oppugnata: sed pro certo assumit, cuncta in vnico cœtu fuisse prolata. Subijcit, in aliorum sententijs nihil notabile auditum; adeoque ignorat quæ ab Archiepiscopis Lancianensi & Granatensi dicta sunt, de quorum altero paulò antè sermonem habuimus, de altero breuî habebimus. Vnde quoque originem ignorat laborioſi cuiusdam litigij, Lancianensis causâ, quod ille alij falsoque principio adscribit.

Iam verò historiam prosequamur. Lunensis Regis animum eiusdem nomine luculenter significarat, paratum ad Sedi Apostolicæ fauendum; nec Piscarius destiterat hoc ipsum inculcare, detento illic Pagnano, qui à Secretis erat, diutiùs quàm alioquin opus esset [b], quò in nouum Oratorem salubres sensus affunderet, nec sub primum accessum illum permouendum relinqueret impressionibus quorumdam, dissidentium potiùs quàm Religioni studentium; simul etiam suis litteris illius causæ patrocinium commendarat nonnullis Patribus sibi magis intimis, meliusque animatis-

[b] Multæ litteræ originales Pagnani ad Piscarium.

tamen

tamen Lunensis animus, inter contrarias quæ sibi ingerebantur notitias atque consilia, adhuc anceps diuisusque pendebat. Sed non minorem illi sollicitudinem propria causa quàm communis incusserat. Quamuis vulgarent Galli, se cum Hispanis coniunctos, dissensionemque de loco iam compositam; & tamen reuerà vt cùm maximè incomposita persistebat, quin potiùs periculum tumultuationis fuerat postridie quàm Lunensis aduenerat. Etenim cùm in eum diem incideret tertium Paschatis festum[e], adeoque solemnis haberetur in templo maximo celebratio, Lunensis incerto pependit animo num illic adesset; de quo admonitus Didacus Sarmentus Episcopus Asturicensis, conatus est pro virili Comitem remouere: & obseruatum est, eo manè Lansacum solito seriùs ad functionem aduenisse, ex eo fortassis, quòd hoc ipsum æmuli consilium subodoratus, voluerit priùs de re certior reddi, & non pergere in templum ad confligendum; quemadmodum prudentis est consilij, ne is, qui nouit in aperto pro se rationem stare, cœco violentiæ iudicio sententiam committat. Quare in eiusmodi euentu non aliò confugisset nisi ad contestationes præconceptas, quas ad Præsides mitteret, sibi cauturus, vbi illi auctoritate suâ ipsius possessionem haud tuerentur. Sed Lunensis se ab accessu abstinuit, vulgauitque, non anteà sibi innotuisse, solemne sacrificium eo die in templo primario celebrari, cùm pietatis simul & curiositatis gratiâ sibi venerat in mentem eò se conferre. 1563.

[e] Variæ litteræ Viceconitis ad Borom. 19.22. & 28. April. & 8. Maij 1563. & Acta Salmanticensis.

§ Iam verò tum ipsi, tum Hispanis communiter consentaneum videbatur, à Pontifice acriori curâ interpositum iri auctoritatem suam ad aliquam honestam concordiam ineundam. Sed Pontifex summâ moderatione in eo vtebatur, gnarus, quantum non modò Rex, sed Regnum Galliæ offenderetur ex quouis leui attractu huius quasi ipsorum pupillæ; nec opportunum consilium ratus, ansam à se præberi compluribus seditiosis ingenijs in ea regione, attollendi veluti speciosum vexillum honorem nationis, ad ipsam abalienandam à Sede Apostolica, quasi hæc cuperet antiquis prærogatiuis Galliam spoliare. Ex altera parte conquerebatur Philippus Rex, quò ipse constantior esset in retinenda Pontifici obedientia, eò minùs constanter se gerere Pontificem in retinenda ipsius dignitate: atque ea de re acerbam epistolam scripsit ad Oratorem Vargam, in qua dicebat, Si tunc vt Dei causæ seruiret, dignitatis suæ rationes in Concilio neglexerat, eo absoluto amotum iri à se Româ suum omnem Oratorem. Quâ epistolâ mirum in modum commotus Pontifex, ad se purgandum respondit: Hispanienses ipsi per

6153. suam fidem disertè proferrent, quæ confici ab ipso possent absque ijs perturbationibus ac tumultibus, à quibus ijdem supra ceteros abhorrebant. Et sanè Lunensis ipse illius epistolæ Regiæ sententiam tamquam nimis acerbam improbauit, sapienterque considerauit, par non esse, vt Principes ad ea denuntianda progrediantur, quæ fortasse numquam prudenter efficienda putabant, ne eo pacto minarum suarum æstimationem eleuent. Itaque nullo peculiari Pontificis mandato tunc accepto, nec innouandi facultatem obtinentibus Legatis, consilium opportunum haud suppetebat. Primùm apud se Lunensis statuerat cœtum adire medius inter duos Oratores Cæsareos, pro eo quod ipsi in mandatis habebant, & è regione Legatorum omnes tres tantisper stare, dum ipsius litteræ legerentur, ijsque lectis confestim abire: sed ea ratio interueniendi conuentui, insolens, & quasi nebulosa, nec honorifica Regi, neque grata Concilio videbatur. Dein agitatum est, ne Galli eâ vice ad conuentum accederent: sed illi reluctabantur, ne locum vel vnico quidem die desererent: præterquam quòd nec voluntaria Gallorum absentia per diem vnicum, discordiæ componendæ satis erat: Hispanus enim acquieturus non fuisset perpetuo postmodum exilio à conuentibus. Verùm sicuti forma mixti, quæ inter varia elementa dominatum amat, plurimum valet ad consocianda contraria illorum ingenia; ita non parum contulit ad mitigandam Gallorum austeritatem procliuis Lotharingi animus, huiusmodi discordiæ cupientissimi, vt qui maximum emolumentum existimabat suæ dignitati suisque consilijs accessurum ex aliquo suorum fœdere, saltem per speciem, cum Hispanensibus ac Cæsarianis, cuius fœderis ipse auctor esset & rector, ad quod persuadendum nullum lapidem non mouebat. Ipsius igitur auctoritas, Præsidum studijs accedens, effecit vt lis componeretur pro cœtibus modo aliàs proposito [d], videlicet, vt illic Oratores Gallici gradum pristinum retinerent, Hispanus verò sederet extra ordinem, prope eum qui erat à Secretis, ex aduerso Legatorum.

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum 20. Maij 1563.

Non mediocriter optabant Hispani, vt eâdem operâ iniretur aliqua ratio pro Sessionibus, & pro sacris celebrationibus in templo maximo; sed nullo pacto confici id posse videbatur, ob causam alibi memoratam, cùm illic ritus quidam adhiberentur, cuiusmodi sunt thuris suffitus, & iconculæ paciferæ ad osculum porrectio, in quibus dissimulari non poterat prærogatiua. Et quamquam dissereretur de duobus paciferis iconculis, duobusque thuribulis eodem tempore adhibendis, Galli quacumque propositâ æqualitate

freme-

fremebant; & vbi in eo se premi à Legatis sentirent, minabantur se prouocaturos ad futurum Pontificem, non iniustum, nec vlli partium addictum, & ad Synodum liberiorem. Quamobrem necesse fuit Legatis, se ad extremum, sibique semper odiosum consilium conijcere, nimirum, vt nodum illum, ipsorum manibus inextricabilem, reponerent in manu Pontificis, ad quem vtraque partium sua se iura dixit allaturam. 1563.

7 Molestiæ quam exhibebat æmulatio laicorum Oratorum, accessit altera ex Procuratorum Ecclesiasticorum postulato; cui causam seu potiùs occasionem præbuit Lancianensis dictum. Is die decimo septimo Maij [e], cùm pronuntiaret sententiam super tertio Canone de abusibus, præscribente Episcopis, vt per seipsos, non item per alios conferrent Ordines, dixit: Si Episcopi suo munere fungerentur, Ecclesiam reformatum iri; nam & residerent, & pascerent: at è contrario ab Episcopis Germaniæ, & in primis à Septemuiris suas Episcoporum Infulas quasi contemni: & per hunc dicendi æstum conuersus ad Drascouizium addidit: *Te alloquor, Reuerendissime Domine, tamquam Oratorem Cæsaris, quænam est ratio, cur Episcopi Germaniæ, ac præcipuè Septemuiri ad Synodum non conueniant, negligentes deponentesq; è memoriâ iusiurandum ab ipsis hac de re in ipsorum electione editum: si frenis, si stapedibus aureis vtuntur, si cum tanta pompa, tantoq; comitatu obequitant, si Principes & Ecclesiastici & laici sunt, cuncta hæc obtinent, quia sunt Episcopi; & tamen nolunt interesse Concilio. Vbi præpedirentur, oporteret procuratores ab ipsis mitti, sicut effectum est ab Archiepiscopo Salisburgensi, & ab Episcopis Eistatensi ac Basileensi, quo pacto aliqua ex parte suo muneri satisfacerent.* Inde ad reliqua argumenti capita progressus est, numquam interpellatus. Vbi tacuit, ita Drascouizius: Tametsi ipse Ferdinandi tamquam Cæsaris Orator non esset, sed tamquam Hungariæ Regis, tamen quando Lancianensis ipsum interpellarat, nolle se à responso abstinere. Causam cur Episcopi Germaniæ non accederent, esse notoriam, periculum scilicet, ne ipsis abeuntibus hæretici ditiones eorumdem occuparent. Causam verò, quâ detinebantur ne suos Procuratores legarent, esse, ne illos destinarent vt muti & obstrictis linguis, quasi statuæ aut pictæ tabulæ postremum locum occuparent. Ætate Pauli III. Procuratoribus Præsulum Germanicorum præstitum fuisse ius suffragij, & etiam sub viuente Pontifice vsum semel eo iure fuisse Procuratorem Salisburgensis Archiepiscopi; se verò ignorare posteà, quo pacto, & qua de causa hoc ipsis interdictum fuerat. Cùm autem

[e] Acta arcis Æliæ, & litteræ Legatorum ad Borrom. & Iadrensis ad Cornelium 17 Maij 1563.

1563. id pluribus prosequeretur, intra formas magnæ modestiæ se continuit.

Ad hoc ipsum intelligendum operæ pretium est, vt nonnulla repetamus quæ alibi sparsim à nobis scripta sunt, simulque ea, quæ hactenus narrata non sunt adijciamus. Sedente Paulo III. animadversâ complurium Episcoporum negligentiâ in adeundo per se ipsos Concilio, & quâdam Neapolitani Proregis iussione, vt solùm quatuor ad illud se conferrent, cum mandatis omnium illius Regni Episcoporum, summa ex eo incommoda sunt præuisa, dum aut ministri minimæ notæ, aut electi pro libidine Principum ex Præsulibus innumeris variorum Regnorum, Concilium regerent, eique imperitarent. Quocircà Pontifex per diploma [f] statuit, Procuratoribus nulla inesset facultas quidquam legitimè agendi, præter excusationem absentiæ Episcoporum, à quibus mittebantur, illius absentiæ adductis causis; reuocauitque quodcumque eorum ius aut priuilegium impetratum. Cùm autem idem posteà à Legatis cognosceret, Procuratores quorumdam Ecclesiasticorum Principum Germanorum fremere ob eam causam, eumdemque acerbitatis sensum timeri in cunctis Germanis Præsulibus, peculiari diplomate [g] eximit Procuratores Episcoporum illius regionis; de quorum impedimento videbatur aperte constare, cùm ipsorum diœceses ab armatis hæreticis cingerentur, adeoque præsentiâ pastorum indigerent. Verum Legati, qui apud Pontificem illius immunitatis auctores fuerant, veriti posteà tum ne quis excitaretur tumultus ob insignes Præsules aliarum nationum, tum ne Germanorum Procuratores adeò inundarent, vt alij nationi suffragio antecellerent, effectusque prauos afferrent, conati sunt Germanos pacare, quos ex consensu Pontificis priuilegium illud celarent, & tantummodò Principis cuiusdam Procuratoribus, vt Iaio Augustani Cardinalis, & Pelargo Septemuiri Treuirensis, ius Consiliarij permiserunt. Pij ætate Massarellus, qui à Secretis erat, cùm reminiscereturhuiusce priuilegij, anteà Germanis concessi, nec vmquam reuocati, admisit in quodam cœtu [h] ad ius suffragij Procuratores Archiepiscopi Salisburgensis, & Eistatensis Episcopi, quod Legatis vehementer displicuit, qui cohortati sunt Pontificem, vt per suam nouam Constitutionem priuilegium illud Pauli diserte reuocaret. Is respondit [i], improbans quod egerat Massarellus, significauitque, in Senatu editum fuisse Decretum, vt absentibus quodcumque ius suffragij interdiceretur, iussumque diploma confici, quod tamen nondum

f 1. Maij 1545.

g 5. Decemb. 1545.

h 20. Iulij 1562. vt in vna Legatorum ad Borrom. eo die. Mandatum Archiepiscopi signatur 23. Aprilis 1562. datum Herculi Rettinger Episc. Lauetmutensi, & Feliciano Morbinio Theologiæ Doctori, & extat in Scripturis post Diarium relatis.

i Litteræ Borrom. ad Legatos 29. Iulij 1562.

nondum perfectum fuerat, sed curaturum se vt illud conficeretur, ac per typos vulgaretur, & ad illos missurum, atque ita reipsa præstitit per subsecutum tabellarium [k]. Verumtamen existimauit, huiusmodi reuocationem, quò minùs obstreperet, esse celandam, ita vt vsu dumtaxat illa ostenderetur, nec Tridenti, nec Romæ citra necessitatem vulgata. Legati rescripserunt, Vniuersalem hanc interdictionem haud reputatum iri efficacem ad eneruandam peculiarem concessionem Pauli III. quâ Præsules Germaniæ potiebantur. Quare Pontifex denuò declarauit [l], illud quoque priuilegium extinctum intelligi. Hæc erat rerum conditio cùm Drascouizius respondit ad Lancianensis dicta, quæ retulimus. 1563.

[k] 8. Augusti 1562.

[l] Quod missũ est ad Legatos 20. Aug. 1562. & extat vt suprà post Diariũ.

9 Simonetta, qui vnicus inter Legatos vtroque tempore Concilio adfuerat, adeoque rei benè conscius, redegit in memoriam, diploma illud Pauli III. numquam in vsu fuisse, nisi quod spectabat ad ius Consiliarij; adiecitque, eiusdem reuocationem postea subsecutam: reuerà semel fuisse latum iudicis suffragium à Procuratore Archiepiscopi Salisburgensis, ætate Pij, sed ex errore; eâque reuocatione postmodum ab ipso cognitâ, non amplius id ab eodem tentatum. Nec ille absque necessitate voluit mentionem facere duorum diplomatum, quibus memorati Pontifices non tam irrita fecerant concessa iam priuilegia, quàm disertè interdixerant Procuratoribus vtrumque iuris in dicenda sententia genus, etiamsi illud per se ipsis deberetur: id enim odiosam speciem præ se tulisset, quasi Episcopis ipsorum iura tollerentur, fractâ communi lege, non ad asserendum beneficium, quod illo affectis optabile est, reliquis tolerabile; sed ad illud auferendum, quod læsis intolerabile est, cunctis vituperabile. Tum stans Ferrerius, nictansque priùs Lotharingo, perinde ac si loqui vellet de re inter ipsos composita, dixit: Complures optimos Galliæ Præsules ad Concilium venturos fuisse, nisi custodia suarum Ecclesiarum ab hæreticorum insidijs eos detinuisset: eapropter missos illuc ab ipsis fuisse Procuratores suos, viros doctos & integros, ac proinde Legatos à se orari, vt ad ius suffragij illos admitterent, ne cui querimoniæ causa suppeteret. Præsides edocti à superioribus exemplis, præsertim de mansione, quantò consultiùs declinentur quàm refutentur odiosæ quæstiones è conuerso iniectæ, nihil responderunt, sperantes æstum vt fortuitò excitum, itidem per se ipsum extinctum iri.

10 Sed subsequentibus diebus Leonardus Allerus, Episcopus Philadelphiæ, Eistatensis Suffraganeus, vbi locum dicendi tenuit, primò acerbè questus est [m], tam malè fuisse habitos in Patrum sententijs

[m] Litteræ Iadrēſ. 17. Maij

1563. Episcopos Titulares, qualis ipse erat, quasi in conferendis Ordinibus aliisque functionibus ipsi Episcoporum munia non exercerent. Adiecit, Numquam sibi venisse in mentem, dum pergeret ad Synodum à Pio IV. conuocatam, administratam ab huiusmodi Legatis, & ex ijs Patribus conflatam, se illic hisce quasi rosis ornatum iri. Dein memoratum postulatum iterauit [n], Procuratoribus propitium. Gallici quoque Oratores Legatos adierunt, idem vrgentes. Quamobrem Præsides temporis spatium ad deliberandum petiere, scribentes interim ad Pontificem, vtpote de re quæ non modò ab ipsius diplomatibus pendebat, sed quæ poterat excitare non mediocrem commotionem vtrique partium, siue abalienatis à Concilio nationibus transmontanis, siue ipsis in eodem concessâ immoderatâ potentiâ. Proposuerunt idcircò Pontifici: Cùm Theologi complurium Regum, summorumque capitum, qui eò conuenerant, cuperent interesse cœtibus generalibus, non quò illic verba facerent, sed quò melius possent suis dominis consilium dare, videbatur id Legatis temperamentum haud respuendum, vbi eo concesso cuncti conquiescerent: rei exitus infrà suo loco [o] videbitur.

[n] Litteræ Legat. 20. Maij 1563.

[o] Lib. 21. c. 1.

Dum conuentus habebatur, in quo Lancianensis huic litigio [p] argumentum præbuit, Tridentum ex improuiso peruenit [p], sed consultò ex improuiso, Moronus Cardinalis, nondum pede confirmato; eodemque die misit ad Borromæum plenam summam, à nobis recensitam, eorum quæ cum Cæsare transegerat, præter ea quæ diuisim ac subinde in ijs agendis significarat: atque inter alia scripsit, potissimum suæ tractationis emolumentum fuisse optimam opinionem quam Cæsar conceperat de mente ac persona Pontificis, adeoque quidquid Pius agebat aduersùs quàm Cæsar melius existimasset, id aliorum importunis consilijs ab eo tribui.

[p] Acta Arcis Æliæ, & litt. Legatorum ad Borrom. 17. Maij 1563.

Die decimo nono Maij [q], cuius postridie elabebatur terminus, [r] denuntiandæ Sessioni præscriptus, denuò & concorditer hic terminus prorogatus est vsque ad decimum quintum Iunij; feruescente interim operâ per summum studium in publicis cœtibus, priuatisque consilijs, ad componendas discordias, & exoptatum partum in lucem edendum, qui tempore tunc præscripto ad statuendum eius natalis diem, maturitatem iam nouem mensium habuisset. Sed alij hominum partus è paruis cursibus naturalibus vnius sphæræ dependent, hi è concursu libero plurimarum intelligentiarum.

[q] Acta Arcis Æliæ 19 Maij 1563.

HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

ARGVMENTVM.

COmes Lunensis in Conuentum ingressus, mutuæque illius & Gallorum contestationes de loco. Vicecomes ad Ferrariensem Cardinalem missus ad comparandam studiosam eius operam cum Lotharingo, & eius effecta. Contentio ac discceptatio de Iure suffragij Procuratorum in Concilio, & initum temperamentum: Difficultates superatæ de gradu Melitensis Oratoris. Calicis vsus à Bauaro postulatus: Ormanettus ad eum missus euentu prospero. Fumanus additus Massarello, qui Concilio à Secretis esset. Biragi aduentus Tridentum. Litteræ Gallici Regis ab eo ad Synodum delatæ, & cuius sententiæ. Diuturnæ de responso difficultates. Translatio Synodi in aliquam Germaniæ vrbem à Gallis postulata, sed à Rege Hispaniæ & à Cæsare repudiata. Variæ Patrum sententiæ de corruptelis, variaque consilia proposita ad componendos Canones de Summi Pontificis & Episcoporum auctoritate. Arcana agitata à Ferrerio cum Pontifice per Gualterium, & hominem, qui sibi à Secretis erat, Romam missum. Iussio Pontificis, vrgentibus Hispanis, vt deleatur, aut declaretur particula, proponentibus Legatis, Acerrima in eo repugnantia Legatorum, ac præsertim Moroni, tandem à Pontifice comprobata, & pacta cum Lunensi rei dilatio. Cæsar Oeniponte Vien-

Viennam versus profectus, & quâ de causâ. Variæ litteræ Pontificis nomine scriptæ ad Præsides, indicantes plenam libertatem auctoritatemque ab eo concessam Synodo tum in dogmatibus, tum in correctione etiam Aulæ Romanæ, & Cardinalium. Accessus ad Concilium Episcoporum Theologorumque Belgarum, cum litteris Belgij Gubernatricis Ducis Parmensis. Declaratio aduersus Angliæ Reginam ab illis & ab Anglis postulata, comprobata à Pontifice, sed posteà ex Cæsaris consilio improbata. Impensa à Patribus studia pro Toletano Archiepiscopo, in Hispania à sancta Inquisitione in carcerem coniecto; & Pontificis responsum. Causa Ioannis Grimani Aquileiensis Patriarchæ, à Pontifice commissa Synodo, Senatu Veneto enixè deprecante, & Iudices in ea destinati. Multi conuentus, multaque consilia de variis corruptelarum capitibus; & quid tandem constitutum. Mandata Pontificis de loco & honoribus exhibendis Hispano Oratori in solemnibus templi functionibus: tumultus inde subortus, & periculum schismatis. Legatorum ac Patrum in ea re sensus. Musottus idcircò Romam missus à Lotharingo. Consilium habitum à Pio non modò cum compluribus Purpuratis, sed etiam cum Oratore Varga, & celebre illius scriptum de dogmatum forma, à Legatis Romam missa. Pontificis desiderium, vt duæ quæstiones maximè contentiosæ omitterentur. Concors in eo sententia Cæsaris & Lotharingi, sed contraria Præsulum Hispanorum. Canones ac Decreta sancita, Præsulibus aduersantibus, in cœtu generali. Lunensis opera, quâ ad concordiam ea Sessione reuocantur. Ea quietè die decimo quinto Iunij celebrata Resibi statuta. Reiecta falsa quædam & friuola, in historia Suauis obiecta de ijs Decretis, ac de toto curriculo memoratorum euentuum.

CAPVT

CAPVT PRIMVM. 1563.

Lunensis in Conuentum ingressus: eius ac Ferrerij mutuæ denuntiationes. Oratio Lunensis nomine habita, & Synodi responsio. Gallorum commotio ex fama cuiusdam mandati, à Pontifice arcanò traditi de loci prærogatiua; & vera rei narratio. Vicecomes ad Ferrariensem Cardinalem missus. Varij libelli & opinamenta de suffragio Procuratorum in Synodo; & exitus controuersiæ.

1 INgens erat expectatio, quo pacto publicè in Conuentu Comes Lunensis exciperetur. Etenim in huiusmodi functionibus, sicut in grandioribus machinis, difficultates interdum incidunt in eis ad opus deducendis, quæ numquam præconceptæ fuerant in constructis. Ingressus ille est medius inter Oratores Cæsareos: [a] protulit epistolam regiam: tum ab Antonio Couarruuia, Granatensis Cancellariæ Auditore, huiusmodi contestationem recitari iussit, stans ante Legatos eo toto tempore, tametsi reliqui suis in locis considerent, ne sedem anteà acciperet quàm sibi ab omni detrimento cautum esset eâ solemni actione: Quamquam sibi, tamquam Oratori Philippi Regis Catholici, tot regnorum Domini, primus deberetur gradus post Oratores Cæsareos; tamen cùm ille Conuentus, illud tempus, ille Christianæ Reipublicæ status huiusmodi essent, vt cursus Diuini negotij publicique beneficij nullâ contentione præpediri deberet; cumque opus foret, vt ille præsertim, qui communem causam promouebat, nullam malorum occasionem præberet, à se locum accipi qui dabatur, quo donec opportunum esset vteretur: sed contestari, ex eo nihil inferri detrimenti Philippo Regi ac successoribus, adiectis reliquis Iurisperitorum cautionibus.

2 Lectâ Lunensis contestatione, hic seorsim ab alijs Oratoribus consedit, è regione Legatorum, ad sinistram Crucis argenteæ, erectæ in medio theatri Conuentus, prope illius mensam qui à Secretis erat: & nullâ interiectâ morâ, Ferrerius contrariam huiusce sententiæ contestationem habuit: Si locus illic obtentus à Gallicis Oratoribus prope Cæsareos, fuisset insolitus, & non semper ab ipsis possessus, præcipuè in Synodo Constantiensi ac Lateranensi; aut si nouus ille locus, & extra ordinem, quem clarissimus Comes Lunensis accipiebat, potuisset

[a] Præter Acta Arcis Æliæ, vbi fusè extat, Diarijs & litteris Legat. ad Borrom. 21. Maij, & Lansaci ad Oratorē Gallum Venetijs 26. Maij 1563. Acta Paleotti, & multò fusiùs in tabulis scribarum Cōcilij infrà producendis, contentis in libro Archiuij Vaticani, inscripto, *Varia ad Concilium Tridentinum de Basilica Vaticana.*

1563. tuisset quidquam detrimenti vel ipsis vel alijs Oratoribus inferre, profectò sapientissimos illos Patres, qui vniuersalem Ecclesiam repræsentabant, vsurpantes munus illud Iudicum, quod appellatur Nobile, quodque instantiam partium non præstolatur, Maiorum exemplo redacturos vnumquemque fuisse in antiquum ordinem, aut certè denuntiationem euangelicam exercituros. Sed cùm tacerent Patres,& etiam Oratores Cæsarei,quibus ea causa non poterat non esse communis, ipsos Oratores, qui veterem possessionem suo Principi conseruabant, fidebantque fidei, amicitiæ atque coniunctioni potentissimi Regis Philippi cum Carolo Rege, vxoris suæ fratre pupillo, à Patribus petere, ne quoduis dictum factúmve eo die ita acciperetur, vt quidquam minueret aut violaret antiquissimas Regis Galliæ prærogatiuas.

Vbi dicendi finem fecit Ferrerius, illi successit locuples oratio Petri Fontidonij, qui Salmanticensis Episcopi Theologus illic aderat. In ea simul cum amplissimis Philippi Regis oblatis, egregiè commemorauit eius promerita erga Religionem Catholicam, præsertim verò victoriam postremùm ex Condæo reportatam. Adeò vt Galli iactantiam & aculeum notarint [b]; & Lansacus ad sui Regis Oratorem Venetijs degentem scripserit, similem quoque sensum inesse Cæsarianis, & à Lunensi publicè rem excusari. Ex aduerso non solùm reperio in Actis, ab locutoris [c] hero descriptis, à cordatis viris eam accusationem haud rationi dissentaneam existimatam, quin potiùs amplè commendatam: sed in Actis Paleotti honorificam illius comprobationem comperio, absque reprehensionis mixtura. Oratio extat typis edita [d]: meum autem munus est narratoris, hoc est testis, non iudicis.

b in allata Lansaci epist.

c Episcopi Salmanticēs.

d In dicto volumine Bononiæ impresso.

Absoluto Fontidonij sermone, Lunensis de more egressus est, tantisper dum de responso deliberaretur; quod ad omnem vberrimam gratiarum actionem, significationemque reuerentiæ erga tantum ac tam religiosum Regem conformatum est à Hieronymo Ragazzono Veneto, Episcopo Famagustano. Eo responso à Patribus comprobato, redijt accitus Comes, eique redditum illud est. Dein illicò is discessit, ad declinandum pro dextra aut sinistra certamen, cum reliquis Oratoribus post Legatos egressuris.

Tranquillus tamen euentus ministris Pontificijs haud satis fuit ad obtinendam hac in re quietem cum Gallis. Subaudierant hi, prídie aut biduo ante habitum conuentum peruenisse ad Legatos mandatum Pontificis [e], arcanis notis scriptum, quod Hispanis faueret; nimirum, vt Lunensis sederet infra primum Oratorem Eccle-

e Litteræ Gualterij ad Borrom. 21. Maij 1563.

clesiasticum Ferdinandi f. Idcircò vltra modum commoti sunt: & pridie quàm haberetur functio, Lansacus Reginam ea de re monuit per peculiarem tabellarium; quamquam posteà ipse admonitus, quòd ex adagio ad clamorem cucurrisset, respondit, se de re scripsisse formulis admodum cautis. At verò in querimonijs haud mutatam opinionem præseferebat, & vocibus modestis quidem, sed ponderosis vtebatur. Commendabat Oratorem Hispanum; primò quòd is Regis mandata ipsi ostenderat, in quibus à Philippo vetabatur illi cedere, sed simul etiam frangere amicitiam cum Gallis. Secundò, quòd non excepisset indebitam prærogatiuam sibi Româ missam, eâ gratiâ, vt per disiunctionem vis Oratorum diffracta nequaquam formidaretur. Nec minùs collaudabat Legatos, quòd in opus non deduxissent mandatum, quod, aiebat ille, cùm arcanis characteribus missum erat, hinc planè tamquam rationi dissentaneum, lucisque timidum cognosci posse. Sed neque factum probabatur, nec verisimile erat, à Legatis neglecta fuisse mandata Pontificis ad ipsos perlata, vt Rex ille honoraretur, cui duo ex ipsis, auctoritate præcellentes, ob natales subiecti erant. Præterquam quòd contradictionem sonabat ipsa narratio, quòd Lunensis honorem à Legatis oblatum recusasset, & Legati mandata Lunensi fauentia exequi noluissent. Quapropter Gualterius studuit ab ea opinione Lansacum abducere, à qua illius collega Ferenus se alienum ostendit, dicens, Legatorum factum palàm feciſse quodnam Pontificis mandatum esset.

1563.

f Narratur in epistola iam dicta die 24. Iadrensis Archiepiscopi.

6 Non tamen suspicio vmbra fictitia erat, sed à vero corpore profecta. Equidem exponam id, quod ipse oculis lustraui in voluminibus litterarum Aulæ Romanæ. Scripserant ad Borromæum Præsides adulterinis notis tum ipsorum desperationem in eo dissidio componendo, tùm necessitatem suscipiendi celeriter consilij, tum etiam grauissima vtrimque discrimina, rogantes Pontificem, vt diserto suo iussu, nihil ab ipsorum arbitrio pendens relinqueretur. Pontifex cùm animaduerteret, negotia Religionis in Gallia deteriùs indies se habere; cumque sibi videretur vnicum Ecclesiæ columen tunc esse Philippi Regis pietas ac potentia, censuit malorum summum futurum, si Regis animum abalienari sineret. Idcircò statuit illi moderatè aliquid gratificari: & quò maiorem auctoritatem obtinerent mandata, Legatisque plus animi ad rem perficiendam adderet, ipse Pontifex ad eos scripsit octauo Maij in hanc sententiam, & ferè in hæc verba: A Rege Catholico super eo negotio vehementer se premi, cùm illi mirum videretur, ab Oratore

1563. suo locum aliquem in Sessionibus & in Conuentibus non obtineri. Rationi consentaneum à se putari, vt ratio de tanto Principe haberetur, aliquo inuento temperamento cui acquiesceret, nullo tamen illato detrimento causæ partium neque quod ad ius, neque quod ad possessionem spectabat. Honestum sibi & congruentem videri locum illum tertium, quem Legati cernerent in exemplo ad eos misso; nec à se animaduerti, meritò alios de eo conqueri posse. Hanc suam esse mentem, ad quam exequendam ijs vterentur moderatis rationibus, quas idoneas putarent ad opus quoad fieri posset quietè conficiendum: sed quocumque euentu sinerent contestari quemlibet, & quod ipsi collibuisset peragere, dummodo ea iussio opere compleretur, nec rem ob vllam conditionem præterirent. Huic epistolæ Pontificiæ adnectebatur altera, arcanis notis à Borromæo exarata, quæ significabat, cupere Pontificem, vt mandatum illud occultaretur, donec adesset tempus illius exequendi; tunc verò id improuisò fieret: confirmabatque, si Galli non acquiescerent, vellent contestari, aut etiam discedere, ea omnia potiùs permittenda, quàm iniunctum opus omitteretur.

Præter has litteras, cunctis Legatis communes, peculiaris quædam à Borromæo auunculi iussu ad Moronum scripta est, quâ arctissimæ illius fidei commisit, ab Auila & Varga traditam fuisse Pontifici scedulam, subscriptam & obsignatam ab eorum vtroque, vbi Regis nomine pollicebantur, Regem arma semper sumpturum, obiecturumque vires, ditiones, seipsum, ad propugnandam augendamque Pontificis, sanctæ Sedis, & Catholicæ Fidei auctoritatem. Id verò ipsi significari, quò intelligeret, non absque præualida ratione adductum Pontificem ad ea imperanda. Hæ litteræ per expeditum tabellarium missæ peruenerant ad Legatos die 12. Maij [g]. Sed quoniam ea quæ Borromæus significabat, arcanis notis claudebantur, quarum clauem solus Moronus obtinebat, illinc absens diutiùs quàm Romæ creditum fuerat, id temporis mandata plenè non patuerunt. Cùm igitur ille die decimo septimo regressus esset, & obscura clarescerent, cuncti simul conniti sunt Gallos emollire [h], quò sine acerbitate, & sine sectionis periculis curatio adhiberetur; & quamuis per summum laborem, pro industria cessit euentus. Verùm Lunensis, aut quò innotesceret æmulis, nihil ab illis se dono libero accipere, aut quò intelligerent ijdem, quantam Gallicæ coronæ rationem ipsius Rex & ipse pariter haberent, ea illis expressit, quæ paulò antè indicauimus, aut variante rerum veritate, aut variatis rebus ipsis à nar-

[g] Constat ex vna Legat. ad Borrom. 11. Maij 1563.

[h] Ex vna Legat. ad Borrom 20 Maij 1563.

à narratione Gallorum : simul etiam ostendit, illa Pontificis mandata ab ipso sponte profecta ; quod Gallorum animos in Pium vehementer commouit, eisque suspicionem iniecit, illum moliri discordiam inter Oratores, & dissolutionem Concilij. Quocirca ipse posteà se valdè offensum à Lunensi putauit, sicuti exponetur. 1563.

Quo tempore postremum hoc agebatur, non aderat illic Vicecomes, eiusque absentiæ hæc fuit causa [i]. Compositâ cum hugonottis pace in Gallia, profectoque inde Estensi Legato, vtpote non ampliùs ibi necessario, eum inuisere apud se statuerat Lotharingus, siue in itinere, siue Ferrariæ, ob arctam coniunctionem inter vtriusque familiam. Et quamquam in Gallia ex dissidio sententiarum aliquid inter eos rubiginis contractum fuerat ; tamen rebus mutatis, & admodum possente Estensis auctoritate tum illic, tum in Italia, suæ ditionis, suarumque dotium causâ, credebatur ipsi plurimum à Lotharingo tributum iri, vt fieri consueuit consanguineis ætate ac potentiâ præstantibus. Quare Pontifex, qui communis tranquillitatis gratiâ peroptabat Lotharingi animum sibi conciliare, ac propterea non desistebat Legatos monere [k], vt alacritatem in illo pro virili curarent, ijsdem iniunxit, vt Præsulem mitterent, qui per honoris speciem Ferrariensem per viam præoccuparet, eumque perdoceret quidquid in Synodo interuenerat, atque ita opportunis armis instructum rogaret, vt illis vteretur ad mentem ac voluntatem amici peruincendam. Ad id Vicecomes à Borromæo Legatis nominatus ; sed, pro eo ac Pontifex agere consueuerat cum præcipuis ac longinquis ministris, per modum proponentis, non imperantis : ipsi verò libenter illum elegerunt ; qui die septimo Maij in viam se dedit, acceptâ rerum gestarum plenâ narratione, cuius auctor fuerat Paleottus.

Sed Paleotto alius labor mox superuenit, hoc est, quæstio de suffragio Procuratorum in Synodo. Pragensis Archiepiscopus apud Legatos postulata [l] confirmarat nomine Cæsaris. Et quamuis Delfinus Nuntius scriberet, Ferdinandum postmodum ab ea petitione destitisse, & à Seldio illius Vicecancellario eam rationi dissentaneam censeri, aiente, per id formam Concilij mutatum iri, compertum tamen erat, compluribus aliam mentem esse. Quamobrem Legati exquisitissimum examen suis Canonum Peritis demandarunt : & præter eumdem Paleottum, super his eruditos commentarios scripserunt, Romam [m] missos, Scipio Lancellotus, Senatus purpurati Aduocatus, & Michaël Thomasius Maioricensis, qui doctrinæ

i Litteræ Legatorum ad Borromæum 6. Maij 1563. aliæ Vicecomit. ad eumdem 6. & 11. Maij, & Acta Paleot.

k Vna Legat. ad Borrom. 21. Maij 1563.

l Litteræ Legatorum ad Borromæum 24. Maij 1563. & Acta Paleotti.

m 24. Maij.

1563. ctrinæ illius titulo detinebatur à Pontifice in Synodo. Quæstio in quatuor articulos fuit distributa.

An Procuratoribus ex iure deberetur in Synodo Iudicum suffragium.

Vbi non deberetur, an Consiliariorum.

Num saltem locus in generalibus Conuentibus.

Posito quòd ius suffragij nomine Principalis denegaretur alijs Procuratoribus, an idem locum haberet in ijs qui Procuratores simul erant & Episcopi; an potiùs ius ad duplex suffragium obtinerent, alterum ex persona propria, alterum ex persona quam referebant.

De tribus prioribus articulis conuenerunt ex iure communi pro parte negante, considerantes, ibi non agi de quodam contractu conficiendo, cui quilibet, cuius interfit, subrogare potest sui vice procuratorem pro suo arbitratu, cùm ad ipsum spectet libera suarum rerum administratio; sed de definitionibus decretisque habendis publico Ecclesiæ nomine, ad quæ peragenda opus est aut gradus, cui Deus promisit in Synodis Oecumenicis Spiritum sanctum assistentem, aut industria personæ, tamquam idoneæ comprobatæ cùm ad gradum assumpta fuit; quæ dos communicari non potest Procuratori, idque vsurpatum videri in cunctis Senatibus, cunctisque Magistratibus. Verumtamen cùm consuetudo variaret, & in quarta dubitatione militarent rationes vtrimque, argumentum ita plenum visum non est, vt à Legatis per se solis sententia esset ferenda. Quapropter tria consilia proposita.

Primum, Vt producerentur iussiones Pauli III. & viuentis Pontificis, per quæ Procuratoribus ea omnia interdicebantur. Sed hoc ipsum, ex ijs quæ alibi expensa narrauimus, existimatum est obnoxium tumultus periculo, & quod excitare posset in linguis Transalpinorum illud tam propitium, adeoque tam acceptum vocabulum, libertatis, quæ læsa videretur, vbi Pontifex eos excluderet à Concilio, quos ipsum ius non excludebat.

Alterum, Vt id ipsius Synodi iudicio committeretur: à qua proculdubio petitioni fuisset data repulsa, cùm maximè odiosum esset Episcopis, qui laborem huiusmodi itineris, & huiusmodi domicilij deuorarant, sibi æquiparari in vlla auctoritatis parte eos, qui domus suæ commodis sese fouentes, suum illic ministrum mercede conductum detinebant. Verumtamen in hoc iudicio propter varietatem nationum, vtilitatum, affectionum, & clientelarum erga Principes, formidatum est, ne sententiarum dissidium, &

& contentionum argumenta excirentur. At verò tela, quæ præ manibus erat, acu magis, quâ resarciretur, indigebat, quam nouis forficibus, quibus dissecaretur. 1563.

14 Quare tertio loco sedatius ac tutius visum est concordiæ temperamentum, selecto consilio, quod iam diximus propositum à Legatis fuisse Pontifici; vt nimirum ostenderetur Oratoribus, in ipsorum gratiam admissum iri ad audiendum, non ad loquendum in conuentibus Procuratores, & aliquot Theologos præcipuos ex ipsorum natione, pro eorumdem delectu. Id cunctis Theologis neutiquam concedi, cùm haud deceret, à tam ingenti variaque caterua cerni & audiri ea, quæ in huiusmodi Senatu contingerent. Iam verò cùm intelligerent Oratores, neque quidquam vltrà fieri posse, neque conuenire, neque gratum esse Episcopis qui aderant ex ipsorum nationibus, tandem acquieuerunt [n]: idque exercitum est & cum Hispanis & cum Gallis. Magna supererat difficultas de Germanis Præsulibus, præsertim Principibus, cuius conditionis cùm ibi tunc nemo per seipsum adesset, & perpauci etiam minoris gradus, non poterat inter Episcopos illius nationis odiosa reddi absentium exequatio cum præsentibus: & peculiaris necessitas in memoratis Præsulibus, custodiendi ipsorum oppida, coniuncta cum propria ipsorum amplitudine, videbatur eximere hoc priuilegium à nota peculiaris in eam partem studij, eosque quibus concedebatur, ab inuidia liberare. Eapropter propendebant Legati ad indulgendum Iudicum suffragium Germanorum Procuratoribus, cùm hoc peteretur à Cæsare, & conducibile censeretur, quò facilius posteà Concilij sanctiones exciperent, quando aliqua ex parte se illarum auctores agnoscerent. Pontifex tamen cùm animaduerteret, in quadam capitum classe, in qua per varios ac modicos gradus à summo ad infimum procedatur, semper necesse esse, inter eos quibus priuilegium denegatur, nonnullos esse dignitate proximos alicui minimo ex affectis priuilegio, adeoque argumentum querelarum inde suppetere [o]; tutius & tranquillius existimauit, Iudicis suffragium singulis negare, significans, vt summum se flexum iri ad suffragium consiliarij concedendum. Rescripserunt Præsides, impertiendum saltem Iudicis suffragium Procuratoribus Septemuirûm Ecclesiasticorum, & Archiepiscopi Salisburgensis, ob euidentem cum alijs inæqualitatem; se autem certos esse, id Hispanos Præsules æqui bonique facturos. Sed posteà, tametsi Pontifex responderet, in eo se minimè repugnare erga tres quatuórve ex præcelsioribus, ijs videlicet quos iam nominauimus, dummodò reliqui

[n] Varię litteræ Legatorũ ad Borrom. 3.7.17.19. & 28. Iunij 1563.

[o] Litterę Borromęi ad Legatos 1. Iunij 1563.

1563. reliqui cuiusuis nationis acquiescerent; dein verò hisce quatuor, quos nominatim signarat, Episcopum Herbipolensem addi permitteret, & pro quatuor prioribus [q] diplomata mitteret ad Legatos; tamen ignotum mihi est, id vmquam fuisse peractum. Quin inter subscriptiones in exitu Concilij appositas nemo legitur ex Procuratoribus quinque Principum, quos modò recensuimus, reliqui Procuratores subscripserunt, omissa voce, *definientes*, vsurpatâ in subscriptionibus Episcoporum, & cuiusuis, qui ius definiendi suffragij obtinebat: quamuis fuerit ex Episcopis, qui subscripserit etiam tamquam Procurator alterius Episcopi absentis, & præsertim Episcopus Quinque Ecclesiarum pro Archiepiscopo Strigoniensi, cunctisque Episcopis & Ecclesiasticis Hungariæ; non vi sunt voce *definientes*, quatenus subscripserunt tamquam Procuratores, & hoc pacto indicarunt, non exerceri à se duplex Iudicum suffragium. Idem egêre Procuratores quorumdam Episcoporum simul ac Principum Germanorum, vt Georgius Hochenuartius, Procurator Episcopi Basileensis, Alfonsus Salmeron, & Ioannes Polancus Societatis Iesu, Procuratores Othonis Cardinalis Truxesij Episcopi Augustani, qui ambo Principes erant.

[p] Litt. Borrom. ad Legatos 19. & 26. Iunij 1563.

[q] Litteræ Borrom. ad Legat 6. Iulij 1563. & litteræ Legat. ad Borrom. 18. Iulij 1563.

Ita palàm fit, duriora quædam, quæ initio videntur impatibilia, instar quorumdam silvestrium pomorum, concocta & maturata, tempore ac tractatione paulatim mitescere, & absque molestia deglutiri.

CAPVT II.

Agitata priùs à Vicecomite, ac posteà à Lotharingo cum Ferrariensi Cardinali. Repugnantia ab Estensi comperta in Lotharingo; qui tamen reipsa posteà magis propitium Apostolicæ Sedi se præbet. Difficultas de loco Oratoris Melitensis evicta. Postulatum Ducis Bauarici Synodo remissum, & Ormanettus ad illum missus à Legatis. Fumanus, Concilio vt esset à Secretis, additus. Laudes Gasparis de Fosso, & Ioannis Antonij Facchinetti.

LOngè difficilior accidit concordia præsentium in sententiis, quàm exclusio absentium à suffragio, præcipuè verò conciliatio cum Italis Lotharingi, qui potissimam cum Transmontanis auctoritatem obtinebat. Quare Vicecomes sollicitâ solertiâ Taurinum vsque perrexerat [a], quò faciliùs imprimeret sensus opportunos Ferrariensi, antequam is à Lotharingo linguæ potente ad

[a] Litteræ Vicecomitis ad Borrom. & ad Legat. ab 11. vsque ad vltim. Maij, & Legatorũ ad Borrom. 21. Maij 1563.

ad suam sententiam traheretur, adeoque redderetur ineptus ad ea quæ Pontifex Legatique cupiebant. Cùm posteà eò peruenisset Estensis, à Vicecomite de rebus gestis edoctus est, promptumque animum ac spem præ se tulit ad obsecundandum in ea re Pontifici & causæ publicæ; æquum ac facile illud ratus, cùm accepit à Vicecomite, non peti à Lotharingo nisi quod ipse protulerat cùm primùm sententiam dixit, & Pontifici per Bertonum, qui sibi à secretis erat, posteà significarat; hoc est, vt omitteretur dogma de mansione, proposito in conuentu illius Decreti proœmio sicuti à Mantuano digestum fuerat. Hac de re, ac de Canone super Episcoporum institutione, quæ duo argumenta inter se multum copulantur, mandata Vicecomes accepit, non autem (vt affirmat Suauis, qui suam historiam componit idolis quæ concipit, non rebus quas comperit) ad inducendum operâ Ferrariensis Lotharingum, vt translationem Concilij Bononiam promoueret. 1563.

2 Ferrariensem comitatus est Vicecomes Ostiam vsque prope Padum, vbi Lotharingum offendit: atque in primo cum eo colloquio non parum de concepta spe decidit. Siquidem Lotharingus & animum à Pontificijs alienum præ se tulit, & verba protulit ab ipsis discrepantia; animum quidem alienum ob perparcam communicationem, cuius, aiebat ille, postremò primus Legatorum adeò cum ipso auarus fuerat, vt reuersus Tridentum nihil voluerit ipsi concedere de habitis cum Cæsare rerum tractationibus; & tamen ipse Cæsar earum summam ad ipsum miserat, quæ ab eo communicata fuerat Estensi, & ab hoc Vicecomiti. Sed reuerà, quantum animaduerto, huiusmodi summa fuit prior ille commentarius, redditus à Ferdinando tamquam responsum ad capita à Morono proposita, non adiectis alijs, quæ posteà subsecuta sunt, & à quibus negotij confectio pependit: multoque minus patefactus est tenor rerum, quæ solùm vocibus agitatæ sunt.

Discordem etiam sensum ostendit, quoniam affirmabat: Tametsi aliàs ipse auctor fuisset, ne dogma de mansione sanciretur, diuersæ postmodum opinioni se adhæsisse, quando res ita processerat, vt eam Cæsar vrgeret: præuideri à se absque dubio decisionem, de qua conuenirent cunctæ nationes Transmontanæ, & etiam plenum quasi flumen suffragiorum, excepto solùm angusto veluti riuulo quorumdam paucorum Italorum.

3 Vicecomes omissâ priori parte de Præfidum parcitate in communicandis arcanis cum Lotharingo, cuius purgatio sui muneris non erat, de altera respondit Ferrariensi, Ex ipso commentario à

1563. Cæsare ad Lotharingum missō liquere, non inesse Cæsari sensum huiusmodi super ea definitione. Etenim in octauo capite non solùm dicebat, Se optauisse ne vnquam in quæstionem fuisset adducta huiusmodi controuersia, sed posteà solùm postulabat, ne mansionis ius incertum penderet, quò Episcopis compertum esset, se ad eam seruandam adstringi, excepto aut legitimo impedimento, aut relaxatione Pontificis. Vnde duo palàm fieri, alterum, acquiescere Cæsarem, vbi declararetur obligatio in genere; alterum, ab ipso non eiusmodi illam censeri, vt eius relaxendæ potestas Pontifici denegaretur. Verum non esse, in eam definitionem vota nationum omnium vltra montes concurrere; solùm redigi desiderium illius ad Hispanos, ex quibus adhuc sex animum alienum ab ea gerebant: non illam Hibernos, non Polonos cupere, & quosdam Gallorum in eam oblocutos fuisse: de numero suffragiorum adeò non concordare ferè omnes, vt ex quinque partibus tres longè abessent, sicuti experimento comprobatum fuisset, nisi Præsides abhorruissent ab illo nouo rixarum incendio cum indignitate Concilij, adeoque rem protraxissent, cupidi concordiæ æquè Christianæ ac honestæ componendæ. Totum hunc fragorem eò tendere, vt auctoritas relaxandæ mansionis Pontifici adimeretur: sed frustrà; quandoquidem qui eam definitionem optabant, ijdem volebant, vt declararetur, reseruari interpretationem Pontifici, in quibusnam peculiaribus conditionibus obligatio persisteret; quod tandem Apostolicæ Sedi eamdem ferè potestatem reipsa conseruabat.

Studuit Estensis apud se retinere quàm diutissimè potuit Lotharingum, vnaque Vicecomitem, Ferrariam vsque eos deducens; quò tum rationes, tum responsiones, à Vicecomite sibi subinde suppeditatæ, & à se Lotharingo prudenter adhibitæ, efficerent, vt hic si non conuictum se fateretur, certè se conuictum agnosceret, quod ad agendum magnoperè conducit. Tandem cum vterque ab eo digrederetur, die vigesimo Maij, dixit Estensis Vicecomiti, exemplar à se adumbratum fuisse ad Concilium celeriter feliciterque terminandum, sicuti Pontifici coràm exponeret, ad quem breui erat iturus, quò legationis à se exercitæ rationem redderet.

Verumtamen Lotharingus interdum quidem iracundiam, numquam tamen odium præ se tulit in Pontificem, multoque minus in Pontificatum; ac proinde, instar amicorum irascentium, nihil noxium intendebat, sed satis ipsi erat, si persuaderet nocere se posse, & timorem incutere quasi vellet nocere. Huiusmodi in eo animus claro

claro argumento statim patuit. Cùm ipse Tridentum regressus, à Morono [b] inuiseretur, non semel illi responsa reddidit acerbis cauillis mixta, præ se gerens animum malè affectum erga Pontificem, eiusque potentiam: & eodem tempore, cùm primum peruenit Biragus, cum eo colloquens, innumeras in Pontificem laudes protulit, ipsumque cohortatus est ad sustinendam Apostolicæ Sedis auctoritatem, ostendens, hoc ipsum à cunctis rationibus suaderi: Quicumque verò perpetuum tenorem rerum ab eo gestarum obseruarit, ex quo ipse accessit ad Synodum, vsque eiusdem exitum, apertè deprehendet in Lotharingo non quidem inconstantiam in eo quod præcipuè intendebatur, quemadmodum nonnemo arguebat ex variantibus eius commotionibus, & illicò euanescentibus; sed potiùs constantem ac certam voluntatem, quæ se priùs formidabilem, dein beneficam ostentaret. 1563.

[b] Litteræ Gualterij. Borrom. vltimo Maij 1563.

6 Is itaque cupiens sui metum excitare, quò æstimaretur ac rogaretur, consuetâ vsus erat arte apud Ferrariensem, quâ depingebat quamdam intimam secum coniunctionem Germanorum Hispanorumque, & absolutam quamdam concordiam inter vtriusque Regis Oratores in ea etiam honoris prærogatiua suos apud Principes, quæ in his, quasi terrenis Numinibus existimatis, aureum discordiæ pomum esse solet. Sed nimis gratum accidisset Legatis, si pictura veritatem expressisset, sicut è contrario angebantur. Etenim per eosdem dies Lunensis ipsos vrgebat [c], vt ab eis acciperet quod Pontifex statuisset de sua in templo sede, affirmans, nisi illic sibi ea concederetur, deteriùs habitum iri & suam & Regis dignitatem, quàm si non obtinuisset in Conuentu.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum 3. Iunij 1563

7 Hisce rebus adhuc pendentibus, Legati in Transmontanorum, ac præsertim Cæsarianorum gratiam, alterum addiderunt qui Synodo à Secretis esset, tamquam secundum Massarello, cui ex calculo laboranti necesse fuit id temporis sectionem perpeti. Fuit hic Adamus Fumanus, Veronensis Canonicus, qui apud Nauagerum illic degebat, exceptus communi comprobatione, & antehabito Pontificis consensu.

8 Peruenerat ante hæc Româ aliud mandatum [d] de alio loci litigio inter Oratores, quod Legatis gratum non accidit, & curas iniecit. Mandabatur, vt Melitensis Orator inter Oratores laicos sederet. Quare ipsi anteà id Salisburgensi Archiepiscopo scripserunt, cuius Procurator obstiterat, dantes operàm, vt ille acquiesceret: simul etiam animaduersâ commotione, quæ ex eo suboriebatur inter Patriarchas, nullo pacto cessuros illi Oratori Ordinis

[d] Litt. Legat. ad Borrom. 28. Maij 17. & 22. Iunij, & 12. Iulij, & 1. Augusti 1563.

1563. regularis, declarandum Pontificio diplomate curarunt, vt etiamsi locus huiusmodi Melitensi concedebatur, iura tamen Patriarcharum illæsa persisterent: quod diuturni temporis opus euasit; & Pontifex ad primum Legatorum responsum [e], quo significabant, ab illo Oratore ob tales controuersias laboris plurimum, & parum emolumenti Concilio allatum iri, ipsorum commisit arbitrio, vt illum abire sinerent, sicut arbitrabantur. Verùm ijdem posteà suum hoc consilium exequi noluerunt: cùm enim illius comprobatio delata est, iam causa desierat; & pro eo quod homines consueuerunt, haud ipsis placuit suos labores perdere ad id impensos, vt aduersantes sedarent.

e Litteræ Borrom. ad Legat. 17. Iunij 1563.

Alterius generis sollicitudinem attulit [f] Orator Bauaricus, qui 9 Româ Tridentum redierat. Hic linguæ suæ neruos omnes adhibuerat, quò à Pontifice vsum Calicis in sui Principis regionibus obtineret, prænuntians, eos populos illius vsus extra modum cupidos, vbi non impetrarent, arrepturos ipsum cum periculo schismatis.

f Apparet ex Inter. Legat. ad Borrom. 20 24. 28. & 31. Maij, & 4. & 14. Iunij in volumine epistolarum Borromæi ad Legatũ Oeniponti, & ex Actis Paleotti.

Pontifex contrà (quippe quem ab eo dehortabantur inflammato studio tum Hispaniæ Rex, tum tot rationes, quibus cohibita fuerat Synodus, ne in hoc ipso Cæsari satisfaceret) quò appositam medicamque repulsam daret, rem Synodo remisit, falsò ratus, à Synodo, quæ anteà rem eamdem ipsi remisit, fuisse remissam solam Ferdinandi postulationem, non item vniuersalem erga omnes concessionem: sed dubitari non poterat neque Pontificem id temporis, neque Concilium id indulturum. Quamobrem Moronus cùm anteà cognouisset Oeniponti, quàm necesse tunc foret, vt omni sollicitudine in eo Principatu adeò Catholico Religio retineretur, Pontificem hortatus est, vt illuc mitteret peritum ac strenuum ministrum, qui in eo Principe populisque huiusmodi desiderium pondere rationis extingueret, quando per indulgentiam ipsis satisfieri par non erat. Pontifex monitis comprobatis [g] proposuit Legatis, vt Commendonus, Germaniæ vel maximè expertus, eligeretur; sed cùm is illinc abesset, & necessitas moram recusaret, nec inter Episcopos qui aderant quisquam esset, qui antelatus æmulationem non immeritò, adeoque molestiam in plurimis non excitaret, eam prouinciam demandarent Nicolao Ormanetto Veronensi, qui ibi commorabatur inter litteratos Nauageri familiares, viro docto, & probatæ virtutis, in eiusmodi negotijs experto; vt qui operam suam Polo Cardinali nauarat, cùm Britannia ad frugem redijt, sicuti eâ tempestate significauimus. Mandatorum, quæ à Legatis accepit [h], hæc erat sententia.

g Litteræ Borrom. ad Legat. 7. Iun.

h 31. Maij 1563.

Baua-

10 Bauariæ Ducem, eiusque ditiones semper in Fide Catholica per- 1563.
stitisse. Proximè superiori Quadragesimâ quosdam primarios ac turbulentiores homines illic obstrepuisse, quò vius Calicis, aliæque res nouæ, in Augustana Confessione contentę, obtinerentur. Ducem ad eam perturbationem sopiendam spopondisse, se aut impetraturum suis subditis Calicem ante festum S. Ioannis Baptistæ, aut prospecturum alio modo conseruationi Catholicæ Fidei absque tumultu. Cùm dies præstitutus instaret, ac dubitaretur, ne quid nouum ac pernicioſum contingeret, eò mitti Ormanettum cum litteris Legatorum, ac diplomatis, illi fidem conciliantibus, à Pontifice ad Ducem scriptis (ad Legatos ea diplomata peruenerant, relicto ibi vacuo interuallo, quod mittendi hominis nomine compleretur:) qui Ormanettus dum Oeniponte transiret, præter monita à Nuntio accipienda, de re ageret cum Stafilo & cum Canisio Ducis Theologis, quorum vterque doctrinâ, pietate ac studio erga Pontificem pollebat: vt vbi peruenisset, Duci ostenderet, eam causam communem esse etiam ditionibus Cæsaris, Regisque Christianissimi, in eo postulando concordium; proinde posse Ducem sibi certò persuadere, id à Concilio ac Pontifice nec neglectum nec protractum iri. Verùm cùm Patres Concilij tam grauem ad id indulgendum difficultatem experti fuissent, mirum non esse, si Pontifex extante Synodo in eo tam lentè se haberet, idque eò magis, quòd non liceret rem vni petentium concedere, & reliquis denegare: quare Pontificem satius putasse, Concilio eamdem causam denuò committere. Ducem posse exemplum petere à pietate ac prudentia Cæsaris, qui easdem difficultates morasque perpessus, ab omni nouo molimine se suis in prouincijs abstinuerat. Quod si popularis impetus ritum illum sibi per vim arripuisset, oportere vt saltem Dux longè abesset ab omni consensu, suæque auctoritatis impendio: secùs enim arrogantiæ & contumaciæ suorum subditorum illum fauturum: ansam præbiturum seditiosis disseminandi, petitionem fuisse rationi consentaneam, & similiter, ac in ea contigerat, rationi consentanea etiam fuisse, quæ de varijs capitibus Augustanæ Confessionis postulabantur. Quare ex concessione illa non quietem populis partum iri, sed peruicaciam turbatoribus, peruersionem in Religione, adeoque pariter in profano regimine, quod numquam tranquillitate frui solet inter sacri regiminis turbamenta. Ormanettus more cordatorum hominum, qui parum sibi fidunt, & plurimum præstant, quò difficilior visus est in eo negotio suscipiendo, eò magis strenuè se gessit in

1563. eo promouendo, magis fortunatè in perficiendo[i]. Atque hac de re satis.

[i] Ducis responsio in reditu Ormanetti ad Pontificem, plena obsequij erga illius voluntatem, obsignata est Monachij 15. Iunij 1563.

Alienum haud putarim ab officio historiæ, quæ perpetuum debet esse præmium ac supplicium humanorum operum apud posteritatem, referre laudes egregias, quibus Præsides per eos dies commendarunt duos Patres, à nobis sæpè memoratos. Fuit alter Gaspar à Fosso, ex Ordine Minimorum, Rhegiensis Archiepiscopus [k], qui reditum suam ad Ecclesiam proponebat, quò à quadam nascente contagione hæresis, quæ in Calabria detecta fuerat, illæsam eam custodiret. Sed Legati Pontifici significarunt, virum illum tanto esse emolumento, tantæque dignitati Concilio doctrinâ, virtute ac prudentiâ, vt illic non vtilis modò, sed necessarius ipsis videretur. Quapropter tametsi ab illo causa grauissima fuisset adducta, oportere, vt aliâ ratione rebus prospiceretur, & Pontificis auctoritas ad eum ibi retinendum adhiberetur. & consilio effecta responderunt. Alter fuit Ioannes Antonius Facchinettus Neocastrensis Episcopus, cuius fratris nepos est Cæsar Cardinalis Fachinettus, qui nunc ob virtutem ac purpuram & amatur & colitur. De illo scripserunt [l] ad Borromæum: virum esse doctissimum, maximoque usui Concilio, atque in dies singulos, & in cunctis rebus ab ipsis deprehendi virtute ac promeritis plenum. Quamuis autem is posteà Vaticanum Solium conscenderet, non minor fortasse gloria ipsius est, quòd summè dignus ante summos honores fuerit existimatus, quàm quòd summos honores consecutus. Sed à commendationibus ad euenta reuertamur, quæ aditum ad eas promerendas aperuerunt. Etenim vt in mercaturæ societate lucrum æquè diuidi solet inter eum qui operam & qui mercem impendit, perinde gloriæ dimidium virtuti, dimidium opportunitati tribuendum.

[k] Litteræ Legatorum ad Borromæum 24. Maij, & 10. Iun. 1563

[l] Litteræ Legatorum ad Borromæum 7. Iun. 1563.

CAPVT

CAPVT III. 1563.

Biragi aduentus Tridentum. Epistola Regis Christianissimi ab eo delata, eiusque ad Patres oratio ad recentem pacem excusandam, & morum emendationem vrgendam. Diuturnæ grauesque difficultates & contentiones de responso tandem compositio. Suauis in hoc errata. Synodi translatio in aliquam Germaniæ vrbem à Gallis optata, & à Carolo Rege per suum Oratorem proposita Philippo Regi, adiectâ contestatione, se aliter coactum iri ad rebus consulendum per propriæ nationis Synodum: & grauia ex opposito Philippi responsa.

1 TRidentum attigit exeunte Maio [a] Renatus Biragus, missus ad Cæsarem à Rege Galliæ. Legatos extemplò inuisit, atque ipsis expositit, penes se sui Regis epistolam esse, Concilio reddendam, cui Regis nomine recentem cum hæreticis pacem erat excusaturus. Habebat etiam in mandatis, vt ageret de Synodo in aliquam vrbem Germaniæ transferenda. Idcircò Legati, ob rem propositam suspicioſi: ab eo petiere, vt de more, antequam epistola solemni ritu exciperetur, illius exemplum ipsis traderet ad responsionem parandam: atque ita effectum est. Verùm nec ibi de translatione sermo erat, neque Biragus, prout ipsis confirmatum fuerat, habebat in animo de ea in Conuentu quidquam loqui: paratam quoque voluntatem præ se gerebat, nihil cum Cæsare super eadem loquendi, siue quòd Gallici illic ministri ostendissent, videri petitioni satisfieri non posse, nec sine magna molestia eam proponi; siue quòd animaduerteret, consequendum id non esse absque consensu Pontificis, Regisq; Catholici, ad quos Christianissimi Regis nomine perrexerant, ad alterum Allegrius, Oiselius ad alterum.

[a] Litteræ Legat. ad Borrom. 3. Iunij, & Diarium 2. Iun. 1563.

2 Ex ijs verò, quæ cum Philippo agebantur, spes euentus pendebat: cùm in comperto esset, absque prævalido illius Regis impulsu à Pontifice numquam animum ad eam mutationem inductum iri. Eapropter Oiselius [b] spectandas obtulit in quodam commentario, qui Kalendis Maij signatus erat, Galliæ calamitates ob discordiam in Religionis negotio, grauissimas iacturas ab armis illatas absque vllo fructu, necessitatem quæ Reginam adduxerat ad pacificationem ex communi præstantium procerum sententia; non tamen cessante bello cessare pericula, ne persistentibus adhuc intestinis

[b] Propositio, ac responsio extant apud Burghesios.

1563. nis certaminum causis, funesta in dies effecta resurgerent: aliud non agnosci remedium, nisi quod cum emolumento vsitatum fuerat in huiusmodi euentibus ab vniuersa antiquitate, hoc est, Oecumenicum Concilium, quo dissensiones illæ componerentur: Synodum Tridenti coactam ad id satis non esse, quippe quæ à complu-ribus Christianorum regnis, suas ibi partes à se exerceri negantibus, pro Oecumenica non habebatur; esse tamen sperandum, eam conuenturam in liberam aliquam Germaniæ vrbem, quales erant Spira, Wormatia, & Constantia. Idcircò Regem Catholicum à se rogari, vt pro suo in communem salutem studio, & pro amore in Regem Christianissimum, suæ coniugis fratrem, suam in eo opem coniungeret cum ipsius Regis opera, cum Cæsare, ac præcipue cum Pontifice, qui non propensiorem Tridento quàm alij cuipiam vrbi animum initio præ se tulerat, adeoque se minimè difficilem præbiturus fuisset. Vbi id non eueniret, testes Regi Christianissimo adfuturos Deum atque homines, nihil industriæ à se prætermissum ad Religionem promouendam, & ipsum coactum iri regno suo per propriam nationis Gallicanæ Synodum consulere.

Responsum illi est die nono Maij in hanc sententiam: Eo doloris sensu à Rege Catholico Galliæ calamitates, quo ipsius proprias accipi. Verum omnino esse, vnicam medicinam ad curanda Religionis dissidia petendam à Synodo Oecumenica. Idcircò cùm illius celebratio proposita fuit nomine Francisci Secundi Regis, qui viuentis Caroli Regis frater erat, Philippo Regi, ipsum, tametsi eà Synodo per se non indigeret, quin multas prænosceret difficultates, tamen in gratiam Caroli, vxoris suæ fratris, non modò consensisse, sed quàm efficacissimè potuerat, dedisse operam apud alios Principes Christianos, vt Tridentum ea cogeretur, sicuti postea contigerat; & complures iam menses illic peragi Concilium tantâ Præsulum frequentiâ, tanto nobilium capitum splendore, tantâ virorum præstantiâ, doctrinis exemplisque adspectabilium, auctam multis magnorum Principum legationibus, vt connumerari meretur inter frequentiora, præcipua, maximeque celeberrima, quæ unquam ex longo tempore habita fuerant in Christiana Republica. Dubitari non posse, illud esse legitimum & Oecumenicum, quippe à Romano Pontifice conuocatum, & per solemnes Ecclesiæ ritus. Nihil illi obesse aliquarum nationum absentiam: Oecumenicum Concilium non constitui præsentiâ omnium Præsulum capitumque, ius interueniendi obtinentium, sed auctoritate conuocationis, & solemni formâ promulgationis. Quod obiectabatur huic Concilio à transfugis

fugis ab Ecclesia, obiectari posse cunctis veteribus Concilijs Oecumenicis, in quibus semper defuerant nonnulli ex ijs qui conuenire poterant ac debebant. Quare vbi exceptio illa admitteretur, euersum iri vniuersè Synodorum omnium auctoritatem, adeò venerabilem quouis tempore in Ecclesia, & potissimum Fidei fundamentum; atque id esse quod à transfugis intendebatur. Etenim postquam iurisdictionem Apostolicæ Sedis, Principumque Catholicorum excusserant, nitebantur etiam Conciliorum potestatem abijcere, & immunem ab omni tribunali libertatem sibi constituere. Se non mediocriter ea sibi obiecta admirari: potissimùm verò ad Regem Christianissimum spectare defensionem auctoritatis Conciliorum, pro suorum imitatione maiorum. Translationi non esse adijciendam mentem, cùm sedes Tridentina tuta, commoda & opportuna videretur, electa iam vniuersali comprobatione, nec nouus conspiceretur titulus ad eam mutandam: mutatio verò ob difficultates & obstacula, quæ in conuocandis iterùm Patribus interuenirent, potiùs in dissolutionem quàm in translationem abitura esset, cum eorum iactura fructuum, quos à Concilio sperare licuisset vniuersæ Christianæ Reipublicæ, ac potissimùm Galliæ. Vrbes, quæ proponebantur, eas esse, quæ sine dubio nec Romano Pontifici, nec multis Principibus ac Præsulibus probarentur; nec immeritò, propter incommoda, discrimina, parum tutam sedem, aliasque rationes: atque id à transfugis intendi, non vt Concilium celebretur, sed vt omnino dissipetur. 1563.

4 Quod de propria nationis Synodo dicebatur, Regi Catholico ne per vllam quidem conditionem licere illam comprobare, nec abstinere se, ne Regi Christianissimo proponeret quod sibi occurrebat in negotio tanti momenti ad animarum ac ditionum salutem: Cùm iam extaret Synodus Oecumenica, & re ipsa argumenta Religionis agitaret; si propria vnius nationis celebraretur ad Galliam reformandam, rem omnino nouam futuram, & cum aperta scissione in Ecclesia, cuius auctoritas læderetur, non sine perturbatione tum vniuersali totius generis Christiani, tum peculiari Gallicæ nationis. Vsurpatas quidem fuisse nonnumquam ab Ecclesia Synodos proprias nationum, sed propter impedimentum, quo tunc Oecumenicarum conuocatio prohibebatur: vbi verò hæ re ipsa haberentur, semper negotia Religionis commissa ipsis fuisse. Quod si etiam id in genere vim non haberet, conspici peculiares causas, ob quas huiusmodi Synodus tunc in Gallia non expediebat; cùm cerneretur eâ tempestate Regnum illud ita diuisum, eaque

1563. Religionis dissidia essent tam valida ad abalienandos exacerbandosque eorum animos, in quos incidunt, cunctis humanis nexibus perfractis. Quando in illa natione in eiusmodi factiones, eoque inimicitiæ deuentum erat; vbi ambæ partes congregarentur, ad decernendas res in quibus tunc tam acriter sibi aduersabantur, nullam aut sperandam esse pacem ac tranquillitatem, sed maiorem dissensionem ac peruersionem timendam. Si in eo nationis Concilio Catholica sancirentur decreta; nec habitura fuisse auctoritatem apud obsequentes Ecclesiæ, qualem obtinerent, si ederentur ab Oecumenico; nec exceptum iri à transfugis, quibus obtenderetur species ad obiectandum, illa à suis ciuibus inimicis fuisse confecta. Sin ex oppositio propitium ibi decretum obtinuisset quæcumque ex ipsorum prauis sententijs, conuentum illum Ecclesiasticum laudibus ad cælum euecturos, ad perpetuam illius confirmationem, seque magis insanabili peruicacia obduraturos. Quod si spes esset reperiendæ in huiusmodi Synodo concordiæ, animaduerteret Regina, in dogmatibus Fidei nihil medium admitti, nec arbitrio locum concedi. Experimento compertum esse, quantum detrimenti hactenus intulissent licentia & dissimulatio. Spem igitur vnicam in Oecumenica Synodo Tridenti coacta collocandam: atque idcircò à Rege Catholico moneri ac rogari Regem Christianissimum, ac Reginam, vt ipsi vnà cum reliquis Christianis Principibus omnem suam operam conuerterent ad eam Synodum sustinendam ac promouendam, auctoritatem ac obedientiam Sedis Apostolicæ propugnantes, vrgentesque prosperum illius progressum apud Pontificem, in quo tantum Religionis studium, animusque tam recti appetens cernebatur. Quod autem attinebat ad decorum Concilij ordinem, ad integram Patrum libertatem, & ad expeditum emendationis processum, omnem à se suarum virium operam sponderi.

Hæc fuit sententia responsionis ab eo religioso Principe reddita: quæ cùm grati saporis non esset Suaui, non placuit ipsi eam admodum ore peruoluere, sed duabus generalibus voculis quasi expuit.

Non potuerat Tridentum horum notitia peruenire cùm peruenit Biragus. Quare is suspensâ translationis tractatione, & intentus tantummodò alteri sui muneris negotio, adfuit in Conuentu die secundo Iunij [c]; & ab eo qui à Secretis erat, Regis epistola [d] est recitata, & breuiter continebat id quod fusiùs posteà Biragus exposuit (Oratoris titulum hic non obtinebat, tametsi cum eo tamquam cum Oratore agebatur) cui fidem habendam à Patribus ea postu-

[c] Cuncta fusè in Actis arcis Æliæ die 2. & 5. Iunij.
[d] Signata 5. Aprilis.

postulabat. Posteà facundâ oratione ipse perorauit. Studuit palàm facere, Regem ac Reginam eius matrem merâ necessitate fuisse compulsos ad concordiam ineundam, quando nihil ex bello decerptum fuerat, nisi pertinacia hæreticorum, iacturæ Religionis, labores Catholicorum, contemptus Principis, profusio immensi sanguinis ciuilis, inclytorum virorum cædes, vastatio regionis, & frequentissimæ iniuriæ in Christum eiusque legem inflictæ. At verò sperari, per pacem erectum iri potestatem ac dignitatem Regis, simulque euenturum, vt charitas, ceteræque virtutes ipsius sociæ, in subditis reuiuiscerent, atque odio, æmulatione ac peruicacià cessantibus, veritati daretur locus, & rectæ Fidei cognitio remigraret. In hac Fide, & in obedientia Sedis Apostolicæ velle Regem ac Reginam viuere ac mori. Ad eam Fidem dilatandam postulari primo loco, vt corruptelis Ecclesia purgaretur: ex quauis in eo mora efficaciam medicinæ retundi. Patres itaque à Rege Christianissimo rogari, vt digno ac festino exitu Concilium absoluant. 1563.

6 Diu de responso fuerat cogitatum, cùm par esset, nec Oratorem eiusque Principem offendere, neque comprobare, aut quauis etiam tacità formâ excusare concordiam illam, quæ impietatem relinquebat effrænem, & cui Hispanos præsertim in comperto erat obluctaturos verbis ignem spirantibus, ad quem excitandum coniungebatur fortasse cum studio Religionis, æmulationis ardor. Quamobrem in Actis Episcopi Salmanticensis habetur, cunctos ab ea concordia abhorruisse, quæ Christum cum Belial copulabat. Legati arbitrati sunt satius fore, si non respondendo responderent: & quò tutius procederent, consilium de ipso respondendi modo habuerunt priùs cum Lotharingo, cum Madruccio, cum Ecclesiasticis Oratoribus Cæsareis, & cum Episcopis Præmissiensi & Augustensi, Oratoribus, altero Poloniæ, altero Sabaudiæ; sed nullo cum Oratoribus laicis habito sermone, ne hinc poneretur in more, vt exteri ad eiusmodi deliberationes aduocarentur: hinc verò id quod proponebatur, antequam prodiret in lucem, obarmaretur auctoritate summorum capitum, publicas personas agentium, adeoque ab aggressionibus tutum foret. Sententia ab illis concepta, & à cœtu comprobata hæc fuit: *Sacrosancta Synodus accepit quæ in litteris Christianissimi Regis continentur, & à vobis recitata sunt. Quibus quoniam opus erat vt ea melius expenderentur, suo tempore responsum reddet.*

7 Animum præ se tulere Gallici Oratores minimè acquiescentem huic formulæ, quæ responsionem negabat potiùs quàm reddebat. Tamen sperabant Præsides, eos neutiquam curaturos, vt illam

1563. posteà alia sensa continentem acciperent, quando nonnisi deteriorem præsentiebant à se accipi posse. Sed hoc non contigit. Etenim existimarunt Galli, aut despectum iri maiestatem, aut inustum iri notam Religioni sui Principis eo Conuentus silentio, quod cunctis mortalibus loquendi argumentum præbuisset. Quare oportuit, vt aliqua certa responsio excogitaretur, idque summâ habitâ ratione, dum varij Patres, & præsertim Hispani, denuntiabant Legatis [e], se obstituros, si vel vnica apponeretur syllaba, quæ consensionem vllam de recenti concordia præseferret. Post longam meditationem sic fuit digesta.

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum 8 Iun. & Vicomitis ad eumdem 7. Iun. 1563. & peculiaris narratio cœtus habiti 7. Iun. 1563. inter monumenta Gualterii, & acta Palæotti.

Summoperè lætatam fuisse Synodum elapsis mensibus ob victoriam à Deo concessam Regi Christianissimo aduersus veræ Religionis hostes, Diuinæque miserationi publicas grates egisse. Posteà acceptis paucos ante dies, priùs aliunde, dein à Birago Regis nomine, causis, quibus adductus ille fuerat ad arma deponenda, meritò illata in Religionis ac regni perturbatores, tantumdem mœroris in Patres incidisse. Fuisse summis & æquissimis notis expetitum, vt Regi licuisset in Fide Catholica tuenda persistere, nec se coactum cerneret ad cogitandum de pace, antequam hostes ex animo ad Deum à se indignè desertum redijssent. Iam verò quando res eò iam deuenerant extremo proborum omnium doloris sensu, Diuinam clementiam feruidis assiduisque precibus orandam esse, vt pacis consilia prosperiorem euentum quàm anteà belli artes consequerentur: siquidem nullum regnum in se diuisum perstare diutius potest, nec Rex vnicus imperare potis est populis Religionem vnicam non amplexantibus. Verumtamen acceptâ Regis Christianissimi legatione, vnum per incredibilem voluptatem ab ipsis auditum; Parisijs nobilissima in vrbe summam constantiam, summumque studium conseruandæ propugnandæque veræ Religionis efferbuisse. Dum enim arx illa, Galliæ Regia, clarissimumque disciplinarum omnium domicilium, intaminata persisteret, sperandum esse, ab ipsa tamquam à capite Catholicam doctrinam in subiectas Prouincias diffusum iri. Interim à Synodo, ad explicandas sui muneris partes, admoneri ac rogari per viscera Iesu Christi Christianissimam Reginam, id quod ipsa pollicebatur, vt sollicitudinem omnem, omnemque operam impenderet, quò tenellus Regis animus imbueretur ac firmaretur veræ pietatis cultu, atque obedientiâ in Apostolicam Sedem, eaque Diuina indoles, quam in puero admirabantur, vnà cum ætate crescret, procul semper ab omni contagione pestilentis doctrinæ, quo tandem possit vberri-

mos

mos fructus reddere, pares maiorum suorum gloriæ, & Christianorum omnium expectationi: nec minùs eamdem à se rogari, vt ipsa auctoritate suâ, quæ maximi debebat esse ponderis, apud omnes Regni Ordines omnem adhiberet conatum ad pertrahendos transfugas ad vnitatem Ecclesiæ, vnde ab ipsa & in cælo & in terra æternæ gloriæ fructus decerperetur. Ceterà quacumque in re licuisset Synodo ipsius studium ad Religionem restituendam iuuare, numquam passuram, vt quidquam industriæ ac pietatis suæ desiderari potuisset; adeoque præter communem Ecclesiæ vniuersæ correctionem, temporum conditioni consentaneam, suam à se operam nauatum iri, vt ea præscriberentur, quæ cognouisset ex afflatu sancti Spiritus ad Gallicarum Ecclesiarum vtilitatem conferre. 1563.

Per huiusmodi sensus visum est obseruantiam amoremque in Regem ostensum iri, non tamen idcircò excusari pacem, quin ne nominari quidem, sed solùm generatim, arma deposita.

9 Hæc responsionis idea à Legatis seorsim vtrique Cardinali ostensa est, & ab vtroque comprobata. Tum eam retulit in conuentum Moronus die septimo Iunij: & quoniam prænoscebat, complures Patrum crasso aurium iudicio rem neutiquam remissuros, exactiorem oculorum trutinam postulantes, ipse, quò & propositioni & dignitati suæ tutius caueret à dedecore cuiuscumque contradictionis, dixit in ea proponenda, Si cui libuisset digestas voces maturius perpendere, facultatem illi concedi exempli ab eo qui erat à Secretis sibi petendi.

10 Auditâ responsi formâ, Lotharingus prior in dicenda sententia studuit pactiones illas Galliæ cum hæreticis excusare: atque ad eam rem dixit, Regem se viribus destitutum, suppetijsque nudatum sensisse: Britannos ac Germanos ingentibus copijs cum hugonottis coniunctos: primarios regni proceres ac defensores necatos, aut captiuos: emunctum proprium ærarium, & alienam pecuniam leuiter aspersam, quandoquidem præter trecena aureorum millia, in menses singulos à Rege Catholico numerata, subuentum Regi non fuerat nisi per centum aureorum millia, à Venetis semel tradita; alia verò centum millia fuisse à Pontifice promissa, sed nondum plenè subministrata. Mox conuerso ad Synodum sermone, illi exprobrauit, Regem nihil subsidij ab ea accepisse, siue per pecuniam, nullâ decimarum habitâ collatione, siue per morum reparationem, octauo iam elapso mense absque Decretis. Eapropter questus est, voluisse Patres se iudices constituere de ijs quæ Rex gesserat, cùm is earum comprobationem ab ipsis non postularet, sed vo-

1563. luisset tantummodò simplicem facti seriem exponere. Ex eo Regem adactum ad concordiam fuisse, quòd cuncta non posset; adeoque commiseratione dignum videri, non doloris accessione, sinceræ voluntatis vitio ijs imputatis, quæ à violenta necessitate fuerant extorta. Ac per huiusmodi digressionem finem fecit dicendæ sententiæ, non dictâ sententiâ.

Post Lotharingum Madruccius valdè ambiguè locutus, cautionem tandem adiecit, consuetam planè in rebus maximè ambiguis: Si responsio maiori parti probaretur, eam sibi quoque probatum iri. Patriarchæ Hierosolymitanus ac Venetus, & cum ipsis complures Episcopi, exemplum responsionis, & spatium ad eam expendendam petiere. Postulabant alij exemplum articulorum, qui etiam in pacificatione sanciti fuerant; de quo Gallorum nonnulli acriter conquesti sunt: alij exemplar epistolæ regiæ, orationisque à Birago habitæ; aliter alij senserunt. Sententijs adeò variantibus, Marcus Laureus Dominicanus, Episcopus Campanensis, qui ægrotantis Massarelli munus supplebat, quò sententias distinctè seiungeret, initio ducto à Lotharingo, disertam eius sententiam ipsum rogauit; is verò respondit, digestam responsionem sibi non placere.

Equidem mihi vitio ducerem, si re quadam memorabili non lectores modò, sed historiarum scriptores hîc defraudarem: nimirum, ex vna parte per diserta verba in litteris Legatorum ad Borromæum reperiri, Moronum, id admiratum, publicè narrasse, eam responsionem anteà visam & comprobatam à Lotharingo fuisse, adeò vt id inficiari non posset; & ex altera parte in alijs litteris ad eumdem Borromæum, scriptis à Vicecomite, & à Gualterio, legi commendatam Moroni modestiam, quòd cùm ipsi licuisset in cœtus conspectu eiusmodi approbatione Lotharingum perstringere, illi pepercisset, solumque commemorasse, fuisse cum eo communicatam primam responsionem, generatim Birago redditam, quò certa responsio differretur: & tamen nullus hic locus est suspicandi aut ignorantiam, aut obliuionem, aut mendacium in re, quæ ante ora amborum narratorum ac ducentorum testium contigerat. Ad conciliandam hanc contradictionem, quæ apparet inter varios textus, eosdemque omnes authenticos, antequam plenam haurirem lucem ex Actis in Arce Ælia seruatis, quæ nonnisi post assumptionem Alexandri VII. meos sub oculos peruenere, aliquid mihi lucis affudit peculiaris quædam narratio eorum omnium, quæ eo die in Conuentu euenere, & inter Gualterij commentarios asseruatur. Illic habetur id quod posteà relatum in Acta con-

conſpexi, à Morono ſcilicet expoſitum fuiſſe Patribus in Conuentu vniuerſum rei geſtæ ordinem, & communicationem paratæ reſponſionis priùs habitam cum Lotharingo: ſed hæc non fuiſſe tunc ab illo narrata, cùm hic aduerſatus eſt, & dum contentio feruescebat, quo tempore id Lotharingo acerbiori exprobrationi fuiſſet; ſed poſtquam diſſenſio reſedit, animique ſedati ſunt. Hinc notabile elucet exemplum, quàm temerè ſcribendam ſibi hiſtoriam ſuſcipiat quicumque multiplicem non obtineat ſupellectilem monimentorum, inter quæ, vt vſu venit in minutis characteribus, alterum ad alterius interpretationem deducat. Nos verò rerum geſtarum ſeriem proſequamur. 1563.

15 Diſcordia hoc pacto ad concordiam fuit reuocata. Dum rumor acrius obſtrepebat, adeoque ipſis auctoribus moleſtius, Bobba Auguſtenſis Antiſtes & Sabaudi Ducis Orator confeſſui propoſuit, quò ab ea perturbatione euaderent, vt reſponſionis ſententia liberè committeretur Legatis, qui adhibitis quoſcumque vellent conſiliarijs eam ſtabilirent; cui plaudente Lancianenſi, poſteà, (ſicut euenire ſolet in contentionibus, vbi multum laſſitudinis, parum æmulationis adeſt) omnes vnâ voce conſenſerunt.

Eodem igitur die Legatorum Princeps domi ſuæ conuocauit præter collegas vtrumque Cardinalem, Epiſcopos Principum Oratores, & paucos præterea præſtantiores Patres, ac denuò ipſis expoſuit alteram breuiorem reſponſionem, quò ſinguli quid quiſque optauiſſet ſignificarent. Lotharingus dixit, eam ſibi plurimùm probari; ſed inſuetam illam proponendi rationem, à primo Legatorum adhibitam, ſibi diſplicuiſſe. Etenim cùm fuiſſet in more poſitum, vt lectis huiuſmodi ſcriptis in Conuentu, vnuſquiſque ſimpliciter ſententiam rogaretur, in eo caſu oblato exemplari, & ſpatio temporis ad deliberandum, excitam fuiſſe appetentiam rei ſubtiliùs perpendendæ, eiuſdem impugnandæ, & in peiorem partem trahendi id quod Rex egerat: ad quod defendendum rurſus ille acriter verba fecit; non tamen de vllo Principe conqueſtus eſt, ſed eos excuſauit: rectum animum Regis ex hoc ipſo comprobari, quòd per homines à ſe miſſos rei peractæ rationem redderet Pontifici, Concilio, & Principibus Catholicis, ſimulque diſertè declararet, velle ſe in antiqua Religione, & in obedientia erga Sedem Romanam perſiſtere. Non quidem à ſe commendari, fuiſſe à Regina miſſas haſce legationes, antequam reipſa pactiones expleſſent hugonotti, qui nondum Regi terras reſtituerant, neque copias in Germaniam inde comparatas remiſerant.

Moro-

1563. Moronus in eamdem sententiam, quâ in cœtu generali, lo- 14
cutus est, Consuetam formam, quâ Synodus regijs significationibus respondebat, ob peculiares rerum conditiones vsque ab initio fuisse mutatam ex eiusdem Lotharingi sententia; adeoque mirum ipsi putandum non esse, si tum ea de causa, tum ex aliquo tumultu, qui præcesserat de Patrum sententijs, alterâ etiam vice à consueto recessum fuerat: numquam sibi tantum arrogasset, vt postularet à tot egregijs Præsulibus consentiendum scripto à se delato, ne vnico quidem obtutu ab illis in ipsum coniecto. Sperandum quidem fuisse, vt ex libera ipsorum comitate hanc in se fiduciam exercerent, recitatione contenti; sed turbarum causam, si bonâ per ipsum veniâ fari liceret, Lotharingum fuisse, qui si verbo simplici, *placet*, respondisset, suâ præeunte sententiâ, exemplum reliquis ad idem agendum præbuisset, & aut nulla aut modica contradictio interuenisset; at verò tam multa illo differente, atque obiectante, alios ad eius imitationem excitos fuisse.

Lotharingus, à quo fortassis ad volubilitatem suam excusan- 15
dam ea ratio adducta fuerat, acquiescentem animum facilè præ se tulit, tantumque in restrictiori responsione, secundò digesta à Patribus selectis, breuem appendicem postulauit, quâ Reginæ adderetur plus animi ad Religioni fauendum.

Madruccius pariter excusationem attulit, ad aliquam incon- 16
stantiæ suæ speciem purgandam, affirmans se impulsum ab ijs quæ Lotharingus obiectarat, vt crederet, illum responsionis haud fuisse participem; quod in Galliæ negotio minime dissentaneum videbatur. Breuiter à cunctis est comprobata, cum appendicula ex Lotharingi consilio, & cum aliqua insuper leuicula variatione, pro eo quod fieri consueuit, cùm scriptum aliquod exactius expenditur. Sententia comprobatæ responsionis non discrepauit à priori, sed solùm quasi in compendium redacta est, & quædam voces, quæ ibi recentem pacem detestabantur, mitigatæ.

Quàm infortunata contigit Suaui huiusce facinoris narratio! 17
vix ille tenuem aliquam lucem de eo traxit ex paucis periodis, quas hac de re ad Borromæum scripsit Vicecomes, ad huiusmodi deliberationem à Legatis non accersitus: de ijs verò, quæ ipso præsente in Conuentu euenerunt, loquitur (vt fieri solet in argumentis, quæ ab alijs administris pro ipsorum munere significanda sunt) breuiter & confusè. Cùm itaque ignoraret Suauis quæ ab illius epistola non exponuntur, velletque inania interualla replere longè inanio-

inaniori coniecturâ, ac præterea ratus tamquam minimè dubium 1563.
id quod Vicecomes vt incertum apposuit, trahensque fidenter partem ambiguam & obscuram ad suæ mentis interpretationem, ridiculam picturam componit.

Dicit in primis, Eam fuisse primam functionem Campanensis Episcopi in munere Secretarij, in quo suffectus erat Episcopo Telesino, ex calculo laboranti; per id verò desijsse ex se ipsa difficultatem de petitione Cæsaris, Telesini causâ, vt duo constituerentur, qui Synodo essent à Secretis.

Cuncta è diuerso euenere. Campanensi id muneris demandatum est solùm ad tempus: quin vbi Telesinus moreretur, decretum fuerat, ne quis Episcoporum subrogaretur, quemadmodum Præsides ad Borromæum scripserunt [f] eodem die quo cœtus habi- [f] 7. Iunij.
tus est; vbi Campanensis cœpit absentis Massarelli partes explere, cùm illi obseruassent, sedente Paulo munus illud initio nulli ex Episcopis collatum fuisse, quorum dignitati ipsum haud congruere videbatur. Sed quoniam Massarellus ætate eiusdem Pauli & Iulijeo functus erat, ac propterea scripturas ac res gestas optimè callebat, tametsi posteà sacras infulas accepisset, ab ea singulari viri peritia impulsum fuisse Pium IV. ad ipsum eligendum, tametsi tiarâ cohonestatum. Sed is posteà conualuit, redijtque ad sui muneris administrationem vsque ad exitum Synodi; sicuti certè licebat Suaui animaduertere in Concilio per typos edito seu Antuerpiæ, seu Romæ Aldi Manutij operâ, anno proximo post absolutam Synodum, & sicuti nos in Actis perspeximus. Additus tamen in Cæsaris gratiam illi fuit Adamus Fumanus, vt ostendimus. Sed mirum profectò est, Suauem non ampliùs eorum memorem quæ anteà scripserat, & tum de munere commisso Campanensi, tum de Cæsare, non ampliùs sollicito illius muneris ob absentiam ægrotantis Massarelli, duas post paginas eumdem pariter narrare electionem Fumani tamquam additi Massarello, nondum sanitati restituto. Ego verò tum ex hoc, tum ex alio loco huic propinquo, vbi refert veram Lotharingi sententiam de instituendis Episcopis Cardinalibus, aduersùs quàm paulò anteà significarat, tum ex pluribus eiusmodi locis, animaduerto, conformatam ab eo fuisse hanc historiam diuisim per partes, totius operis ideâ ac rerum dispositione minimè conceptâ. Idcircò cùm vera quæpiam notitia delata ipsi est, proposito suo non contraria (contrariæ siquidem malitiosè ab eo prætermissæ) satis ille habuit, in ea pagina ipsas apponere, cui tunc stilum admo-

1563. uebat, nihil planè laborans id emendare quod alibi ex opposito scripserat.

Dein narrationem ad rei summam redigens, narrat, fuisse confectum quoddam exemplum responsionis Birago reddendæ, in qua pax Galliæ comprobabatur; sed à Lotharingo, eam edocto à Præsidibus, reprehensam, adeoque fuisse redditam ieiunam illam quam primo loco memorauimus, atque ea de re acriter conquestos in Lotharingum Gallicos Oratores fuisse: alteram postea responsionem, vtpote prolixam & ambiguam, à Lotharingo aliisque improbatam. Dignum planè commiseratione infortunium: quòd cùm ille tam sæpè quæ fortuitò scribit sortis aleæ committat, sors illi propitia non sit, vt veri aliquid assequatur. Legatis numquam in mentem incidit, vt vel vnicam voculam à Synodo proferendam curarent, quâ ea pacificatio comprobaretur; & vsque adeò ab hoc non resiluerunt ob Lotharingi dehortationes, vt ipse contrà in cœtu vnicè obstrepuerit, ne Patres ægrimoniam Regis augerent, opus illud, quod necessarium fuerat, quasi voluntarium siniſtrè interpretati Hispani quidem, non item Lotharingus, religiosissimè refellebant quamcumque vocem, quâ indicaretur eas pactiones à Patribus excusari. 18

Quòd autem Suauis ceterarum omnium conditionum, quæ in re tam memorabili contigerunt, nihil se conscium ostendat, exprobare illi parcam. Etenim vbi tantum falsitatis inest, tamquam vitium connumerari non debet ignorantia. Hæc naturæ conditio est; illa vel temeritas, vel malignitas scriptionis.

CAPVT IV.

Complura ab Episcopis pronuntiata de corruptelis. Varia consilia habita ad componendos Canones de Summi Pontificis & Episcoporum auctoritate. Animaduersa de illis vocibus: Catholica, *&* Vniuersalis, *&* Sedes Apostolica.

IN eodem conuentu die septimo [a] Iunij, & pridie & postridie habito, expensi sunt Canones de corruptelis: & alia ab aliis proposita consilia, quemadmodum mos est magnæ capitum frequentiæ, vt multa noua proferat, pauca statuat, cùm illud in singulorum, hoc dumtaxat in maioris partis arbitrio situm sit. Et quoniam opinamenta magis singularia vt inopinata, ita etiam accidunt gratiora curiosis lectoribus, eorum quo pacto ea notata comperio ab ijs qui interfuere, delectum habebo.

[a] Extat in narratione huius cœtus inter comment. Gualt.

Facchi-

2 Facchinettus, qui in quæstionibus discussis æquè doctè ac piè verba fecit, exposuit, longè à communi sensu de morum in Episcopis emendatione; sibi probatum iri, vt ipsi communi cum suis Canonicis mensâ vterentur. Sed hoc si admissum non est tamquam opus præscriptum, commendatum certè fuit tamquam numeris omnibus absolutum. 1563.

Non ita acceptum est quod Martinus Cordubensis Dominicanus Dertunensis Episcopus proposuit; qui consuetis cunctis formulis eligendi summum etiam Pontificem reiectis, affirmauit, sibi optimam formam videri, quâ Episcopi suum sibi successorem eligerent, sicuti Petrus (aiebat ille) Clementem elegerat. Adeò verum est, quemadmodum apud Æthiopes vultus niger pulchrior est albo, & quibusdam animantibus cibus gratus cicuta; ita nihil esse tam vniuersè repudiatum tamquam pessimum, quod alicuius ingenio non optimum videatur.

At verò complurium plausu exceptum est quod idem Episcopus dixit, & Antonius Augustinus fusiùs confirmauit, in omnium ore primæuæ Ecclesiæ emendationem versari: sed quò fidus cordis interpres oris sonus ostendatur, oportere illam præ manibus haberi, non autem oppleri domos argento, earumque parietes sumptuosè supellectili serico, auroque contexto exornari; sed quidquid pretiosum est, ad pedes Apostolorum proijci. Ita pariter disseruit Alexander Sfortia Parmensis Antistes: in quo creditum est, fuisse ab ipsis propositum, tamquam signum pungentium dictorum, Lotharingum. Adiecit Augustinus (pro eo ac vnusquisque pronus fertur ad leuerè postulandas eas dotes, quibus ipse abundat) Episcopos omnes seuero examini subijciendos esse, & eos, qui minùs idonei comperti fuissent, deponendos.

4 Melchior Auosmedianus Episcopus Guadixensis acriùs inuectus in Episcopos Titulares, in acerbas voces prorupit, Illos arte mali dæmonis, & Præsulum socordiâ in Ecclesiam inductos fuisse: non modò in posterum id prohibendum, sed iam promotos in Monasterijs ad agendam pœnitentiam includendos: deinde ne in odium incurreret alicuius, qui in eiusmodi conditione illic aderat, suaui quâdam restrictione asperitatem emollijt, eorum nonnullis, qui promererentur, Episcopatum cum Clero ac populo conferendum.

5 Hæc in paucis quibusdam libertas in vsibus præsentibus arguendis, rebusque nouis proponendis, quæ ab alijs reiectabantur, modicam tandem in Legatis molestiam pariebat, cùm id in quamdam

1563. inualidam ac perbreuem eruptionem linguæ totum abiret. Maiorem ipsis sollicitudinem incutiebant disputationes & quæstiones, quæ Synodum in æquales quasi partes diuisam, adeoque suspensam atque immotam tenebant. Quæstio, de qua maximum certamen erat, Ordinis doctrinam complectebatur, ob contrarias firmasque sententias trium amplissimarum Nationum. Galli vocem quamlibet recusabant, quæ summi Pontificis prærogatiuam supra Concilium sonaret, quæque aut Florentinum comprobaret, aut officeret Basileensi: Hispani tum de legitima Florentini firmitate, tum de prærogatiua Pontificis supra Concilia consentiebant; sed contendebant, vt apertè definiretur, Episcoporum institutionem, eorumque iurisdictionem esse iuris Diuini, tametsi à Romano Pontifice dependentem: Itali ferè vniuersi, & pauci quidam etiam ex memoratis nationibus, alijsque, Præsulum frequentiâ ibi carentibus, sententiam magis propitiam Pontifici in singulis illis capitibus tuebantur. Viris rerum experientibus & cordatis, ad quos vnicè hoc opus dirigitur, quique vnicè oblectationem eruditionemque possunt ab eo decerpere, nec admirationi, nec offensioni erit, quòd ex naturali hominis conditione in rebus non omninò perspicuis opinationes affectionibus admodum adhæreant: nec illis excidet è memoria, quamuis Synodus coniuncta cum Pontifice Deum sibi assistentem haberet, tamen vnumquemque Patrum errare de se posse, & ab animi commotione seduci; quemadmodum in elementis orbis naturalis singula tota corruptioni non subiacent, nec vmquam è statu ipsorum naturæ debito extrahi possunt, sed quæuis ipsorum pars & corruptioni obnoxia est, & motibus naturæ contrarijs. Quare mihi lubet haud dissimulanter hîc referre Concilij faciem id temporis, sicuti planè Legati eâm retulerunt Borromæo[b], simulque contrarias nationum affectiones, quas earum singulæ ad honestatem tendere existimabant. Atque ex his sibi aduersantibus magna ex parte oriebatur repugnantia sententiarum in dogmatum quæstionibus, & consiliorum in deliberationibus legum.

[b] 14. Iunij 1563.

Itali decus ingens & emolumentum gentis suæ putabant conser- 6
uationem maiestatis & potestatis in hoc Ecclesiastico principatu, quo Italia reliquis nationibus præstat, quantum eadem ob defectum sui Regis communis, & ex se orti, ab illis superatur. Quapropter (quibusdam exceptis, qui aut magis flexanimi, aut imbecilliores, se ab exteris regi sinebant) huiusce regionis Præsules non aliò spectabant nisi ad sustinendam Sedis Apostolicæ vim ac dignitatem, cùm ipsis videretur hinc æquè pendere & honorem Prouin-

cię,

ciæ, & Ecclesiæ bonum, adeoque à se simul in eo partes proborum 1563.
Italorum, proborumque Christianorum exercerí.

7 Hispanienses Episcopi, plerumque præstantes & Ecclesiarum amplitudine, & prouentuum copiâ, & quâ familiæ, quâ doctrinæ eminentiâ, & populorum veneratione, Cardinalium præcellentem gradum ægre ferebant, quippe sibi, paucis exceptis, insperabilem; nec minùs Pontificijs magistratibus, Romanisque tribunalibus se valdè subijci. Hinc sibi persuadebant, summum Ecclesiæ futurum emolumentum, si Cardinalium celsitas minueretur, simulque attollerentur antiqua Episcoporum iura, redditis illis ineptis ad Episcopatus, quorum optimi ijs traduntur; vnde auctoritate atque opulentiâ illi multum assurgunt; sed obstrictis, vt Romæ degant ad suas Ecclesias Titulares curandas, exercendumque Consiliariorum munus apud Pontificem, ademptâ abeundi facultate, nisi ad aliquam legationem; Episcopis verò integrâ potestate restitutâ, sublatis personarum causarumque immunitatibus, adeoque paulò minùs quàm supremi Principes suis in Diœcesibus euaderent.

8 Galli Præsules, vtpote qui minùs de iurisdictione Ecclesiastica possidebant, pro consuetudine illius Regni, regiam potestatem amplificantis, minùs etiam eam sibi substractam à Romanis Tribunalibus sentiebant, minusque conquerebantur, quòd Purpura Tiaræ vmbram affunderet. Sed ferè omnes animum conuertebant ad moderandam Pontificis monarchiam, ex sententia recentis Conuentus Basileensis, ab ipsis comprobati. Hoc enim pacto parum illis timenda fuissent Pontificis vetita, ac indicta ab eo supplicia; cùm semper ijsdem liceret ea retundere, Concilium siue conuocantibus, siue minitantibus, cui idcircò tribuebant auctoritatem supra Pontificem, &, quanta sit in Ecclesia, plenissimam.

9 Principes, aut certè ipsorum politici ministri, plus minúsve cupiebant Episcopis suarum regionum gratificari, quorum amplitudo non eam ipsis sollicitudinem inferebat, quam Romani Pontificis celsitudo ac potestas. Huc accedebat odium, quo illi detestabantur abusus quosdam, in Aula Romana id temporis persistentes.

10 Iam verò, quoniam acrior est æmulatio erga maiorem propinquum in gradu, quàm erga maximum, Hispanorum postulato plures fauebant, eorum emendationem tum in prærogatiuis, tum in numero, tum in conditionibus, tum in obligationibus flagitantes: de quo à Legatis comperio in omnibus ferè litteris illius temporis Borromæum admonitum, formidantibus ne colluuies cresceret. Etenim tametsi Galli id non admodum cuperent; ta-

1563. men verendum erat, ne ad consequendam Hispanorum opem in suis postulatis, cum ipsis in eo negotio, nihil sibi noxio, fœdus inirent. Quamobrem (sicuti scribebant) aut vetare vellet Pontifex Concilium, ne illum ordinem reformaret; & ingens inde acrimonia offensioque omnium transmontanorum præuidebatur: aut ad id permittendum paratus esset; & grauis animaduertebatur causa suspicandi, ne vbi cum aperto Religionis studio misceretur ardor inuidiæ, latens vel ipsos animos vbi degit, ab extructa emendationis machina deprimeretur ea dignitas, quæ præcipuus splendor est Ecclesiæ Romanæ suorumque Pontificum; dum ipsis licet constituere Senatores, qui prærogatiuis & ornamentis longè illa antecellerent, quæ cuiuis terreno Principi debeantur, adeò vt summorum Regum liberi ad huiusmodi gradum aspirent.

Sed cùm eo tempore certamen feruesceret de Ordinis doctrina, 11
ex qua erat opinio deductum iri maximi ponderis corollaria in
[c] In varijs litteris Legat. ad Borrom. à 10. vsque ad finem Iunij 1563.
Ecclesiastico regimine, Lotharingus [c] cupidus gloriæ quòd ipse tantum litigium composuisset, & Ecclesiam quasi pacificasset, simulque consiliorum ferax; tametsi frustrà paucis ante diebus digessisset nouum quoddam exemplum, sperans à se effectum iri vt id communiter exciperetur, non tamen manum retraxit: &
[d] Litteræ Legat 10. Maij ad Borrom.
operâ Fuscararij [d], in pretio habiti tum à se tum ab Hispanis (quibuscum in quæstionibus de mansione & de Episcoporum auctoritate consenserat) & intimi Legatorum primo, nouos semper modulos conficiebat, qui posteà subtilius expendebantur à delectu Theologorum, & Canones callentium, doctrinâ ac fide præstantium, qui à Legatis in consilium vocabantur. Nec superuacaneum putauerim, eos nominare. Erant itaque
[e] Litteræ Legat. ad Borrom. 10. Iun. 1563.
[e] Paulus Æmilius Verallius Archiepiscopus antè à Rossanensis, tunc verò Episcopus Caputaquensis, Castanea, Stella, suprà memoratus Fuscararius, Boncompagnus, Facchinettus, Lainius, Paleottus, Lancellottus, Castellius, & Salmeron.

Nunc verò actum est de tribuenda Summo Pontifici tanta pote- 12
state, quanta inerat S. Petro. Sed in hoc postulabant Pontificij, vt explicaretur qualis erat S. Petri potestas; cùm esset in comperto, hæreticos inficiari etiam in S. Petro supremam in Ecclesia auctoritatem. Itaque dicebant, in Pontifice esse potestatem pascendi *cunctas Christi oues:* sed vox illa *cunctas* videbatur importare sensum *distributiuum*, non *collectiuum*, vt Scholæ loquuntur; cùm significet vnamquamque ouem, non gregem integrum, & in vnum coëuntem. Præterea quoniam proponebatur, vt definiretur, Episcopos Apostolicæ Sedis

Sedis auctoritate institutos, esse legitimos, hæc etiam vox, *Apostolicæ Sedis*, videbatur ambigua; cùm eamdem aliàs vsurpassent Orientis Patriarchæ, præsertim verò qui præerant Ecclesijs, quarum Episcopus aliquis ex Apostolis institutus fuerat. Actum est de adijciendis Canoni super Summorum Pontificum auctoritate illis verbis, *Vniuersales Ecclesiæ Pastores*, desumptis ex Concilio Lugdunensi, adeoque maioris apud Gallos auctoritatis, maximè quòd legebatur, hoc ipsum Concilium adductum à Basileensi: & loco particulæ, *Oues Christi*, cogitatum est de voce collectiua, hoc est, *gregem Domini*, quemadmodum pro locutione Innocentij IV. Pius censuerat ad Legatos scribens, atque vt exprimeretur, *Petrum accepisse à Christo plenitudinem potestatis*. 1563.

13 Aliud exemplar exhibuerant Præsules Galli, quo volebant absolutè, vt approbarentur pro legitimis Episcopi Sedis Apostolicæ auctoritate instituti, absque restrictione, quæ solùm comprobatos auctoritate Romani Pontificis complecteretur causati præsertim, huiusmodi voces magis proprias esse, cùm accidat interdum Romani Pontificis mors, sed Apostolica Sedes semper viuat. Addebant, videri per solam mentionem de Romani Pontificis auctoritate excludi à conditione veri Episcopi & Timotheum, à Paulo creatum, & Polycarpum à Ioanne, & in præsentia tot Episcopos Græciæ; non tamen recusabant vt etiam definiretur, veros esse Episcopos qui à Romano Pontifice assumuntur. Quod verò ad ipsum spectabat, volebant vt appellaretur *Rector*, non *Ecclesiæ vniuersalis*, sed *Ecclesiæ Catholicæ*: quæ vox tametsi videretur idem valere, à compluribus tamen tamquam dubia repudiabatur; quando nomen *Catholici* aptum etiam est ad significandum *fidelem*, adeoque omnis Fidelium Episcopus dici quodammodo potest Episcopus Ecclesiæ Catholicæ: & in Latino idiomate, ex defectu articuli ab Italico vsurpati, ex particula, *Ecclesiæ Catholicæ*, potuisset æquè explicari Italicè, *della Chiesa Cattolica* (quæ vox vi articuli *della*, significat eam esse vnicam) ac explicari, *di Chiesa Cattolica*, quod non importat præter eam Ecclesiam Catholicam, cuius Episcopus erat Romanus Pontifex, esse etiam alias. Nec eiusmodi sensum in Concilijs nouum esse; etenim in quinta Synodo generali Collat. 5. dum adducuntur loca quædam ex Operibus Augustini desumpta, & ab ijs, quæ ipse dixit in quodam Carthaginensi Concilio, transferuntur illinc voces quæ sequuntur: *Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit*. Atque ad id confirmandum notarunt, legi in S. Cypriano, cùm ipse in Ecclesiæ sinum quosdam reciperet qui hæretici fuerant, non solùm

1563. lùm ab eo iussos esse confiteri, Cornelium esse Pastorem Ecclesiæ Catholicæ, sed eumdem hoc non contentum, voluisse vt adderetur, *id est, Vniuersalis*. Vnde ille rebatur, à posteriori vocabulo auferri quamdam dubitationem prioris: idcircò attributum Romano Pontifici videri in Synodo Lugdunensi epitheton *vniuersalis*. Quod si idem vtrâque voce significaretur, vt Galli dicebant, cur eorum vtramlibet æquè non admittebant? Tamen existimabatur, posse temperamentum capi, si diceretur, *totius Ecclesiæ Catholicæ*. Et sanè complures auctores erant, vt etiam absque addito acciperetur vox illa, quippe quæ extat in Symbolo, quæque præterea vsurpatur à Summis Pontificibus in solemnibus ipsorum subscriptionibus, adeoque vbi illi voci non acquiescerent, quasi quodammodò se in his detrimentum passos fatererentur. Sed contrà reponebatur, plus quæri claritatis, postquam recentes hæreses conatæ sunt peruersis interpretationibus obscurare antiquæ Scripturæ Ecclesiæque vocabula. Hinc verò necessitatem ortam esse, non solùm nouas in Concilijs definitiones edendi, sed interdum voces Symbolo adijciendi. Ad particulam, *assumpti auctoritate Sedis Apostolicæ*, addendum proponebatur, *quæ auctoritas residet in Romano Pontifice*; & vtramque huiusmodi variationem obtineri posse ex parte Gallorum, Fuscarius non desperabat.

Dum omni studio dabatur opera, vt exemplar propositum per 14
voces cunctis acceptas conficeretur [f], nuntius improuisus Lotha-
ringi ad eos delatus ipsos ab opere distraxit: A se suam illam ideam
fuisse propositam Gallis Episcopis; & dum confidebat eos vniuerse
illi assensuros, in pluribus repugnantiam ineluctabilem offensam
fuisse: se præstò esse ad eam per se subscribendam, sed absque spe
vt à Synodo comprobaretur.

[f] Litteræ Legat. ad Borrom. 13. Iunij 1563.

Hoc nuntio spes omnis in Legatis euanuit, quæ priùs etiam in 15
ipsis admodum tenuis fuerat, vt vlla reperiretur ratio, quâ cunctis
satisfieret in memoratis quæstionibus de Summi Pontificis & Epi-
scoporum auctoritate. Quamobrem in priuato ipsorum cœtu mu-
tato proposito actum est de nouo ineundo consilio; & in hanc sen-
tentiam conuenerunt, restrictiores Canones esse formandos, in
quibus omitteretur quidquid ad duos illos controuersos articulos
attinebat, adeò vt nihil cuiquam recusandum, sed tantummodò
desiderandum aliquid appareret. Hac ratione sperandum commu-
nem Patrum consensum, qui post tam diuturnam contentionem
neutri sperantes aduersarios aut ad se adductum, aut à se superatum iri, nollent à dubio clarum impediri. Ad id pariter ipsis vi-

sum

sum est opportunum, vt anteà de illo argumento statuerent, quàm sermo fieret de mansionis Decreto: & cùm intra biduum præfinitus ad Sessionem denuntiandam terminus elapsurus esset, vt dies præscriberetur non remotior integro mense; quippe quòd satius ipsis erat, paucâ semel ac breuî decernere, quàm ex desiderio pariendi gigantis in perpetua sterilitate langueſcere. Hæc ipsorum sensa die postero duobus Purpuratis atque Oratoribus significarunt: sed Oratores collaudatâ destinatione Sessionis ad tempus propinquum [f], simul Præsides rogarunt ne desererent negotium concordiæ, tam ingenti solatio ac dignitati futurum, cùm vnico momento consequi possent quod plurimorum mensium laborem compensaret. Quemadmodum euenit in Natura, vt nobiliorum formarum præparatio diuturna, inductio ad punctum temporis sit; & vniuersè plurima ingentium effectorum diu præparantur, intra momentum producuntur. 1563.

f Litteræ Legat. ad Borrom. 14. Iun. 1563.

CAPVT V.

Agitata clàm à Ferrerio cum Pontifice per Saracinellum, qui Gualterio à Secretis erat, Romam missum. Sessio præscripta idibus Iulijs Mandata Pontificis, Hispanis petentibus, vt declarari sinatur, aut tollatur particula, proponentibus Legatis; *& vehemens eorum repugnantia, ac præsertim Moroni, postea ab ipso Pontifice comprobata. Statuta à Cæsare profectio Oeniponte Viennam, & quare. Suauis errata.*

LEgati scripserunt ad Borromæum [a], sibi certò constare, repentinam illam Lotharingi mutationem ab iracundia fuisse profectam, quòd ab ipsis vocatus non fuerat ad peculiare quoddam Consilium, pridie ab ijsdem coactum, ad expendendam doctrinam ab illo propositam. Cuius rei excusationem ad eum deferri curarunt; nimirum, cùm illic iudicium esset ferendum de quodam scripto, cuius ipse auctor præcipuè agnoscebatur, eius præsentiam minimè consentaneam fuisse habitam ipsius dignitati, & consiliantium libertati. Præterquam quòd cùm agendum ibi esset de prærogatiua Romani Pontificis supra Concilium, haud opportunum existimatum fuerat, adesse aut ipsum aut alios, quibuscum incommodè huius argumenti quæstio haberi potuisset. Sed, vt mea fert opinio, id quod sibi certò constare Præsides crediderunt, falsum erat; quodque in Lotharingo vertebatur iracundiæ, artificium fuit.

a In prædicta epist. 13. Iun. 1563.

1563. Indicauimus alibi, vehementer cupijsse Ferrerium aliquid pro-
mereri apu. Pontificem, à quo non modicam remunerationem
sperabat. Cumque alteram ex his affectionibus ostentaret Gualte-
rio, alteram non omnino celabat [b]. Dum intento id animo reuol-
ueret, huiusmodi consilium in mentem incidit, quod Gualterio
proposuit: Cùm animaduerteretur, fieri non posse vt in ea Synodo
conuenirent, ob repugnantia inter se studia, indigentiasque varia-
rum Nationum, adeoque eæ leges inueniri non possent, quæ in-
star panaceæ cunctis morbis prodessent, & quasi pluens diuinitus manna cunctorum palatis placerent, celebrandam esse Sessionem illam super ea Decretorum parte, quæ concorditer probaretur; posteà verò dimittendos, impertitâ singularum nationum Episcopis facultate coëundi suis in regionibus, assistente Præside quem Pontifex designaret, ibique singuli illi cœtus deliberarent de ijs quæ suis prouincijs conducibilia censerent, eisque proprias sanctiones præscriberent; quæ sanctiones posteà mitterentur ad Romanum Pontificem, ante cuius confirmationem vim nullam obtinerent. Simili ratione aliàs ab aliquo Pontifice longinquis regionibus prospectum fuisse. Id esse facilius, conducibilius, atque etiam tutius Apostolicæ Sedi, quàm retinere diutiùs Concilium, conflatum ingenijs adeò vehementibus, & litigijs adeò periculosis implicatum. Comprobante Gualterio excogitatum consilium, adiecit Ferrerius, posse pro Gallia eo Præsidis munere cohonestari Lotharingum, & huiusce spendoris illicio facilius ad hoc ipsum trahi. Cui pariter assentiente Gualterio, Ferrerius rem arcanè concredidit Lotharingo, quasi propositam ab illius amico, cuius nomen reticere cogebatur; sed qui simul spem faciebat, Pontificem ad id inductum iri per hominem ea de causa Romam missum, vbi Lotharingus sponderet, se rem suscepturum, & quod in se erat promoturum. Ostendit posteà Ferrerius, Synodi contentiones indies magis implacabiles euadere, adeoque illius continuationem sine spe fructus, & cum iacturæ periculo futuram. In eo consilio bonum commune connexum conspici cum priuato Lotharingi, ob illius familiam, Cardinalis præsentiâ indigentem in Gallia, in quam ille tam honorificâ specie regrederetur. Gratum id Lotharingo supra modum fuit, suamque operam obtulit, quâ vsque ad Pontificis responsum Præsides per prudentem industriam detineret ne quid agerent, adeoque nihil noui succederet; spopondítque, vbi Pontifex consilio assentiretur, effecturum se, vt ea Sessio absolueretur, sopitis certè, si non compositis controuersijs

[b] Constat ex epist. Gualt. ad Borrom. 24. Maij 1563.

ferue-

ferueſcentibus: quod verò ad Galliæ poſtulata ſpectabat, perinde 1563.
geſturum ſe ac ipſe Borromæus Cardinalis, ſi ſuo loco fuiſſet. Denique in ſe recipiebat, effecturum ſe vt rei propoſitæ Regina ac Cæſar conſentirent. Tunc Ferrerius, quò rem efficaciter perageret, Lotharingum adegit, vt iureiurando ſe obſtringeret ad firmam conſtantiam, ac ſilentium ea de re ſeruandum, quod ſilentium adeò Ferrerius ipſe cuſtodiuit, adeoque à Gualterio exquiſiuit, vt ne ipſum quidem Gualterium tamquam rei ſequeſtrum Lotharingo indicauerit, & Gualterio vetuerit, ſubitam rei diſſolutionem interminatus, negotium cum Legatis communicare: & quamquam inter ipſos ageretur de re Morono concredenda, obiecit Ferrerius, hunc difficulter ſe poſteà retenturum, quò minùs id aperiret Collegis, ſaltem Simonettæ, in quem Lotharingus animum malè affectum gerebat. Verùm dubitari poteſt, tam ſecretum arcanum fuiſſe adhibitum à Ferrerio, quia hinc intelligebat, impeditâ rei communicatione inter Lotharingum & Gualterium, ſe communem motorem futurum: hinc verò quò paucioribus negotium innoteſceret, eò minùs in alios diuidi, eoque ampliùs honoris ac meriti ſibi ſeruari.

3 Hæc itaque in cauſa fortaſſe fuere, cur Lotharingus nouos implicaret obices, ne quid interim in Synodo conficeretur; tametſi nonnulli, rei intimæ neſcij, amanteſque potiùs falſa ſomniare, quàm ſe ipſos veritatis ignaros fateri, varias huiuſce rei cauſas commenti ſunt: [c] inter quas hæc pariter fuit, quòd nimirum id adſcriberetur cuidam contentioni inter Lotharingum & Archiepiſcopum Hydruntinum in quæſtione de Summi Pontificis auctoritate, iactis quidem verbis vtrimque amaris, ſed verecundis, ob quæ tamen Hydruntinum priuatim caſtigauit Lunenſis, affirmans, Regem, id ſi noſceret, moleſtè habiturum. Et ſanè peculiari causâ tunc mouebatur Lunenſis, vt pro virili beneuolentem ſibi Lotharingum redderet, quia Philippus Rex coniugium exoptabat inter filium ſuum, & Scotorum Reginam (cuius facie filius, pater dote [d] captus erat) genitam à Lotharingi fratre, non ſine occulta Gallicæ Reginæ moleſtia. Non tamen conſenſerant Legati propoſito ipſis conſilio, ne Hydruntinum ad eos peculiares cœtus vocarent, rati hinc animos detractum iri ijs, qui Pontificis auctoritatem ſuſtinebant, & exemplum præberi Pontificis ſtudioſis, ad nimium ſibi formidandum ab aduerſarijs; qua de cauſa indignatum fuiſſe Lotharingum creditum eſt. In his autem contentionibus contigerat, vt Draſcouizius dixerit [e], Se confeſtim inde exiturum, niſi contentio-

[c] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 13. Iunij, & 21. Iul. 1563

[d] Litt. Gualt. ad Borr. 17. & 28. Iunij.

[e] Litteræ Vicecomitis 19. Iunij, & altera poſteà, & narratio cœtus habiti 11. Iun. inter monumenta Gualterij.

1563. nes præciderentur, vt qui in Cæsaris mandatis habebat, ne disputationibus de illo argumento interesset, sed vt contestaretur, & secederet.

Tamen, vt opinor, vera causa, quæ memoratam concordiam à Lotharingo peractam interrupit, fuit arcana illa tractatio Gualterij, qui propterea miserat occultissimè [f] ad Borromæum iam vsque à quarto die Iunij Cyprianum Saracinellum Vrbinetanum, qui sibi à secretis erat, virum litteris ornatum, quemadmodum liquet ex quibusdam illius lucubrationibus expolitis in quadam illustrium Italicorum Poëtarum collectione, typis vulgata. Cortex quo nucleus celaretur fuit, quasi Bononiam mitteretur, atque inde posteà, veluti casu, Romam etiam pergeret. Eò peruenit, & rem proposuit eo planè tempore, quo turbulentiores in dies nuntij Tridento afferebantur. Quamobrem Pontifex libenter aures præbuit, remisitque Gualterio responsum, vt negotium prosequeretur, sed citra vltimum Pontificis consensum. Cum autem à Burdesio Cardinali alijsque admoneretur Lotharingus de accessu in Vrbem Saracinelli [g], ad arcana cum Pontifice transigenda, quod suspicionis argumentum afferebat; visum est Ferrerio, non posse diutius illum celari, Gualterium esse rei sequestrum, & missum ab illo Saracinellum, ipsi à Secretis, non aliò spectare, nisi vt delineata ab ipsis fabrica erigeretur. Quare Gualterius coràm egit ea de re cum Lotharingo; hic verò acceptissimum id sibi futurum professus est, non ambitione muneris, aiebat, sed vtilitate Sedis Apostolicæ, ad quam tuendam acriter verba fecerat per eos dies cum Antistite Metensi, alijsque Gallicis Patribus [h], qui in eam obloquebantur, & illos commonuerat, vt si vellent Pontificiam potestatem impugnare, nuntium priùs remitterent Sacerdotijs sibi à Pontifice impertitis; quisquis autem aduersus Pontificiam dignitatem sentiret, illum sibi non Orthodoxæ Fidei suspectum esse. In rebus etiam agendis cum Legatis nubilum in serenum mutauerat.

Sed præ cunctis felici rei processu gaudebat Ferrerius, dicens, sibi esse in votis, vt ipse destinaretur à Rege vnus ex ijs, qui conuentui Episcoporum in Gallia interessent, quò sibi daretur opportunitas inseruiendi Pontifici. Hic verò, vtpote experienti canâque prudentiâ Princeps, gnarus, à summo arcano duas adimi præualidas rotas negotiorum curriculo, aliorum scilicet in deliberatione consilium, & aliorum in executione adiumentum; existimauit, Præsidum notitiam à tanto negotio prorsus excludendam non esse. Idcircò illud per intimum fidei arcanum Morono significauit:

[f] Institutio, & inter commentarios Gualterij.

[g] Litt. Gualt. ad Borrom. 28. Iun. 1563

[h] Litt. Gualt. ad Borrom. 21. Iun. 1563 & aliæ per eos dies.

uit [i]: & quò rubiginem omnem inter ipsum & Gualterium præpediret, causas fusè protulit, quibus alter ad silentium adactus fuerat. Eidem iniunxit, vt rem illicò Simonettæ concrederet; ita tamen vt hic eius notitiam omnino apud ceteros dissimularet: vt Moronus ea de re ageret & cum Gualterio, & absque internuntio, vbi res postularet, cum Ferrerio ac Lotharingo, cui assensum præberet, simulque significaret, Pontificem, vbi consilium reipsa perficeretur, legationem Galliæ illi commissurum; ad alias nationes alios, prout sibi Diuino afflatu suggereretur, destinaturum: ne reliquis Legatis aperiretur rei tractatio, nisi cùm prænosceretur eius proxima confectio. Non posse absque Principum consensu consilium in opus deduci; sed cùm Gallorum Cæsarisque consensionem sibi Lotharingus polliceretur, putare Pontificem, posse pariter Philippi Regis assensum sibi polliceri: vt vbi res præstò esset, ea Concilio ex improuiso proponeretur, cùm obstaculum maximum ne ingentia molimina perficiantur sit, quòd ipsa dicantur. Adiecit: Propterea eò libentius in epistola communi ad Legatos sibi probari consilium ab ipsis susceptum, sibique tertio decimo Iunij significatum, vt omnino prætermitterentur in definitione duæ controuersiæ, quòd illud maximè consentaneum arcano illi negotio intelligebat. 1563.

[i] Litteræ Borrom. ad Moronum 26. & 30. Iun. 1563

Et sanè videbatur ad id mirificè conducere [k] tum destinata Cæsaris profectio, de qua infrà, vnde Concilij exitus ipsi optabilis redderetur, tum explicata ipsius opinio Lunensi, qui eò accesserat; vbi de Pontificia auctoritate ageretur, satius esse omnino reticere, quàm ambiguas voces vsurpare.

[k] Litt Guale. ad Borrom. 17. & 18. Iun. 1563.

6 Paulò priùs quàm Moronus hanc spem concordiæ ab Vrbe acciperet, acrem habuit Tridenti conflictum, cui non solùm cum exterorum ministris, sed etiam posteà cum Pontifice decertandum fuit, & de argumentis maximè arduis, plurimâ contentione ab initio vsque ad exitum huiusce sub Pio IV. conuocationis exagitatis. Conuenerat inter Legatos, duos reliquos Cardinales, & complures Oratorum, de die decimo quinto Iulij Sessioni præscribendo, cùm [l] Præsides Lunensis conuenit, eisque responsum ostendit, à Rege Catholico Oiselio redditum, & à nobis recensitum, ex quo summâ lætitiâ sunt affecti; sed non minori afflicti mœstitiâ, propterea quòd idem ipsis exposuit, compertum sibi esse, illis à Pontifice præcipi, vt curarent auferri aut explicari voces illas, *proponentibus Legatis*, de quo diserta Regis mandata habebat, sæpè repetita. Eos igitur à se rogari, vt breuem temporis moram traherent

[l] Litteræ Legatorum ad Borromæum 14. Iun. 1563

1563. ad denuntiandam Sessionem, quò eâdem operâ vtrumque Decretum in generali cœtu conficeretur.

Nec falsò Lunensis monitus fuerat. Spem huiusce rei fecerat Pontifex in responsione, reddita Auilæ codicillo, vti constitit: posteà quoque eius petitionibus indulgens, animum induxerat ad scribendam ad Legatos epistolam nono Maij, quam hîc eius verbis exponemus: *Quoniam hi Principes tantum instant, vt Synodus libertate fruatur, atque ipsis videtur per eas voces*, proponentibus Legatis, *nobis inscijs appositas, adimi libertas; ne grauemini Patribus proponere siue in generali cœtu, siue in Sessione, numquam mentis nostræ fuisse, vt per id libertas Synodo, sed vt confusio auferretur. Quocircà per vos cunctis compertum apertumq; sit, Concilium liberum esse. Quod si visum fuerit Synodo, memoratas voces declarandas, aut omnino tollendas esse, vos illi acquiescere, atque etiam scire quidquid hac in re Patres decernent, gratum nobis futurum, ac per id satisfactum iri, quò Principes omnes, populiq; cognoscant, velle nos quod in nobis est efficere, quò exitus obtineatur fructuosi Concilij, ac præsertim per probam ac seueram emendationem.* Posteà factus certior Pontifex à Morono, Cæsarem in eo consensisse, similem de Hispanis spem concepit, idemque per alias ad Præsides litteras significauit; numquam tamen propterea mandato, quod diximus, reuocato. Verùm non idcircò cessantibus aut tepescentibus Auilæ postulatis, iterùm ad Legatos scripsit duodecimo Iunij, Vbi Lunensis eam petitionem iteraret, ipsi satisfacerent secundùm epistolam suam, quam attulimus, haud habitâ eorum ratione, quæ posteà subsecutis litteris indicarat: sperari tamen, Lunensem acquieturum ijs quibus Cæsar acquieuerat. Hæc postrema epistola nondum peruenerat, cùm Lunensis ea quæ diximus postulauit. Verumtamen cùm primum mandatum adhuc vigeret, Legati huiusmodi responsum reddiderunt, Nihil posse id temporis committi aut inhonestius, aut perniciosius Concilio, quàm quod à Lunensi postulabatur, & Principes rei petitores statim suâ pœnitentiâ id ipsum animaduersuros. Sed quando id ille cupiebat, declarationis exemplum conficeret, ab ipsis expendendum: at verò moram Decreti ad Sessionem destinandam indulgeri non posse, cùm id cum multis Oratoribus, ac primarijs Synodi Patribus fuisset constitutum. Ita Legati. Et communi posteà consensu dies decimus quintus Iulij destinatus est [m]; solus Antistes Segobiensis, multis operibus quæ supererant connumeratis, ostendit, paucos interiectos fuisse Sessioni dies.

Non ita multò pòst redijt ad Legatos Lunensis, & quamquam [n] exemplum scriptum non afferret, exposuit, cupere se ob præsen-

[m] Litteræ Legatorum ad Borromæum 15. Iun. 1563 & Vicecom. eodem die.
[n] Litteræ Legat. ad Bortom. 17. Iun.

tis

tis & futurarum Synodorum libertatem, vt cuiuis Oratori, & cuiuis Episcopo proponere fas esset. Tunc Moronus, qui peculiari amoris affectione prosequebatur eam Præsidum prærogatiuam, quasi arcem virtute suâ propugnatam aduersus Cæsaris aggressiones, quibus deditionem facere iam Pontifex habuerat in animo, incredibiliter commotus est, eique respondit: Numquam ab vllo Rege quidquam magis noxium flagitatam fuisse vllam Synodum, quàm vt reuocaretur Decretum in Conuentu comprobatum, & confirmatum posteà in Sessione à centum decem Patribus, duobus tantummodò reluctantibus; quo perfracto Decreto, ea Synodus in confusionem perturbationemque intolerabilem ruitura erat: cùm iam Cæsar acquiesceret, par etiam futurum fuisse vt acquiesceret Rex, eoque procliuius, quòd ipsius Regis nomine nauabatur opera cuidam rei, quæ huic communi proponendi auctoritati aduersatur, nimirum, ne quidam Procurator, qui Tridentum venerat, missus à Canonicis Ecclesiarum Hispaniensium, audiretur. Quoties autem Legati animo reuoluebant, fore in potestate cuiusuis minimi Præsulis, loqui aut quidquid ipse opinaretur, aut quidquid suggereretur ab alijs aduersus Pontificem, aduersus ipsos, & aduersus quemcumque præcelsum virum, id adeò indignum ab ipsis putari, vt abituri priùs essent quàm hoc paterentur, adeoque de venia à Pontifice petenda à se deliberari. Quòd si libertati futurarum Synodorum prospicere intendebatur, posse Oratori satis esse, vt id in postrema Sessione per Decretum perficeretur, acceptâ priùs ab ipso huius rei sponsione. Post verba plurima, Lunensis aliquod præ se tulit indicium sui de re proposita consensus. Legati verò rem gestam ad Borromæum scribentes, adiecere, Vbi Lunensis in postulato persisteret, & Pontifex in proposito illi gratificandi, satius existimare, vt à Pontifice omnes illinc amouerentur, ne spectatores tanti sui dedecoris euaderent; præcipuè verò Moronum fateri, sibi ampliùs ad Synodum adeundam frontem non esse. 1563.

9 Lunensis, qui succumbebat quidem rationibus, cùm à Legatorum voce vehementiùs eius animo imprimebantur, sed sibi posteà, suisque cogitationibus relictus, nouam experiebatur vim, à regij mandati consideratione incussam sibi, misit ad Legatos [o] optatæ declarationis exemplum; & quò petitio validior simul atque excusabilior foret, studebat, vt fama tulit, vnà secum trahere Lotharingum, & cunctos Oratores, qui coniunctim darent operam, vt in Sessione proxima res conficeretur. Legati causas iam ex aduer-

[o] Litteræ Legat. ad Borrom. 19. Iun. 1563.

so

1563. so allatas ipsi repetierunt, adieceruntque, Vbi tamen ipse rem vrgeret, se mandata Pontificis haud prætermissuros; sed illum malorum omnium causam, reumque noxæ apud Deum futurum. Lunensis iter adornarat ad Cæsarem, paucos intra dies Oeniponte Viennam aditurum, ad conuocandos Episcopos Pannoniæ, suarumque reliquarum ditionum, quò deliberaretur, quo pacto & à quo tam optatus Calicis vsus esset petendus. Quamobrem Legati[p] ad Delfinum Nuntium scripserunt, vt curaret omnem operam ab eo Principe impendi ad persuadendum Lunensi, vt ijs acquiesceret quæ Cæsari consentanea rationi visa fuerant. Nec atramento pepercerunt apud Criuellum in Hispania Nuntium, Pontificem simul rogantes, vt suis litteris in vtraque Aula rem promoueret: ac denuò Moronus Collegarum omnium nomine illi significauit, se priùs quàm illic tantâ ignominiâ affecti persisterent, efflagitare à Pontifice, vt ipsos inde reuocaret, suasque manus emendationis operi Romæ admoueret; aut si hoc illi non probaretur, Moronum saltem inde amoueret, quippe cui nec os nec animus superfuisset.

p Constat ex alia Legatorũ epist. ad Borrom. 19. Iun. 1563.

Verùm huiusmodi denuntiationes Romæ, & eiusmodi adhortationes in Hispania, Legatos ab vrgente obtemperandi necessitate neutiquam liberabant. Forma expetitæ declarationis à Lunensi delata sic habebat [q]: Vt Synodus explicaret, fuisse voces illas adhibitas, quò significaretur ordinarius proponendi modus: non autem vt prohiberetur, siue Patribus, ne præter ea quæ à Præsidibus proponebantur alia liceret adijcere, pro eo quod ipsis opportunum videretur; siue Oratoribus, ne vbi Præsides negarent ea proponere quæ ab Oratoribus expetebantur, in ipsorum esset potestate eadem per se ipsos exponere.

q Cuncta extant in quodam monumento Gualterij 27. Iunij 1563.

Hoc planè tempore peruenit ad [r] Legatos Pontificis epistola quam retulimus, data duodecimo Iunij, per quam antegressa mandata confirmabantur. Sed ipsi quà rationibus quà clamoribus extorserunt ab Oratore, vt scripto contentus esset, quod ab illis subscriptum est vigesimo Iunij, nimirum pridie quàm per expeditos equos Oenipontem contenderet. In eo scripto commemoratis tum Regis mandatis Lunensi traditis, tum huius postulatis, & declarationis formulâ ab eo quæsitâ, tum etiam mandato Pontificis ad Legatos misso, ac rationibus publici detrimenti, quas ipsi obiecerant, addebatur; Duo ab ijsdem consilia fuisse Lunensi proposita; alterum, vt acquiesceret pactionibus in hoc initis cum Cæsare; alterum, vt illi satis esset eam declarationem obtinere ad finem præsentis Synodi, ob indemnitatem futurarum: vtrumque fuisse

r Hoc cõstat ex litteris Legat. ad Borrom. 21. Iun. in quibus dicunt receptas à se eius litteras 12. Iun.

ab

ab Lunensi reiectum, sed eumdem indulsisse, vt supersederetur vsque ad nouum sui Regis mandatum. Quod si Rex in priori proposito persisteret, Legatos polliceri, se memoratam declarationem Synodo actutum proposituros, atque vt comprobaretur curaturos. 1563.

11 Hæc Legatorum in obtemperando repugnantia, etiam antequam Romæ innotesceret Lunensis consensio, nulli fuit offensioni Pontifici; vtpote qui non minorem ipse repugnantiam in præcipiendo expertus fuerat. Quare ad Legatos rescribi iussit [f]: Quandoquidem ipsi, ac Moronus potissimum, tantam in eo auersationem animi patiebantur, nolle se illos cogere, sed ijs quæ præceperat reuocatis ipsos hortari, vt in eo constanter hærerent quod Moronus cum Cæsare stabilierat; siquidem traditum fuerat à Philippo Rege mandatum suis Oratoribus, antequam id actum esset, in quo mandato Rex causabatur, illud à cunctis Principibus efflagitari, quod tunc ampliùs verum non erat, adeoque credendum esse, Regi etiam satisfactum iri per ea quæ Cæsari satisfecerant: se super eo negotio ad Criuellum Nuntium scripsisse, & ab Aula pariter ac Varga, Hispanis Oratoribus, rem litteris propitijs fuisse promotam.

[f] Litteræ Borrom. ad Legatos 25. & 30. Iun. 1563

12 Vniuersam huius rei tractationem tot erroribus permiscet Suauis, vt me ad hominis commiserationem adduceret, si posset commiseratio non inquam in inimicum, sed in impium se flectere. Refert, tunc primùm ab Oratore cœptum esse mandatum regium depromi super ea re, quasi ad se Gallicæ Reginæ operâ delatum; at verò non solùm ante legationem illam Gallicam in Hispaniam, sed ex eo die quo primùm ille Tridentum accessit [t], mandata, de quibus dictum est, primo Legatorum efficacissimè exposuerat.

[t] Constat ex litteris prædictis Legat. ad Borrom. 16. Ap. 1563

13 Dicit, id Morono haud molestè fuisse, cùm rem intimè perno-sceret, intelligeretque, ea fuisse à Rege Catholico missa ob memoratas petitiones Reginæ Gallorum, & antequam ipsa statuisset apud se, in rebus Concilij Pontifici satisfacere. Absurdissima profectò ratiocinatio! Philippi Regis postulatum, de quo suprà, missum ab eo fuerat statim atque Decretum illud prodijt, semperque incredibili ardore continuatum. Atqui si quod narrat Suauis verum fuisset, Pontifex, qui omnium optimè de cunctis edocebatur, nonne intimam huius rei notitiam præ ceteris habuisset, adeoque numquam animum induxisset ad eas disertas, sibique molestas iussiones nono Maij & duodecimo Iunij tradendas? Quarum prior cognita ac producta à Lunensi, adeò Suauem latuit, vt in alium grauissimum errorem labatur, dum affirmat, Moronum

1563. dehortatum fuisse collegas ne ea de re scriberent ad Pontificem: at ex opposito non modò necesse illis fuit de ea scribere, sed offerre Oratori, vbi [u] ipse in incepto persisteret, se in opus deducturos Pontificis iussionem. Denique, si, vti scribit Suauis, Moronus hanc rei medullam subtilius introspexisset, certissimum est, illum haud prætermissurum fuisse, quin rem aperiret Pontifici, vbi is aliunde non detexisset, & quin ita acerbitatem illius pertinacis contumaciæ mitigaret: & tamen in eius litteris ne nutus quidem; quin hac de causa veniam non semel petijt legationis deponendæ. Et sanè hoc intimum rei arcanum nullum erat, non solùm quod spectat ad potissimum negotium, verum etiam quod spectat ad eam mutationem, quam Suauis pro certa assumit ex parte Reginæ, quemadmodum infrà patebit.

[u] Litteræ Legat. ad Pontificē 14. Iun. 1563.

Neque hîc sistit Suauiana erratorum colluuies in his narrationibus. Post aliquot paginas mentionem facit Pontificiæ iussionis, tamquam perlatæ ad Præsides post memoratam Oratoris postulationem; & adijcit, per responsum illi redditum à Morono, hoc est, *se numquam illi consensurum, & cupere se potiùs quàm vmquam illi declarationi acquiescere, vt ipsum Pontifex amoueret*, cùm antè cum suis Collegis de eo minimè deliberasset, sollicitudinem illis de ipsorum auctoritate incussam fuisse, quippè quòd se nimium ille supra reliquos extollere videretur. In primis quænam sollicitudo ingenerari poterat in Collegis, quòd Moronus absque ipsorum consilio, &, etiamsi hoc contigisset, aduersus eorum consilium suo nomine, ac de seipso verba fecisset? Sed argumentis opus non est. Huiusce narrationis falsitas reuincitur duabus litteris, in quibus omnes Legati simul ea de re ad Pontificem scripserunt ijsdem sensibus, & omnes abeundi veniam petierunt, vbi mandatum illud re ipsa exequendum esset; tametsi in vtriusque litteris ostensum est, huiusmodi sensum, illorum singulis communem, Morono firmiorem inhæsisse. 14

Postremò dicit, Cæsarem suasisse Lunensi, vt ab eo consilio Regem dehortaretur, eique tamquam nouum consilium proposuisse, vbi dubium esset, ne libertas futurarum Synodorum læderetur, declarationem ad illius finem satis fore. At ignorat, huiusmodi consilium vetus esse, & Lunensi cum ipsius repulsa propositum ab ipsis Legatis. Origo, tempus, & locus, quæ sunt magis communes rerum omnium conditiones, omnium pariter errorum in ijs describendis argumentum sunt, cùm omne falsum ex multis veris conflatur, sed tamquam aut originem trahentibus vnde non traxerint, 15

aut

aut existentibus quo tempore non extiterunt, aut ibi collocatis vbi non fuerint: atque ab hoc triplici fonte, vt ita loquar, Suauis vanum suum, sed tamen nigrum atramentum haurit tribus vasculis, nunc nequitiâ, nunc temeritate, nunc infortunio. 1563.

CAPVT VI.

Libertas relicta Concilio à Pontifice, tum in disciplinæ, tum in doctrinæ sanctionibus. Quo pacto ipse se purget ob concessas Mantuæ Insulas Federico Gonzagæ. Quid ageret de Cardinalibus. Lainij sententia; & Suauis in eum calumniæ, cum alijs mendacijs, præsertim de sententijs Lotharingi.

1 NEc sine valida causa Legati ab ea proponendi facultate minimè circumscripta abhorrebant, gnari quantum habilitatis cuiusuis ingenium sibi arroget in legibus statuendis, & quàm periculosum sit, vrnæ committere id, quod principio allicit splendore ac voluptate nouitatis, & quod si posteà experimento haud rectè succedit, non peculiare quoddam opus, sed rectum humani regiminis ordinem euertit. Et re ipsa Trideti tunc indies crescebant tum emendationis postulata in genere, tum quæ super ea peculiariter proponebantur. Quapropter Legati facultates vniuersales sibi sæpiùs traditas haud satis ducentes, cupiebant, vt Pontifex mentem suam in eo distinctè significaret. Hic verò per Borromæum epistolam ad eos scripsit [a], multis alijs consonantem, quarum in ea fit mentio generalis, & quarum aliquæ aut summatim à me indicatæ sunt, aut etiam silentio præteritæ. Sed libet hîc huius epistolæ verba ipsa referre, quò melius intelligat vnusquisque, cuiusmodi erat in Concilio libertas, & quàm integram Pontifex illam seruabat. *Hæc postrema emendationis capita à vobis missa, quibus delecti Patres pleraque Principum postulata complexi sunt, tametsi, vt dicitis, nondum exactè à vobis stabilita sint, grata tamen Pontifici fuere, quòd animaduertit, operam à vobis impendi, vt vndique res tractandæ promoueantur. Qua de causa vos commendat Pontifex, ac vobis benè precatur. Quod spectat ad ipsius mentem, idem dicit; cùm iam sæpius in vobis reposuerit hæc emendationis argumenta, non nisi id ipsum repetere nunc etiam vult; cùm in animo habeat, quidquid à vobis & à Synodo decretum confectumq; fuerit, rectè peractum existimare, gnarus, semper à vobis Diuinum obsequium, bonumq; publicum spectatum iri. Hoc vnum occurrit Pontifici quod vos moneat, num fortè, vbi sermo est de non concedendis Coadiutorijs,*

[a] 16. Iunij 1563.

1563. *& regreſsibus, opportunum eſſet, irrita reddere etiam ea, quæ iam conceſſa ſunt, ſed nondum in opus deducta. Qua in re Pontifex retur parum ſupereſſe difficultatis, præterquam in Coadiutoribus qui conſecrati iam ſunt, & Epiſcopi titulares, qui propterea arceri non poſſunt ab Epiſcopali gradu, ſicuti arceri poſſunt ſimplices Coadiutores. Tamen hoc ipſum pariter Pontifex in vobis & in Synodi Patribus reponit, & vult, vt ipſi ſibi ſatisfaciant; ſimulq; vos per Deum obteſtatur, vt hanc Pontificis voluntatem, quâ cuncta in vobis ac Synodo reponit, nunc accipiatis, & habeatis tamquam ſemper perſeuerantem; atque per eam ſinceritatem, quæ decet egregiam, opinionem, à Pontifice conceptam de veſtro iudicio ac probitate, incumbatis quàm maximâ fieri poteſt celeritate ad negotium proſequendum.*

Eamdem libertatem voluit Pontifex in Synodo de ſanctionibus 2 Doctrinæ. Idcircò cùm Præſides formam ad eum miſiſſent, quæ priùs cum Lotharingo expendebatur, ſimulque indicaſſent propenſos Cæſarianorum animos ad curandam concordiam, eodem quo diximus die [b] reſcribi illis iuſſit; & collaudatâ piâ illorum Oratorum operâ, ſubdidit: *Pontifex dicit, ſicut in reliquis omnibus libenter huc vſque veſtræ prudentiæ rectoq; iudicio ſe commiſit, ita in hoc pariter agere velle; cùm ſperet, repertum iri à vobis rationem & aditum ad conficienda quæ ſpectant ad hæc argumenta, ita vt ſatisfiat pijs omnibus hominibus, qui Synodo interſunt, & huius ſanctæ Sedis honor ac dignitas ſeruentur. Non tamen omittet Pontifex ſuper hiſce rebus conſilium habere. Quod ſi opus fuerit vos commoneri de re aliqua magni momenti, expeditum tabellarium ad vos mittemus, prout oportuerit; ſed non idcirco deſiſtatis progredi & agere, atque concludere in tempore, perinde ac ſi nihil hinc præſtolaremini. Pontifici ſiquidem quidquid vos ſtatueritis, gratum accidet.*

[b] 16. Iunij.

Verùm Legati ſuam ipſorum in eo ſecuritatem voluntati Pon- 3 tificis anteponebant; ideò in Decretis tam grauidis ingentium effectorum, nolebant anteà paginam ſignare quàm ipſorum manus dirigeretur. Poſt Seſſionis deſtinationem, noua quædam forma [c] concepta fuerat, quæ neque Gallis neque Hiſpanis diſplicebat: ſed quamquam comprobata à maiori eorum parte, qui à Legatis ad conſilia adhibebantur, non omninò probabatur quibuſdam religioſioribus in ſtudio Pontificiæ auctoritatis, quibus ea conflata videbatur verbis, quæ inſtar quorumdam characterum pulchra eſſent ad ſpeciem, non perſpicua ad intelligentiam, quippe varios in ſenſus flexibilia. Quare poſteà, ſiue durante, ſiue finito Concilio, ab aduerſarijs Apoſtolicæ Sedis facilè in peiorem partem detorqueri poſſent. Ex altera parte Legati animaduertebant, opus eſſe, vt aliquid concluderetur, & ancipites erant, an oporteret aut ſemel aggre-

[c] Conſtat ex duabus Legatorum ad Borromæum 18. Iun. 1563

aggredi definitionem de Summi Pontificis prærogatiua supra Concilium, quæ vbi ab ipso Concilio declararetur, ad omne in Ecclesia schisma perpetuò aditum obstruebat; an consultius foret discriminis aleam declinare, ne ad euitanda schismata possibilia in schisma reipsa offenderetur. Miserunt igitur ad Borromæum memoratam formam; fusiùs exposuerunt vitia & obices, quæ ab ipsis in quouis consilio cernebantur; & postremò Pontificem rogarunt, vt ipse confestim expromeret aperte mentem suam per expeditum tabellarium, quando tempus vrgebat, nullâ re ipsorum iudicio commissâ in tam graui ac periculoso negotio. 1563.

4 Pontifex re cogitâ, dùm vt maximè feruebat, tametsi tacita & arcana, rei tractatio cum Lotharingo, iussit ad Legatos rescribi: [d] Cùm ipsi noluissent vti auctoritate toties illis impertitâ, sed Pontificis iudicium exquirerent, velle se ea de re consilium habere cum ampliori Purpuratorum cœtu, & etiam cùm Principum Oratoribus; gratum tamen ipsi futurum, si interim alterum consilium, ipsis anteà perscriptum, exequerentur; nimirum, vt vtramque controuersiam prætermitterent. Vnum quidem Pontifici doluit, & idem cum Legatis [e] questus est, quòd cùm ipsis minimè libuerat adhibere libertatem concessam, quin & imperatam, sed rem denuò cum ipso communicarant, eiusque sententiam præstolabantur, id euulgassent, reiecto in Pontificem non labore modò, sed accusationum onere; præsertim dum Synodus rem in ipso liberè non reponeret, in quo euentu libentior onus suscepisset. Etenim in alterutrius necessitatem ab illis adducebatur, aut dissimulandi (quod in rebus ad Fidem spectantibus numquam feciſſet) difficultates, quæ sibi occurrissent; aut suscipiendi commune odium, quamuis indebitum, quasi concordiæ perturbatoris. Sed Legati se postmodum excusarunt: quod attinebat ad primum, in re inæstimabilis momenti ipsorum Principi, per nullam mandati solùm generalis amplitudinem se absolutum iri temeritatis apud sapientum ac suarum conscientiarum tribunal: quod ad alterum spectabat, communicationem illius negotij extendi ad tot Oratores ac Præsules, quibus oportuerat palàm fieri honestissimam causam suspendendi responsi, vt ipsius vulgationem impedire nequissent.

[d] 26. Iunij 1563.

[e] Litteræ Borrom. ad Legat. 30. Iunij & 6. Iulij 1563.

5 Hæc tunc de Doctrina, De emendatione, ea quæ vehementissimè à reliquis postulabatur, & ob quam Legati acerrimam suspicionem concipiebant, ad Cardinales spectabat. Hanc affirmabat [f] Lotharingus omnino & concorditer expeti à Cæsare, & à Regibus Galliæ, Hispaniæ & Lusitaniæ. Legati verò veriti, ne ibi ex perturbatis ani-

[f] Litteræ Legat. ad Borrom. 19. Iun. & aliæ multæ ipsorum ac Vicecomit. & Gualt. per ea tempora.

1563. animorum affectionibus immoderatior ea statueretur, Pontificem hortabantur, vt ipse illam Romæ stabiliret; eique proponebant qualem vniuersaliter probatum iri arbitrabantur. Iam verò hac de re Borromæus secretis notis [g] ad Moronum scripsit, In emendatione ab ipsis proposita prohibitionem contineri, (quæ pariter inerat in capitibus [h] postremi Comitij) fas non esse ad eum ordinem promoueri, qui viuentem in eo fratrem haberet: Pontificem pedetentim in hanc iussionem procedere, quippe quæ Parmensem Episcopum, & Cardinalem S. Floræ, Camerarium, eius fratrem læsisset. Et sanè prudentium oculis non modica in ipsis æstimationis causa obuersabatur ob familiarum, personarum, munerum & affinitatum conditionem, cùm præsertim sobrini fratres essent Parmensis Ducis & Farnesij Cardinalis. Et plane paulò antè contigerat, vt Tridenti spargeretur falsus quidam rumor, sicuti fieri consueuit de rebus Romæ gestis, nimirum, ibi Cardinalium creationem adornari [i]; &, pro eo ac mendacium audax esse solet, etiam eorum catalogus vulgatus est. Ad hanc vocem Synodus vniuersa incredibiliter commota est, cùm ea sibi videretur parumpendi, dum Pontifex eorum numerum augebat, de quo minuendo tunc ibi consulebatur. Sed præter communem commotionem etiam peculiaris excita est: nam in commentitia nota neque Columna neque Sfortia legebantur; vnde mendax aliud murmur exortum est, illos ob indignationem ad Lotharingi partes se conlecturos. Legati Pontificem generatim monuere, quantum ea Cardinalium cooptatio Tridentinos tumultus esset promotura: sed pro responso certam rei falsitatem accepere. Interim verò Simonetta, ad metum pronus, per litteras peculiares significauit, quæ de duobus Præsulibus deblaterabantur; nec sibi temperare potuit, quin suspicionem suam (affectionem animi loquacem) ipsi Sfortiæ palàm faceret, qui supra modum id sibi offensioni ducens, dixit, Paratum à se animum geri ad æqui bonique consulendum quidquid Pontifex decreuisset; sed absque indignatione tolerari non posse, quod in animo suo eiusmodi sensus crederentur, parabatque veniam abeundi Tridento petere, nisi hominem nonnemo retinuisset. Hoc Sfortiæ responsum, quod in litterarum Vicecomitis volumine Suauis legit, noluit ille narrare dum reliqua huiusce rei gestæ recenset, reuomente illius stomacho quasi superfluens, quidquid in eum boni casu introducitur.

Porrò tametsi adeò grauia obiectarentur, concludebat Borromæus in epistola, quam diximus arcanis characteribus scriptam de

[g] 29. Maij 1563.

[h] In cap. 4. Comitij ante electionem Pij IV.

[i] Constat ex litter. Legat. ad Borrom. 24. Maij, & Vicecomitis 3. Iun. 1563

de peculiari argumento Cardinalium, ac de prohibitione, ne duo fratres ad eum gradum eueherentur: *Tamen vbi memorata emendatio istic conficienda sit, Pontificis mens non erit, vt hac de causa opus tam egregium præpediatur: sed se vobis ac Synodo remittit, qui peragatis quidquid in hoc vobis visum fuerit.* Postea verò scriptum est ad Legatos in hæc verba: *Cardinalium emendationi hîc opera nauatur. Verumtamen vbi contigerit istic agitari articulos de reformandis Diaconis, Sacerdotibus, aut Episcopis, quos opportunum erit extendi pariter ad Cardinales, licebit vobis eos disertè nominare: siquidem Pontificis mens est, vt iuxtà illi ac reliqui reformentur.* 1563.

7 Verùm huiusmodi emendationes ab eo reiectæ sunt, qui ipsas cupere ostentabat, cùm honorem sperabat in ijs petendis absque detrimento impetrandi. Statim ac Legati cœperunt capita de reformandis Cardinalibus communicare cum Lotharingo [k], qui ad id tam acriter illos extimularat, recusauit is iudicium ferre, affirmans, nondum apud se rem statuisse; ac posteà de eo colloquens cum quibusdam Patribus, ostendit, haud opportunum à se censeri restrictionem illius Ordinis admodum seueram. Mihi verò, ne hoc argumentum diuidatur, libet hîc inserere aliam epistolam memoriâ dignam, quam eadem de re post non multos dies scribi iussit Pontifex à Borromæo ad Legatos [l]. *Quoniam in negotio de reformandis Cardinalibus, Reuerendissimi Domini ad hoc selecti, inter se, & etiam coram Pontifice rem agitarunt, nec tamen huc vsque de aliquo conuenire potuerunt, quod existimetur à Pontifice satisfactum iri Patribus Synodi, ac reliquis hanc emendationem tam acriter postulantibus; cùm videatur Pontifici res non ampliùs differenda, me iussit ad vos scribere, vt nihil præterea hinc expectantes, peragatis in hoc negotio vnà cum Synodo quidquid vobis in rem fore videbitur, siue nominatim expressis Cardinalibus in cunctis emendationis capitibus, quæ confecta & conficienda sunt, quò intelligant se quoque comprehendi; siue seorsim emendatione confectâ, quæ solùm ad ipsos spectet; siue quo pacto melius illis videbitur. Neque in hoc vlla ratio habeatur: nam quæcumque tandem emendatio conficiatur, numquam poterit videri Pontifici nimis seuera, cùm velit tum in hac, tum in cunctis reliquis honestis rebus, vt Synodo ac Principibus satisfiat; quod iussum ad hunc vsque diem haud fuisset protractum, nisi adfuisset spes hîc aliquid effectum iri quod satis foret.*

k Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 24. Iun. 1563

l 10. Iulij 1563.

8 Aliud quoque in hanc rem acciderat minimè reticendum [m]. Complures insimulabant Pontificem, quòd eius facta illius Concilij sanctionibus derogarent: de quo Præsides illum certiorem fecerunt,

m Litteræ Legat. ad Borrom. 28. Maij 1563.

1563. runt, argumentis querelæ indicatis. Is porrò extemplò ad reliqua capita respondit, ostendens, falsa esse ea quæ sibi apponebantur. Vnum addidit, à Legatis non connumeratum, hoc est, concessam à se fuisse Mantuanam Ecclesiam Federico Cardinali Gonzagæ, nondum ætate maturâ, prout illius Synodi Decreta [n] postulabant: sed factum purgabat, cùm Federicus ætatem eam & gradum Sacerdotalem obtineret, litteris ac præclarissimis virtutibus ornatus, frater eiusdem Ducis Mantuani, atque idcircò supra reliquos illi Ecclesiæ idoneus, assiduis deprecationibus commendatus à Cæsare, parente fratriæ ipsius Federici, nescisse Pontificem id negare. In quo tamen comperio, illum diu se difficilem præbuisse. Et quoniam Moronus significarat [o], Cæsarem eâ obseruantiâ prosequi Synodum illam, vt quasi libenter toleraret repulsam suæ deprecationis, Pontifex [p], cùm premeretur postulationibus Oratoris Cæsarei, illi patefecit, quò se defenderet, quæ à suo Legato acceperat. Orator ea Gonzagis significauit: hi verò propterea de Morono conquesti sunt; hic autem apud Pontificem expostulauit, quòd res à se fidenter illi patefacta, tam sublimium virorum animos in ipsum male affectos reddidisset. Id autem Pontifex ægrè tulit, acriter conquestus de Oratore, quòd sine sui Principis vtilitate eam notitiam sparsisset, quæ non nisi sementis absinthij posset euadere: nec certè destitit, donec certiores fecit Gonzagas, Moronum simul, dum pro suo munere significabat Pontifici, Cæsaris animum sibi compertum, illi pariter per aliud peculiare scriptum suasisse, vt eam Tiaram in Federico collocaret: ac posteà certum reddidit Moronum, nihil ipsi de illorum Principum beneuolentia detractum.

n Sess.7. c.1. & Sess.12.c.2

o Die 7. Maij in relatione alibi commemorata.

p Constat ex epistola Borrom. ad Simonettam 8. Iunij, & ad Moronum 12. Iun. 1563

Sed hæc extra Concilium: ibi verò intentis Patrum animis per continuos cœtus ad reparandam disciplinam, habitoque à quibusdam sermone plurimo ad legum relaxationes prohibendas, perinde quasi eiusmodi prohibitione tum constitutæ tum digestæ leges adamantinæ essent futuræ, ablatâ Pontifici potestate eas in perpetuum variandi; Didacus Lainius, qui postremus de more verba fecit, in hanc sententiam disseruit [q]: Duas emendationis classes distinxit: alteram in animis, interioris virtutis operâ; & hanc dixit numquam esse nimiam posse, sed ad eam legum humanarum vim minimè peruenire; illam implorandam esse à Diuinagratia, quâ pro se quisque conferre operam in animo suo studeret. Alteram fatam esse in operibus ad disciplinam externumque regimen spectantibus, quæ ab humanis sanctionibus normam capit, & in quibusdam exte-

q Litteræ Legat. ad Borrom. 17. Iun. 1563. & Acta Paleotti, & Arcis Æliæ.

exterioribus rebus versatur, quæ per se ipsæ bonæ non sunt, sed conducunt ad eas, quæ suopte ingenio bonæ sunt. In hac peccari posse exuperantiâ æquè ac defectu: eam esse præscriptum à prudentia politica medicamentum. Iam verò medicamenti opportunitatem metiendam non esse morbi grauitate, nec bonâ valetudine, quam ægrotus alijs annis possedit, sed beneficio, quod reipsa possit illi conferre eius præsens conditio & corporis habitudo, cùm debeant cunctæ leges charitatis legi concedere. Quapropter par esse, vt retineantur, aut relaxentur, aut mutentur, pro eo quod charitas suadet; sed hæc omnia per legitimam moderantium auctoritatem. Atque hac normâ propositas sanctiones expendit, alias comprobando, alias refellendo. 1563.

10 Quod attinebat ad priorem de Episcoporum electione, considerauit, eam posse duobus modis fieri, vel à Clericis, vel à laicis: & eorum modorum quemlibet rursus dupliciter; alterum aut à Summo Pontifice, aut à minoribus clericis; alterum aut à Principibus, aut à populis. Omnes huiusmodi electiones vitio esse obnoxias, cùm electores, quippe homines, à peccandi & errandi periculo haud sint immunes. Tamen ipsam in se spectatam melioris esse conditionis electionem quæ fit à Clericis, tum quòd meliùs Clerici cognoscantur à Clericis quàm à laicis, tum quòd Clericus ratione status maiori fertur studio in res Diuinas, maioremque à Deo afflatum accipit. Inter electiones à laicis pendentes, optimam esse quæ à Principibus habetur: inter electiones ab Ecclesiasticis profectas, optimam esse, quæ fit à supremo Pontifice, & per Cardinales; eius siquidem auctores sunt viri præstantissimi, cuiusmodi par est vt sint Cardinales ad curandam Ecclesiam instituti: sed vt eiusmodi electio optima est, cùm ordinata, perinde pessimam euadere cùm inordinata est. Proximè ad hanc accedere illam, quæ fit à suffraganeis simul cum Metropolita. Tertium præstantiæ locum tribuit electioni, cuius auctores sunt Canonici, sicut in Germania; non tamen electiones, quæ naturâ suâ meliores sunt, meliores esse in quauis conditione temporis, loci, ac personarum.

11 Progressus est, restituendas non esse suffraganeis electiones, quasi Diuini iuris id esset, quemadmodum quorumdam ferebat opinio. Inuolui in hoc errorem Fidei repugnantem: hinc enim fuisset deductum, electiones aliter habitas, non esse legitimas; adeoque Ecclesiam deerasse, quòd eos, qui Episcopi non erant, tamquam Episcopos accepisset: illos, qui contendebant huiusmodi antiquos vsus reuocare, moueri mali dæmonis impulsu, & idcircò non agi ab

1563. ipsis, vt veteris Ecclesiæ ieiunia & afflictationes corporis reponerentur, quæ carnem edomant, sed hoc electionis genus, quod carni fauet. Profectò primæuos Episcopos, ab Apostolis institutos, & ab ijs missos ad gentibus prædicandum, aliorum consensu haud electos fuisse. Nec valere: *Tales electiones priscis temporibus vsurpatæ sunt, igitur in vsum sunt reuocandæ*: potiùs contrarium confici; quandoquidem experimento deprehensa sunt eorum incommoda, & quò ea tollerentur, abolitæ. Dubitare se de Gallis id postulantibus, vtpote qui à Deo fortasse puniebantur præsentibus infortunijs, ob aliquam eorum secessionem, vsque ab ætate Basileensis Concilij. Episcoporum examen habendum comprobauit, ita tamen, vt per illud integer ipsorum vitæ cursus expenderetur.

Episcopos per merum titulum creandos non esse, nisi ex necessi- 12
tate; sed erroneum esse, inficiari eos veros Episcopos esse, cùm Ecclesia vt Episcopos habeat, & adoret hostias consecratas à Sacerdotibus, qui ab illis sacros Ordines susceperunt: indigere his Episcopis amplas Diœceses, vt in Germania, quibus per vnum dumtaxat satisfieri nequit; & ex altera parte opportunum non est vt ipsæ diuidantur, cùm illic Ecclesiasticorum potentiâ opus sit.

Duplici modo Episcopos initiari posse, vel certæ Ecclesiæ destinatos, vel indiscriminatim omnibus, sicut Apostolos; & hac ratione, quæ nobilissima est, initiari Euangelij præcones: posse quoque aliquos initiari, etiamsi nullam in vlla Ecclesia iurisdictionem obtineant, quo pacto initiatus fuit Presbyter S. Paulinus Episcopus Nolanus, & sicuti religiosi mendicantes certis cœnobijs non sunt affixi.

Impugnauit mutationem de Sacerdotum ætate: post Canones 13
postremò promulgatos hac de re nihil esse variatum, quod nouam legem postularet: Ecclesiasticorum incontinentiam non ab ætatis, sed ab educationis vitio proficisci. Huiusmodi consilium esse mali dæmonis artificium, quò dum sacerdotium coarctatur ad senectutem, & Diaconatus ad scientiam concionandi, Clerus destruatur.

Tria sibi videri necessaria, nimirum, vt vnusquisque secundùm Canones ingrederetur in Ecclesias; vt pariter ex præscripto Canonum eas administraret; atque vt Magistratus statueretur, qui peruigilem huius duplicis legis tutelam gereret.

Consulendum esse, ne consanguineis Ecclesiæ traderentur: id enim in causa erat, vt ineptis traderentur, neque illis, qui eas ambiunt, ac petunt: præterea, ne resignarentur Ecclesiæ retentis fructibus, quod ipsarum erat pernicies.

Affirma-

14 Affirmauit, eam rationem charitatis, de qua principio dixerat, habendam esse non modò cùm leges in vniuersum constituuntur, sed cùm exercentur moderate, in peculiaribus conditionibus. Hîc verò studuit explicare vtilitatem & condecentiam recentiorum relaxationum, adducto ad id confirmandum testimonio doctissimi ac seueriſſimi Patris S. Bernardi, qui ad hanc rem propendebat. Mandata quædam esse immutabilia, adeoque nullius laxamenti capacia; alia mutabilia, & ideò quoque relaxationibus obnoxia, pro rerum conditionibus. In eo spectandum esse non vsum antiquitatis, non austerum exemplum vnius aut alterius è sanctis Patribus sed id quod charitas postulat in conditionibus huius hominis & huius temporis. Hanc doctrinam declarauit, obseruans, Diuinam legem esse de rebus necessarijs: & immutabilibus, & idcircò eam relaxari non posse; Ecclesiasticam de peculiaribus, quæ Diuinæ obseruationem faciliorem reddunt: & quia hæ mutationem admittunt, ideò in Ecclesia quodam Capite opus esse, quod posset, prout opportunum est, eas relaxare. Huiusmodi auctoritatem à Christo fuisse traditam Summo Pontifici, nec posse à quopiam eam illi adimi; id enim institutioni Christi, & bono publico aduersaretur: nec validum esse obiectum, eâ interdum abuti Pontificem; omnis quippe Princeps ac Magistratus supremus potest in hoc vitium prolabi. Legem ipsam, quâ sanciretur, id relaxari non posse, oportere legem humanam esse, adeoque relaxationum capacem. Et quamquam Pontifex voto se obstringeret, numquam se legem relaxaturum, huiusce voti obligationem cessare, quoties opportunum esset ex charitate legem relaxari. 1563.

Ad auferendos abusus relaxationum, sanciendum esse, ne populi eas peterent nisi ex causis admodum grauibus: & vbi oporteret, in relaxatione concedenda mulcta imponeretur; eam in pauperum subsidia distribuendam. Ceterum legum relaxandarum vsum inueniri vsque à Pauli Apostoli ætate, qui hominem quem anteà anathemate obstrinxerat, posteà exoluit.

15 Hæc planè comperio ex celebri illo prolixoque sermone Lainij de summa articulorum, in compendiarijs notis Paleotti, & eius qui Synodo à Secretis erat. De reliquo certum est, hominem tam doctè locutum fuisse, vt Legati memoratum sermonem tamquam singularis præstantiæ miserint ad Borromæum. Ipsis tamen displicuit, Lainium, præter ea quæ modò recitauimus, sinceriùs quàm cautiùs dixisse (quod in memoratas notas relatum non est) emendationem Aulæ Romanæ meliùs ac citiùs perfici posse à Pontifice,

1563. in quo summa illius peritia cum auctoritate copulabatur; Synodum verò, dum ad eam peculiarem correctionem modico emolumento distrahebatur, priuari vberrimo fructu, quem ab vniuersali emendatione collegissent, ad quam diiudicandam omnes Episcopi satis peritiæ obtinebant, & quæ in ipsorum arbitratu à Pontifice omnino reponebatur: at verò emendationem Aulæ, vbi ea in Synodo fuisset decreta, si posteà Pontifici non probaretur, aut ab illo reuocatum iri, aut ipsi derogatum: atque in explicanda huius rationis efficacia succensus est ad auctoritatem Pontificis supra cuncta Concilia comprobandam; nec sibi temperauit, quin illos perstringeret, qui eam negabant. Quod profectò Gallos ad susurrandum plurimùm vellicauit, suspicatos, Lainium aut volentibus aut conscijs Legatis in eam sententiam disserüisse: & quemadmodum [r] suspicionis ingenium est, intueri cunctis in rebus colorem, quo eius oculi suffunduntur, addebant pro argumento, prærogatiuas Lainio à Legatis in Concilio tributas: cùm enim illic reliqui Regularium Ordinum summi Præsides in suo loco dicerent, & stantes, ille in medium procedere, ac sedere iubebatur: & quamuis interdum eius oratio prolixissimè protraheretur, prolixitas in alijs reprehensa, in eo argumentum laudis euaserat, vsque adeò, vt nonnumquam ad eum solum audiendum generales cœtus habiti fuerint. Iam verò priuilegia iam dicta, quæ ibi Lainio concedebantur, diligenter à Suaui recensentur, quò eadem siniſtra interpretatio deducatur, haud animaduertente, ipsius, satyras abire in præconia. Cuiusuis mens non hebes satis intelliget, hos honores singulares impatibiles futuros fuisse in huiusmodi Conuentu, nisi virtuti singulari tributos; quin ne huic virtuti quidem, nisi singulari modestiâ exornatæ. Virtuti siquidem tunc reliquis omnibus haud displicet vt plurimum tribuatur, cùm efficit modestia, vt parum sibi tribuat eius possessor, neque se alijs anteferens ex superbia, nec anhelans altiori supra reliquos gradui ex ambitione. Ceterùm aderant illic complures supremi Moderatores Regularium familiarum, quæ id temporis amplitudine incomparabili familiam à Lainio administratam superabant, adeoque de Sede Apostolica benemeriti, vt primus eorum in gradu ad purpuram euectus sit. Et insipientia plane est, existimare, à Legatis ea decora fuisse Lainio impertita, quòd feruentium propugnatorum penuriâ laborarent.

[r] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 16. Iun. 1563

Sed quoniam tela quò sunt acutiora, eò altiùs feriunt, ij qui ab argumentis Lainij petiti fuerant, quò validum in illum excitarent vltorem, studuerunt persuadere Lotharingo, in ipsum à Lainio

suos

suos ictus fuisse intentatos. Quod vbi resciuit Lainius, se apud Lotharingum purgauit, ostendens, sibi in animo non fuisse illum arguere, nec pariter Præsules Gallos; sed tantùm quosdam Sorbonæ Theologos, omnino Basileensi Concilio addictos. Nec motus vltrà processit. 1563.

16 Verumtamen Suauianum sinapi ex minimo semine attollitur in altissimam plantam, cui tamen deprehendere licet radicem veritatis deesse, ex eo quod ipse scribit vsque ab initio huius amplificatæ narrationis. Etenim non solùm pro certo ponit, commotionem Gallorum in Lainium oriri ex improbatione, quâ ipsorum sententias in Concilio ille reiecit, non autem, vt verè orta est, ex exprobatione, à Suaui ignorata, ipsorum culpæ, ac diuini supplicij; sed refert, Præsules Galliæ, ac præcipuè Verdunensem Episcopum, nisi fuissent à Lotharingo cohibiti, voluisse disputationem Lainij quasi quamdam insaniam confutare. Quoniam impugnauerat sententiam, affirmantem, legis relaxandæ facultatem non nisi in declarandi atque interpretandi facultate sitam esse, deducto hinc absurdo corollario, vbi id verum esset, præstantiorem in egregio doctore, quàm in eminente Præsule illam repertum iri. Contra huiusmodi argumentum inducit Suauis eos Episcopos acriter vociferantes, In Ecclesia clauem potentiæ dissociatam à claui scientiæ non esse traditam; Paulum, dum scribit ad Timotheum, se Apostolum esse constitutum, se pariter Doctorem Gentium declarasse; ab eo semper in Præsulibus doctrinam postulari in Ecclesia primitiua; ad Episcopos confugi ad impetrandas legum relaxationes, quia melius instructi doctrinâ eligebantur Episcopi; & ætate recenti Scholasticos, ac præsertim Canonum Consultos docere, legum relaxationes à Præsulibus concessas efficaciter valere, *Claue non errante.* Odium ac temeritas Suauis eò progrediuntur, vt quò in Iesuitam, & in propugnatorem Sedis Apostolicæ obloquatur, religiosos illos ac doctos Patres inducat impia ac stulta vociferantes. Quænam hominis Catholici mens tam monstrosam opinationem peperit, Præsulum potestatem ac doctrinam esse æquali mensurâ metiendas? Verum est, supremo Pontifici traditas esse duas illas claues, alteram scientiæ, quâ immunis redditur ab errore in Diuini Verbi explicatione; alteram potestatis, quâ in ipsius manu iurisdictionis plenitudo collocatur. Verum pariter est, Paulum Apostolum fuisse Doctorem Gentium, quoniam huiusmodi fuit munus Apostolatus, cùm Christus vniuersè dixerit Apostolis f: *Docete omnes Gentes*: & quia spectat ad Apostoli munus, esse Dei nuntium, voce ac f Matth.28.

1563. scripto erroris immunem: sed quid prosunt hæc omnia ad arguendum, Ecclesiasticam iurisdictionem non aliud nisi scientiam esse, adeoque relaxandæ legis auctoritatem esse meram facultatem declarandæ atque interpretandæ legis? & ad Lainium castigandum, quòd inde arguisset, tamquam quoddam absurdum, plus auctoritatis ad relaxandas leges inesse in magno Doctore, quàm in magno Præsule? Enimuerò si in Ecclesia potestas à scientia seiungi nequit, aut affirmandum nobis est, Summo Pontifici etiam in exercenda iurisdictione, quin & cunctis Præsulibus, adesse semper lumen diuinitus afflatum, cuius vi deerrare non possint; à quo sanè illi Episcopi, multoque magis Suauis abhorrebat: aut dicendum erit, fas esse cuique, suo Præsidi haud obtemperare, cùm illum doctrinâ præditum non agnoscit, & suum ipsius iudicium, aut priuati doctoris sententiam anteferre mandato Episcopi, Summi Pontificis, & ipsius Concilij, vbi seipsum doctorémve illum doctiorem putauerit Episcopo, ac Summo Pontifice, & illâ Patrum parte, quæ decreto consensit. Quod si hoc in sacro regimine admitteretur, id ipsum in profano valere; & opportunè caderet ad detorquendum in hanc sententiam effatum Philosophi in Politices initio, *Sapientissimum ex natura imperare*, adeoque cuncti Principatus pessumirent; & vt sibi quisque maiorem quàm sit in alijs sapientiam arrogat, ita posset vnusquisque seipsum existimare legitimum sui Præsulis Præsulem, & sui Principis Principem. Equidem haud putauerim venenum deterius hoc argumento in hominum mentes infundi posse.

Ad antiquitatis exemplа veniamus, quando calumniatoris histo- 17
ria ab illo Episcopo ea producta comminiscitur. Ac primò quidem certumne nobis est, S. Petrum scientiâ S. Paulo præstitisse? Profectò videntur complures SS. Patres & ipse sanctus Paulus id negare; vnde ex huiusmodi Theologiæ pronuntiatis Principatus sancti Petri euerteretur; quod ne cogitationem quidem Catholicorum illorum Præsulum attigit. A verisimili ad manifestum progrediamur. Extincto sancto Petro, affirmare quis ausit, eos summos Pontifices, quorum ætate superfuit sanctus Ioannes, à Christi pectore sapientiâ potatus, ipsi doctrinâ excelluisse? Is igitur, & non illi, extitit id temporis supremus Pontifex. Perge porrò. Cùm erat in vsu, vt Episcopi nominatione populi eligerentur, num fortè certum erat, ab hoc ignaro iudice semper doctissimos secretos fuisse? Sed hoc concedamus: solane in selectu de doctrina ratio habebatur, an etiam de multis reliquis præstantissimis dotibus, etiam

Apo-

Apostoli monitu adducto à Suaui, illius Præsulis personam induto? absque dubio ratio habebatur de integra conditionum omnium complexione. Iam verò, nónne sæpè contingebat, vt quispiam scientiâ omnium maximus, minor esset quod spectabat ad reliquas dotes, adeoque posthaberetur aliquibus in Præsulis gradu? Præterea num forte numquam accidebat, vt antiquo Episcopo viuente surgerent ingenia illo perspicaciora ac doctiora; quæ tamen cùm adhuc sedes non vacabat, ad eam euehi non possent? Ad euenta peculiaria descendamus. Censébántne Præsules illi ætate sancti Hieronymi, cunctos Episcopos regionum, vbi ipse degebat, esse doctiores eo, qui ab Ecclesia Doctor maximus appellatur? Origeni ac Tertulliano, antequam vterque in errorem prolaberetur, præcelluisse sapientiâ Episcopos illis coætanei, atque id ipsum euenisse Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Augustino, cùm adhuc meri sacerdotes essent? Et tamen nusquam legitur, populos ad eos confugisse ad laxationes legum obtinendas. Atqui si Verdunensis, eiusque socij, Lainium huius erroris causâ censuræ arguebant, oportebat pariter Augustinum arguere, qui epistolâ quinquagesimâ, à Gratiano in suo Decreto adducta [t], legis relaxationem appellat *vulnus in seueritatis integritatem.* Eam igitur non existimauit ille meram interpretationem, quâ declararetur lex in eo certo euentu non obligare, cùm extra dubitationem sit, ab huiusmodi interpretatione integram legis seueritatem nihil vulnerari; quin potiùs sanam seruari in eo planè statu, quo illam condidit legislator. Oportebat vt redarguerent sanctum Thomam [u], vbi legum relaxationes distinguit, & alias dicit esse per modum solutionis legis, alias per modum declarationis; adeoque tametsi inuoluat ille in relaxationum genere declarationem habitam à Iudice, quòd peculiaris huiusmodi euentus in lege vniuersali non comprehendatur; agnoscit tamen relaxationem alterius naturæ, quâ legis antecedens vinculum soluatur: & secundùm hanc doctrinam idem alio loco [x] tradidit, quòd *dispensatio humana non aufert ligamen iuris naturalis, sed solum ligamen iuris positiui.* Etenim de *positiuo*, cuiusmodi est ius humanum vniuersum, homo potestatem obtinet auferendi illius vinculi, quod ipse nexuit; sed de naturali, quod ab eo non pendet, solam habet auctoritatem iudicis, non arbitrium Principis; ac propterea nonnisi auctoritas ipsi conceditur, quæcumque ea sit, legis relaxandæ, quæ nos soluit non ab obligatione vera, sed ab ipsius dubio ac suspicione. Me non latet, eumdem sanctum Doctorem dixisse [y], Ab eo qui probè legem relaxat, spectandam

1563.

t Can. *Ipsa* §. *Si inquirat* 23. quæstione 4.

u In 4. distinct. 38. q. 1. art. 4.

x Quodlib. 9. art. 15.

y Prima 2. q. 97. art. 4.

1563. dam esse communem vtilitatem, nec legem relaxandam, nisi re-
ipsa hæc vtilitas adsit; adeoque si hæc animi intentio illi desit, *seruum fidelem non esse*; si desit vtilitas communis, *seruum prudentem non esse*. Sed hæ conditiones exiguntur à S. Thoma, quò legis relaxatio licita sit ac laudabilis, non quò sit rata, vt ex ipsius ratiocinatione liquet. Profectò non quia seruus ab hero impositus ad familiam administrandam, in quibusdam concedendis venijs fidelis non sit, aliud animo spectans præter bonum familiæ; non quia prudens non sit, cùm veniæ ab ipso datæ in rem familiæ non conducant, conficitur hinc, huiusmodi venijs à seruo præposito datis deesse vim & efficaciam, si versentur in rebus non ab hero vetitis, sed ab ipso seruo, aut à subiectis illi ministris. Quamobrem peccat quidem seruus in venijs concedendis, non item inferiores famuli dum ijs vtuntur. Qui verò studeret hanc S. Thomæ doctrinam in aliam sententiam detorquere, necesse foret, vt eam similiter extenderet ad laxamenta legum, à laicis Principibus exercita; cùm ipsi quoque à Deo & à Republica obstringantur ad publicum bonum pro sui regiminis ratione seruandum: ita vt quoties Princeps priuilegium quodpiam impertitur, posset eius vis & efficacitas in dubium reuocari, obiectando id non esse Reipublicæ conducibile, & Principem fuisse perperàm interpretatum legem vniuersalem, quæ complectebatur, & opportunum erat vt complecteretur peculiarem illum euentum, quem illa immunem à lege concesso priuilegio declarauerat; adeoque post eius obitum esset tum in cuiusuis priuati potestate, illi concessioni contradicere, tum cuiusuis Iudicis, illam tamquam effectus vacuam damnare.

Quod si Scholastici & Canonum periti dicunt (quod est in ob- 18
iectis à Suaui) ratas esse Præsulum relaxationes, dummodò concedantur *claue non errante*, id nihil confert Suauianæ mentis propositio, sed me certè cogit, vt tempus & atramentum insumam ad ambigua hominis sophismata diluenda; vt vsu venit in arcibus quibusdam inualidis, quibus robur non inest vt se defendant, sed solùm vt aliquantulùm hostem morentur. Moram patiamur, haud festinemus. Allata doctrina vim habet primò in ijs relaxationibus, quæ conceduntur in vinculis iuris Diuini, vt in votis, vel etiam in ipsis diuinis mandatis, in quibus, sicut anteà notauimus, locum non habet relaxatio per modum solutionis, sed solùm per modum declarationis: dein aliquo pacto aptatur ea doctrina ijs relaxationibus, quas Præsul inferior adhibet constitutionibus superioris. Etenim tametsi varijs in rebus, quas doctè Caieta-

nus

nus [z] enumerat, fas sit inferiori relaxare sanctiones superioris; tamen quò rata sit huiusmodi relaxatio, opus est vt constet aut de maiori, aut de æquali bono communi, quàm si ea minimè concederetur. Denique complurium sententia est, relaxationem, quâ legislator etiam legem suam soluit sine vlla prorsus causa, non modò illicitam esse, sed planè inefficacem : quamquam maior & potior Doctorum pars oppositum [a] opinetur. Itaque secundùm has omnes sententias intelligi potest rectè adhibita ea restrictio, quòd legum relaxationes, adhibitæ à Præsulibus Ecclesiasticis, tunc tantummodò vim obtineant, cùm dantur *claue non errante*. Quod proportione verum est etiam in potestate laicorum. Sed certum est in schola tum Theologorum, tum Pontificium Ius callentium, non quamcumque causam, quæ satis sit vt Præsul aut Princeps legitimè legem relaxet, satis esse vt legis vinculum ante relaxationem dissoluat; adeoque certum est, laxamenta legum, quas condiderint aut is qui eas relaxat, aut alij eius decessores, aut ipsi minores, non esse mera interpretamenta. Nec poterit Suauis in animum cuiusuis cordati hominis inducere, eos Episcopos ac viros doctos, qui erant Galliæ decus, fuisse in Lainium vociferatos, quòd tam communem perspicuamque doctrinam propugnauit. 1563.

[z] In allatum art 4 q 97. in pr. secund.

[a] Vide Suarium de legibus c. 18. & 19. lib. 6.

19 Addit: *Complures locuti sunt, aliam alij ex assertionibus Iesuitæ censurâ perstringentes.* Sed quando nec vllam ipse narrationis suæ probationem affert, nec signat effata, in quæ tot illæ censuræ cadebant, accusatio nec defensionem postulat nec admittit. Vnicum Lainij dictum hîc ille refert, quod tamquam sacrilegium ibi detestati sunt: nimirum, Summi Pontificis auctoritatem Christi auctoritati parem esse. De quo mihi lubet ne verbum quidem facere: relinquo cuiuslibet hominis menti, in qua vsus rationis insit, vt ipsa per se diiudicet, an absurdum tam palmare verisimile sit in Didaco Lainio, viro eminentis scientiæ, qualem interdum imprudenter vel Suauis fatetur; quandoquidem nemo repertus est inter Theologos adeò seu rudis seu temerarius, qui tribueret Pontifici potestatem instituendi Sacramenta, remittendi peccata extra sacram confessionem, alioque actus edere supremæ potestatis, sicut Christus effecit; atque si Christo fas est cunctas leges Diuinas positiuas relaxare, non aliâ nisi voluntatis suæ causâ, idem quoque fas esse Romano Pontifici.

20 Sed non vnius Lainij opiniones mendosè recenset Suauis: nihilo meliùs habet sententias Lotharingi. Cùm enim in volumine litterarum Vicecomitis [b] animaduertisset quid Lotharingus sentiret de

[b] Cuncta extât in scripto Vicecomitis ad Borrom. 24. Iun. 1563

1563. de auctoritate Episcoporum Concilij, & Romani Pontificis, solùm ea profert, quæ Pontificiæ refragantur; & obtegit, quin depraua, & contrariè laruat ea longè præstantiora, quæ illi fauent. Itaque veridicè narrans, opinari Lotharingum, non modò iurisdictionem, sed vocationem Episcoporum, & certi loci destinationem, esse à Deo, adijcit vocem, *proximè*, quam ille non dixit; dein sequitur: *Volebant Galli auctoritatem Pontificis ita declarare, vt ei neque transgredi neque relaxare liceret Oecumenicæ Synodi Decreta.* Certum est, in hisce Gallorum verbis quemlibet putaturum contineri Lotharingum, vtpote inter eos maximè conspicuum, & à narratore non exceptum. Et tamen Suauis legit in scripto Vicecomitis nuper adducto, contraria quæque à Lotharingo fuisse pronuntiata ipsi Vicecomiti, & etiam Legatis, oblatamque confirmationem pronuntiati, scripto exhibendam, atque eumdem dixisse, opinionem suam esse huiusmodi [c]: In Concilio per summum Pontificem legitimè conuocato, & per eius Legatorum directionem celebrato, inesse immunem à falsitate diuinam custodiam in Fidei dogmatibus; adeò vt eius sanctiones etiam ante Pontificiam firmitatem certæ sint, cunctosque Christianos obstringant, adeoque ipsum etiam Pontificem ad fidem illis habendam. Posse dumtaxat illum, quippe supremum Ecclesiæ Iudicem, declarare, Concilium modo non rato processisse, eâque ratione prædictas definitiones irritas reddere: non ita contingere in morum Decretis, in quibus Deus eam custodiam Synodo non spopondit, quâ non possit errare in edendis legibus parum opportunis; adeoque illis vim non inesse antequam à Pontifice Romano confirmentur, cui licet posteà eas relaxare ad Ecclesiæ vtilitatem. Hanc suam esse sententiam affirmauit Lotharingus.

[c] De hac re vide Suar. de Fide disp. 5. sect. 1. in fine.

Iam verò quânam historici sinceritate Suauis transformat dissertationem tam propitiam auctoritati Romanæ Sedis, dum recitat sententiam illius viri, ductoris Gallorum, qui prærogatiuæ Romani Pontificis supra Concilium vnici aduersabantur? Quâ fronte silentio præterit, illum nihil refragari ijs omnibus, quæ in Synodo Florentina definita leguntur, sed solùm non Oecumenicam eam fateri, propterea quòd cunctæ nationes illi non aderant? Cur nullam facit mentionem amplissimarum laudum, quibus ille commendauit diploma promulgatum à Pontifice ad Comitia dirigenda? Campus adeò floridus nullus est, qui si de industria eius spinæ stirpesque solùm depingantur, saltum referre non possit; & tamen anguium ingenium est, se inter flores, non flores ipsos abscondere.

CAPVT

CAPVT VII. 1563.

Acta à Birago cum Cæsare de translatione Concilij in Germaniam; & repugnantia offensa. Responsa id temporis à Synodo ad Biragum missa. Cæsar Oeniponte profectus. Detrimenta in Gallia libertati Ecclesiasticæ illata, & idcircò Pontificis expostulatio. Aduentus Episcoporum ac Theologorum Belgarum. Louaniensium Anglorumque postulata pro declaratione aduersus Elisabetham Reginam; sed Cæsaris id dissuadentis rationes. Patrum studia apud Pontificem pro Archiepiscopo Toletano, in custodiam coniecto à sacra Inquisitione Hispanienſi; & responsum illis redditum. Deprecatio Reipublicæ Venetæ, vt Grimani Patriarchæ causa in Concilio cognoscatur. Consensus in eo Pontificis. Aduentus illuc Patriarchæ, & difficultas in re ipsa, sed superata.

1 QVò de Gallis sermonem prosequamur; tametsi iam præstò esset responsum Birago reddendum [a], tamen cùm ipsi videretur subsistere amplius non licere, positâ imminenti Cæsaris profectione, quæ posteà vigesimo quinto Iunij subsecuta est, Oenipontem rursus decimo tertio eiusdem mensis equitauit. Sed non propterea Caroli Regis Oratores responsionem remissiùs petierunt [b], adiectis etiam grauibus querimonijs, quòd Rex per eam cunctationem despiceretur. Quapropter eâ propositâ in cœtu secundùm sententiam quam descripsimus, quietâ comprobatione excepta est: sed cùm egressi fuissent Galli Oratores, quo tempore in consessu de ea deliberabatur (prout mos erat, quoties de rebus ad eos pertinentibus habebatur consilium) Patres ad illos reuocandos missi, ipsos domum suam abijsse compererunt [c]; fortasse quòd ij paratæ responsionis formam præsentientes, eam nollent excipere. Mihi tamen animaduertere videor, illam ad Biragum missam fuisse.

[a] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 14.Iun.1563

[b] Litteræ Legat.& Vicecomitis ad Borromæum 21.Iun.1563

[c] Litteræ Iadrensis Archiepiscopi 21. Iunij.

2 Is purgatâ priùs apud Cæsarem, necessitatis nomine, pacificatione cum hugonottis, à Regina firmatâ, haud præterijt tradita sibi mandata de translatione Concilij in Germaniam apud Cæsarem promouenda, quamquam repugnaturos Patres ac Pontificem prænosceret, & iam Philippi Regis repulsam resciret. Vnde liquet, quàm falsum sit id quod ex Suaui retulimus, Reginam parato iam animo id temporis fuisse ad satisfaciendum Pontifici in rebus Concilij,

1563. cilij, idque Tridenti Legatis innotuisse. Responsum Cæsaris [d], sicuti redux Oeniponte retulit Lunensis, & sicuti Ferdinandus ipse Nuntio narrauit, fuit huiusmodi: De pace ex ipsis conditionibus admodum credibilem reddi necessitatem quam Regina significarat, cùm verisimile non esset, eam alioquin ad eiusmodi pactiones se inclinaturam fuisse. Translationi propositæ oportere sibi dissentiri; quandoquidem alibi ea opportunitas haud præstò esset, quæ illic aderat tutandi Concilij, cùm ipse posset triduo duodecim militum millia cogere, eaque cuiuis aggressioni Lutheranorum opponere. Præterea, compertum sibi esse, Lutheranos numquam ad Synodum conuenturos, tametsi in media Germania celebraretur, nisi per indecoras conditiones, & numquam sine plurimo pietatis detrimento concedendas. Postremò, si tunc eius statio mutaretur cùm rectè progredi incipiebat, idem futurum fuisse, ac fructum præcidere, quem sibi probi omnes pollicebantur. Insuper scripsit Biragus ad Ferrerium, & hic Gualterio narrauit, ipsi dixisse Cæsarem, vt sibi emendationis cura relinqueretur, quam ipse intendebat vt *in omnibus & per omnia fieret*: ex quibus duobus postremis pronuntiatis palàm fit, præter sollicitudinem, quæ semper perseuerauit in Ferdinando de prospero Synodi progressu, quantum à veritate abhorreat quod affirmat Suauis, Cæsarem tunc ad Lotharingum scripsisse, *fuisse manibus contrectatum, fieri non posse, vt quidquam boni in Concilio conficeretur*: nisi fortè *boni* nomine intellexisset concessionem Calicis, aliasque similes legum relaxationes, quas ipse profuturas credebat ad reconciliandos multos hæreticos, retinendosque multos in Germania titubantes, & quæ iam sperari non poterant ex concessione Concilij, quemadmodum alibi exponemus.

Interim certior factus Pontifex à Legatis de difficultatibus, in quas offendebat responsio, rebus à Birago significatis reddenda [e], ad eos rescripserat, non solùm ne formis vterentur tacitam illius pacis excusationem præ se gerentibus, sed vt apertè eam improbarent, quemadmodum ipse facturus erat in responso ad Allegrium. Sed hæc epistola non ante rem confectã peruenit: deinde verò cùm responsionem, perinde ac fuerat reddita, Pius legisset, eam laudauit [f]; nec parum fuit, quin in ea plusculùm quasi piperis optauerit, vtpote tunc in Gallos iratus [g]: hi siquidem Religionis detrimento ex licentia addiderant Ecclesiæ damnum ex ipsa re. Flagitatus anteà ab illis fuerat Pontifex veniam abalienandi centum aureorum millia ex Ecclesiasticis prouentibus in Regni subsidium; quod præter prauum effectum, ac deterius exemplum, quodam quasi

[d] Extat in epist. Gualt. ad Borrom. 28. Iunij. & Delfini Nuntij, scripta ex narrat. ipsius Cæsaris ad Borrom. & ab hoc Morono cõmunicata 30. Iun. 1563

[e] Litteræ Borrom. ad Legat. 17. Iun. 1563.

[f] Litteræ Borrom. ad Legat. 30. Iunij 1563.

[g] Eiusdem ad eosdem 29. Iun. 1563

quasi toxico infecissẽt animos vniuersi Gallicani Cleri, non minùs in eum qui concesserat, quàm qui impetrarat. Quamobrem consuetæ cunctationes Romæ innectebantur, ne aut concessio malum, aut repulsa offensionem inferret. Sed Regni administratores, tametsi à belli sumptibus liberi, ex quo videbatur sublata necessitas & color memoratæ iam alienationis, ne siuerant quidem vt Ecclesia eo emolumento frueretur inter tot irreligiosæ ipsorum pacis incommoda: quin euulgatum fuerat edictum, siue, vt loquuntur, Arrestum, in quo Rex per auctoritatem suam executionem imperabat; & ex altera parte Eques Soureus non desistebat petere à Pontifice celerem certamque responsionem ad ea quæ petebantur. Quare Pius altè in sinu læsus bilem euomuit, scribens ad Legatos: Huiusmodi remunerationem à se acceptam fuisse ex dispendijs ac laboribus, quæ tolerarat in ope per seipsum ac per alios Principes ferenda Regi Galliæ ad bellum præteritum. Quapropter mandauit, vt totum negotium palàm fieret, ac legeretur edictum in generali conuentu, tum vt Patres consulerentur quid ab ipso petitioni respondendum esset, cùm satis intelligeret, nihil ibi proponi posse vt pernicioſius Episcopis, ita odiosius in Regem; tum ad efficaciùs excitandam in Episcopis notitiam, quanti referret ad vniuersum ordinem Ecclesiasticum Pontificiam auctoritatem sustinere. Verùm cùm hæc mandata eo tempore peruenissent, quo à Gallis atroces turbæ sunt excitæ, sicuti videbimus, visum non fuit febri adeò ardenti cibum adeò calidum esse præbendum, qui statim in bilem conuerteretur. 1563.

4 Nec Gallicana solum Regina silentio prætermissa est, sed etiam Anglicana, in quam Theologi Louanienses, & Episcopi Britanniæ aliquam in Synodo declarationem postulabant[h]. Et planè per eos dies Tridentum accessere tres Præsules Belgæ [i], vnà cum totidem Theologis Louanienſibus, Philippi Regis iussu missis. Præsules erant, Franciscus Richardotus, Antonius Hauesius Dominicanus, & Martinus Rithouius, Episcopi, vnus Atrebatensis, alter Namurcensis, postremus Iprensis. Theologi verò tres viri celeberrimi, Michael Baius, Ioannes Hesselius, de quibus alibi scriptum est, & Cornelius Iansenius senior, qui posteà Gandauensem lituum tenuit, & varijs Operibus, sed præ ceteris Commentarijs Euangelicis illustris fuit. Iam tum cùm Commendonus in Belgio morabatur, sicut narrauimus, grauissimis vtrimque rationibus dubitatum fuerat, an expediret ad Concilium mittere Baium & Hesselium, eius asseclam in periculosis opinamentis. Sed tandem existi-

[h] Acta Paleotti, litteræ Legatorum ad Borrom. 21. Iunij, & eius responsio ad Legat. 30. Iun. 1563

[i] Diarium 21 & 22. Iunij, & scriptum Vicecomitis ad Borrom. 24. Iun. 1563 & Acta Concilij impressa Antuerpiæ 1564.

1563. mauit Granuellanus, tum propter eorum abſentiam ab ea regione, vbi diſcordia feruesceba t, tum propter communicationem cum viris doctis & auctoritate præditis Concilij, quibuſcum non intercedebat æmulatio, fore vt poſſent & animi deferuescere, & pati ad communes ſententias ſe pertrahi: ſcripſit tamen ille ad Pontificem [k], cùm aliquid ipſis adhortationis inſinuatum eſſet, vt peculiaris doctrinæ ſuæ rationem redderent Concilij ſapientibus, ipſos reſpondiſſe, id opus non eſſe, cùm paratum animum gereret ad acquieſcendum cuiuis Pontificis declarationi. Addebat Granuellanus, eos non modicam animi demiſſionem præ ſe ferre; tamen oportere, vt magna cum ipſis charitas & comitas adhiberetur, quandoquidem ſuæ quiſque dignitatis ſollicitus eſt: cumque plurimam pietatis & ſcientiæ exiſtimationem illi obtinerent, graue detrimentum illatum iri, ſi exacerbarentur; adeò vt eorum vlcus euaderet quaſi gangræna, quæ non ſolùm ipſa foret incurabilis, ſed in earum Prouinciarum corpus diffunderetur. Neque ſcribere omiſit Pontifex, nec Legati ad id animum adijcere [l]. Verùm ſiue quòd in prauorum ſeminum paruitate humanæ mentis acies magnitudinem futurorum germinum non diſcernit, adeoque conatum omnem ad ea ſuffocanda non admouet, ſiue ob alias rationes à nobis indicatas, cùm expoſuimus coniunctim [m] primordia, proceſſus, & exitum nouarum huiuſmodi opinionum; tametſi morbus in Heſſelio extingueretur vnà cum vita [n], quâ Tridenti functus eſt, in Baio perſtitit ita ſopitus, donec alia ætas eius damna perpeſſa eſt, & alia manus curationis laudem reportauit.

Iam verò Belgarum, quos diximus, aduentus ſuccenderat Tridenti conſilia vibrandi Decreta in impiam propinquæ Angliæ Reginam; & Pontifici conſilium probabatur, cùm ipſi aptus ad id locus videretur, in quo agebatur de legitimis Epiſcopis, quippe quòd illic licebat pronuntiare, huiuſmodi non eſſe Epiſcopos a Regina aſſumptos, ſimulque eam eſſe ſchiſmaticam & hæreticam. Quam ſententiam, ab Oecumenica Synodo latam, ſperabat ille inflammaturam fuiſſe Catholicos Principes, ad opem armis ferendam vexatis illis & oppreſſis fidelibus: ſed poſtea Cæſariani Oratores conſiderandum Legatis [o] obiecerunt ea, quæ ijſdem legatis ac Pontifici ſcripſerat Delfinus Nuntius: Si Eliſabethę huiuſmodi vulnus infligeretur, eam efferatam exercituram fuiſſe lanienam in paucos illos Epiſcopos, qui in Anglia remanebant. Prætereà Principes hæreticos Germaniæ, parem damnationem ſimili de cauſa ſibi præſagientes, concordaturos ad præoccupandam offenſam: ad quod au-

[k] Litt. Granuellani Card. ad Borrom. 4. Iulij 1563.

[l] Litt. Legat. ad Borrom. 29. Iul. 1563

[m] Lib. 15. c. 7

[n] Vide inſcriptionem eius ſepulchri apud Franciſcũ Suertium inter Tridentinas.

[o] Litt. Legat. ad Borrom. 8. Iun. 1563.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dendum vbi voluntate conuenirent, pollerent viribus ad perpetrandum. 1563.

6 Legati, qui rem cum Lotharingo cunctisque Oratoribus Ecclesiasticis communicarant, & vnanimi consensu statuerant eam Cæsari ac Pontifici significare, responderunt ijs quæ Cesariani proposuerant, ad vtrumque Principem denuò se scripturos, vt pro alterius directione, & alterius mandato se gererent. Mox Româ rescriptum fuit, ne putrefactum membrum incideretur, quando incisio non ad salutem, sed potiùs ad sani detrimentum valeret. Et Pius quidem, quò ex hoc mito à se consilio lucraretur (pro eo ac student attentæ prudentiæ viri) quidquid boni maximè posset, Legatos iussit [p] significare Cæsari, præpotuisse in animo Pontificis prudentiam auctoritatemque consilij quod Cæsar dederat, consilijs innumerorum oppositum suadentium; atque vniuersè vt hæc verba illi scriberentur præcepit, quæ digna relatu mihi visa sunt ad vtriusque Principis gloriam: *Hac in re, cunctisq; alijs, quæ facere possunt ad salutem Germaniæ aliarumq; regionum, quibus periculum perturbationis imminet ob causam Religionis, gratum accidet Pontifici, vt administrentur ex sententia & consilio Cæsaris, cuius iudicio ac probitati æquum est vt Pontifex fidat, cùm ipsum prudentissimum, plenumq; Christiano studio agnoscat.* Postea verò litteræ Granuellani superuenere [q], qui Legatos hortabatur, ne quid in Elisabetham moueretur, tum ex sua tum ex Philippi Regis sententia.

[p] Litt. Borrom. ad Legat. 6. & 10. Iulij 1563.

[q] Litt. Legat. ad Borrom. 12. Iul. 1563

7 Non deerat in Concilio postulatum aliquod etiam in Philippum Regem. Detinebatur in custodia multos iam annos à Tribunali S. Inquisitionis Hispanicæ Bartholomæus Caranza, ex Dominicana familia Toletanus Archiepiscopus, Primas in illis regnis, & vnus è summis Christianæ Reipublicæ Præsulibus, de quo alibi sermonem habuimus, agentes de hæresibus enatis & extinctis in Hispania. Porrò Patres Concilij, existimantes, in illius magni Præsulis captiuitate, sub alio quàm sub Pontificio Tribunali, vniuersum ipsorum ordinem vilescere, sæpiùs conquesti sunt apud Præsides; quos ab huiusmodi expostulatione pressos, comperio vsque ab ineunte Aprili ea de re iam tertiò scripsisse [r] Romam, affirmantes ardentem communemque petitionem esse, vt Pontifex causam illam ad se auocaret, iuberetque Acta in Hispania confecta Romam mitti. Nec ille præterierat in responsis se purgare seu negligentis seu indulgentis notâ, quippe quòd nullus vmquam suus minister in Hispaniam iuisset, cui per iterata mandata negotium illud non commendasset. Misitque inter cetera ad Legatos epistolam

[r] Litt Legat. ad Borrom. 1. Apr. 1563

1563. lam de hoc argumento, Philippi Regis exaratam manu [f], in qua querebatur acriter cum Pontifice [t], quod ipse nescio quod diploma Odescalco Nuntio in ea causa dedisset, ipso Rege non priùs audito: petebatque à Pontifice, vt boni consuleret susceptum à Rege consilium, ne ea iussio vulgaretur, vtque in posterum S. Inquisitionis processum non turbaret in ea causa, in qua Regi adeò cordi erat vt quod æquum esset perageretur: quare quàm citissimè Acta confectum iri, de quibus posteà Pontifex edocendus esset. Hinc verò intelligebat Pius, haud sibi per id tempus licere validiùs manum impellere, quin abrumperet vinculum illud coniunctionis cum Rege Catholico, adeò sibi necessarium ad bonum vniuersale. Sed Episcopis haud cessantibus Legatos denuò extimulare, eoque pacto in suam rem Pontificalem auctoritatem attollere, ac monentibus, non solùm in Ecclesia Christiana, sed etiam in Iudaica consueuisse maximi momenti causas à summo Sacerdote recognosci, Legati petitionem renouarunt. Quapropter Pontifex eos de re distinctiùs edocuit [u], compertum à se fuisse, causam illam à suo decessore commissam Hispanicæ Inquisitioni vsque ad extremum actum, saluâ sententiâ: idcircò se noluisse animum minùs fidentem illi Tribunali præ se ferre, concessione reuocatâ; sed Acta sollicitasse, quorum partem, ad id vsque temporis confectam, Romam postremò attulerat Gusmanus: secundùm eam partem à se lustratam, affirmari à se posse, eam coniectionem in carcerem haud iniustam fuisse: vbi Acta perficerentur, ad quod noluisse se prorogationem vltra integrum proximum Aprilem concedere, se minimè destiturum, quin æquum absolutumque iudicium exerceret. Hæc Pontifex, edito documento, sæpiùs in Principibus prudentiæ ac studio esse tribuendum, id quod multitudo immoderata & ignara socordiæ atque imbecillitati adscribit. Quinam fuerit exitus illius causæ, multò anteà per incidentem occasionem indicauimus.

[f] Litt. Borrom. ad Legatos 14. & 28. Nouembris 1562.
[t] Matrito 18. Octobris 1562.
[u] Litt. Borrom. ad Legat. 19. Iunij 1563.

Similis causa alterius insignis Præsulis in Synodum inducta est. Fuit hic Ioannes Grimanus Aquileiensis Patriarcha, de quo plura diximus, narrantes & electionem ad Purpuram Nauageri & Amulij, & posteà petitionem ab ipso & à Senatu frustrà habitam, vt eius causa in Concilio cognosceretur. Huiusce causæ memorabilis, ob conditiones rei, patronorum, iudicum, & rerum incidentium, licuit mihi vberem notitiam comparare ope voluminis litterarum, mihi concessi humanitate Francisci Cardinalis de Albizis, qui non dedignatus sedulò perlegere, comiterque comprobare meas

meas hasce paginas, doctrinâ suâ ac prudentiâ haud parum mihi lucis affudit, quò eas stabiliùs concinnarem. In memorato volumine continentur varia Acta, in Patriarcham extructa varijs tempestatibus, sententiæ, quæ scripto traditæ sunt Romæ ac Tridenti, plures litteræ illuc & Venetias super ea causa, aliæque à Senatu ad eius tutelam scriptæ. Ego verò quantum Operis mei proposito par est apponam. 1563.

Itaque Amulio & Nauagero purpurâ cohonestatis [x], Respublica grates egerat Pontifici ob collatam Nauagero purpuram, simulque ob purpuram (vt pro certo ponebat) Patriarchæ; tametsi Pontifex verè nihil amplius egerat, ac significarat nisi consensum super ea sibi promissum à Cardinalibus, statim ac Patriarcha se purgasset. Et de nouo Amulij honoris gradu dicebat Senatus epistola, per vrbanam quamdam querimoniam, voluntati Pontificis, quippe obsequentes filios, se remittere; sed ipsius Oratoris partes fuisse, in ea re sui muneris officium perpendere. Posteà eadem Respublica non intermiserat [y] assiduis ac præferuidis petitionibus instare, vt reipsâ ad creationem procederetur, seu potiùs, vt aiebat, ad declarationem Patriarchæ. Sed cùm ad id opus esset anteà causæ decisio, & Grimanus negaret se Iudicibus Romanæ Inquisitioni præpositis confidere, illinc secessisset, postulans, Senatu sibi fauente, vt causa Concilio committeretur, ad quod viam adornabat. Pontifex ex altera parte dissensserat per suas litteras ad Præsides datas [z], Quando Concilium se abstinuerat ab huiusmodi iudicijs, quò rationem haberet Tribunalium S. Inquisitionis Hispanicæ ac Lusitanicæ, videri sibi multò maiorem sanctæ Inquisitionis Romanæ rationem habendam: & ad hoc ipsum sæpè iniunxerat [a] Capilupo, Venetijs Nuntio, vt studeret à Patriarchæ patrocinio Rempublicam amouere, & illum cogere etiam per vocationem in ius, vt Romæ se sisteret. Nuntius non mediocrem in Senatu duritiem offendit, propter diffidentiam Iudicum Romanorum in Patriarcha: idcircò Pontifex, ne Reipublicæ ægrimoniam inferret, iussa suspendit de vocatione in ius, vbi tamen Grimanus haud videretur præstò esse ad Concilium adeundum. Posteà verò continuatis ardentibus Reipublicæ studijs cessit Pontifex, assensusque est Oratori, vt Grimani causa Concilio remitteretur. Quare Patriarcha, acceptâ hac fide, Tridentum perrexit [b]: ibi cum honorifico viginti Præsulum comitatu Præsides inuisit, quibuscum ne verbum quidem fecit de sua causa, quod rei conditioni neque consentaneum neque conducibile videbatur: sed illicò in ipsius rem Ora-

[x] Litt. Reip. ad Pontif. 3. Mart. 1561

[y] Litt. Reip. ad suum Secretarium Romæ 4. 6. & 21. Mart. & 19. April. & Sorantium Oratorem 10. Maij, & aliæ eodem die ad Pontif. & ad Sorantium 12 Iul. 1561. & 10. Iunij 1562.

[a] Litt Borrom. ad Capilupū Nuntiū 21. Mart. 4 11 & 18. Apr. 2. & 30. Maij, 15. & 20. Iun. 4 11. & 18. Iulij. 1562. 13 20 22 & 27. Martij 1563

[b] Duæ litteræ Legatorum ad Borrom. 20 & 22. Iunij 1563.

1563. tores Veneti locuti sunt: Rempublicam semper optasse eam causam decidi, quo ipsa eiusmodi notâ liberaretur, quasi hominem hæresi contaminatum ad Purpuram promoueret. Eapropter sæpè à Pontifice eam petijsse, vt pro iure reus aut absolueretur aut damnaretur. Post diuturnam moram consensisse Pontificem, vt Synodus in eo iudicium exerceret, hac sua voluntate Oratori Veneto Romæ patefactâ, eidemque significasse, hoc ipsum à se declaratum coràm fuisse duobus Legatis proficiscentibus, & scripturas etiam Morono traditas. Eos igitur, vtpote Concilij Præsides, à se rogari, vt rem celeriter absoluerent. Sperari, apud ipsos pondus aliquod habituras deprecationes Reipublicæ tam addictæ, tamque obsequentis Apostolicæ Sedi, ac præcipuè Pio IV. quas pro filio suo adeò nobili ac Præsule adhibebat; præsertim cùm ius, & illud quidem seuerum peteretur. Causam huiusmodi maxime propriam esse Concilio, & alia Concilia (vti narratur) fuisse mere conuocata ad causas minores discutiendas. Solùm ipsos flagitari præter ius conditionem quamdam, quæ non iuris relaxatio, sed potiùs expletio est, nimirum, celeritatem. Hanc & nimis necessariam esse bono Reipublicæ nomini, quod in hæreticorum fautoribus semper offuscatum manet; & nimis interesse Reipublicæ, vt ipsius nomen intaminatum niteat, præsertim ob recentes corruptiones, quæ Venetijs detegebantur. Ipsam quoque causam ex se talem esse, vt oporteret ad apertam lucem expeditè deduci: etenim populi, illius Patriarchæ iurisdictioni subiecti, quæ per centena passuum millia extendebatur, & in Germaniam vsque penetrabat, decem iam annos caligine circumfusi vixerant; præcipuè verò ex Foro Iulij missi fuerant Venetias honesti viri, quò certò scirent, hæreticúmne an Catholicum Patriarcham haberent, & an excipiendæ ab ipsis essent, atque auscultandæ, an fugiendæ atque abominandæ ipsius adhortationes ac documenta.

Legati, exire iussis Oratoribus, habitoque inter se de responsione consilio, illam in hanc sententiam reddidere: Iure quidem optimo à Republica, ac potissimùm à Patriarcha optari exitum illius causæ; sed fas sibi non esse manum illi admouere, aut non repugnare, ne Synodus eam admoueret absque peculiari Pontificis diplomate, apud quem sæpè eadem causa fuerat agitata atque exposita; hoc enim pacto indicaretur Concilium præesse Pontifici, & obtinere potestatem auocandi ad se causas coram Pontifice inchoatas. Fateri quidem Nauagerum & Moronum, secum, cùm ipsi digrederentur, collocutum fuisse Pontificem, & Nauagero quædam scripta

scripta dedisse: sed cuncta hæc satis non esse absque mandato sub- 1563.
scripto à Pontifice, qui ipsis dixerat, se plenius quid ipse vellet significaturum.

11 Nihil grauius lædit in rebus agendis viros tum intelligentiâ tum gradu præcelsos, quàm se delusos putare, vtriusque dotis despectum hinc arguentes. Quapropter ad insperatum responsum incredibiliter commoti sunt, & non minus commotum iri Senatum prænuntiarunt: Accepta ab eo fuisse tamquam indubitata remissæ Concilio causæ argumenta tum voces Pontificis Oratori redditas, tum expressas enuntiationes, habitas ad duos Legatos: hac fiduciâ illuc à Senatu missum Patriarcham; adeoque non modico dedecori eumdem sibi ducturum, vbi inanium verborum fuco deceptus fuisset. Denuò Reipublicæ merita commemorarunt, dignitatem familiæ ac personæ, & postulationis æquitatem, ad solum ius restrictæ; ac proinde vbi Patriarcha hæresis damnaretur, ab ipsis Senatoribus malleolos ad eum concremandum allatum iri. Atque hæc omnia exposuere tum ore tum formulis admodum inflammatis, & ad minas propendentibus.

12 Tum verò Præsides: Cunctationem ipsi Patriarchæ vitio vertendam esse, qui si Româ non secessisset, suæ causæ exitum iam spectasset. In comperto sibi esse Pontificis animum, iustitiæ studiosissimum, amantissimum Reipublicæ, & benè affectum Grimano. Quod si Pontifex Oratori dixerat quæ ipsi referebant, ea omnino ab illo seruatum iri, causâ in Synodo cuicumque vellet commissâ per diploma, pro eo ac opus erat: sub qua conditione Legati celeritatem omnem iudicij pollicebantur.

13 Colloquio finis est impositus; sed Oratoribus haud omnino satisfactum: conuenit inter illos, vt Oratores Venetias, Legati Romam rem perscriberent. Hi confestim scripsere, discrimen proponentes, si inter eas turbas, præsertim de facultate proponendi, à Venetis quæstio intentaretur de iure ad res per seipsos Concilio proponendas.

14 Pontifici permolestus accidit iustus ille titulus acerbæ ægrimoniæ, qui sibi videbatur à Legatis præstitus Oratoribus ac Senatui Veneto, cuius operâ quàm antehac contentus erat, tam se indigentem in posterum in rebus Concilij sentiebat, & vna ex præcipuis causis cur Nauagerum constituerat Legatum, ea fuerat, quò per id palàm faceret, quanti eam Rempublicam æstimaret, quantumque illi confideret, & quò suus huiusmodi Legatus posset luculentiùs eidem testificari rectum Pontificis animum, eiusque manda-

1563. torum ſinceritatem. Etenim cùm alij Reges ſtuderent ſuis nationibus emolumenta conquirere, Italiæ bono aduerſantia, Veneti ditione pollentes, & Epiſcopis abundantes ſupra ſingulos Italicos Principes, Italiæ decus & vtilitatem ſuſtinebant; quod vtrumque in maieſtate & auctoritate Pontificis potiſſimè ſitum eſt. Ipſe igitur ad Præſides reſcribens [e] conqueſtus eſt, quòd eiuſmodi reſponſa Oratori reddidiſſent, quando duo ex ipſis ex ore Pontificis eius mentem exceperant. Se ſpopondiſſe Veneto Senatui, mandaturum vt cauſa expenderetur à Legatis ſiue cum Synodo, ſiue cum Theologis per ipſos electis. Nondum ſignatum fuiſſe diploma, quia nemo ad id Pontificem ſollicitarat. Idcircò loco diplomatis vim haberet hæc ipſius epiſtola, per celerem curſorem delata, qui ordinarium tabellarium aſſequeretur. Suum eſſe votum, vt integrè mos gereretur Venetæ Reipublicæ, etiamſi ipſa cuperet, vt ea cauſa in pleno Concilio agitaretur: verum opportunius eſſe, vt vbi Oratores Veneti acquieſcerent, ſeligerentur à Legatis Theologi ad eam cognoſcendam, ijque ex omni natione. In ſumma ita rem agerent, vt Reſpublica ſibi ſatisfactum intelligeret, amotâ omni querimoniæ causâ, quaſi quidquam aut de æquitate aut de promiſſione ſibi detraheretur. Poſt biduum conſimile diploma [d] Oratori Veneto Romæ traditum eſt. Præſides cum aſſenſu Patriarchæ viginti tres ex Patribus deſtinarunt [e], ſtudentes ne quempiam comprehenderent, qui aut in ditione Veneta Eccleſiam obtineret, aut aliàs illi cauſæ interfuiſſet: adeoque idcircò fortaſſe, cùm priùs connumeraſſent Generalem Prædicatorum Magiſtrum, eumdem poſteà excluſerunt [f]. Selecti ad iudicium fuere cuncti Oratores Eccleſiaſtici, varij Epiſcopi, & alij Patres ex doctioribus, Itali, Belgæ, Galli, Hiſpani & Germani. Sed quia comprehendebantur nonnulli haud Theologi, ſed Canonum Periti [g], hos poſteà Patriarcha recuſauit; ac pro eo Veneti Oratores petierunt, vt illi excluderentur, cauſati, controuerſiam eſſe merè Theologicam, & à Pontifice Legatis committi, vt in ea Theologi adhiberentur, Canonum Peritis haud nominatis. Quare in hoc pariter ipſi gratificati ſunt, permutatis Canonum Conſultis priùs electis in eos Theologos, qui Oratoribus placuerunt, & eorum deſtinatione vigeſimo tertio Iulij in ſcribæ tabulas ſollemniter relatâ. Denique cùm Grimanus & Oratores cuperent, vt ad viginti tres Præſules duo quoque priuati Cardinales accederent, Præſides conſenſere; quamuis intimè haud libenter, fortaſſe quoniam id haud proſperè ſucceſſerat, nec Pontifici placuerat in manſionis tractatu. Huius cauſæ peculiaris exitus

[e] Epiſtola Pontificis ad Legat. 1. Iulij 1563.

[d] Litteræ Borromæi ad Legatos 3. Iulij 1563.

[e] Litt. Legat. ad Borrom. 8. & 12. Iulij 1563. & Acta Paleotti.

[f] Hoc conſtat ex ſententia afferenda.

[g] Litteræ Legat ad Borrom 29. & 31. Iul. 1563

exitus suo loco narrabitur. Interim ad communia reuertemur: sed cùm commune non nisi mixtum quoddam sit, conflatum ex hominibus peculiaribus, effectus quidam eorum voluntatum, quoddam instrumentum ipsorum vtilitati seruiens; nihil potest probè percipi, aut probè referri de negotijs communibus absque plurima notitiâ, plurimaque narratione operum peculiarium, quemadmodum ad mixti doctrinam opus est studio, per quod præcipuorum elementorum ingenium innotescat. 1563.

CAPVT VIII.

Studia Legatorum ad emendationem statuendam, abigendasque suspiciones, quòd ea ab ipsis declinaretur. Decretum de electione Episcoporum, ad futuram Sessionem repositum. Adhibitum studium ad munia minorum Ordinum indaganda, & de ijs constituta. Decretum propositum aduersus Episcopos Titulares; sed à maiori parte posteà reiectum. Mandata Pontificis de loco & honoribus exhibendis Oratori Hispano in solemnibus Ecclesiæ festis. Grauissima tumultuatio hinc excita festo diui Petri die.

1 CVm recolerent animo Legati [a] ea quæ dicta fuerant ab Episcopis in Conuentibus, & extra Conuentus ab omnibus, nihil magis necessarium arbitrabantur & dignitati & voluptati communi, & salutari coniunctioni, quàm ex animis euellere suspicionem altè defixam, quòd ipsi ab Ecclesiæ, ac præcipuè Romanæ Aulæ emendatione abhorrerent. Quam suspicionem aluerat ex parte celebris Lainij sermo, de quo diximus; eamque latius diffuderat per hominum ora, & hinc per animos (inter quos & ora mutua communicatio intercedit) fortuita quædam facetia. Dum Nicolaus Psaulmeus Benedictinus, Episcopus Verdunensis suam sententiam dicebat, vsus acerbâ libertate, & in mordacitatem degenerante de Aula Romana, contigit vt Sebastianus Vanzius Vrbeuetanus Antistes, ad proximos sibi conuersus, dixerit: *Nimium cantatis Gallus.* Eo audito, Petrus Danesius Episcopus Vaurensis, ad quem Vanzius haud mentem adiecerat, subiecit: *Vtinam ad huius Galli cantum excitaretur Petrus, & fleret amarè.* Quod dictum, vtpote gemino illo sale condîtum, exceptum pariter ac vulgatum est gemini saporis sensu, habuitque vim quamdam popularem apud multitudinem, quæ Tridentum id temporis confluxerat: quam

[a] Cuncta in Actis Palcot.

1563. vim sæpè huiusmodi argutiæ magis obtinent, quàm solidæ rationes, perinde ac si qui fortuito aliquo acumine præcellit, etiam causâ præpolleat. Idcircò Legati accersitis Patribus, à Synodo ad emendationem conficiendam selectis, iniunxerunt, vt sententias à singulis Præsulibus prolatas super Decretis per ipsos digestis restringerent pro maioris partis consensu. Quod spectabat ad electionem Episcoporum, necesse fuit ad aliam Sessionem rem protrahi. Etenim præter varias difficultates in singulorum sententijs allatas de parato ad id Decreto, quod Ordine primum erat, complures alias congessit, communicauitque Patribus ad ea destinatis, Melchior Cornelius Senator Lusitanus, ad hoc opus electus ab Oratoribus Principum; quorum Principum arbitrium in Episcopis nominandis tantum minuebatur, quantum multiplicabatur numerus dotium, quibus ad huiusmodi gradum opus erat. Quare indies magis experimento probabatur, minorem partem illius arduitatis, quâ Pontifex oneratus fuerat ob lentitudinem reformandi, illi tribuendam esse, eumque non parum optasse bonum, sed multùm obstacula præuidisse. Et quoniam Lotharingus, cui complures adhærebant, sicuti narrauimus, auctor fuit, vt exquirerentur in antiquitate, ac renouarentur varia variorum Ordinum minorum munia, ad id plurimo studio desudatum est, eo consilio, vt eorum summa in alijs Decretis apponeretur. Verùm in postremo cœtu aliud consilium susceptum, cùm expenderetur, post tantam consuetudinum varietatem, quam fert diuturnus temporis cursus, difficulter fieri posse, vt integer singulorum ritus Ecclesijs redderetur: satius igitur esse eorum nomina recensèri, & opera generatim commendari ad secundi capitis finem; præcipue verò curari, quoad fieri posset opportunè, per emendationis decreta, vt in vsum reuocarentur.

Sublatum quoque fuit id quod statui parabatur aduersus consuetudinem Episcoporum ex mero titulo. Etenim vt in ædificijs, perinde in magistratibus multa videntur ad luxum, quæ, cùm eorum amotio tentatur, apparent ad rectum vsum inducta. Incomperto est, Ecclesiæ necessarium esse moderatum quemdam numerum Episcoporum, quibus citra sui gregis detrimentum liceret subseruire alijs in suffraganeorum munere, & à Romano Pontifice legari Nuntios, & ad alias Episcoporum functiones adhiberi.

Præ ceteris comprobatum est, vt Seminaria instituerentur: adeò vt complures affirmarent, vbi nullus alius fructus ex eo Concilio decerptus fuisset, solum hunc labores omnes & incommoda com-

compensaturum; quippe vnicum adiumentum, quod efficax ad reparandam collapsam disciplinam agnoscebatur, cùm certa sit regula, in omni Republica tales haberi ciues, quales educantur. 1563.

4 Nondum hæc maturuerant, cùm turbo excitus est, mero vento conflatus, qui speratæ messis adhuc herbescentis deiectionem, & Ecclesiæ totius cladem minabatur. Adhuc accensa subsistebat, tametsi quasi cinere obtecta, controuersia inter Oratores duorum potentissimorum Regum: siquidem cùm ea plus minúsve extincta videretur ob mandatum Pontificis, & Gallorum consensum, quod ad cœtus Sessionesque spectabat; nihil tamen aut à Pio iniunctum fuerat, aut inter partes compositum de solemnibus Ecclesiæ festis, in quibus offendebatur difficultas, sæpè recensita, de osculo pacalis imaginis, & thuris suffitu. Studuerant Præsides temperamentum inuenire, sed absque fructu, quando nec Hispanus acquiescebat ritui, quo apertè inferior appareret, neque Galli vlli indicio, quo pares aut essent aut esse dubitaretur. Quapropter Lunensi haud cessante, locum sibi suoque Principi honorificum poscere in memoratis functionibus, Præsides denuò ad id à Pontifice mandata petiere, illum rogantes, vt vbi vellet in hoc etiam Hispanis gratificari, id ipsis præciperet per suam propriam ac disertam epistolam, quæ veluti quidam clypeus eosdem omni tempore tueretur. Pontifex quotidie vexatus, non huius minùs quàm alterius etiam rei gratiâ, ab inflammatis Aulæ ac Vargæ postulationibus, animaduertens priora ipsius mandata sine formidatis fragoribus processisse, ob easdem rationes induxit animum ad posteriora tradenda, & consimilem successum sperauit. Scripsit igitur ad Legatos nono Iunij huiusmodi litteras: *Regis Catholici Oratores enixè nos efflagitant, vt sicut tributus ipsis locus est in Conuentu & Sessione, ita in Sollemnibus sacrificijs honor pacis ac thuris eisdem exhibeatur, adeoq; nullum inferatur eorum prærogatiuis detrimentum; aliter enim Lunensem ad discessum coactum iri. Nobis, quippe intelligentibus, præcipuum id temporis fundamentum ad Fidem Catholicam sustinendam in Hispaniæ Rege, eiusq; ditionibus situm esse, ea illi denegare non licuit. Eapropter efficietis, vt quo tempore pacis ac thuris cæremonia Regis Christianissimi Oratoribus exhibebitur, per alium ministrum Lunensi exhibeatur: in quo eâ vtemini dexteritate, quæ vobis opportuna videbitur, dummodò hæc iussa omnino perficiantur, atque hæc omnia intelligantur absque detrimento iurium vtriusque partis. Pro viribus pergite in disciplinæ legibus sanciendis, quò nihil gratius præstare nobis poteritis.*

5 Hanc epistolam duæ insuper Borromæi comitatæ sunt, prior [c] eodem

[b] Cuncta perstant in litt. Legat. ad Pontif. 22. & 29. Iun. Vicecom. 30. Iun. & Iadrensis 1. Iul. in Actis Paleotti, & Salmanticēs. in Diario, & Comment. seu narrat. impressa in libro Gallico memor. & in alia, contenta in volumine Archiuij Vaticani inscripti, *Tomus quintus de Concilio.*

[c] 19. & 22. Iunij 1563.

1563. eodem die, altera post triduum obsignata. In illa commendabatur & profundissimum silentium cum singulis, excepto Lunensi, & quàm maxima posset suauitas, modò res perficeretur: committebatur æqualitas in cunctis conditionibus vtriusque ministris, qui pacalem icunculam & thuris suffimentum erant exhibituri, & electio alicuius diei solemnis ad rem peragendam, cuiusmodi forent aut peruigilium aut dies festus S. Petri. In altera dicebatur, haud gratum Pontifici futurum, si res tunc ita sibi contingeret, vti cùm iussit locum Lunensi tribui in Conuentu, cùm ille posteà significasset, id iussu Pontificis peragi, vnde Synodus dissoluenda penè fuit. Idcircò si vbi ad rem ventum esset, oporteret exponi, id iussu Pontificis agi: simul etiam palàm fieret, id à Rege Catholico postulari; aliter verò Lunensem Tridento secessurum fuisse; adeoque Pontificem, cùm animaduerteret quo pacto negotium Religionis in Gallia sese haberet, nolle præter Galliam Hispaniam quoque deperdere.

Legati exceptis mandatis, Lunensem de illis monuerant vigesimâ 6 secundâ Iunij, paucas ante horas quàm ille cursores equos incenderet, Oenipontem iturus. Is verò, siue desiderio arduitatem rei sibi obtegens, siue studens Legatis illam obtegere, quò animaret ad opus, illis spem fecit rem pacatè processuram, quantum ipse de Gallorum animo conijciebat: eos tamen rogauit, vt per Drascouizium Gallos tentarent, arcano tamen haud illi detecto; sed eosdem denuò cohortaretur ad suscipiendum consilium duplicis thuris, & paciferæ imaginis, vtpote iam à Cæsare propositum. Drascouizius ea de re cum Lotharingo collocutus est; sed habita rei mentio idem fuit ac accepta repulsa. Inde progressus ille est in colloquio cum Lotharingo ad aliud temperamentum, videlicet, vt eo die illorum neutri pax & thus exhiberetur, quæ ratio ætate Iulij vsurpata est, ad euitandam contentionem inter Oratores Lusitanum & Hungarum, sicuti ibi narrauimus. Sed neque id Lotharingo probatum: qui tandem interrogatus à Drascouizio, quodnam ipsi consilium occurreret, non tamquam Gallo sed tamquam Cardinali, boniqúe publici studioso, duo protulit: alterum, vt Lunensis accederet ad sessionem sub finem Sacrificij, & peractis iam illis ritibus, de quibus erat æmulatio; alterum, vt thus & pacis honor exhiberetur Lunensi post cunctos Oratores; per id nihil detractum ei dignitatis: nam quemadmodum sedebat in loco seiuncto ab ordine reliquorum, ita ipsi licere omni suo iure illæso honores illos excipere, postquam eos vniuerso reliquorum ordini ministri præstitissent; idque comprobari posse exemplo illic citra omnem repugnan-

pugnantiam vsurpato: siquidem nec Orator laicus Cæsaris, neque Gallici dedignabantur thus ac paeem excipere post Oratores Poloniæ & Sabaudiæ, eò quòd hi essent Ecclesiastici, adeoque in diuersa serie considentes, cui integrè thuris ac pacis honor deferebatur, & posteà ad laicorum seriem fiebat accessus. Sed nihil magis Drascouizio satisfecere quæ Lotharingus proposuit, quàm anteà Lotharingo ab altero proposita. Quare Drascouizius significauit Legatis, concordiam à se planè desperari. 1563.

7 Redijt Oeniponte Lunensis ad vesperam vigesimi septimi Iunij, dum omnes in cœtu morabantur, adeoque non nisi postero manè de re agi potuit. Tunc verò Legati exposuerunt duritiam, quam Drascouizius offenderat, ac denuò reuocarunt ob oculos turbarum pericula; sed simul se paratos obtulerunt, vbi quidem ipse vellet, ad rem exequendam. Excepit oblata Lunensis, ac rursus ostendit, vix à se de tumultu timeri dum res perageretur, si ea Gallis accideret ex improuiso; re autem peractâ eosdem, ne palàm facerent se cessisse, suoque officio defuisse, vt par erat, non reluctatos, pernegaturos esse, rationem adhibitam sibi detrimento fuisse, & ita minimè conquesturos. Dixit tamen, à prandio se aditurum Legatos, quò cum ipsis consultiùs de agendi modo concordaret. Sed peculiaris cœtus, in quem coram illis ante vespertinas preces conuenere duo Cardinales, & alij Præsules, seu potiùs quædam Lunensis ars, vti dicetur, hoc colloquium impedijt, & Legatos in ancipiti reliquit de consilio quod ille susceperat; nec extra spem, hominem (quasi ad labrum fossæ, veritum ne casurus esset in turbas ab ipsius Rege iam vetitas) saltu supersessurum: idcircò curæ ipsis non fuit eum per nuntios stimulare. Sed manè dum Præsides Oratoribus ac Patribus cingebantur, & propè erant vt gressus ad functionem conuerterent, casu ipsis in aures dictum est, à Lunensi accessum cum aliquot Præsulum comitatu parari. Tunc illi, qui rem occultissimam ad eam vsque horam custodierant per quàm arctissimum potuerunt arcanum, ei qui erat à Secretis imposuerunt, vt sellam deferri iuberet in sacrarium, & parari thuribula, atque externos Presbyteros acciri, quò integra illa æqualitas seruaretur, à Pontifice adeò commendata. Neque quidquam earum rerum eo breui temporis spatio, quod ante Sacrificij celebrationem effluxit, Gallis suboluit: sed posteà templum ingressi cum Legatis, suisque in sellis absque suspicione considentes, conspicati sunt illicò, antequam res sacra inchoaretur, quæ celebrabatur eo die ab Episcopo Augustensi, Sabaudiæ Oratore, ingressum Lunensem, & sellam

1563. ipsi collocatam in loco extra ordinem, vt in habitis colloquijs statutum fuerat. Erat hic locus non qualem occuparat in cœtibus, propterea quòd alius theatri situs id minimè patiebatur: sed pro eo quod Pontifex designarat, ante quamdam columnam, supra Patriarchas, modico seiunctus interuallo ab ordine sellarum altiore, Cardinalibus destinato: quare considebat velut è regione laicorum Oratorum; nam Oratores Ecclesiastici alibi locum obtinebant ad Præsidum dexteram, aliàs à nobis explicatum. Hac rei nouitate commoti Galli; & Lotharingus acriter conquestus est cum Legatis, præsertim quòd ne verbum quidem secum fuisset habitum; & ingens inter Patres susurrus excîtus. Sed non tantam suspicionibus sermonibusque materiam præbebant præterita, quàm futura. Oratores Galli aliquantulum inter se mussitantes, Cæremoniarum Magistrum ad se accersitum percunctati sunt, quid agere cogitaret de thuris ac pacis ritu; auditoque susceptо consilio, illum miserunt cum acerbissimis querimonijs ad Legatos, ad minas contestationum regressi. His Oratorum obnuntiationibus addidit Lotharingus, qui prope Legatos assidebat, plurimas illis consimiles, affirmans, apud Oratores esse disertum Regis mandatum prouocandi coram Synodo, & contestandi aduersus Pium tunc Pontificem, quem ipsi haud legitimum existimabant, aientes, illum per simoniam electum fuisse, & penes Galliæ Reginam esse litteras Pij manu conscriptas, id comprobantes. Post hoc velut explosum tormentum, strepitu quidem horribile, sed pilâ non validum, sicuti palàm fiet, addebatur: Vbi etiam legitimus fuisset Pontifex, ab eo prouocaturos, tamquam à Pontifice tyrannico, qui deponi merebatur ex notoria iniustitia quam exercebat, dum antiquâ possessione spoliabat Regem pupillum & innocentem, ne auditâ quidem illius causâ; adeoque se deiunctum iri à Pij obedientiâ, adiectis contestationibus, se numquam ad eam reuersuros, donec alius æquus Pontifex spoliatum Regem redintegraret. Prænuntiabat præterea Lotharingus, cunctos Gallos secessuros, consulturosque rebus Galliæ per proprias Nationis Synodos, aut aliâ ratione, nisi fortè ipsorum quispiam ibi perstitisset ad deteriora molienda.

Non omisere Legati factum suauiter excusare, vsi normâ prudentium ministrorum, vt cùm cogantur inferre molestiam alicui Principum factis imperatis, nihil ipsum exasperent verbis voluntarijs. Delata vtrimque per internuntios ad Præsides & Oratores, vsque ad finem Euangelij perdurarunt; idque interuentu Muglitij ac Drascouizij peragebatur, qui, vtpote primi inter Oratores Ecclesiasticos,

siasticos, admodum prope primum Legatum considebant. Denique cùm esset inchoanda concio, & murmur in fragorem migrasset, Præsides in sacrarium se contulerunt cum duobus Purpuratis, & Oratoribus Cæsareis ac Polono. Lotharingus acciri voluit pro altera parte Ferrerium, Archiepiscopum Senonensem, & Episcopum Aurelianensem, & pro altera Guerrerum. Hic illis retulit, Se fuisse cum Lunensi collocutum, & ex ipsius mandato exponere, ipsum cupere vt mandata Româ missa peragerentur, in quibus se reponebat: tamen cùm denuò audiuissent Legati ab eodem Guerrero, vetari Lunensem in Regis mandatis amicitiam cum Gallis abrumpere, dixerunt, cautè procedendum, ne Synodus solueretur, & cuncta Pontifici vitio verterentur. Sic illi ad Hispanos. Ex altera parte iterantibus Gallis denuntiationes minasque, Legati eos mitigare studuerunt, affirmantes, cuncta peragi sine illorum detrimento, & saluis expresè eorum iuribus: id non modò decretum initio fuisse à Synodo de quocumque loco, qui illic cuiuis hominum tribueretur; sed in epistola peculiari Pontificis declarari, & in præsentia offerri à se cuiuscumque legitimæ fidei cautionem: Oratorem Regis Hispanici cogi non posse, vt alijs inuitus cedat: quemadmodum consenserant Galli, vt ille in loco extra ordinem sederet; ita consentire posse, vt modò extra ordinem illi thus & pax porrigantur. Sed omnis adhortatio irrita; cùm existimarent Galli, cunctas denuntiationes & cautiones esse velut arma aërea & chartacea, facta verò res solidas; & vbi semel inducatur quomodocumque possessio, obtinentis conditionem nimis euehi. Quamobrem Legati Guerrerum misere, qui Lunensi proponeret, acquiescerétne quietis gratiâ, si eo manè thuris ac pacis honor nulli Oratorum exhiberetur, confirmato tamen prompto ipsorum animo ad complenda ipso petente Pontificis mandata. Acquieuit Lunensis, executione Pontificij mandati in aliud solemne festum reseruatâ; quod tametsi post triduum aut quatriduum secuturum erat, tamen & Legatis, & fortasse ipsi Lunensi spes inerat, controuersiam interim per negotium in concordiam adductum iri: aut certè adhibitis cum Præsulibus Italis, Hispanis, ac Germanis, opportunis studijs, tunc præpeditis ab iniuncto arcano (quod si offensas procul arcet, simul impedit auxilia) Præsules illos rem sustentaturos, reiecturosque verba contumeliosa, à Gallis in Pontificem parata, adeoque sublatâ Gallicâ natione, reliquos omnes honorificè ac reuerenter de Pontifice locuturos: quod in tam multiplici ingeniorum varietate sibi polliceri non poterant in re improuisa. Verùm 1563.

1563. Legati, habitâ ratione hinc disertæ Pontificis iussionis, hinc reuerentiæ debitæ Regi Catholico, in cuius gratiam id præcipiebatur, studuerunt in hac mandati præteritione cautè tutoque se gerere, quò neuter eorum Principum id ipsorum culpæ imputaret. Et idcircò per Madruccium, Drascouizium, & Polonum idem quod anteà de integro proposuere Lunensi; eamdemque responsionem ab eo retulerunt. Iam verò quamuis huiusmodi consilium de thure ac pace omittendis, à Drascouizio elapsis diebus propositum, Lotharingus reiecisset; tamen in illis rerum conditionibus considerarunt Galli, si adhuc ipsi obdurescerent, coactum iri Legatos ad exequenda mandata, seque reipsâ causâ casuros, & abalienatos à Pontifice, si illi nocerent, maius fortasse detrimentum illaturos fuisse suo Regi, ætate parum firmo, minusque dominatione, & quasi adacturos Regem Hispaniæ ad se ab ipsis seiungendum, Piumque sustinendum, vt qui in ipsius gratiam ea turbamenta pateretur. Præterquam quod dum animum nimis inflexibilem præseferrent, deteriorem apud Synodum & extraneos suam causam reddidissent: humana quippe mens procliuis semper est ad ferendam sententiam in eum qui honestam concordiam recusat. Postremò, tamquam Christianis, ac tamquam hominibus, horrori erat, se ministros esse cladium Christiani generis, & orbis terrarum. Nonnemo etiam retulit, Gallos [d] ex nescio quo Legatorum actu suspicatos fuisse, si ipsi contestarentur, illos velle actutum ad Synodi suspensionem progredi. Quacumque potissimùm causâ permoti fuerint, tandem ad hoc temperamentum deducti sunt, vt eo manè memoratus honor non modò non adhiberetur Oratoribus, sed ne ipsis quidem Legatis, quò ab ordine superiore rei nouitas initium duceret. Legati verò intelligentes, vbi ipsi repugnarent, in seipsos vituperationem, odiumque tanti dissidij reiecturos, facilè consenserunt. Ita Sacrificium, quod interruptum fuerat, continuatum: temporis enim spatium, à concione occupatum, dissensioni componendæ minimè suffecerat. Et Sacro peracto Hispanus Orator [e], cui mos erat è cœtibus egredi post Legatos, primus & ante Crucem egressus est.

[d] In schedula Vicecom. signata 30. Iunij 1563.

[e] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 30. Iun. 1563

Breuibus hisce inducijs potiùs quàm pacificatione illius parati conflictus, animi ex horrore præsenti aliquantulum respirarunt, sed agitabantur sollicitudine futuri, quam si melior hinc spes solatur, hinc acriùs cruciatur liberior quidam ac minus hebes rationis obtutus.

CAPVT

CAPVT IX.

1563.

Præsidum consilia, quò Gallorum contestationes retunderent. Declaratio & apparatus Lunensis ad executionem operis, & defensionem Pontificis. Varij Patrum sensus. Legatorum consilium priùs de re conficienda, posteà de suspendenda, & tandem tabellarius ab ipsis ad Pontificem missus.

1 EOdem die cuncti Principum Oratores adiere Legatos, alij tamquam litigatores, alij tamquam sequestri. Illi verò singulis responderunt, sibi non licere obedientiæ Pontificij mandati deesse, ad quam ipsos Hispanus compellebat. Quocircà Simonetta, vt pararet [a] responsa contestationibus, quas præsenserat, Paleottam acciuit, & ab eo petijt vt eorum exemplum digereret. Respondit ille, Sibi consentaneum non videri diuino obsequio, ac bono Pontificis, absque necessitate ignem immensum, & forsitan inextinguibilem accendi: à cunctis Patribus Synodi præuideri obortis lacrymis Galliæ schisma; & Oratorem Poloniæ prænuntiasse, cum Galliæ iactura Poloniam perditum iri. Tum Simonetta: Mandato tam diserto Legatos vrgeri, vt eorum munus esset, non prudentiam in expendenda re, sed obsequium in perficienda exercere; adeoque auxilium à se, non consilium peti. Sed Paleottus virili fiduciâ negauit, velle se auxilium conferre operi, vnde clades immineret Ecclesiæ: nec vim incuti à iussu Pontificis; siquidem à Deo, qui Pontifici & omni creatæ potentiæ superior erat, oppositum præcipi, vetante, ne certus schismatis fomes in Christiana Republica præberetur. Præterea, secundùm omnes legum interpretationes, nullam humanam iussionem habendam esse pro rata in eo euentu, in quo notabilis conditionum mutatio facta est, à superiore non præuisa, & eiusmodi, vt si ab eo cerneretur, deberet, ac vellet iussionem reuocare. Similiter Boncompagnus, ad id accersitus, simile responsum reddidit. Nauagerus, educatus inter quietos ac moderatos sensus Veneti Senatus, in eamdem propendere sententiam videbatur: quamobrem reliqui etiam Præsides consensere [b], destinantes Romam tabellarium, noua mandata petiturum post delatam notitiam integram præsentis rerum status; nulli tamen hoc ipsorum animo supersedendi patefacto, quò & liceret ipsis tum illum mutare, vbi id opportunum arbitrarentur, absque inconstantiæ nota, tum agere interim de con-

[a] In Actis Paleotti.

[b] Litteræ Legatorum ad Borromæum 1. Iulij 1563.

1563. cordia, cum spe maiori successus, dum Galli magis formidarent, & Hispani censerent, per maiorem dignitatem à se concordiam iniri, quasi largientibus quieti publicæ id quod in ipsorum facultate situm erat.

Itaque ad Pontificem scripserunt, factum vniuersè improbari non modò ab ijs qui neutri partium inclinabant, sed à Lusitanis, & etiam ab aliquo Hispaniensium. Videri communiter, videri tot egregijs viris, etiam inter studiosissimos Apostolicæ Sedis, magnam inferri iniuriam Regi pupillo, quando nec auditus, nec in ius vocatus suâ possessione priuabatur. Huiusmodi onere nedum quidem fuisse grauatum in Aula Cæsaris, patrui Philippi Regis; quin nec in Aula Pontificis, cui meritò liberius licuisset in ea quàm in Synodo res ordinare. Prænosci, Gallis esse in animo Legatos adire postridie, & hanc planè exceptionem producere, dicentes, non futuram in Synodo eam Patrum libertatem, eamque cuiusuis personæ securitatem, quas toties Pontifex promiserat; vbi ne ipsis quidem Patribus auditis, res adeò noua absoluto ipsius imperio perageretur, & Rex pupillus, tot sæcula tamquam Ecclesiæ primogenitus in honore habitus, qui per suos Præsules Oratoresque eò conuenerat, tam palmarem iniuriam pateretur. Neque solùm scribebant Legati opus illud vt iniquum damnari, sed etiam vt noxium. Parari à Gallis in diem Dominicum proximè futurum, quo die rem peractum iri putabant, memoratas contestationes, vocibus erga Sedem Apostolicam & Pontificatum reuerentiâ plenis, & erga Lunensem, eiusque Regem beneuolis, quò posteà integrum fel in caput Pij IV. profunderent: & in diem posterum protectionem destinare, minitantes, se contra Pontificem acturos, & alterum creaturos, per consuetam schismatis rationem; quâ in re ingentia sibi auxilia pollicebantur à coniunctis viribus vniuersi ferè Septemtrionis. Ex altero etiam capite non modicam infamiam nasci, cùm Pontifex calumnijs appeteretur, quòd ex emendationis horrore vellet etiam cum Christianæ gentis pernicie Synodi dissolutionem; at verò postremis illis diebus Gallos proniores ad rem expediendam conspici. Existimari propterea, Pontificem prudenter moueri posse à tot nouis conditionibus ad reuocandum aut suspendendum mandatum, & nolle, vt ea functio exhibendi thuris ac pacis, Deo cultum, & Ecclesiæ pacem auferret. Præstò esse excusationem cum Hispanis ministris, qui simul Pontificis beneuolentiam viderant, simul experti erant tam grauia discrimina turbarum, quas animo non præceperant, vt qui facilem rei exitū Pontifici prædixerant.

rant. Postremo loco Legati, ne se aut debiles aut contumaces ostenderent, promptam operam suam offerebant, vbi Pontifex in incepto persisteret; indicantes se rem ita protracturos, vt ante Sessionem ea peragenda non esset, quo tempore tabellarius iam redijsset. Pontificem quoque monuerunt, à Lotharingo ad eum Musottum mitti, ipsum de negotio edocturum, veniamque petiturum, vt dicebatur, in Galliam remigrandi. 1563.

2 Et reipsa Musottus viam priùs arripuit quàm Præsidum tabellarius, detulitque epistolam ad Pontificem [c], cuius exordium immensam subiectionem præ se ferebat, vbi Lotharingus sua singula dicta censuræ Pontificis subijciebat. Verùm hoc præmisso, quasi alexipharmaco quo notam irreuerentis & immoderati vitaret, subsequebantur formulæ supra modum efficaces ad exprimendam grauitatem iniuriæ, quâ tantus Rex lædebatur: & hæc inerant verba: *Nisi magna prudentia ac pietas Lunensis, & nostra tolerantia obstitisset, non defuit ex parte Legatorum, quin sancti Petri diem festum funestissimum ac infelicissimum reddidissent omnium quos Christiana Respublica deploraſſet.* Pergebat ille conqueri, quò demissiùs, eò acriùs, quòd Pontifex, aduersùs quàm aliâ vice sibi per Musottum significarat, imperasset (vt ille dicebat) Legatis, violatæ obedientiæ crimen incursuris, ne Lotharingo quidquam concrederent; præcipuè verò negotium illud, in quo ipse supra reliquos potuisset Pontifici seruire, quemadmodum experimento liquebat: quamquam enim ex improuiso res ipsi accidisset, tamen nisi sua & probi Præsulis Hispani (Guerrerum significabat) opera interceſſisset, minimum malorum quæ contingere poterant, Concilij solutio fuisset. Compelli se à gradu, quem obtinebat in Ecclesia, & à quietis desiderio, ad illum monendum: Si mandatum deduceretur in opus, Oratores declaraturos, quando ipse parentis officia reliquisset, & partis personam susceppisset, latâ non auditis Gallis sententiâ, nolle se illi sententiæ submittere, nec sibi deesse, nullâ habitâ Synodi, vel cuiusuis ratione, cunctis arreptis armis suæ causæ opportunis. Compertum esse Pontifici, nihil intolerabilius accidere mortalibus, quàm se iniuriâ offensos cernere, idque potissimùm Principibus; vnde iræ suæ cunctis modis indulgent, cunctisque respectibus oculos claudunt, & ministri coguntur interdum, vt obsequantur, ad ea quæ sibi displicent peragenda. Neminem illic esse Italum aut Hispanum, qui contra Pontificem non vociferaretur. Illum igitur à se rogari per Iesu Christi viscera, vt ab eo proposito resiliret, sineretque Synodum progredi sicut inceperat: siquidem pros-

[c] Litteræ Lotharingi ad Pōtif. vltimo Iunij 1563. in adducto libro Gallico.

sper

1563. sper ac celer exitus sperandus erat, pro ipsius voto; se verò polliceri ita enixurum, vt id eueniret nullâ præteriti habitâ ratione, dummodò in posterum detrimentum illud Regi non inferretur. In reliquum intelligeret, nullâ ratione euenturum, vt duo illi Principes ad arma concitarentur: opportunum consilium, ne id contingeret, repertum iri; non item, ne Pontifex perpetuis vexatam molestijs vitam duceret, quamuis in centesimum annum ea protraheretur. Rursus posteà leniebat asperitatem iteratis demississimis excusationibus liberæ scriptionis, quam studio ac beneuolentiæ tribuebat: atque ad epistolæ calcem, Italicè scriptæ, duos apponebat versus Latino idiomate chirographo suo, ad fidem nuntio conciliandam.

3 Paucis elapsis horis post discessum Musotti innotuit Lotharingo, Præsides in procinctu versari, vt tabellarium mitterent: & plus minúsve eorum suspensio sibi suboluit. Quare per hunc posteriorem tabellarium breuem epistolam latine scripsit [d]. Dicebat, missam à se fuisse priorem epistolam, quasi res publicas desperante; sed posteà cùm animaduerteret, Legatos rationibus aliquantulum commotos, promptosque ad mittendum Romam tabellarium, voluisse se iterùm ab eo petere, ne schismatis in Ecclesia auctor fieret, cùm pro certo illi affirmaret, res Concilij benè digestas esse ad Sessionem concorditer celebrandam; postquam, si Pontifex vmbris dissectis, vellet suâ vti operâ, quemadmodum ex Musotto cognosceret, se Diuini obsequij, Sedisque Apostolicæ studiosissimum experimento compertum iri.

[d] 1. Iul. 1563 in dicto libro Gallico.

4 Sed Legatorum tabellarius, qui hanc secundam Lotharingi epistolam detulit, alteram simul eorum attulit, quâ negotium variari nuntiabatur, & spes efficacitatis in eo negotio obturbabatur. Epistolam igitur ad Borromæum per eumdem tabellarium [e] adiecere, narrantes, post obsignatum litterarum fasciculum se audiuisse, Lunensem vnà cum suis omnibus firmo esse animo, vt die proximo Dominico traditum à Pontifice mandatum opere compleretur: atque in eo illi adhærere Cæsarianos, repugnantiam Gallorum damnantes; adeoque Lunensem, post adhibita cum Lotharingo studia per eosdem Cæsarianos, velle eodem die tres Episcopos ad illum mittere, ipsi exposituros susceptum à se consilium, simulque per eos conqueri de Præsidum languore, quò huiusmodi querela in illos facta, esset veriùs eorum, & ipsius pariter Pontificis purgatio; cùm ostenderet, Pontificem à Rege fuisse permotum, non ipsum motorem esse, sicuti Galli sibi persuadebant, aut studebant

[e] Secunda epistola Legatorum ad Borromæum 1. Iul. 1563.

alijs persuadere. Post hæc eosdem Præsules Lotharingo significaturos, auditum à Lunensi fuisse rumorem contestationum, quæ ab Oratoribus Galliæ parabantur: se vix posse illi fidem habere; quod si verum esset, mirari se, id à Lotharingo tolerari. Profectò se illis denuntiare, vbi Galli verba minùs honorifica in Pontificem adhiberent, Lunensem per consimiles formulas ipsis responsurum; cùm suus Princeps pati non posset, communi suoque Parenti peculiari iniuriam inferri. Regem Christianissimum suo tempore illis meritò succensurum, quòd puerili eius ætate ipsum ab Ecclesia deiunxissent: interim verò abeuntibus Tridento Gallis, non idcircò non perstituram ibi Synodum. Ita noua Legatorum epistola; qui per huiusmodi nuntium minùs ad exequendam rem, magisque ad suspendendam timidi, epistolam clauserant, animum haud mediocriter ancipitem præ se gerentes; siue quòd talem reipsa gererent, siue quòd vellent sibi retinere libertatem ad omne consilium, quod ipsis opportunum suasissent incidentes rerum conditiones: postremò addebant, se Deum rogaturos, vt ab eo dirigerentur; quàm diutissimè possent, moras protracturos; curaturos, vt quacumque ratione concordia agitaretur; & vbi animaduerterent fieri non posse quin altera partium se læsam putaret, minus malum electuros. 1563.

Ad extrema rerum discrimina ministris conducibilis semper non est cautio, vt ipsi, quemadmodum creditur, diserta Principis iussa præstolentur; tum quia sibi nequiter nauatam operam existimat ab ijs qui velint se subducere, ipsum verò exponere cunctis vituperationibus, quique indemnitati suæ intenti, afferunt magni ponderis negotio detrimentum, ex eo quòd rectorem habeat longinquum, & non plenè conscium, sicuti ij sunt, quibus res ob oculos versatur, adeoque consilium suggeritur à conditionibus cuiuscumque momenti; tum quia illud negotij detrimentum, tametsi omni adhibitâ cautione, in ipsos ministros recidit, cùm semper infelix euentus causæ proximæ vitio tribuatur, adeò vt ipsa quamquam vita, nedum anima expers, ab hominibus plecti soleat: quod exemplo lusorum comprobatur, qui ludo victi talos diuerberant, aleasque dilacerant.

1563.

CAPVT X.

Responsa Pontificis ad Legatos & Lotharingum. Quæ Lunensis significauit ad Pontificis defensionem. Concordia Tridenti composita inter Oratores ante Romanæ responsionis aduentum: quæ responsio idcircò posteà non vulgatur. Iudicium de variis rebus, quæ in hoc negotio contigerunt. Lansaci discessus.

ALlocutus fuerat Lunensis complures Præsules, sui & Regis Hispaniæ studiosos [a], firmumque præ se tulerat animum ad inceptum prosequendum, & æmulorum contestationes confutandas: ij verò suam omnem operam exhibuerant ad decus Regis ac Pontificis sustinendum. Tamen rumor fuit, à quibusdam Hispanis, verum bonum imaginario splendori anteferentibus, illum grauiter admonitum fuisse de acceptis ab optimo ipsorum Rege mandatis, ne abrumpendæ amicitiæ causam daret, quorum mandatorum transgressionem coram ipso Rege illi exprobrassent; & vniuersè credebatur, quemadmodum in quouis Conuentu maior pars ad pacem propendit, maximè verò si Conuentus ex togatis conflatur, & si causa contentionis propria non est; ita vbi actum esset de re exequenda, maiorem Synodi partem petituram fuisse vt expectarentur noua mandata Pontificis, ad quem compertum erat fuisse tabellarios missos; quamquam aliter fortasse contigisset die festo S. Petri, dum animi in re habita imparati erant tum à consilio, tum à coniunctione inter se, sine qua subiecti non audent superioribus repugnare.

[a] Litt. Vicecomit. 30 Iunij, & 1. Iulij, & Iarensis 1. Iulij 1563.

Pontifex facti nuntio accepto, non modò non vituperauit Legatos quasi languidos in peragendo mandato, sed vnicum illud in ipsorum litteris ipsi displicuit, quòd nimirum suspensum animum præ se tulerint in protrahenda executione vsque ad iteratam ipsius iussionem. Aliàs ille quidem ipsis iniunxerat [b], ne se cohiberent ob contestationes, aut discessum Gallorum Tridento; sed progressus non fuerat ad id præcipiendum, etiamsi eorum ab Ecclesia secessio prænosceretur. Quare duas [c] rescripsit ad Legatos epistolas, alteram prolixam & arcanam, alteram breuem, & quæ ostenderetur. In priori his vtebatur verbis: *Vbi schismatis periculum adest, cuncta efficienda vt euitetur, & omittendas esse cunctas honoris æmulationes, sicuti leges omnes, Canones, & sancti Doctores præcipiunt.* Addebat, Sperare se interim, Legatos ad res nouas haud progressos; imperabatque ne in

[b] In mandatis traditis 8. Maij, & alibi memoratis.

[c] Vtraque 16. Iul. 1563.

in posterum progrederentur, sed pro virili rem protraherent; quamcumque concordiæ rationem tentarent; & vbi cuncta temperamenta deficerent, offerrent se litem Synodo commissuros: quod à Gallis acceptum, & à Lunensi repudiatum, eumdem ad silendum compulisset, & Pontificem ab omni obligatione subduxisset. Dein ita sequebatur: *Ex quo Pontifex renuntiatus sum, numquam Oratores Regis Catholici ab hoc postulato destiterunt, eò vsque progressi, vt dicerent, statuisse Regem Oratorem suum Româ & etiam Tridento reuocare, nisi optatus ab illis locus tribueretur. Quare animaduertens periculum alienandi à me tam tenui ex causa Regem adeò potentem ac probum; & ex altera parte Gallos Diuino obsequio deesse per hanc pacificationem hæreticam, ac per alia edicta ab ipsis promulgata, & per concionatores ac ministros hæreticos, quos ad Prouincias mittunt reluctantibus Catholicis, & per abalienationem bonorum Ecclesiasticorum, me inuito ab illis exercitam; ac præterea cognoscens, in cunctis Concilij argumentis Gallos esse non modo qui apertè auctoritatem tum huius sanctæ Sedis, tum nostram oppugnant, sed qui studeant Principes in me consociare, coactus sum ad ea quæ nostis, procedere, ne nudus, & omnis opis expers destituerer. Sed equidem in animum induxeram, rem quietè progressuram, sicuti ministri Hispanienses hîc pro certo affirmabant, & vos etiam scripsistis Lunensem confirmasse. Quamobrem cùm in præsentia schismatis periculum animaduertatur, tametsi putem in quouis euentu Gallos in illud prolapsuros, quin videntur iam fuisse prolapsi, spectatis agendi rationibus, & egregys eorum facinoribus, quæ modò memoraui; tamen quod ad me attinet, neque causa ad id, neque causæ species præbenda est. Equidem cupio, vt in arcano lateant hæc iussa supersedendi executione litterarum nostrarum de pace ac thure, quousque per vtramque partium licebit, quò honorificentius & opportunius de concordia agi possit, hîc à me, istic à vobis: verùm vobis liberum erit, vbi id expedire arbitremini, hæc iussa vulgare. Peculiare illud, quod Galli de me blaterant, risu vobis excipiendum est: sunt enim calumniæ ac diserta mendacia; inuitandi tamen à vobis sunt, vt hasce litteras producant, quas esse penes Reginam autumant, simoniæ plenas; cùm optimè mihi compertum sit, quo statu sim, & quo pacto electus: & tum hoc, tum reliqua quæ ad me scribitis, nec esse, nec vmquam repertum iri. Negat Musottus hæc verba prolata vmquam fuisse: illum tamen reprehendi, eiq; dixi, cùm vos testemini ea ex Gallis audiuisse, vobis magis quàm reliquis omnibus fidem habendam. Vestrum erit ita viriliter ipsis respondere, ac dicere, si ad causæ acta conficienda procedendum erit, nos in ijs conficiendis magistros esse, & absque multo labore viam reperturos, si nos pergent lacessere, ad dicendam in eos causam per æquitatem ac veritatem:* 1563.

1563. *eorum acta erunt auctoritate vacua, & innixa mendacio ac malignitati: sed mirum non erit vt qui Deum deserit, nos etiam deserat.*

Hæc loquendi ratio, quâ respondere Legatos iussit Pontifex; ad ea quæ de simoniacis scripturis iactabantur, satis animaduertitur nec sontem nec trepidantem sonare. Præterquam quòd vbi se Pius reum sensisset huiusmodi scriptorum, & reipsa vereretur ne scripta illa penes Reginam extarent, quonam pacto fuisset ausus tot repulsis & querimonijs toto Pontificatus decursu eam prouocare? Verùm euidens falsitas huiusce criminis, quod nonnemo temerè malignus in hoc genere aduersus Pium IV. sparsit, & quod Suauis cupidè collegit, alibi hoc in Operè ostensa est; adeoque superuacaneum esset, easdem rationes à me repeti ad hominem refellendum, qui eò audaciæ deuenit, vt eas quas somniauit simoniæ syngraphas tam asseueranter referat, perinde ac si in publico scribæ tabulario illæ seruarentur, & cuicumque liceret originarium auctographum illic inspicere. Nec temperare sibi potest, quò minùs, dum narrat admodum emunctis formulis, ob notitiæ penuriam, rem in eo Concilio gestam adeò memorabilem, referat tamen contestationem [d] à Ferrerio paratam, quæ tamquam res sub mera conditione, & non reipsa existens, impugnationem non requirit. Sed eadem vtique mihi prodest ad impugnandum Suauem: nam ibi inter acerbissimas contumelias in Pium IV. explosas, otiosum in pharetra relictum cernitur telum illud venenatum, & supra cetera lethale, quod ipsum transfigeret, quasi conuictum simoniacæ & minimè legitimæ electionis: quod palam facit, cur Ferrerius, cùm animum conuertit ad verba volantia, in chartæ perpetuitate infigenda, vt causam in omnium conspectu sustineret, opponere ausus non fuerit id quod sciebat à se defendi non posse. Haud equidem existimem extra rem esse, aut vtilitate vacuum, generatim admonere, huiusmodi populares fabellas, quæ circumferuntur per ora imperitorum malignorúmve de varijs Pontificibus, incredibiles habitum iri à quouis homine cordato, earumque rerum perito. Cuiusmodi prudentia inesset in Cardinali, qui hoc syngrapharum genus ab eo peteret, quem vellet sibi Dominum constituere, traditâ illi potentiâ, qui se ab ipso lethaliter affectum iniuriâ existimaret, quique ratione Religionis non habitâ, stimularetur ad occultam ipsi cladem moliendam, quò sibi suæque dignitati consuleret? Prætereà, quonam pacto quidquam sibi emolumenti traheret ab illo scripto, quod hominem qui ipsum produxerit plenè conuincens, eumdem primo loco damnaret tamquam reum atro-

[d] Hæc parata cõtestatio impressa est in memorato libro Gallico; sed exterior ponitur sub mense Augusti 1561. cũ ponenda esset initio Iulij eiusdẽ anni.

atrociſſimarum pœnarum,atque infamiæ,quæ non vni minùs quàm alteri è ſacrilegis paciſcentibus imponuntur ? & quamquam huiuſmodi ſyngraphæ ab eo, qui regale Sacerdotium ambiret, traderentur Principibus, pœnas ac tribunalia minimè formidantibus, quonam pacto eas in lucem producentes effugerent totius Chriſtiani generis vituperationem æternam,quod ſupplicium horrorem incutit cuiuis animo vel maximè ſenſu carenti? 1563.

4 Nos verò cum reſponſo Pontificis ad Legatos reuertemur. Ille pro more hominum,qui ſtudent in rebus à ſe geſtis non prudentiam modò,ſed emolumentum inuenire, addebat, arbitrari ſe, antegreſſa mandata ſua à Diuino afflatu proueniſſe. Etenim veritos Gallos, ne huiuſmodi dedecora quotidie paterentur, animum inducturos ad Synodum aliquâ ratione confeſtim terminandam , adeoque eam offenſionem ab Eccleſia ſublatum iri ; cuius rei indicia à ſe conſpici in litteris Lotharingi. Atque hinc liquet eorum vanitas, quæ Suauis commiſcitur, Reginam iam à proximè ſuperiori menſe voto Pontificis morem geſſiſſe in Concilij negotijs. Significabat inſuper, Muſottum tamquam ex ſe ipſi propoſuiſſe, vt Pontifex Lotharingum poſt paratam Seſſionem Romam inuitaret, quò cum eo ageret de ratione abſoluendi reliqua argumenta, & Concilium; ſe verò habere in animo hunc illi honorem exhibere Muſotto regreſſo. Denique imperabat, vt vbi oportuiſſet ipſis nouum ſuperſedendi mandatum patefacere , id agerent productâ alterâ ipſius epiſtolâ breui , & quouis offenſionis verbo purgatâ , quæ ſic loquebatur : *Noſtræ mentis non fuit , per eam iuſſionem , quâ iniunximus vt pacis imago & thus exhiberentur , vlli partium detrimentum inferre , nec exiſtimamus illud illatum fuiſſe. Si oppoſitum intendunt Galli, placet nobis vt id à vobis vnà cum Synodo cognoſcatur ; ſimulq; proſpiciatis , ne cui inferatur iniuria. Quod ſi Regis Catholici miniſtri hoc iudicium recuſauerint , de hoc ipſo nos commonebitis. Interim verò iuſſionem hanc de pace ac thure pro ſuſpenſa habetote. Nos verò omnem operam vtrimque impendemus ad concordiam conſequendam; & quod ſpectat ad iuſtitiam,nulli deerimus.*

5 Per hæc negotio conſultum eſt. Sed plerumque morbis impetuoſis remedium quod è longinquo mittitur, prægreſſam reperit aut ſanitatem aut mortem. Antequam Tridentinæ turbæ Romam peruenissent,quies Trideti coorta fuerat [e]. Legati proniorem ſemper animum geſſerant ad ſuperſedendum executione , & ad credendum, magis decere Pontificem , vt mandata ſuſpenderet. Conſpicabantur enim in Synodi corpore mentem Gallis addictam , adeò vt

[e] Quod hac de re ſequitur, habetur in litt. Legat. ad Borrom. 4. Iulij, & in Actis Palcotti 1563.

1563. vt ipsi Cæsariani, cùm se communiter reprehensos animaduerterent, quasi fautores iniustæ causæ, Legatos adierint ad se purgandos, professi, inductos se in controuersiam non tamquam vnius partis, sed tamquam pacis studiosos. Præterquam quòd ex ipsis Iurisperitis Præsidum complures opinabantur, eam causam suapte naturâ ad laicum Tribunal pertinere; adeoque cùm ea inter meros laicos versaretur, non posse Pontificem procedere, nisi secundùm ius commune, nimirum citatis & auditis partibus.

Ex aduerso tamen obstringebantur promissione, quâ Lunensi polliciti fuerant, se rem peracturos eo postulante. Nec arbitrabantur expedire sibi, cohortationibus ad remissiora consilia Lunensem pertrahere, ne querelarum in se ansam præberent Hispaniæ Regi, vbi fortasse concordiæ forma illi displiceret. Interim Lunensis nihil omiserat studij ac diligentiæ, vt opinionem deleret, quòd Pontifex auctor fuisset illius flammæ ad Synodum dissipandam, testatus & voce & scripto, ea omnia ob Regis Catholici præualidam postulationem fuisse confecta. Quod autem ad contumelias in Pontificem iactas spectabat, non solùm ille elato supercilio locutus fuerat in multorum Præsulum conspectu, sed scriptam responsionem confecerat, quâ mendacium nomen auctoribus tribuebat, cum alijs ignominiæ formulis, eamque Lotharingo legendam obtulerat.

6 Iam verò quemadmodum ex duobus contrarijs excessibus conficitur temperamentum; ita ex oppositis tum prærogatiuis tum ardoribus illarum partium in certamine, concordia orta est, his pactionibus composita: Vt Sessionis die seruaretur ordo habitus die sancti Petri; alijs festis diebus Oratores accederent ita ex compacto, vt altero accedente, alter non concurreret; aut eiusmodi ratio iniretur, ex qua nihil turbamenti procederet: vt interim missis litteris ad vtrumque Regem, tentaretur, an ex ipsorum consensu firmius aliquid stabiliri posset. Laus præcipua huiusce tranquillitatis Lotharingo adscripta est, quòd Gallicos Oratores emollierit; & Granatensi ac Segouiensi, tum quòd Hispanum induxerint, obstrictâ illi fide, & constituto vel suorum capitum vadimonio ad Regis comprobationem obtinendam, tum quòd Legatis denuntiauerint, ipsos ex conscientia nequaquam obstringi ab accepto mandato, cùm futuras clades prænoscerent. Ac præsertim manè quo imminebat procella, Guerreri opera cunctæ Ecclesiæ salutaris fuit: ac proinde vnicum hoc promeritum, præter alia complura, quæ duos hosce Præsules illustrarunt, satis illis fuit non modò ad compensandam turbationem aliquam ab ipsis in Concilio excitatam, sed ad

ad reddendam eorum nominibus vitam immortalem per commendationem perpetuam in Annalibus Christianorum. Legati supra modum gauisi, Pontificem certiorem fecerunt, aptiorem concordiæ modum optari non potuisse; Hispanos se obnoxios agnoscere ipsius propitiæ voluntati, nihil defloratâ huius gratiâ ab vlla suorum ministrorum repugnantia, nec ab vlla notitia propositi quod illi habebant in animo: Gallos iam certos esse, Pontificem non à seipso ad id progressum fuisse, vt Reges ad certamen compelleret, sed ab impetu Hispanorum commotum ad id indulgendum, ne alteram partem amitteret, dum alterius possessionem minus firmiter in Ecclesia permanentem cernebat: ipsorum minas criminationesque despectas, quando nihilo segnius propter illas eo manè Præsides promptum obtulerant animum Hispano ad ipsi obsecundandum. Eorumdem contumelias in Pontificem voce ac scripto depressas, & in obsequij verba ab ipsis post concordiam commutatas: querimonias de iustitia eneruatas ab ijs quæ ipsi pacti fuerant, & quibus in comperto erat assensurum libenter fuisse Pontificem vsque ab initio, nisi ab ijsdem ipsi dissensissent, neque constantem præsetulissent voluntatem in apertis prærogatiuæ signis postulandis. Ad hunc Legatorum nuntium Romam missum per expeditum tabellarium [f], suprà quàm credi possit lætatus est Pontifex; cumque Musottus nondum profectus esset, eum nono Iulij remisit cum suis ac Borromæi litteris ad illos, & cum suis ad Lotharingum responsis, quæ cum Legatis communicabat. Præsides amplissimam acceperunt ab eo commendationem prudentiæ ac solertiæ, quâ feliciter vsi sunt; simulque ipsis significatum est, Musottum heri sui nomine pollicitum certò fuisse absolutum iri Concilium tam aptè ac tam facili ratione, vt vbi res ita eueniret, non mediocres Lotharingo grates habendæ essent. Huic respondit Pontifex litteris grauitate plenis de falsis insimulationibus, in se coniectis à Gallis, & ad suas aures delatis: quod referre non placuit auctori voluminis Gallici, per typos impressi, à nobis sæpius producti; vt qui studiosè vulgauit quidquid Pontifici Synodoque contrarium in eius manus peruenit; adeoque cùm reliqua penè omnia ab ipso extensa ponantur, huius epistolæ perbreuem ac mutilam summam refert. Sed nec minori beneuolentiâ respondebat illic Pontifex Lotharingo de celeri Synodi conclusione, ab eo ipsi promissa, quam primo loco referendam illi acceptam scribebat, negans se Legatis vmquam demandasse, sicut Lotharingus pro certo ponebat, ne quid cum ipso communicarent.

1563.

[f] Cuncta extant in Litteris Pontif. & Borrom ad Legat. 9. Iul. 1563.

Et

1563. Et sanè oppositum palàm fieri poterat Lotharingo ex tot negotijs, cum eo ad eam vsque diem communicatis; sicuti mihi perspicuum redditur ex innumeris Borromæi litteris, per quas Pontificis verbis imponebat Legatis, vt plurimum confiderent Lotharingo, mutuamque cum eo amicitiam exercerent; & nonnumquam eos penè obiurgabat ob illius querimonias, quasi parcius in eo obsequentes Pontifici: & è contrario hi semper se apud Pium purgabant, affirmantes, se abundè obsecutos fuisse. Verum est tamen, ijsdem ferè rationibus, quæ Pontificem retinuerunt ne illum inter Legatos cooptaret, retentum pariter fuisse ne cum eo eamdem quam cum Legatis fiduciam exerceret. Ex quo ille, quippe magno ac forsitan vasto animo, secum non plene agi putabat, sine notitia, ac penè sine administratione rerum omnium. At verò in eo postremo negotio Præsides disertè vetiti sunt, ne cui præter Lunensem data ipsis mandata patefacerent; quæ interdictio allata fuit ab illis, suum silentium excusantibus aduersus Lotharingi querelas: id autem rationi vel maximè consentaneum apparebat, quippe quòd spes omnis executionis sedatæ pendebat ab improuiso. Quare mirum est, illum existimasse rem sibi communicandam, cum fuisset necesse vel vt ipse à data Legatis fide deficeret, re patefactâ; vel vt in offensionem grauissimam incurreret suum apud Regem, si vmquam innotuisset, rei scientiâ in ipsum transfusâ, Oratores âb eo non fuisse commonitos. Præterquam quòd Lotharingus in colloquijs cum Drascouizio eam seueritatem præsetulerat [g], vt postea Lunensis Legatis fassus fuerit; Animi sui propositum à se illis prænuntiatum ex arte non fuisse pridie quàm fieret, ne quid inde lucis perrumperet ad Lotharingum, à quo ipse fortasse verebatur, ne Oratorum animi ad pugnam potiùs quàm ad pacem impellerentur.

g Litteræ Legatorum ad Borromæum 4. Iulij 1563.

Quamquam reuerà neque Lotharingus, neque quisquam ex addictis huic ut illi partium mutile quidquam visus est ad incendendum, sed potiùs ad extinguendum ignem importunissimum: præsertim verò Ferdinandus hac in re animum potiùs probi Cæsaris, quàm studiosi Austriacæ familiæ palàm fecit. Etenim præter summum molestiæ sensum, quem primo præ se tulit ob eos tumultus, anxius ne Synodi dissolutio subsequeretur, vltra modum commotus est, accepto rumore de se sparso, Lunensem suis cohortationibus impulsum ad ea processisse. Quamobrem ad Oratores suos scripsit [h], affirmare se obstrictâ Cæsaris fide, huiusmodi consilium nec à se promotum neque cognitum fuisse. Prætereà ipsis iniunxit, vt pro virili conarentur pacem componere, stimularentque

h Viennæ 7. Iul. 1563.

rentque Præsides ad operam simul nauandam. Sed in hoc visus ille non est plenam æquitatem exercere: dum enim querebatur de apposita sibi vulgò calumnia, quòd illius perturbationis fuisset particeps; non tamen abstinebat se, quin ostenderet aliquam à se fidem haberi criminationi longè minùs verisimili, coniectæ in Pontificem, quasi eâ viâ solutionem Synodi moliretur: tametsi ratio, quâ Ferdinandus vsus est in eo ad suos Oratores scribendo, indicat, ab ipso non tantum id credi, quantum intendi vt per illum aculeum stimularentur Legati ad vrgendam concordiam, pro qua varia considerauit consilia; simulque ea cuncta perfici non posse cognouit, eo excepto, de quo planè conuentum est, & de quo imperauit Oratoribus suis, ne in pacis gratiam grauarentur consuetos honores non accipere. Adiecit, vbi consilium non procederet, quod tamen non credebat, hortarentur Lunensem, tantisper dum res componeretur, obtenderet siue morbum, siue aliud quidpiam, ne interesset Sacris solemnibus, nec Ecclesiæ tanti detrimenti ipse fieret occasio. Sed posteà cognitâ concordiâ, cuiusmodi ipse meditatus eam fuerat, ingentem lætitiam præ se tulit [i], suosque iussit non solùm Sessionis die, sed quacumque aliâ solemni actione, consentire ne ipsi pacem & thus acciperent, donec alia patefieret via communis consensus. 1563.

[i] Epist. Cæsaris ad suos Oratores Viennâ 4. Iulij 1563.

§ Præ ceteris gaudium Synodi in immensum excreuit, quòd Petri nauim conspicaretur extra discrimen, anteà ineuitabile creditum, impingendi in alterutrum ex oppositis scopulis. Sed fortasse, tametsi malum imminens reuerà ingens fuisset, fuit tamen minus opinione. Credibile non erat, Regnum Galliæ, præter antiquæ pietatis spiritus, etiam ex politicis rationibus, vltrà progressurum in vltionem, quàm ad summum ad præcidendum commercium cum viuente Pontifice. Etenim si per schisma procederet vlteriùs ad electionem Antipapæ, seipsum tunc diuisum, adeoque infirmum, nec minùs debile ex debili regnantis ætate, exposuisset inimicitiæ Pontificis, & Catholici Regis, in quem Regem coiissent respectus Religionis, existimationis, & dominationis, quique distractus id temporis non erat in alios potentes hostes, sicut acciderat ipsius parenti, cùm Anglia à Catholica Religione desciuit. Quapropter, quamquam Oratores Gallici peruersiones hasce denuntiarent, satis ipsi animaduertebant, posse quidem denuntiationem causæ prodesse, præsertim apud multitudinem, quæ ad se commouendum metitur magnitudinem, non verisimilitudinem damni denuntiati; sed non minùs etiam executionem ipsi Galliæ nocituram,

1563. turam, quandoquidem primus gradus futurus erat coniectio Regis pueri in manus hæreticorum, hoc est rebellium, imò eiusmodi, qui volebant esse hæretici, quò rebelles esse possent;

Ceterùm quamuis tum Galli tum Hispani varijs tunc vitupera 9
tionibus carperentur à suis ciuibus, aut liuidis aut immoderatis, aut perperàm expertis, perinde quasi nimis faciles animos in eo honoris apice gessissent, vtrique tamen reuerà prudenter sui Principis causam egerunt. Hispanus quatuor res plenè obtinuit, quas sibi initio proposuerat; non cedere, habere locum in publicis actionibus, Synodum non perturbare, & amicitiam cum Gallis non præcidere: atque ea cuncta plaudente Synodo, ipsius pietati ac moderationi succedere. Quod si amplius voluisset, obsistentibus fortasse Patribus id neutiquam obtinuisset, aut saltem illud consecutus per modum temporariæ sanctionis, & saluis vtriusque partis iuribus, atque omnibus ægrè ferentibus, diutius eo frui nequijsset: interim verò traxisset in superbiæ Hispanicæ crimen Synodi dissolutionem, & omnia detrimenta, quæ Christiana Respublica fuisset passa, diminutâ non mediocriter gloriâ tam egregiæ Nationis, & Philippi Regis, amplissimè collaudati, cui etiam graue onus imposuisset & Pontificis sustinendi, & cum vxoris fratre pugnandi.

Nec minùs ex arte luserunt Galli, saluo Rege; tametsi maior 10
pars peditum, & nobiliores latrunculi, contrariæ parti adhærerent, & æqualitatem illam euitarent, quæ ipsis detrimentum inferre poterat. Vbi ampliùs inflexibiles perstitissent, iam suprà expendimus, quantum fauoris causæ suæ perdidissent in Patrum & cunctorum hominum animis; cumque necesse esset Legatis in eo euentu mandatum exequi, reipsa fuisset inductum aduersùs illos exemplum, ad quod sustinendum ipsi Galli, infensis animis secedentes, coëgissent Synodum, ac Pontificem; adeoque illud posteà facilè secutis Cæsare Philippi patruo, alijsque Principibus ipsi coniunctis, difficile erat, ne idem exemplum amplexarentur omnes Aulæ catholicæ: quin fortasse in grauissimis Galliæ perturbationibus ea poterat ingruere necessitas, vt prudentia ac publicum Regni bonum oculos auerteret ab eo iure speciosæ prærogatiuæ, quando conceduntur interdum amplissimæ ditiones, hoc est, potentiæ prærogatiua. Quocirca non conspicor, in ea re Gallis aut Hispano posse meritò inuri notam pectoris exigui, sed potiùs vtrisque laudem ingentis capitis tribuendam esse; quamuis non rarò vulgus ingens pectus appellet ingentem ferociam cum exiguo capite.

Confe-

11 Confectâ concordiâ, Tridento discessit [k] Lansacus, reuocatus in Galliam, remanentibus Ferrerio & Fabro. Et post rem gestam die sancti Petri, etiam antequam lis componeretur, Lansacus & Lunensis inuicem sæpiùs per honoris officia sese inuiserant [l], cùm intento essent animo, Hispanus ad obseruanda mandata sibi tradita, ne amicitiam cum Gallis abscinderet; Galli verò ad exercendam indignationem solum in Pontificem, ne ipsorum Princeps ad grauem cum Hispano Rege contentionem adigeretur. 1563.

Tametsi animorum commotiones dominari magis in regnantes soleant, cùm eas potentia quasi quædam nutrix exaturet; submissiores tamen videntur, quia ibi reginæ suæ obtemperant, hoc est, dominandi curæ.

k Hęc omnia constant ex Diario 7. Iul. ex epist. Legat. 29. Iun. & ex catalogo Orato ũ præsentium 7. Sess. Pij IV.

l Litt. Vicecomitis ad Borromæum 4. Iulij, & litteræ Iadtens.

CAPVT XI.

Consilium Cardinalium & Oratoris Vargæ, habitum à Pontifice de Canonum ac doctrinæ forma à Legatis missa. Celebre Vargæ scriptum. Votum Pontificis, vt omitterentur duæ quæstiones magis contentiosæ, & consimilis Cæsaris voluntas, sed Hispanorum repugnantia; & propensio Hispanicæ Aulæ ad Synodum protrahendam. Lotharingi opera ad rem expediendam, & ad concordiam, quæ priùs in Conuentu peculiari Præsulum præstantiorum stabilitur, & posteà in generali. Litteræ ad Concilium à Belgij Gubernatrice datæ.

1 NOuo externoque litigio iam absoluto, persistebant adhuc vetera & intestina. Exemplar Canonum ac doctrinæ, à Legatis missum ad Pontificem, ipsi principio suspicionem iniecit, vt idem posteà per [a] Borromæum rescripsit, *Quòd Galli, & quidam ex Hispanis, vellent per eas voces generales & captiosas indicare, iurisdictionem à Christo proximè prouenire, & posteà ex hoc consecutionem aliquam deducere, quæ ipsis placeret.* Equidem comperio, cùm ille quodam die Patribus [b] rationem redderet, cur ipse Canonem omisisset de institutione Episcoporum, sub Iulio digestum, hanc inter alias rationem ab eo fuisse allatam, nimirum, ob ambiguam significationem, quæ suspensos fidelium animos tenuisset, per modicam Concilij dignitatem. Pontifex itaque rescripserat Legatis, longè sibi gratius fore, si eiusmodi [c] quæstiones præciderentur, quàm si definirentur absque vllo fine, quin potiùs nouis litibus inchoatis:

a Litt. Borrom. ad Legat. 6. Iulij 1563.

b Inter monumenta Seripandi.

c Constat ex litteris Legat. ad Borrom.

1563. atque ad id pariter eosdem cohortatus est Ferdinandus per suos Oratores. Vsque ab excitata controuersia de verbis illis, *Rector Ecclesiæ Vniuersalis*, omnem lapidem Delfinus mouerat, & omnem operam adhibuerat [d] ad Cæsarem permouendum, quò verum Ecclesiæ Romanæ patronum in causa tam æqua se gereret; sed sine plurima interiecta mora responsum scripto acceperat immobilis repugnantiæ ad vtramlibet partium fouendam. Seldius verò coràm illi dixerat, Gallos numquam consensuros; quin vbi ad id declarandum procederetur, existimaturos fuisse, nullum leuamen ex huiusmodi Synodo expectandum, sed nouam laborum accessionem; adeoque consulturos sibi fuisse per propriam Synodum Nationis, cuius terrorem, quasi fulminis, incutere studebant crebris suarum minarum tonitruis, in contentionibus cum Synodo & cum Pontifice. Quamobrem Cæsar vtilitati publicæ conducibile putabat, si abstineret se procul à talibus controuersijs, ne in Gallis erga ipsum fiducia de illo opere extingueretur. Neque illi probabatur, quòd Legati, suscepto negotio illius definitionis, quæ nec consensum vmquam consecutura esset, nec progressura sine Concilij scissione, tot alia bona præpedirent, ex concordi processu decerpenda: ac proinde per eiusdem Delfini litteras idem [e] Pio dissuaserat, ne declarandam curaret suam supra Synodum prærogatiuam, nisi Patres ad id vnanimes conuenirent, propositis horrendis calamitatibus, quæ Christianæ Reipublicæ imminerent, si Conuentus ille dissolueretur, quod ex dissensu in articulo tam graui timendum erat. In his consilijs firmius indies inhæserat Ferdinandus, quippe quæ ipsius ingenio, cauto magis quàm animoso, congruebant: idcircò ea rursus iterari iussit à suis Oratoribus, qui eâdem operâ exposuerunt, sibi à Cæsare committi, vt vbi certamen illud euitari non posset, sibi confestim significarent, nulli partium accedentes ipsius mente priùs non perspectâ: & eò processerat Cæsar, vt quereretur [f], à Legatis, prolixitati studentibus, in medium vocari disputationes superuacaneas & inextricabiles. Ob quam insimulationem, adeò contrariam non veritati modò, sed euidentiæ, æquè illi tristitiâ ac admiratione affecti sunt. Quapropter animaduertentes, viam illam, ad quam Pontifex simul ac Cæsar eos hortabantur, planissimam, tutissimam, breuissimam, apertissimam, ac tandem honestissimam esse, ad eam gressum conuerterunt. Sed non mediocris illis difficultas obiecta est ab Hispanis, qui obdurati contendebant vt affirmaretur, esse in Ecclesia Episcopos ex institutione Christi. Huic difficultati adhibere temperamentum studuit Hydrun-

[d] Litt. Delfini ad Legat. 15. Martij 1563. quæ seruantur in Bibliotheca, à Duce Vrbinate relicta.

[e] Litt. Delfini ad Borrom. ....Iunij, redeunte Ormanetto.

[f] Litt. Legat. ad Borom. 8. Iulij 1563

druntinus [g], quantum satis esset ad id, quod certum erat, definiendum, ponens, gradum Episcoporum in Ecclesiastica Hierarchia non esse pro arbitraria Pontificis voluntate; ac proinde eius inuentum fuit, quòd in sexto Canone, vice illorum verborum, quæ petierant Hispani, *ex institutione Christi*, poneretur, *ex ordinatione Diuina*: eo relicto quod incertum erat, nimirum, an huiusmodi ordinatio deducta fuisset in opus à Deo proximè, an per ipsius Vicarium: ex qua peculiari illius opera egregia Legati argumentum desumpsere ad ipsum vniuersè & ample commendandum, Romam scribentes. Et sanè eâ commendatione opus erat: siquidem litteræ alicuius ministri inferioris ordinis, & fortasse perperàm docti ab æmulis, non ita propitiæ Hydruntino, Romam id temporis perlatæ sunt. 1563.

[g] Litt. Legat. ad Borrom. 15. Iul. 1563

2 Nondum tamen idcircò acquiescebant Hispani, & aliquis auditus est susurrus [h], eos ad id à Lunensi fuisse commotos: quod adscribebatur peculiaribus quibusdam sensibus [i], qui (ex narrationibus Criuelli Nuntij) inerât in præcipuis ministris Hispanicæ Aulæ, in rem esse prolationem Concilij, quo perdurante, quà metus quà expectationis causâ hæreticos quieturos: at verò per suspensionem, per scissionem, per terminationem, æquè nouum furorem illis iniectum, ac frenos detractum iri. Hæc Hispanensis Aulæ ratiocinatio, ad Legatos delata, immensâ illos molestiâ perculit, bonum penè exitum desperantes quantocumque ipsorum labori, dum ex opposito, Regis Præsules complures, numero & auctoritate spectabiles, studiosè nouos semper nodos quærerent, quibus apta fila numquam deerant in argumentis naturâ suâ tam implicatis: eapropter & ad Nuntium rationes plurimas scripserunt, quò regios ministros ab eo consilio remouerent, & Pontificem rogarunt, vt neruos omnes suârum exhortationum intenderet, Regique palàm faceret graue detrimentum tot Ecclesiarum ex diuturna Episcoporum absentia; adeoque per Concilium, ad reparandam disciplinam coactum, eamdem destructum iri: offensionem Catholicorum, hæreticorum triumphum propter Patrum dissidia, quibus vnicum remedium suppetebat, si statim eorum concordiam terrarum orbis aspiceret; & supra cetera periculum, ne huiusmodi dissensiones monstrosum aliquod schisma tandem parerent.

[h] Variæ scripturæ, præsertim sub 9. Iulij, Vicecomitis.

[i] Litt. Criuelli ad Borrom. 8. & 12. Iulij 1563. & Acta Salmanticensis, in quibus multa dicuntur, narranda vsque ad Sessionem.

3 Pontifex propositis officijs haud prætermissis, curabat interim, vt summo studio perpenderetur sanctionum exemplum, sibi missum à Legatis. Etenim tametsi magis illi placeret, vt importunæ controuersiæ omitterentur; nolebat tamen curam ac diligentiam ne-

1563. gligi, si fortè ad res definiendas procedendum fuisset, seque socordem, suique muneris oblitum notari: sed argumenti grauitas, & Consultorum numerus [k] haud permisere celeritatem quam Roma sperabat, & Tridentum postulabat.

k Litt. Borrom. ad Legat. 30. Iunij, & 3. Iulij 1563.

Tandem quò per maiorem dignitatem rem ageret, die quarto Iulij coram se [l] delectos ad id Cardinales acciuit, singulosque sententiam rogauit, atque ea omnia per expeditum tabellarium ad Legatos misit. Accersierat quoque Pontifex ad illum conuentum Franciscum Vargam Oratorem Hispanum, cui se non bene animatum minimeque fidentem diutiùs ostenderat, sicuti non semel commemorandum mihi fuit: ac denique in ipsa Concilij apertione, cùm Pius ad Philippum Regem mitteret Broccardum Comitem, de grauissimis rebus acturum, illi ad calcem mandatorum iniunxerat [m], vt Oratoris mutationem maximoperè flagitaret: sed Vargas tantumdem semper studuerat sibi conciliare Pontificem. Quare Pius re animaduersâ, existimauit, tunc Vargam, tanto fiduciæ æstimationisque argumento captum, haud prætermissurum opportunitatem, per quam se dignum ostenderet eo fauore ad alios futuros euentus, simulque ex illius iudicio non parum ponderis accessurum ad Sedis Apostolicæ causam apud Præsules Hispanienses. Ceterà satis ille idoneus agnoscebatur qui dicto Consilio interesset, vtpote qui ad tam nobilem gradum euectus, litterarum magis quàm familiæ eminentiâ, Religionis etiam studium præ se gerebat nihilo inferius suâ doctrinâ, suique Principis pietate: & consentaneum hisce dotibus scriptum protulit Vargas, non eruditum minùs quàm pium, ad Pontificiam auctoritatem tuendam, quod posteà per typos ab eodem editum est in lucem: cumque scripti prolixitas haud siuisset, vt plus quàm eius summa per illum tabellarium mitteretur, voluit Pontifex postridie alium cursorem mittere non ad aliud opus, nisi ad integrum illud perferendum, tum quò per eam honorificentiam grates illi redderentur, tum quò speratus apud Hispanos Patres profectus tempori haberetur. Verùm sicuti quidquid anteà excogitatum fuerat à Pio ad sedandos tumultus ex Oratorum æmulatione, nihil in re ipsa confecit, quippe quòd anteà lis Tridenti composita est, quàm Romæ in consilium adducta; ita hæ cunctæ disputationes scripto exhibitæ, controuersias doctrinæ iam reuocatas in concordiam inuenerunt [n].

l Constat ex libro à Varga impresso.

m Mandata extant in Vrbinatis Bibliotheca, quam diximus.

n Litt. Legat. ad Borrom. 12. Iul. 1563.

Numquam destiterant Præsides studium impendere [o] ad contentiones absque decisionibus terminandas, tum quia præter Pontificem & Cæsarianos id etiam Lotharingo probabatur, tum quia cum

o Litt. Legat. ad Borrom. 5. Iulij 1563.

cùm homo è nihilo trahat originem, neſcio quid facilius experiri ſolet in eo genere operationum, quæ propinquius accedunt ad nihilum. Quamobrem ſeptimo Iulij accito conuentu peculiari, cui duo Purpurati, & triginta Patres ex præcellentibus inter omnes nationes aderant [p], tandem poſt quinque horas examinis, mixti, vt fieri ſolet, varijs contentionibus, conſtitutum eſt manſionis Decretum [q], non quod Lotharingus formarat, ſed quod Mantuanus iam parauerat, cum leuibus emendationibus, ac ſimul totum Ordinis argumentum. In quibuſdam litteris Vicecomitis [r] ad Borromæum continetur; Cùm à ſingulis dictæ fuiſſent in eo cœtu ſententiæ, nec de ſexto Canone conuenirent, propoſitam à Lotharingo fuiſſe formam quamdam, à præcedentibus diuerſam, quæ acceptata eſt; eamque formam non fuiſſe publicè productam ab ipſius auctore, priuſquam idem per Epiſcopum Brixienſem ipſam priuatim communicaſſet cum Guerrero & cum Aiala præcipuis Hiſpanorum, eorumque conſenſum reſciuiſſet. Sed quoniam Vicecomes illi cœtui non interfuit, & Legati inter plurimas Lotharingi laudes, illius formæ inuentionem ipſi non tribuunt, quin potiùs eam adſcribunt Hydruntino Archiepiſcopo, incertus rem narro. Hic dies ſeptimus viſus eſt feliciter criticus noni; cùm enim poſteà fuiſſet habitus nono Iulij Conuentus generalis [s], euenit, vt centum viginti ſeptem ſuffragia de vtroque argumento colligerentur, atque vt vtrumque ſtatueretur, imperatis modicis variationibus à forma digeſta, quarum cura demandata [t] fuit Marino & Fuſcarario inter Theologos, Caſtaneæ & Paleotto inter Canonum Peritos. Ea verò rei expeditio, vix anteà ſperata, primo loco adſcripta eſt moderationi Lotharingi in dicenda aduersùs quàm conſueuerat ſententia per ſummam breuitatem, quàm vt accidere ſolet Principibus; ac à primò dicentibus reliqui ſunt incitati. Hiſpani tamen non ceſſabant contendere, vt exprimeretur in ſexto Canone, Epiſcopos fuiſſe *inſtitutos à Chriſto*, aut ex inſtitutione Chriſti, non autem generatim, ſicut ibi dicitur, *ordinatione Diuinâ*; opponentes, poſſe id intelligi de communi prouidentia erga res omnes: adeò vt Guerrerus & Aiala, qui in cœtu peculiari cum reliquis conſenſerant, tunc diſſentirent. Sed numerus conflatus ex his & reliquis omnibus, qui mutationem optabant, quintam partem modicè ſuperauit, adeoque enerues remanſerunt ad pugnam, nedum ad victoriam. Hinc Legati [u] viuidam ſpem traxere non ſolùm celebrandæ Seſſionis die præſcripto, ſed abſoluendæ Synodi ante finem Nouembris. Obſtabat tamen id

1563.

[p] Litt. Legat. ad Borrom. 8. Iulij 1563

[q] Ex litteris Vicecomitis 9. & 12. Iulij 1563.

[r] 19. Iulij 1563. & alijs eius litteris poſteà ſcriptis.

[s] Litt. Legat. ad Borrom. 12. Iul. 1563 & Diarium die 9.

[t] In litteris Vicecomit. & Iadrenſis 12. Iul. 1563

[u] In iam dictis litteris Legatorum ad Borrom. 12. Iul. 1563

1563 id quod Moronus per profundum arcanum accepit à summo magnæque auctoritatis viro, operam à Lunensi nauari ad Sessionem impediendam, existimante (sicuti semper ad primarios ministros odor ingentium moliminum surrepit) post Sessionem nihil amplius superfuturum, nisi vt mitteretur Lotharingus in Galliam, ad res, quibus regnum illud indigebat, componendas. Certum est, Lotharingum in functione, de qua diximus, eo animi ardore, eàque virtute se gessisse, vt Legati prosperum exitum illi præcipuè acceptum referrent. Significauit Gualterius [x], positis recentibus turbis cum Gallis, plurimum contulisse ad eos recuperandos Saracinellum, sibi à Secretis, qui paulò antè redierat cum responso Pontificis, propitio aut ijs rebus, quas Ferrerius proposuerat, aut alijs à Lotharingo propositis; videlicet, vt celebratâ Sessione argumenta reliqua [y] breuissimè expedirentur, cunctique Patres ad ea quæ proponenda supererant, simplici verbo, *placet*, aut, *non placet*, responderent: quamquam Diuino consilio posteà factum est, vt Synodus absolueretur honoratiore exitu quàm hic fuisset, in quem flectebatur tunc Pontifex, prudenter veritus ne quid peius accideret.

x Litt. Guak. ad Borrom. 8. Iulij 1563

y In litteris Borrom. ad Moronum. 6. Iulij 1563

Postridie narrati Conuentus generalis, habitus est alius [z] de corruptelis, ibique recitatæ sunt litteræ Gubernatricis Belgij, in quibus scribebat, Episcopos ac Theologos iam nominatos [a] se missuram; modicamque eorum missionem excusabat, ob necessitatem Ecclesias ab hæresis periculo custodiendi. Et die mensis duodecimo finis impositus fuit stabiliendis [b] Decretis, etiam de argumento quod diximus. Lotharingus eo die auctor fuit [c], vt in obligatione residendi comprehenderentur cum reliquis Episcopis nominatim Cardinales, quod duo simul nodosa litigia præcidit; siquidem effecit ex vna parte, ne Cardinales impostetum censere possent, à debita ipsorum præsentia Romæ subtrahi se debito residendi in Episcopatu; & ex altera, ne idem debitum ipsis amplius obijceretur, quasi Ecclesiarum Cathedralium minimè capacibus. Actum quoque fuit id temporis de lege ferenda, vt cùm Purpuratorum Senatus conflaretur ex Episcopis, ex Presbyteris, & ex Diaconis, ætas, quæ requiritur in alijs ad singulos hosce Ordines suscipiendos, opus pariter esset singulis, qui in eo gradu assumerentur ad Purpuram, sicuti conuentum erat in articulis postremi Comitij [d]. Verùm id post multa non placuit, cùm perpenderetur, cunctos Cardinales esse Consiliarios Pontificis, cui munericommuniter existimatum est satis non esse ætatem Diaconatui sufficientem.

z Diarium 10 Iulij.

a Hæ litteræ sunt inter scripturas post Diarũ.

b Litt. Legat. ad Borrom. 12 Iulij & Acta Paleot.

c Litteræ Vicecomitis 12 Iulij, & Legat. 12. & 15. Iul. 1563

d Cap. 4 Comitiorũ, ante Pij IV. electionem.

Dum

6 Dum vndique tam prosperè Synodus procedebat, Præsides metum de Hispano Oratore haud sanè vanum experti sunt[e]. Dum ipsi litteras, quibus faustus euentus Romam nuntiaretur, obsignaturi erant, hunc à Lunensi nuntium accepere; Omnem à se nauatam operam, quâ suæ gentis Præsules induceret, irritam cecidisse, nisi definiretur id quod illi de institutione Episcoporum optabant: quocircà se putare, Sessionem celebrari non posse, propterea quòd si aliter ea haberetur, graue detrimentum illatura esset non solis illis Patribus, sed Hispaniæ vniuersæ, cùm ad actionem tanti ponderis procederetur repugnante eâ integrâ Natione. Id tamen Præsides ab incepto non retraxit, sed ad certamen instruxit, cùm ipsis indecora postulatio videretur, quòd pauci Præsules arrogarent sibi, non solùm impedire ne definiretur id quod reliqui volebant, sed (de quo mere tunc agebatur) impedire Sessionem, nisi definiretur quod ipsi volebant. Itaque nullo prætermisso labore, non solùm mentis, sed etiam corporis, quod robustiorum mentium instrumentum infirmius esse consueuit in rebus aptè disponendis ad consequendum effectum, die decimo quarto Iulij generalem cœtum conuocarunt, quò manus postrema negotio admoueretur ad crastinam Sessionem: & quamquam Hispani rumorem sparsissent, Nisi dogma illud declararetur, se in Sessione aut contestaturos, aut prodituros in medium, vt suam conscientiam exonerarent; tamen Legati reliquorum concordiæ confisi, alacriter conuenere, cùm longè maior numerus sæpè in campo, semper in tribunali victoriam consequatur. In sententijs dicendis Hispanienses immobiles perstitere, Antonio Augustino excepto, qui dixit, Accipi sextum Canonem à se, quò plurium suffragijs assentiretur, & ne prospero Synodi processui obuiàm iret, tametsi ipso spectato, sibi Canon non placeret. Sex Episcopi Ecclesiarum extra Hispaniam cum Hispanis consensere, Iacobus Gibertus Noguera Hispanensis Alifanus Episcopus, Antistes Verdunensis Gallus, & ex Italis Carolus Bouius Ostunensis in regno Neapolitano, Ioannes Andreas Bellonius Episcopus Massalumbræ vrbis prope Neapolim, Fabius Mirtus Neapolitanus Episcopus Caiacensis, qui Nuntius in Galliam missus est, cùm Boncompagnus sub nomine Gregorij XIII. vniuersalem Ecclesiam rexit, Gabriel de Monte Episcopus Hesinus.

1565.

[e] Litt. Legat. ad Borrom. 12. Iul. 1565

7 Quieto nondum erant animo Legati, tametsi certò præuiderent exitum Sessionis, cùm ipsis videretur, à dissensu Nationis tam adspectabilis magnitudine, pietate ac doctrinâ, plurimùm dignitatis Con-

1563. cilio illisque Decretis detractum iri, quippe quòd in huiusmodi victorijs accidit aduersùs quàm in militaribus, vbi tanto plus habetur gloriæ, quanto minùs pugnæ. Quapropter Moronus præcipuè adhibuit [f] in publico Conuentu, ac posteà in priuatis colloquijs, officia vel maximè studiosa apud Lunensem, quò ipse solertiam omnem impenderet ad comparandam Concilio ac sibi ipsi coronam concordiæ. Nec hortamenta incassum abiere. Lunensis quippe, tum ingenio tum religione vir egregius, animaduertit, quantum id ad Ecclesiæ bonum conferret, & vsque adeò suos Episcopos iterum atque iterum rogauit, vt tandem eos flexerit. Quare quo tempore Legati curaturi erant corpus quiete, quæ nequiter inuenitur supra plumas, cùm animus, quo viuit corpus, remanet inter spinas, iucundum hunc nuntium ab eo accepere, qui Homericum quasi nepenthes illis fuit ad breuem illius noctis soporem, donec ab aurora vocati sunt ad functionem, tam diuturnorum atque vniuersalium laborum partum, & tam variæ spei, nunc succensæ, nunc tepescentis, & nunc gelantis obiectum. Verùm qui Naturam incusauit veluti nouercam, quòd nobis aperuerit solùm tam confragosas vias ad obtentos fines assequendos, aut ignorans, aut calumniosus extitit. Sicut ex amaritie thymi mel conficitur, ita à prægressa molestia suppeditatur materia ad iucundissimam voluptatem habendam.

[f] Litteræ iam dictæ Legat. & Vicecomitis.

CAPVT XII.

Sessio vigesimatertia. Diplomata Pontificia de Legatis, facultatis Oratorum, aliaque Principum litteræ ibi recitatæ. Decreta proposita tum ad Fidei dogmata declaranda, tum ad reformandas corruptelas. Comprobatio cum modica & paucorum repugnantia. Sessio futura ad diem decimumsextum Septembris destinata.

GAllus [a] eo manè ad aram operatus est Episcopus Parisiensis, & Hispanus Latinè concionatus Episcopus Alifanus, de quo apud Legatos posteà conquesti sunt Galli [b] ac Veneti, postulantes, ne oratio referretur in Acta, propterea quòd prius Hispaniæ quàm Galliæ Regem, priusque Ducem Sabaudiæ quàm Rempublicam Venetam nominarat. Verùm quoniam in comperto erat, actum id non fuisse ab oratore nec nomine nec mandato publico, ea querimonia ad indicandam offensionem satis fuit.

[a] Cuncta sunt in Diario 15. Iulij 1563. in Actis Paleotti, & arcis Æliæ, & in epist. Iadrens. eodem die.

[b] Scriptū Vicecomitis ad Borromæum 19. Iul 1563.

Munus

Munus Massarelli, qui à Secretis erat, & adhuc ægrotabat, obiuit, sicut etiam aliàs, Episcopus Castellanetensis. Recitauit is Diplomata Pontificis, quibus duo recentes Legati eligebantur, Oratorum facultates, aliasque Principum litteras, ad Synodum post vltimam Sessionem delatas, spectatâ solùm in ordine aduentus antiquitate. Non tamen lectæ sunt litteræ, quas Orator Melitensis ferebat, quoniam de ipsius loco nondum cum Patriarchis conuentum erat. Prima igitur epistola fuit Regis Poloniæ, secunda Ducis Sabaudiæ, pro legationibus Episcoporum Præmisiliensis, & Augustensis: tertia fuit Reginæ Scotorum, quarta Regis Hispaniæ pro legatione Comitis Lunensis. Et tunc interfuere Galli, quietè ijsdem ritibus continuatis, qui die sancto Petro sacrâ [c] sunt obseruati. Posteà Episcopus, qui celebrauerat, recitauit è suggestu Canones paratos in Ordinis argumento, qui huiusmodi fuere: 1563.

[c] In litteris Legat. ad Borromæum 15. Iul. 1563

2 *Sacrificium & sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in nouo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea nouum esse visibile & externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Saluatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumq; successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem, nec non & peccata dimittendi, & retinendi, sacræ Litteræ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.* Caput I.

Cùm autem Diuina res sit tam sancti sacerdotij ministerium, consentaneum fuit, quò dignius, & maiori cum veneratione exerceri posset, vt in Ecclesiæ ordinatissimâ dispositione plures & diuersi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deseruirent; ita distributi, vt qui iam clericali Tonsurâ insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent: nam non solùm de sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt; & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, grauissimis verbis docent; & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij in vsu fuisse cognoscuntur, quamuis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad maiores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de alijs inferioribus frequentissimè legimus. Caput II.

Cùm Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum vnanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè vnum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis. Caput III.

1563. Caput IV.

Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, noui Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere, ac semel ritè ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscuè noui Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est vt castrorum acies ordinata, con-

1.Cor.12. Ephes.4. *fundere; perinde ac si contra beati Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Euangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde Sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem*

Actorum 20. *præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosq; Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta Synodus, in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum Ordinum, nec populi, nec cuiusuis secularis potestatis & magistratus consensum siue vocationem, siue auctoritatem ita requiri, vt sine ea irrita sit ordinatio: quin potiùs decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut seculari potestate ac magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propriâ temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.*

Post hanc doctrinam habebantur octo Canones ad hæreses oppositas damnandas. Et præterea in quinto damnabantur contemptores sacræ Vnctionis, & reliquorum rituum, quasi forent illi aut noxij aut superuacanei. Sextus, septimus, & postremus, de quibus adeò disceptatum fuerat, hanc in formam redacti sunt.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines, ab ipsis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos qui nec ab Ecclesiastica & Canonica potestate ritè ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros, anathema sit.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.

Pet

4 Per duos hosce postremos Canones hinc excludebantur à nu- 1563.
mero verè Episcoporum non ij omnes qui à Romano Pontifice, sed *ab Ecclesiastica & Canonica potestate* non crearentur: hinc auctoritas Romani Pontificis in legitimis Episcopis creandis comprobabatur.

Recitatis Decretis, omnes responderunt per merum verbum, *Placet*, exceptis sex, qui aliquid addidere. Inter hos Aiala Segouiensis Antistes dixit, Placere sibi sextum & octauum Canonem sub spe futuræ declarationis. Similiter locutus est Guadixensis, optauitque titulum toties ab eo postulatum, *Concilium vniuersalem Ecclesiam repræsentans*. Bouius Austunensis Episcopus assensus est, cùm spe melioris declarationis in sexto Canone: ex altera parte Facchinettus Neocastrensis respondit, Vbi declararentur duo illi Canones, quartum quoque caput explicandum esse, in quo ille intendebat Summi Pontificis auctoritatem esse declarandam. Campeggius Feltriensis affirmauit, Se perfectè non audijsse; visumque sibi esse audire in septimo Canone, & in doctrina quæ illi respondebat, aliqua mutata post vltimam deliberationem: idcircò diem illum integrum à se peti, quò cum veritate ac dignitate responderet. Etiam Dominicus Casàblanca Hispanensis Dominicanus, Episcopus Vicensis in Regno Neapolitano, approbauit sub spe futuræ declarationis. Posteà Decretum de mansione propositum est, in quo dicebatur:

5 *Cùm præcepto Diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; Diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab ijs præstari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt* (super hoc verbo prolixa fuerat contentio, cùm videretur aduersarijs, ab ea importari personæ mansionem à Deo impositam) *sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt Diuinorum præceptorum memores, factiq; forma gregis, in iudicio & veritate pascant & regant. Ne verò ea, quæ de residentia sanctè & vtiliter iam anteà sub felicis recordationis Paulo III. sancita fuerunt, in sensus à Sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhærendo, declarat Sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis, quibuscumque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, obli-*

1563. *gari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis & modis infrascriptis. Nam cùm Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ vel Reipublicæ vtilitas* (postrema hæc vox posita fuit Lotharingo petente [d], intento, ne excluderentur Episcopi è publicis regnorum muneribus) *aliquos nonnumquam abesse postulent & exigant, decernit eadem sancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas à beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel, eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium, Episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum Concilio prouinciali spectabit iudicare de licentijs à se vel à Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis canonicis errantes puniantur. Intereà meminerint discessuri, ita ouibus suis prouidendum, vt, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt, sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis siue continuum, siue interruptum, extra prædictas causas nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere; & haberi rationem, vt id æquæ ex causa fiat, & absque vllo gregis detrimento. Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi diebus, quibus refici maximè & in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oues debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali vllo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos aliò vocent.*

[d] Litteræ Vicecomitis die 22. Iul. 1563.

Si quis autem (quod vtinam numquam eueniat) contra huius Decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, præter alias pœnas aduersus non residentes, sub Paulo III. impositas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi detinere posse: sed teneri aut, ipso cessante, per superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibitâ quacumque conuentione vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque priuilegijs cuicumq; collegio aut fabricæ concessis.

Eadem

Eadem omnino, etiam quoad culpam & amissionem fructuum, & pœnas, 1563.
de curatis inferioribus, & alijs quibuscumque, qui beneficiũ aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta Synodus declarat & decernit; ita tamen vt quandocumque eos, causâ priùs per Episcopum cognitâ & probatâ abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisq; concedendam, vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa, non obtineant. Quod si per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinarijs per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliisq; iuris remedia, etiam vsque ad priuationem, compellere: nec executionem hanc, quolibet priuilegio, licentiâ, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscumque beneficij, pactione, statuto, etiam iuramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine, etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela censenda est, siue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse.

Postremò, tam Decretum illud sub Paulo III. quàm hoc ipsum in Concilijs Prouincialibus & Episcopalibus publicari sancta Synodus præcipit. Cupit enim, quæ adeò ex Pastorum munere, animarumq; salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusq; infigi, vt in posterum, Deo iuuante, nullâ temporum iniuriâ, aut hominum obliuione, aut desuetudine aboleantur.

6 Posteà Decretum aliarum emendationum lectum est huiusce sententiæ.

1. *Ecclesiis Cathedralibus, seu superioribus, quocumque nomine ac titulo præfecti, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses posteà id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint priuati. Consecratio verò si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia ad quam promoti fuerint, aut in Prouincia, si commodè fieri poterit, celebretur.*

2. *Episcopi per semetipsos Ordines conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quàm iam probatos & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.*

3. *Primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint & Fidei rudimenta edocti non fuerint, quiq; legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

4. *Ad minores Ordines promouendi, bonum à Parocho, & à magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi verò qui ad singulos maiores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant,*

1563. adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoueri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat; & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

5. Nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur. In Clericis verò coniugatis seruetur Constitutio Bonifacy VIII. quæ incipit, Clerici, qui cum vnicis: modò hi Clerici alicuius Ecclesiæ seruitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ seruiant, vel ministrent, & clericali habitu & Tonsurâ vtantur, nemini, quoad hoc, priuilegio vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante.

Deinde præscribebantur tempora, loca, & solemnes initiatio- 7
num ritus.

6. Sancta Synodus, antiquorum Canonum vestigijs inhærendo, decernit, vt, quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feriâ quartâ ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad ciuitatem euocentur. Episcopus autem, sacerdotibus, & alijs prudentibus viris, peritis diuinæ legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestiget, & examinet.

7. Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis à iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis præsentibusq; ad id Ecclesiæ Canonicis, publicè celebrentur: si autem in alio diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. Vnusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis aut specialis rescripti vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secùs fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

8. Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.

9. Abbati-

9. *Abbatibus, ac aliis quibuſcumque, quamtumuis exemptis, non liceat* 1563.
in poſterum, intra fines alicuius diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſibi ſubditus non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre: nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab aliis ordinentur, concedant; ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus quæ in huius ſacroſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtant, pertineat: non obſtantibus quibuſuis priuilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impoſitam ijs qui contra huius ſanctæ Synodi ſub Paulo III. decretum, à Capitulo, Epiſcopali ſede vacante, litteras dimiſſorias impetrant; ad illos, qui eaſdem literas non à Capitulo, ſed ab aliis quibusuis, in iuriſdictione Epiſcopi loco Capituli, ſede vacante, ſuccedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam decreti, ab officio & beneficio per annum ſint ipſo iure ſuſpenſi.

10. *Minores Ordines ijs, qui ſaltem latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur; vt eò accuratiùs, quantum ſit huius diſciplinæ pondus, poſſint edoceri, ac in vnoquoque munere, iuxta præſcriptum Epiſcopi, ſe exerceceant, idq; in ea, cui adſcripti erunt, Eccleſia; niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint: atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina maior accreſcat: quod & bonorum morum exemplum, & aſsiduum in Eccleſia miniſterium, atque maior erga Presbyteros & ſuperiores Ordines reuerentia, & crebrior, quàm anteà corporis Chriſti Communio maximè comprobabunt. Cumq; hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribus Ordinibus dignum oſtendat. Hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum ad ſacros Ordines promoueantur, niſi neceſsitas, aut Eccleſiæ vtilitas iudicio Epiſcopi aliud expoſcat.*

11. *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatur. Sciant tamen Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, priuilegiis quibuſcumque, quoad hoc, penitus excluſis.*

Sequebantur variæ dotes ad ſacerdotium requiſitæ.

1563. 12. *Subdiaconi & Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis, & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi: qui sperent, Deo auctore, se continere posse. Ecclesiis, quibus adscribentur, inseruiant; sciantq; maximè decere, si saltem diebus Dominicis & solemnibus, cùm altari ministrauerint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, priuilegijs ac indultis quibuscùis concessis, non obstantibus quibuscumque.*

13. *Qui piè & fideliter in ministerijs anteactis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium. Et hi sint qui non modò in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint; sed etiam ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur: atque ita pietate ac castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Curet Episcopus, vt ij saltem diebus Dominicis, ac festis solemnibus (si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant) Missas celebrent. Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.*

14. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen Sacrosancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

15. *Cùm nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut necessarius suis Ecclesiis, sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilij Chalcedonensis inhærendo, statuit, vt nullus in posterum ordinetur, qui illi Eccl-siæ, aut pio loco, pro cuius necessitate aut vtilitate assumitur, non adscribatur, vbi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quòd si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea Clericus peregrinus sine commendatitijs sui Ordinarij literis, ab vllo Episcopo ad Diuina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur.*

16. *Vt Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis*

locis aliquamdiu intermissæ, in vsum iuxta sacros Canones reuocentur, nec ab hæreticis tamquam otiosæ traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus, decernit, vt in posterum huiusmodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; omnesq; & singulos prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, vt, quantum fieri commodè poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ prouentus id ferre queant, huiusmodi functiones curent restituendas, & ex aliqua parte reddituum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ, si prouentus suppetant, aut vtriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent: quibus si negligentes fuerint, Ordinarij iudicio, aut ex parte mulctari, aut in totum priuari possint. Quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præstò non erunt, suffici possint etiam coniugati, vitæ probatæ, dummodò non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonsuram & habitum clericalem in Ecclesia gestent. 1563.

17. Cùm adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfectè, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina Ecclesiastica perseueret: sancta Synodus statuit, vt singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Ecclesiæ, pro modo facultatum & diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius ciuitatis, & diœcesis, vel eius Prouinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco conuenienti, ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc verò collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere & scribere competenter nouerint; & quorum indoles & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inseruituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modò suo sumptu alantur, & studium præ se ferant Deo & Ecclesiæ inseruiendi. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, diuisos, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina Ecclesiastica progressum, partim cùm ei opportunum videbitur, Ecclesiarum ministerio addicet; partim in collegio erudiendos retinebit, aliosq; in locum eductorum sufficiet: ita vt hoc collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit. Vt verò in eadem disciplina Ecclesiastica commodius instituantur, Tonsurâ statim atque habitu clericali semper vtentur; Grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumq; bonarum artium disciplinam discent: sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacra-

1563. mentorum tradendorum, maximè quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas edisçent. Curet Episcopus, vt singulis diebus Missæ Sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata; & iuxta confessoris iudicium sumant Corpus Domini nostri Iesu Christi; Cathedrali, & alijs loci Ecclesiis diebus festis inseruiant. Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna & necessaria, Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum & grauiorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent; eaq; vt semper obseruentur, sæpius visitando operam dabunt: discolos & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient; eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaq; impedimenta auferentes, quæcumque ad conseruandum & augendum tam pium & sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad Collegij fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus & ministris soluendam, & ad alendam iuuentutem, & ad alios sumptus certi redditus erunt necessarij, vltra ea quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis & locis destinata, quæ eo ipso huic Seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur: ijdem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur; itemq; duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat; ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cuiuscumque Ordinis, etiam Regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, iuxta Constitutionem Concilij Viennensis, quæ incipit: Quia contingit: & beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiamsi iuris patronatus cuiuscumque fuerint, etiamsi exempta, etiamsi nullius diœcesis, vel alijs Ecclesiis, monasteriis, & hospitalibus, & aliis quibuslibet locis pijs, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque alijs Ecclesiasticis redditibus, seu prouentibus, etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen Seminaria discentium, vel docentium, ad Commune Ecclesiæ bonum promouendum actu non habentur: hæc enim exempta esse voluit, præterquam ratione redditus, qui superflui essent, vltra conuenientem ipsorum Seminariorum sustentationem, seu corporum vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis scholæ appellantur, & omnium Monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia Ecclesiastica solui solent, & militet cuiuscumque militiæ aut ordinis, pertinentibus, fratribus Sancti Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent, & eam portionem sic detractam, necnon beneficia aliquot simplicia, cuiusq-

cuiuscumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia vel 1563.
præstimoniales portiones, etiam ante vacationem nuncupatas, sine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt. Quod locum habeat, etiamsi beneficia sint reseruata vel affecta, nec per resignationem ipsorum beneficiorum, vniones & applicationes suspendi vel vllo modo impediri possint: sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in Curiæ effectum suum sortiantur, & quacumque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem soluendam, beneficiorum, dignitatum, personatuum, & omnium, & singulorum suprà commemoratorum possessores, non modò pro se, sed pro pensionibus, quas alijs forsan ex dictis fructibus soluerent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus illis erit soluendum, ab Episcopo loci per censuras Ecclesiasticas, ac alia iuris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachij sæcularis: quibusuis, quoad omnia & singula supradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine, etiam immemorabili, quâuis appellatione & allegatione, quæ executionem impediat, non obstantibus. Succedente verò casu, quo per vniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur; tunc portio ex singulis beneficiis, vt suprà detracta, & incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quòd si Cathedralium & aliarum maiorum Ecclesiarum Prælati in hac Seminarij erectione, eiusq; conseruatione negligentes fuerint, ac suam portionem soluere detrectauerint; Episcopum Archiepiscopus; Archiepiscopum, & Superiores, Synodus Prouincialis acriter corripere, eosq; ad omnia supradicta cogere debeat; & vt quamprimùm hoc sanctum & tam pium opus, vbicumque fieri poterit, promoueatur, studiosè curabit. Rationes autem reddituum huius Seminarij Episcopus singulis annis accipiat, præsentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis.

Deinde, vt cum minori impensa huiusmodi scholis instituendis prouideatur, statuit Sancta Synodus, vt Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alij locorum Ordinarij Scholasterias obtinentes, & alios, quibus est lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos, per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos, ab eisdem Scholasticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. Quod si iudicio Episcopi digni non fuerint, alium qui dignus sit nominent, omni appellatione remotâ. Quòd si neglexerint, Episcopus ipse deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur Episcopo expedire. De cetero verò officia vel dignitates illæ, quæ Scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in sacra Pagina, aut in Iure Canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se ipsos id munus

1563. *explere poßint, conferantur: & aliter facta prouiſio, nulla ſit & inualida, non obſtantibus quibuſuis priuilegijs & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Si verò in aliqua prouincia Eccleſiæ tantâ paupertate laborent, vt Collegium in aliquibus erigi non poßit, Synodus prouincialis, vel Metropolitanus cum duobus antiquioribus Suffraganeis in Eccleſia Metropolitana, vel alia prouinciæ Eccleſia commodiori, vnum aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium Eccleſiarum, in quibus ſingulis collegium commodè inſtitui non poteſt, erigenda curabit, vbi pueri illarum Eccleſiarum educentur.

In Eccleſiis autem amplas Diœceſes non habentibus, poßit Epiſcopus vnum vel plura in Diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Poſtremò, ſi vel pro vnionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione, & incorporatione, aut qualibet aliâ ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius Seminarij inſtitutio vel conſeruatio impediretur, aut perturbaretur: Epiſcopus cum ſuprà deputatis, vel Synodus prouincialis, pro regionis more, pro Eccleſiarum & beneficiorum qualitate, etiam ſuprà ſcripta, ſi opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia & ſingula, quæ ad felicem huius Seminarij profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

Decretum de manſione ſimpliciter comprobatum eſt ab omnibus, vndecim exceptis [e], qui aut adiectâ quâdam conditione illud approbarunt, aut aliqua ex parte improbarunt: horum complures dubitationem præ ſe tulerunt, quòd verba præberent argumentum illius interpretandi, perinde ac ſi manſio diuini eſſe iuris declararetur; quæ declaratio pluribus haud placuerat vt fieret. Gualterio Viterbienſi viſum eſt Decretum nimis ſeuerum in minores Curiones. Franciſcus Blancus Hiſpanus Aurienſis Antiſtes reſpondit, Placere ſibi ſub ſpe nouæ declarationis, quòd futuris Cardinalibus interdictum eſſet Epiſcoporum Infulas accipere. Guadixenſis libertatem commorandi tres menſes longè ab diœceſi, non probauit; poſtulauitque, vt Cardinales eligi non poſſent ante quadrageſimum ætatis annum. Theophilus Gallopus Oppidenſis Antiſtes, rationi conſentaneum non duxit, vt opus eſſet tamquam cauſa neceſſaria ad abſentiam, venia Summi Pontificis, aut Metropolitæ. Vnicus in oppugnando Decreto extitit Philippus Maria Campeggius Epiſcopus Feltrienſis, productâ ſchedulâ, in qua dicebat, videri ſibi res definitas tunc præſertim plenas eſſe falſitatis, & priorem

[e] Cuncta in Actis Palcot. & Romanis.

rem partem posteriori repugnare: præterea, seruatum non fuisse ritum Concilij; vt priùs minorum Theologorum iudicium audiretur; quamobrem denuntiabat, se pro virili restiturum, sicuti anteà fecerat, prompto tamen animo ad se aut rationi, aut definitioni confirmationique Pontificis submittendum. 1563.

Reliqua Decreta ad corruptelas corrigendas, accepta sunt communiter per merum verbum *Placet*, exceptis sex Patribus, optantibus siue delarationem aliquam, siue tenuem mutationem.

Postremo loco lectum fuit Decretum de celebranda Sessione die decimosexto Septembris, in qua ageretur de Sacramento Matrimonij, & de alijs dogmatibus, nondum definitis, & etiam de collatione Episcopatuum, & cuiusuis Sacerdotiorum generis, ac de alijs emendationis capitibus. His verò cuncti assenserunt.

Si mortales probè conciperent gaudium, ex concordia profecturum post diuturnum certamen, quodcumque litigium facilè componi posset: sed occulta animorum commotio, vtpote inimica, aut nimis amica sui ipsius, sanari non vult, quia extingui non vult.

CAPVT XIII.

Expenduntur variæ Suauis narrationes, variæque ratiocinationes ab eo allatæ aut tamquam suæ, aut tamquam aliorum. De ijs quæ accidisse iam diximus; ac præcipuè, an adhibita à Pontifice cura, ne decernerentur sine concordia articuli controuersi, in ipsius rem esset, an potiùs in detrimentum, & ex solo publicæ quietis desiderio.

1 LIceret mihi Suauem arguere, quòd in hisce rebus enarrandis silentio prætereat tot euentus memorabiles, & sine quorum notitia nihilo meliùs perciperentur euentus alij ipsis adnexi, quam intelligeretur historia depicta, si variæ imagines multis in locis obuelarentur. Sed vt sincerè loquamur, non magis in eo ille deficit, quàm communiter historici deficiant; nisi quantum aut plus quàm illi gloriatur de intima cognitione arcanorum, aut omittit ex animi perturbatione verum, sibi non ignotum. Duabus in rebus excusari non potest, in eo quod non fuit narrando, siue id ex eius fiducia siue ex fictione proueniat, & in afferendis tamquam certis rerum gestarum causis, non modò à veritate alienis, sed etiam à similitudine veritatis; quod postremum tamen gratiarum actionem promeretur: sic enim quò mentitur amplius, eò minùs decipit. Ego verò id quod notâ dignius est notabo.

Dicit,

1563. Dicit, Concordiam inter Oratores insitam, displicuisse compluribus *addictis Pontifici, & hanc dissoluendæ Synodi occasionem optantibus.* Quinam erant hi Pontifici addicti? Num Legati? quis acrius quàm illi pro concordia laborauit? Poterántne vmquam maiori cum efficacia ac libertate scribere ad mouendum Pontificem, vt is mandata reuocaret? Maiorine solertiâ vti poterant, ne mandata exequerentur, parato etiam animo ad ea suspendenda auctoritate propriâ, tametsi tam disertè fuissent tradita, & duo ex Legatis præcipui suas familias Hispaniæ Regi subiectas haberent? Num Vicecomes, qui, etsi pariter illi Regi subiectus, in litteris ad Borromæum sensus protulit tam sinceros, quàm expressos in volumine litterarum eos certè Suauis inspexerat? An Gualterius, cuius calamus ausus fuit ad eumdem Borromæum scribere, offendi Synodum, quòd Pontifex eâ iussione [a] Legatos cogeret ad agendum, reclamante conscientiâ, lethalemque noxam committendam? Num Paleottus, quem audacter obstitisse, ne res conficeretur, ostendimus? Num Boncompagnus, qui per easdem notas locutus est? An communiter eorum phalanx, quibus plurimum Legati fidebant, & de quibus significarunt Pontifici, à tot viris eximijs, beneuolentiâ in Pontificem plenis, rem fuisse vituperatam? Breuiter, id affirmare, tantum repugnat vero ac manifesto, quantum si quis opponeret Suaui, displicere ipsi prosperos hæreticorum in Septemtrione successus. 2

[a] Litt. Gualt. ad Borrom. vltimo Iunij 1563.

Narrat posteà, hoc rumore sedato, propositum fuisse à Lotharingo aliud consilium, vt nimirum duo articuli litigiosi omitterentur. Palmaris de temporibus error! vndè postmodum sæpè oritur in ferendo de rebus iudicio id quod in quibusdam versibus cernimus, qui si ordine inuerso legantur, contrariam significationem conficiunt. Rumor sedatus fuerat ineunte Iulio; & vsque à die tertio Iunij se in viam dederat Romam versus is qui Gualterio à Secretis erat, cum rebus à Lotharingo propositis. Quod si Suauis id ignorauit quod celatum perstitit, scire tamen debebat quod notorium fuerat, Legatos videlicet vsque à trigesimo Iunij in hanc sententiam venisse, cùm de ea & ad Pontificem scripserint, & cum omnibus viris publicis sermonem habuerint, & ipsum Pontificem illicò per apertas litteras consensisse; ac demum à Musotto, qui à Lotharingo, cùm contentio feruescebat ardentius, missus ad illum fuerat, confirmationem rei propositæ allatam fuisse. 3

Dein refert veraciter, conformia mandata à Ferdinando suis Oratoribus fuisse tradita; sed statim rei veritatem causæ falsitate 4

corrumpit,

corrumpit, vt qui hanc adducit: *Cùm animaduerteret Cæsar, maiorem partem paratam esse ad ampliandam auctoritatem Pontificis, timebat ne quid decerneretur, vnde Protestantium concordia difficilior euaderet.* Num forte Protestantes admittebant siue auctoritatem siue definitiones illius Synodi, vt proinde interesset concordiæ cum ipsis, vt sanctiones magis minúsve propitiæ Pontifici promerentur? Nónne ibi cunctæ ipsorum sententiæ proscriptæ fuerant? Nónne illi & verbis & scriptis inuecti fuerant in Synodum, tamquam in satanæ synagogam? Nónne ijdem execrabantur cum suo parente Luthero etiam Synodum Constantiensem, quæ præcipuum erat fundamentum ijs, qui Concilium supra Romanum Pontificem extollere contendebant? Cuiusnam igitur momenti ad concordiam cum Protestantibus censeri poterant à Cæsare illius Conuentus Decreta? sed nolente Suaui, ex eius calamo magni ponderis voces prodiere, *Maiorem partem esse paratam ad ampliandam auctoritatem Pontificis.* Percontor: In quo residet potestas definiendi; in maiori, an in minore parte? omnium Conciliorum consuetudo, quin omnium communitatum, & ratio ipsa id dicit. Igitur si suffragia fuissent collecta, Pontificis auctoritas ampliata fuisset. Igitur tot prolationes illius Sessionis habitæ non sunt à Legatis, quò Patres distinerent à noxijs Pontifici sanctionibus, optatis à Synodo, prout illis opponebatur, sed vt concordia in rebus definiendis seruaretur. Igitur Pontifex, qui sine dubio de cunctis edoctus erat, cùm Legatis iniunxit, vt eas disputationes seponerent, non in suæ vtilitatis gratiam id egit, quasi detrimentum aliquod suæ iurisdictioni præuidens, sed potius pacis studio neglexit emolumenta, quæ parati Patrum animi ipsi pollicebantur. Igitur non Pontifex, sed eius aduersarij libertatem Concilij violabant, cùm denuntiationibus minisque vrnam impediebant, ne res legitimâ ratione secundùm plura suffragia decernerentur. Responderet fortasse Suauis, Maiorem hunc numerum non ita sentire, se metu Pontificis ita loqui. Iam verò ne grauetur quispiam perpendere, quænam potétia grauiorem terrorem incuteret Episcopis, potentia Pontificis, qui extra suam modicam ditionem vires non obtinet ad agendum aduersus Principum conatus, & quem cernimus tam remisse, ac tam æquis de causis se gerentem; an potentia Regis Galliæ, Regis Hispaniæ, & Cæsaris, quorum Oratores plus minúsve Episcoporum magis quàm Romani Pontificis auctoritati fauebant. Et præter illos nec Senatus Venetus, nec reliqui Principes Italici violentiam in suos Præsules intulissent, aut permisissent. Quare si maior pars

1563.

1563. ita loquebatur, maior pars ita sentiebat. Hîc verò meos lectores rogo, vt aliquantulùm in hoc argumento cogitationem defigant, vtpote in eo quod Achilles esse posset in abijciendis Suauis criminationibus contra Sedem Apostolicam, quod spectat ad hanc tertiam Tridentinæ Synodi conuocationem. Sed pergamus alia ipsius mendacia detegere.

Affirmat, Lotharingum, per eos dies Romam inuitatum à Pontifice litteris beneuolentiæ plenis, statuisse in illis negotijs illi satisfacere. Dein narrat, post alia adhibita studia, deuentum fuisse ad peculiarem, de quo diximus, cœtum præcipuorum Præsulum, in quo iacta sunt fundamenta concordiæ ante generalem conuentum. Verùm obseruetur, quam bene contexta sit hæc narrationum ac rationum tela. Peculiaris ille cœtus septimo Iulij habitus est, vt liquet ex monumentis suprà productis, per quæ pariter in historia comprobaui ea, quæ nunc in confutatione cogor repetere. Pontifex autem sexto Iulij per litteras Legatis aperuit amplissimas pollicitationes, sibi Lotharingi nomine à Musotto delatas, simulque consilium ab eodem propositum inuitandi Romam Lotharingi; quod consilium, cùm animaduerteret, sicut idem scribit, fuisse profectum à Lotharingo, habebat in animo re ipsa ad reditum Musotti perficere; nec ab animo discrepauit effectus, sicuti colligitur ex summa responsionis ad epistolam Lotharingi, ad eumdem à Musotto perlatæ, quæ summa typis impressa legitur in volumine Gallico. Ex his clare patet, an huiusmodi litteræ, & inuitatio Pontificis ad Lotharingum allata, præcesserint, ac potuerint ipsum impellere ad ea gerenda, quemadmodum Suauis comminiscitur. Sed humanæ temeritati sæpè contingit, vt cùm alicui duæ res gestæ confusius innotescunt, quarum altera si alteram præuertisset, poterat illam parere, eamdem tamquam antecedentem, & alterius causam depingat; tametsi reuerà subsecuta fuerit, adeoque nihil effecerit. 5

Scribit, Hydruntinum neruis omnibus concordiæ repugnasse: & ex aduerso Legati præcipuam in eo laudem ipsi tribuunt; & in Borromæi responsis honor exhibetur ea de causa [b] per verba magnifica, Pontificis nomine. 6

[b] Litt. Borrom. affer. endę infrà libro sequenti.

Dicit, Doctrinæ Decretis maiorem Hispanorum partem assensam fuisse sub conditione, vt seruaretur id quod Oratori sui Regis Legati spoponderant, quod erat, ex dicto Suauiano, vt vbi stabiliretur Pontificis auctoritas verbis Florentinæ Synodi, declararetur vnà, Episcoporum institutionem esse iuris Diuini. E contrario liquet ex Actis, solùm tres Hispanos Præsules, non autem maiorem partem 7

sub

sub conditione consensisse: hi fuerant Aiala, Casablanca, & Auosmedianus; atque hic postremus in genere mentionem fecit, nescio quid fuisse pollicitos Legatos de sexto & octauo Canone, nec expressâ re, nec homine cui promittebatur. Verum est, haberi in volumine litterarum Vicecomitis [e], sibi dictum fuisse à Morono, eam rem promissam esse, quam Suauis indicat, sed cum restrictione magni momenti, nimirum, declaratum iri Episcoporum institutionem hæreticos damnando; adeoque nihil decernendo de quæstione inter Catholicos agitata, An Episcoporum institutio esset à Deo, nullo alio intermedio, quod attineret ad iurisdictionem. 1563.

[e] Scriptura Vicecomitis ad Borrom. 19. Iul. 1563

8 Post rerum gestarum historiam construit Suauis more suo alteram historiam iudicij vniuersalis de rebus gestis: proponitque, nullam illius Concilij actionem tantâ curiositate à mortalibus expectatam fuisse, quò semel intelligeretur, quidnam decem menses in contentione detinuisset tot Præsules Tridenti, & in negotio tot Aulas Principum: *sed*, ex adagio, *existimatum fuisse partum natiuitatem, vnius muris; quippe quòd nemo erat, qui posset quidquam interius reperire, quod non modo tam longi temporis operam mereretur, sed ne breuem quidem tam insignium capitum occupationem.* Hic scriptor tam stulte mendax est, vt sæpè mihi liceat absque causæ detrimento assumere onus, à nullo iure impositum accusatis, hoc est, ostendere, ab aduersario dici quod fieri nequeat: ita mihi nunc accidit. Quis vmquam poterat tam distortè ratiocinari, cùm vniuersis mortalibus innotesceret, Patrum contentionem, & Aularum negotium non tam fuisse de hac illâve parte decidenda, quàm de quibusdam quæstionibus decidendis, aut omittendis? In comperto erant celebres turbæ, quæ iam ante Sessionem vigesimam primam accidebant de articulo, *Cuius iuris esset mansio*; & desiderium ab ea vsque hora Legatorum, vt huiusmodi articulus, quasi scopulus grauium perturbationum, procul euitaretur. In comperto erat promissio, quæ oportuit vt ab ipsis fieret Hispanis, quòd articulus ille resumeretur, cùm ad Decreta de Sacramento Ordinis formanda deuentum esset. In comperto erant continua Hispanorum postulata, vt adimpleretur promissio. In comperto erat, Seripandum duxisse opportunius omitti articulum, ætate Iulij paratum, *An institutio Episcoporum esset iuris Diuini.* In comperto erant turbæ inde subortæ, enâta inde necessitas illius expendendi, & in disceptationem adducendæ auctoritatis Pontificiæ, eiusque supra Concilium prærogatiuæ, quæ omnia dissidij ac diuisionis discrimen afferebant. Quis igitur, nisi eorum ignarus, quæ cunctis hominibus ciuili notitiâ aspersis

1563. sis comperta erant, existimare poterat quasi ridiculum montium partum, quòd in lucem fuisset editus post eos decem menses laboriosæ grauiditatis partus perfectus, & non abortus confusus, aut schisma monstrosum? Fortasse humanæ prudentiæ opus maximum est, ingentia mala vitare: minùs enim in hoc, quàm in bonis ingentibus consequendis vim habet fortuna; adeoque dicitur præcipua laus medici esse, non morbum sanare, sed impedire.

Pergit Suauis: *Ab hominibus nonnihil versatis in rebus Theologicis desideratum fuisse, vt semel declararetur, quid intelligeret Synodus sub nomine potestatis retinendi peccata secundùm sententiam suam, quæ potestas effecta fuerat vna pars potestatis sacerdotalis.* 9

Quo pacto desiderium huiusmodi excitatum est in hominibus, dum hæc Sessio habebatur, in qua ex incidente de hoc argumento agebatur, & non potiùs cùm prodiêre decisiones Sessionis decimæquartæ sub Iulio, vbi datâ operâ de illo actum est, & tum in primo capite doctrinæ, tum in tertio Canone declaratum est, per ea Christi verba fuisse traditam potestatem remittendi retinendíve in Sacramento Pœnitentiæ peccata? quin eo in loco Suauis, dum commemorabat, aut suo more comminiscebatur hominum dicta, affirmauit, visam fuisse valdè planam eorum verborum significationem, hoc est, tradi potestatem remittendi peccata vere pœnitentibus, & retinendi ijs, quos Sacerdos minimè pœnitentes agnosceret. Quare nos ijs, quæ illic ad confutandas eius calumniosas ineptias scripsimus, haud repetitis, tantummodò addemus, nec bonos Theologos, nec bonos Canonum Doctores esse potuisse illos, qui non percipiebant, pertinere ad iudiciariam potestatem non modò quod Principis beneficium illa concedat homini, qui post acta confecta, & expensam causam eo dignus reperiatur; sed quod illud deneget homini, qui post adhibitam eiusmodi diligentiam indignus agnoscatur.

Refert dein complurium admirationem, quòd fuisset definitum, *Ordines inferiores aliud non esse, nisi gradus ad superiores; cunctos verò esse gradus ad Sacerdotium*: cùm apud antiquos legatur, plerosque clericorum persistere in huiusmodi Ordinibus, ad sacerdotium numquàm progressos, & è conuerso, quosdam per eos Ordines minimè transeuntes, consecrari sacerdotes. Verùm maiori cum admiratione legetur in Suaui horum admiratio, ab eo qui memoriâ retinuerit, à Synodo numquam dici id, quod ille pro certo ponit tumquam illius coortæ admirationis fundamentum. Affirmatur quidem in secundo Canone, *esse in Ecclesia præter sacerdotium alios* 10

Ordines,

Ordines, & maiores & minores, per quos tamquam per gradus tendatur ad Sacerdotium. Non tamen quia in Republica multi sunt magistratus, quorum vnus ad alterum gradus est, sequitur, minorem non nisi gradum esse ad maiorem, multosque homines, & plures quoque non posse remanere in primo, ad secundum haud progressos; aut euenire numquam posse, vt quis ad secundum prouehatur, primo non conscenso: ita, exempli gratiâ, dignitas meri Præsulis gradus est ad Cardinalis dignitatem; & tamen aliquis renuntiatur Cardinalis, gradum Præsulis priùs non obtinens. Neque Synodus declarat, Ordines esse gradus ex ordinatione Christi, & non merè ex ordinatione Ecclesiæ, cùm adhuc ad hodiernum vsque diem in quæstione versetur, an omnes Ordines instituti fuerint à Christo, & an idcircò omnes sint Sacramenta, & imprimant characterem. Quod de minoribus Ordinibus negatur à Gabriele Vasques [d] cum inignium Theologorum cohorte. 1563.

[d] Tom.3. in 3.Part.disp. 237.

11 Pergamus: valde Sophisticum est id quod obijcit in caput decimumquintum de disciplina, perinde acsi sibi contradicat; cùm ibi liquidò appareat sensus, nimirum, velle Synodum vt functiones Ecclesiasticæ, sicut mos erat, exerceantur ab eo qui Ordinem ad hoc idoneum obtinet, ijs in locis, vbi non desint huiusmodi Ordinibus initiati, nec opus sit, vt per operam laicorum suppleatur: exercitationem autem, ac ritum perfectum earum, quæ iam dictæ sunt, functionũ, iniungi à Synodo in quauis Ecclesia, quoad cõmodè fieri possit.

12 Ab alijs improbabatur, si Suaui credimus, quòd ad conferendum Sacerdotium tamquam necessaria requireretur docendi populi facultas, quandoquidem animarum procuratio à Sacerdotio seiungi potest. Concedo ea seiungi posse, sed non ita seiungi, vt numquam coniungi possint. Meritò igitur eam requiri facultatem, quâ posità, semper esset liberum Episcopo vti operâ Sacerdotis, siue perpetuò, siue ad tempus, in populis erudiendis; quod munus Sacerdotibus admodum congruit. Ita pariter adscribendus non est miles ciuili militiæ, qui ad bellum extrà gerendum aptus non est, quamuis plures ex his militibus ad bellum postea non mittantur.

13 Putidius est aliud obiectum: Perinde fuisse, requiri in sacros Ordines suscipiente latinæ linguæ intelligentiam, ac declarari, Synodum illam non fuisse Oecumenicam, cùm ab eo Decreto non possent obstringi Asia, Africa, & bona pars Europæ, vbi latinus sermo in scholis communiter non addiscitur. Aliud est, Synodum quampiam esse Oecumenicam, aliud, velle vt cunctæ suæ leges sint vniuersales, & obseruandæ in quocumque loco Chri-

1563. stianæ Reipublicæ. Prudens legislator plures suarum constitutionum præscribit, non pro cunctis ijs locis, in quibus aliquot subditos habet, sed pro maiori parte ac præcipua, e cuius bono reliquarum bonum enascitur. Cuinam dubium est, non fuisse mentem Patrum, vt ipsorum sanctiones statuerentur etiam pro ijs regionibus Indiæ, tum ad Occidentem, tum ad Orientem, quæ ad Fidei Catholicæ cultum iam venerant? Quod igitur potissimùm intendebant, fuit, vt Ecclesiæ latinæ prospicerent, ex qua, velut e trunco, virtus posteà diffunditur in minores ac debiles ramos reliquarum Ecclesiarum: nec pro earum singulis, ob varietatem ac mutabilitatem status ipsarum, componi poterant leges peculiares; sed ex constitutis pro parte maxima ac potissima, deducendi erant proportione aptiores modi regendi alias, quasi extrema atque inferiora huius corporis membra. Et ita Cardinalium Congregatio, penes quam Romæ cura est & auctoritas interpretandi Concilij, declarauit ex illius mente, in Illyrica regione, à peritia Illyricæ linguæ litteralis excusari latinæ intelligentiam ad Ordines conferendos. Vnde constat apertius, quantum in Ecclesia vniuersali opus sit supremâ quâdam potestate, semper viuâ & constante, & cuius munus sit confirmare, promulgare, interpretari, relaxare, abrogare, ampliare, aut coarctare constitutiones, prout opportunum animaduerterit.

Persuadere nobis studet, in Germania sexto Canoni obiectum 14
fuisse, quòd constituat Fidei dogma, *Hierarchiam; vocem* (ait ille) *ac significationem alienam, ne dicam contrariam diuinis effatis, & veteris Ecclesiæ consuetudini, & vocem à quodam inuentam, qui etsi alicuius antiquitatis, quisnam, & quando extiterit, haud satis constat; qui alioqui scriptor est hyperbolicus, & quem in vsu illius vocis, aliarumq;, quas ipse excogitauit, nemo ex antiquis imitatus est. At verò si sequendus erat modus agendi ac loquendi Christi Domini nostri, sanctorumq; Apostolorum, & Ecclesiæ primæuæ, oportuisse non Hierarchiam, sed Hierodiaconiam, aut Hieroduliam statuere.* Et addit, *A Petro Paulo Vergerio apud Vennonetes, vulgò Vallem Tellinam, suarum concionum argumentum fuisse desumptum ab his aliisq; obiectis aduersus Concilij doctrinam.*

Quando collibitum est Suaui tam friuola obiecta producere, 15
ipsum reprehendere mihi non licet, quasi ea non adscripserit decenti personæ, scenæque condecenti. Quænam aptior persona, quàm Petrus Paulus Vergerius, homo litteris vix aspersus, seu potiùs puluerulentus, sed totus temeritate intritus, sicut patet ex illius libris, cuiuis honesto lectori stomachum mouentibus? Et planè vulgus illius vallis apta erat scena huiuscemodi sententijs, non ido-

idoneis vt imprimerentur in auditoribus alterius temperaturæ: quare solerter legens Suauis in Epistolis Vicecomitis, per eos dies scriptis [e], Vergerium in Valle Tellina concionari contra Concilium, ijs quæ ab eo dicebantur non expressis, tribuit illi argumenta, verisimilia in huiusmodi concionatore. Pudet me illi respondere, etiamsi conuincam. Vox Hierarchiæ Ecclesiasticæ vsurpatur tamquam titulus celebris Operis à S. Dionysio Areopagita, nomen inter digniora summâ reuerentiâ in Ecclesia. Dum pro certo Suauis affirmat, non satis constare quisnam eorum librorum sit auctor, omnino despicit iudicium Sanctorum Doctorum, Oecumenicarum Synodorum, ac Summorum Pontificum, per decem iam sæcula existentium. Etenim sanctus Gregorius sub nomine Dionysij, quem *antiquum ac venerabilem Patrem* appellat, in homilia trigesima quarta libros illos adduxit, idemque posteà fecerunt S. Martinus Pontif. Max. & martyr in Concilio Romano, S. Agatho pariter Pontifex in epistola ad Constantinum IV. Imperatorem, Nicolaus I. in quadam epistola ad Michaëlem Cæsarem; sextum Concilium Oecumenicum in Actione quarta, & septimum in Actione secunda. Insuper sanctus Maximus monachus & martyr, & S. Thomas, eos libros tamquam tales & reueriti & interpretati sunt. Quod si ante S. Gregorium expressa mentio non legitur illius Operis, quid mirum est, si, cùm Christiani, eorumque scripta insectationibus adeò diuexabantur, nec typorum opera conseruabat, diffundebatque memoriam scripturarum, illæ veluti semiuiuæ atque ignotæ plura sæcula iacuerint, cùm compertum nobis sit, quid Aristotelis, aliorumque præstantissimorum scriptorum Operibus acciderit? Quanto minora vestigia comperiuntur apud veteres Historiæ Quinti Curtij? neque tamen ea suppositititius partus existimatur. Longè minùs quàm hoc, satis esset ad patefaciendam huius hominis arrogantiam in affirmando confidenter, non satis constare de illorum librorum auctore. Sed quoniam aliqui etiam ex Catholicis recentiore tempestate [f], eos in dubitationem reuocarunt, mihi verò mens est in re firma rationes meas stabilire, etiamsi dem scriptorem illum non fuisse Areopagitam, sed alium quempiam ex veteribus, de quo S. Gregorij auctoritas dubitari non sinit, sine dubio satis erat veneratio illis habita per tot sæcula ab Ecclesia, ne puderet Synodum illinc desumere vocem quamdam suo proposito consonantem. 1563.

[e] Literæ Vicecomitis ad Borrom. 22. Iulij 1563.

[f] Videri possunt cum ipsorum argumentis apud Philippum Labbeum Soc. Iesu, in dissertatione historica de Script Eccl. quos attigit Bellarminus; & apud Ioannē Morinum ex Oratorio S. Philippi Nerij in 2. parte Commentarij de sacris Eccl. ordinationibus.

16 Quod autem *Auctorem hyperbolicum* illum nominat, delirium est ad calumnias construendas. Sæpè vtitur (haud negauerim) egregius

1563. gius ille Doctor propositione græca ὑπὲρ, quæ Latinè *suprà* vertitur; sed eam vsurpat, cùm disserit de rebus planè supremis, hoc est, diuinis, quò palàm faciat, deesse nobis vocabula idonea ad eorum maiestatem explicandam. Quapropter dum illis apponimus voces, ex origine sua significantes obiecta alia terrena, quæ proportionem aliquam habeant ad res diuinas, sed adiectâ illis propositione *suprà*, redigimus in memoriam, ab huiusmodi rebus plurimùm superari id quod ex vi talium verborum nostris mentibus obuersatur. Porrò perpendat, qui demens non est, an in huiusmodi sermone insit vitium hyperboles, an virtus religionis, sapientiæque altitudo. Tam fieri potest, vt quispiam de Deo scribat cum hyperbole, quàm cum assentatione. Quod si Areopagitam in eo verborum vsu communiter secuti non sunt, omissâ propositione illâ, aut breuitatis causâ, quippe quæ tacitè intelligatur, aut propter ineptitudinem linguæ latinæ, longè minus idoneæ quàm græca, ad hæc venustè componenda; non idcircò vituperatur ille, quin potiùs vniuersè, & inter alios à S. Thoma commendatur. Verùm quò proteruitatis non peruenit Suauis, dum audet Concilium carpere, quòd sibi sumpserit vocem adhibitam pro titulo memorandi Operis sui à celeberrimo, vetusto & sacro Doctore, simulque velle, vt eius loco poneretur *Hierodiaconia*, hoc est, *rerum sacrarum ministerium*, aut *Hierodulia*, hoc est, *sacrarum rerum seruitus*, voces à Suauiana temeritate compositæ? cùm Hierarchia iam esset vocabulum adeò in Ecclesia acceptum, vt non modò S. Maximus nongentis annis ante Concilium in Commentarijs de S. Dionysio ex professo super eo disserüerit, sed inter Scholasticos S. Bonauentura trecentis antè annis Commentarium scripserit sub hoc planè titulo: & hinc à Ioanne Scoto, tanquam à voce notissima, & auctoritatis plena, deducta fuerit Ordinis definitio, dicente [g], *esse facultatem spiritualem ad aliquem actum exequendum in Ecclesiastica Hierarchia.* Et ætate recentiore Albertus Pighius celebrem librum suum aduersus nouas hæreses nominarat, *Defensio Ecclesiasticæ Hierarchiæ.* Cur igitur Synodo abstinendum erat ab vsu illius vocis, tam familiaris sacris scriptoribus, adeoque consimilis alijs valdè consuetis, quæ originem eamdem, compositionemque vocum græcarum habent, sicut Monarcha, Patriarcha, Tetrarcha, Exarchus? Profectò nec legebantur in sacris Litteris, nec obtinebant adeò veterem comprobationem à Doctoribus Ecclesiasticis, vocabula, *homusion*, *Personæ diuinæ*, *peccatum originale*, & alia, cùm primum in suis definitionibus ea adhibuit Ecclesia.

[g] In 4. sentent. in quæst *Vnica* §. de primo.

Ait idem, sua illa vocabula, *Hierodulia*, *Hierodiaconia*, futura fuisse

fuisse magis consentanea sermonibus & operibus Christi, Scripturæ, & etiam veteris Ecclesiæ. 1563

Id sine dubio non potest intelligi à Suaui verum esse de ipsis vocibus, secundùm sonum acceptis, quippe quæ numquam in vsu fuerunt; quare supereſt, vt de ipsarum significatione loquamur. Ac primò quidem nemini dubium est, humilitati Christi & Ecclesiæ antiquæ aptas non respondere voces *ministrandi & seruiendi*; nec easdem alienas esse ab vsu recentis Ecclesiæ, quæ in suo Capite retinet titulum, inductum ab vsu S. Gregorij, *Seruus seruorum Dei*. Sed eiusmodi voces vim non habebant ad exprimendam auctoritatem, & inæqualem dignitatem graduum, ordinem inter se habentium, quod per eos Canones Synodus intendebat: id igitur aptiùs explicari non poterat, quàm per vocem Principatum significantem. Nec à vocibus dignitatem sonantibus abstinuerunt aut Redemptor, aut Scriptura, aut vetus Ecclesia, cùm opus fuit huiusmodi sensus explicare. Christus discipulis suis dixit: *Vos me vocatis Magistrum, & Dominum, & bene dicitis; sum etenim.* Et in sacris Paginis, si veteres inspectemus, comperimus, constitutos à Deo, & appellatos sæpè Principes sacerdotum: si recentiores, nomen Diaconorum, hoc est ministrorum (quod Suauis intendebat vniuerso Ecclesiasticorum ordini commune reddere) conspicimus singulariter attributum ordini postremo, & à Sacerdotibus & Episcopis distincto. Quocirca vellem, vt ipse me doceret, quonam pacto poterat Synodus dicere, quò se ad sacra eloquia conformaret, esse in Ecclesia *Hierodiaconiam*, conflatam ex Episcopis, ex Presbyteris, & ex Diaconis, postremâ parte cum ipso toto non confusâ? Numquid Paulus Apostolus Superiores Ecclesiasticos non appellauit honorifico nomine *Præpositorum*, & nomine *Episcoporum*, quod importat *inspectores*? Non admonuit, illis exhibendam obedientiam? Et quid tandem aliud, nisi prærogatiuas huiusmodi nomen *Principatus* significat? Præterea, in Ecclesia veteri quæ vox magis recepta est, quàm vox *Patriarcha*, hoc est, *Princeps patrum*, siue *Princeps pater*? Quo pacto igitur absque graui mendacio potuit hic scribere, appellationem *Principatus in rebus sacris*, sermonibus & operibus Christi, diuinarum Litterarum, & Ecclesiæ veteris repugnare? Qui nomen Principatus damnabat, necesse erat vt damnaret Cyrillum Alexandrinum [h], affirmantem, Petrum omnium primum respondisse Christo, tamquam Principem, & caput reliquorum: Vt damnaret S. Hieronymum, qui [i] de Apostolis intellexit illa Dauidis verba: *Principes Iuda, duces eorum*, docens, idem valere *Principes Iuda*, quod

[h] Hom. 12. in Ioannem.

[i] cap. 64. In Psa. 67.

1563. *Principes Christi:* Vt damnaret S. Augustinum, qui dixit [k], *In Sede Romana semper perstitit Principatus Sedis Apostolicæ:* Vt damnaret S. Gregorium, vbi ille scribit [l], *Sancto Petro fuisse commissam curam & Principatum totius Ecclesiæ.* & alibi super illis verbis Iob: *Cum Principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento. Quos alios* (subdit) *Principes, nisi S. Ecclesiæ Doctores vocat, quos indesinenter in loco Prædicatorum præcedentium diuina dispositio subrogat? de quibus eidem Ecclesiæ Psalmista ait: Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram?* Vt damnaret Bedam, vbi in suis Operibus habet [m], *Petrum recepisse principatum iudiciariæ potestatis:* Vt damnaret Bernardum, ijsdem Apostolis tribuentem [n] dictum illud Psalmi: *Constitues eos Principes super omnem terram.* & ad Eugenium dixit: *Tu es heres, & mundus est hereditas.* Quod si quis optaret reperire quoque in Ecclesia *Principum* nomen, vniuerso Episcoporum ordini commune, Hilarium consulat [o], qui tam longè abest, quòd existimet cum Suaui, hunc titulum opponi titulo *seruorum*, tributo Episcopis in Euangelio, vt scribat; Quamquam parabola serui fidelis ac vigilantis sit cohortatio cunctis communis, tamen per eam præcipi peculiarem quamdam sollicitudinem, ob expectationem Domini, *Principibus populi, hoc est Episcopis.* Verùm diuinare mihi videor, si adhuc viueret Suauis, eum minimè concessurum robori harum omnium rationum, ac tam luculentis testimonijs, contendentem, haud debuisse Tridentinam Synodum vti voce quâdam, ad id vsque temporis in cunctis præteritis Concilijs non vsitatâ. Id si verum esset, argueretur, nulli Concilio licuisse vocabulum adhibere, in alio antiquiore Concilio non contentum: adeoque cunctas Synodos, exceptâ primâ, quoties vocem illæ posuerunt in suis decretis, ex priori, aut ex sacris Literis non desumptam, reprehensione dignas esse. Sed insuper concessum mihi est vt Suauis insaniam refellam, simulque eius ignorantiam, probatione clariore & expugnabili. Quisnam malus genius hominem impulit, vt tamquam certum pronuntiaret, Ecclesiam & anteacta Concilia se abstinuisse ab ea voce ad illum vsque diem? Oecumenica Concilia pauca tandem sunt, & in scriptore, qui doctrinam adeò profitetur ac iactitat, dedecus potiùs est ea ignorare, quàm laus eadem pernoscere. Iam verò in octauo Concilio, quod anno salutis circiter 870. fuit celebratum, licuisset Suaui legere hanc vocem, suis auribus adeò dissonantem, non in vnico solùm loco, qui fugiat & fallat oculum, sed in duobus, videlicet, tum in Actione sexta, vbi Metrophanes Smyrnæ Archiepiscopus appellat Nectarium, Ambrosium & Nicephorum

[k] Epist. 162.
[l] Lib. 4 Epist. 32. ad Mauritium.
[m] In hom. in festo SS. Petri & Pauli.
[n] Initio lib. 3 de Consideratione.
[o] In cap. 17. Comment. in S. Matth.

phorum memorabiles Hierarchas; tum in decima, cap. 14. vbi nomen, honor, ac ritus Hierarchicus Angelorum ad Episcopos Ecclesiæ transfertur. 1563.

18 Narrat denique Suauis in articulo de mansione, post tam diuturnum studium egregiam aliquam decisionem expectari; sed pronuntiatum denique fuisse id solum, quod clarum erat, cùm sit euidens ex lege naturali, nemini fas esse à suo munere, nisi legitimam ob causam, abesse. Benè est, definitioni Concilij tribui hac vice ab aduersarijs tamquam vnicum probrum nimis dilucidam veritatem. Sed quâ ratione poterat definitio vltrà procedere, quod spectat ad ius diuinum, cùm Suauis ipse dixerit, in hac re auctoritatem Scripturarum ac Patrum esse cohortationem ad perfectionem, nec esse quidquam solidi nisi Canones Ecclesiasticos? Igitur si Concilium strictiorem obligationem definiuisset, falsum definiuisset. Præterea, vbinam ille reperit vetitum illud adeò clarum, ne quisquam absit à suo munere sine causa legitima? Quot sunt munera, quæ rectè administrantur etiam in absentia per delatas rerum notitias, missasque iussiones, & per præsentes Vicarios? Parum igitur non fuit, definiri, hanc diligentiam sic adhibitam satis non esse ad excusandam absentiam, & ab absente lethalem noxam contrahi. Nec etiam parum conduxit, quòd Cardinales includerentur, de quo priùs obiectum fuerat: à maiore obligatione assistendi Romanæ Ecclesiæ excusari minorem de peculiaribus Ecclesijs, præsertim cùm eas sæpè non obtineant ex titulo, sed ex administratione, easdemque meliùs ipsi ob ampliorem auctoritatem possint è longinquo regere, ac selectorum ministrorum operâ, quàm minoris notæ Præsules per præsentiam: quæ rationes adductæ fuerant ætate Pauli III. ne comprehenderentur in Decreto, & à nobis ibi relatæ. Vt paucis dicam: id quod homines communiter optabant, non erat definitio contemplatricis doctrinæ, quæ nulli est detrimento, si persistat incerta inter Doctorum opinamenta, sicut aliæ multæ; sed vt pessimus ac nocentissimus abusus non residendi tolleretur. Sublatus hic fuit eo Decreto, pœnis ac sanctionibus in eo statutis, simul etiam stimulis adiectis, quibus inde stimulati sunt Pontifices ad illud confirmandum ac roborandum. Igitur expectationi votoque mortalium satisfactum est.

Iam verò cùm hæc ibi peracta fuerint communi quiete ac voluptate, post tam diuturnas ac periculosas procellas, appellari profectò non potest cum Suaui ea Sessio, Montium partus in murem degenerans; sed potiùs, quando is exemplo suo me ad fabulas trahit, Partus admirationis, quo nata est Iris, tranquillitatis nuntia.

1563.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

LVnensis studia celeri Concilij conclusioni aduersantia, Pontificis vota, ac Legatorum, fauentia. Sensus Hispaniensium Oratorum Romæ à Lunensis sensibus diuersus. Verba Pontificis in Senatu ad commendationẽ Lotharingi, & ad excusandam emendationem Cardinalium, Concilio remissam. Vera ratio huius rei Suspiciones Lotharingi ob propositas disciplinæ leges, etiam Ferrerio displicentes. Responsum eiusdem Lotharingi ad Pontificem inuitantem. Gualterius Romam à Lotharingo missus, & quibus cum mandatis, tum ab eo tum à Morono traditis. Iussa Pontificis ad Legatos de fiducia exhibenda & cum Lotharingo & cum Madruccio. Postulata Lunensis, vt Præsules qui sententias collecturi, & Canones digesturi erant, destinarentur per nationes; & ipsius querimoniæ in Legatos Romam scriptæ. Eorum purgatio. Amplissimæ Venetorum pollicitationes ad Concilium adiuuandum. Causa Patriarchæ Grimani, post varios cœtus pro ipso diiudicata. Sententiæ à Patribus dictæ de Matrimonio, ac præsertim de irritis reddendis coniugijs clandestinis, & contractibus filiorum vsque ad certam ætatem, sine consensu parentum; & de damnanda opinione affirmante, solui matrimonij vinculum adulterij causâ. Petitio, vt priora duo capita decernerentur,

rentur, habita Gallici Regis nomine, atque vt tertium tempe- 1563.
raretur, habita à Venetis Oratoribus, Græcorum sibi subiectorum gratiâ. Antinorus Tridentum missus à Pontifice, specie quidem, quâ Lotharingum iter habiturum comitaretur; sed in arcano, quò illum adhortaretur, vt Tridenti sisteret vsque ad exitum Concilij: quæ adhortatio à primo Legatorum præpeditur. Responsum Cæsaris de consilio proposito à Lotharingo, quod cum Pontifice ab eodem agitatur. Variæ adnotationes, à Ferdinando ad suos Oratores missæ de propositis morum legibus; potissimè verò eius mandata, vt obsisterent emendationi Principum vsque ad maturiorem deliberationem. Acris controuersia in hoc inter Cæsarianos & Legatos, & quodnam initum temperamentum. Postulationes Lunensis apud Pontificem, vt leges sanciendæ de reformando Collegio & Comitio, committantur Synodo; & responsa, quibus ille acquieuit, de vtroque capite. Difficultas de confirmatione à Pontifice concedenda Regi Romanorum. Eius rei initium, processus, & exitus. Patrum perturbatio, quòd ageretur de inducenda Mediolanum sacra Inquisitione pro more Hispanico, & negotij compositio. Rumor suspensionis, & vnde ortus. Discrepantia impacata de matrimonijs clandestinis, etiam per solemnem disputationem, atque hinc necessitas protrahendæ Sessionis ad diem vndecimum Nouembris. Noua Ferdinandi responsa de capitibus emendationis concinnatis, & maximè de eo quod spectabat ad Principes. Patrum tumultus ob huius capitis intermissionem, & quâ promissione sedatus. Mandata ab Hispano Rege missa de declaratione verborum, proponentibus Legatis, & grauissima ex eo contentio inter Lunensem & Præsides; quibuscum quamplurimi Patres conueniunt. Procurator Hispaniensium Capitulorum à Lunensi expulsus Tridento, indignante Concilio. Lotharingus Romam profectus.

1563.

CAPVT PRIMVM.

Lunensis postulatum, vt iterum inuitentur Protestantes. Moroni repulsa. Obiecta à Lunensi sollicitis agendi modis ad Synodum absoluendam. Studia adhibita à Legatis apud Cæsarem, ac Philippum Regem. Significata à Pontifice in Senatu. Res ab eo & Ministris Hispanis gestæ ad impedienda consilia, quæ illi suspicabantur in Lunensi. Orator Florentinus Tridenti mutatus. Querelæ Gallorum partim simulatæ, partim veræ, de forma in Sessione habita, quod spectabat ad ritum; & quo pacto illis satisfactum. Capita correctionis agitata de Matrimonio, & de distribuendis sacerdotijs, obstringentibus ad animarum procurationem.

VNà cum lætitia ex celebrata Sessione, confirmata est 1 in Legatis spes citò & concorditer absoluendi Concilij: sed vtraque infuscata ab inopina petitione Lunensis, quæ suspiciones auxit de ipso conceptas. Petebat, vt denuò Protestantes inuitarentur; idque pariter commendarat Gualterio [a], vt tamquam opportunum Pontifici suaderet, cùm is Romam missus à Lotharingo, abeundi veniam à Lunensi petijt. Suauis autem cùm legeret, Lunensem à Legatis id petiisse, nec responsum illi redditum comperisset, illud suo more comminiscitur, sed non quod verè fuit; nimirum, rem se perpensuros. Illi reipsa Moronus respondit, Hoc postulatum futurum inutile ad rem consequendam, indecorum ex despectu, & noxium ob diuturnitatem, quam à nemine expeti posse in comperto erat, nisi ex priuata aliqua vtilitate, & ad ampliora interim beneficia à Pontifice extorquenda. Mirari se huiusmodi postulatum, quando Auila paulò anteà in mandatis habuerat, vt Pontificem ab ea inuitatione dehortaretur; nec ignorabatur, similia mandata Lunensi quoque fuisse tradita. Reposuit Lunensis, Non peti vt id Pontificis nomine ageretur, sed vt per Cæsarem agendum curaret. Ad hæc iterum Legatus: Non modò se nolle suam operam conferre, sed neruis omnibus obsistere huic prolationi, cùm existimaret, nihil salubrius Ecclesiæ id temporis fieri posse, quàm vt Synodus expediretur.

[a] Litt. Gualterij ad Borrom. 17. Iulij 1563. & Legatorum ad eumdem, 19. Iulij.

Posteà verò aucta est in Legatis suspicio [b], id à Rege fuisse impe- 2 ratum, propter similem in Lunensi agendi rationem ad id obtinendum. Statuerant Præsides, argumenta à Sacramentis seiuncta expedire,

[b] Literæ Legatorum ad Borrom. 22. Iulij 1563. & Vicecomitis 19. Iulij.

pedire, cuiusmodi erant Indulgentiæ, & Vota monachorum, haud alio illis spatio impenso, quod prænoscebant in multos menses abiturum: atque idcircò habebant in animo, cum Lotharingo conuenire de committendis articulis studio Theologorum, vt ex ijs varij bini delecti inter missos à singulis Regibus, & par etiam ex Pontificijs, videlicet Lainius & Salmeronus, & par etiam ex supremis Moderatoribus Monasticarum familiarũ, colligerent quæ sibi opportuna viderentur tum de dogmatibus, tum de corruptelis; & pro ipsorum iudicio formarentur Canones à quibusdam Patribus, ac postremùm in generalem conuentum referrentur. Sed Lunensis exposuit, assentiri sibi non licere vt consuetus modus variaretur. Quamobrem decreuerunt Legati, vt de absoluenda Synodo ad Cæsarem scriberet Moronus, quippe qui alios in eo Principe sensus animaduerterat; atque vt præterea vnà omnes præualidis rationibus precibusque vrgerent Regem Catholicum, missis ad Criuellum Nuntium litteris, ipsum rogantes, vt eas suâ voce animaret. Neque segniùs Pontificem stimularunt, vt huiusmodi ipsorum studia auctoritate suâ in vtraque Aula promoueret. 1563.

3 Moronus suis ad Ferdinandum litteris ostendit [c], Fuissein gratiam Cæsaris constitutas complures disciplinæ leges, præcipuè verò obligationem residendi etiam in Cardinalibus; reliqua per omnem sedulitatem peractum iri: absolutis autem sanctionibus vniuersalibus, ad peculiares singularum prouinciarum processum iri, sicuti Episcopo Conadiensi dictum fuerat, qui Cæsarem aditurus, eas litteras ipsi deferebat; sed simul etiam rogari à se Cæsarem, vt ipse obsisteret cuicumque, ex priuato commodo moram illius publici boni quærenti, præcipuè verò, vt Regi Catholico, fratris filio, suaderet ad remouendos Oratorem suum & Hispanos Præsules ab illis consilijs noxiæ cunctationis. [c] 20. Iulij, 1563.

4 Commendatum pariter est Cæsareis Oratoribus [d], vt eas litteras in manus Cæsaris deferendas curarent ab Episcopo memorato: ipsi verò Oratores Moroni litteris suas communes associarunt, quibus tamen nihil aliud scribebant, nisi prosperum Sessionis exitum, & apparatum ad futuram per fructuosa Decreta celebrandam. [d] Constat ex litteris Oratorum ad Cæsarem, 10 Iulij.

5 Pontifex immenso gaudio affectus fuerat [e] ob Sessionem, & amplè commendarat Legatos, & etiam Lotharingum, cui agi grates à Borromæo voluit; ipse verò eumdem eximijs laudibus in Senatu conestauit [f]; vbi felici successu narrato, eodemque prudentiæ virtutique Legatorum adscripto, adiecit, Laudem obtentæ concordiæ præcipuè Lotharingo deberi; fuisse à se beneuolentiæ plenas litteras [e] Litteræ Bor. ad Legatos 21. & 24. Iulij, 1563. [f] Acta Consistor. 30. Iulij, 1563.

1563. teras ad illum scriptas, qui ante futuram Sessionem Romam aduenturus erat, quò de rebus ingentis publici boni secum ageret. Spem præ se tulit, Synodum prosperè progressuram ad metam: significauit simul, constanter se velle, vt per sanctam seueramque disciplinæ correctionem necessitati ac voto communi cunctarum nationum ac Principum satisfieret. Hinc occasionem cepit, se quodammodò tacitè purgandi apud Collegium, quòd ipsam Cardinalium emendationem Concilio commiserat, quandoquidem ea diutius Romæ ab ipsorum nonnullis à se destinatis agitata fuerat. Sed causa, intimè Pontificis animum ad id impellens, ea fuerat[g], quòd inspecto modulo ab illis confecto, visi sunt ipsi emendatores non tam vitia emendare, quàm priuilegia eo in ordine exaggerare; idque posteà per litteras arcanis notis conscriptas indicauit Morono, memoratum modulum ab eo petenti, ipsum monens, ne vllam illius moduli rationem haberet, hisce verbis ad eumdem scriptis per Borromæum: *Navanda tibi erit opera, vt ad reformandam disciplinam ea statuantur, quæ tibi ac reliquis honesta visa fuerint, & quæ possint Synodo satisfacere, & cuncto Christiano nomini prodesse, nullâ habitâ rerum mortalium ratione; id enim gratissimum Pontifici accidet.*

[g] In arcanis notis Borr. ad Moronum 25. Augusti 1563.

Sed quoniam huiusmodi causa si fuisset Senatui patefacta, exasperasset potiùs quàm pacasset animos Senatorum, adiecit Pontifex, velle se omnium primum subiici emendationis sanctionibus, quæ in Synodo statuerentur; ex huiusmodi exemplo neque Cardinalibus, neque alijs Principibus illam grauem existimandam: relictasà se liberas habenas illius negotij Præsidum manibus: si cuipiam incommodum inde inferretur, oportere libenti animo priuatum detrimentum communis vtilitatis gratiâ tolerari. Sibi alias in animo fuisse, per se ipsum decernere eam emendationis partem, quæ ad Cardinales attinebat: sed cùm Principes postularent, & suaderent Legati, vt hæc etiam Synodo remitteretur, se consensisse; & fortasse maiori eorumdem Purpuratorum emolumento id Trideti quam Romæ statutum iri. Decretum, quo ad residendum adstringebantur, ipsis fauere, quando Episcopatuum capaces eosdem declarabat. Ceterà æquum planè esse, vt qui Episcopi prouentum atque auctoritatem possidet, Episcopi pariter vincula patiatur.

Hi erant in Pontifice sensus, & in hæc verba idem loquebatur post nuntium Sessionis. Interim iniunctum Legatis fuerat[h], vt ob eam grates agerent Præsulibus Gallis; atque ornatissimæ commendationis formulis rescripserat Borromæus ad ea, quæ Legati significarant in emolumentum Archiepiscopi Hydruntini.

[h] Literæ Borrom ad Leg tos & ad Moroni, 17. 28. & vltimo Iulij 1563.

Sed

Sed audito Lunensis consilio, miratus est Pontifex; nec minorem admirationem præ se tulerunt duo Hispani Oratores, quibuscum ille conquestus est; & non modò Lunensem non excusarunt, sicuti Suauis refert, sed affirmarunt, id ex voluntate Regis esse non posse; & efficaciter ad Lunensem super eo scripserunt, ostenso litterarum exemplo ipsi Pontifici, quod is ad Legatos misit; adiecitque, Etiamsi Criuellus Nuntius aliter significaret, haberi firmiora testimonia de Regis mente ex Nuntio peculiari Odescalco; & sine dubio ab eo Principe cursum haud retentum iri, dum propensos iam ad rem expediendam conspicaretur Cæsarem & Regem Galliæ, in quorum gratiam, non item ex animi sui voto, potuerat fortasse ea præcipere, quæ ad procrastinationem tenderent: velle se tamen Regi querelas suas insinuare, non per speciem dubitantis de regia voluntate, sed de ipsius ministro conquerentis; cum perinde in operibus accidat ac in filijs, vt eos homo facilius deserat, qui tamquam ipsius filij ab alijs non agnoscantur. 1563.

7 Augebatur tamen in Legatis suspicio de Regis mente, propterea quòd vigesimo sexto Iulij Lunensis adierat vesperi Moronum cum querimonia, quòd [i] in proximè præterita Sessione prætermissum fuerat debitum & consuetum examen, quo priùs cuncta expenderentur à minoribus Theologis; & etiam, quia subiecerat idem Lunensis, ne in posterum vellent eâ ratione cursim progredi, id enim libertati Synodi detrimento fore: se verò haud omissurum obsistere, ac postulare, vt quæuis atomus expenderetur exquisitâ trutinâ; & vti Lotharingus domi suæ peculiares cœtus Gallorum Præsulum habebat, perinde se cœtus Hispanorum habiturum. Ad hæc fidenter Moronus: Nullam incusationem minùs expectatam in antegressam Sessionem afferri sibi posse, quàm de maturitatis, aut etiam de libertatis defectu, quando post tam diuturnam trutinam tantâ suffragiorum concordiâ confectæ fuerant sanctiones. Agendi modum in ea habitum, legitimum & canonicum fuisse: eumdem in reliquis habitum iri; ac mirari se, ab vllo Catholico id temporis celerem Concilij exitum non optari.

[i] Scripta à Legatis ad Borromæum 26. Iul. 1563

8 His non acquiescens Lunensis, cum Oratoribus cunctorum Principum trans Alpes regnantium agebat, quò peterent coniunctim, vt disciplinæ capita stabilirentur à delectu totidem [k] è singulis nationibus virorum; causatus, aliter Italicam, vtpote tam plenam ac validam, adeò reliquas superaturam, vt ea tantummodò conficerentur quæ illi placerent, cum libertatis boniique communis offensa. Legati omni studio conati sunt hanc coniunctionem

[k] Litt. Legat. ad Borrom. 19. Iul. 1563.

1563. nem euertere;ac primò quidem ab ea seiunxerunt Lusitanum Oratorem, virum Religionis apprimè studiosum, sed pacato, non contentioso studio præditum. Præterea statuerunt, etiamsi Oratores ad id petendum conuenirent, ipsis viriliter obsistendum esse, ob grauissimas rationes alibi commemoratas, numerandi per capita, non per nationes, suffragia: præsertim cùm interior conscientia, & exterior euidentia, æquè pro Legatis testarentur in anteactis disciplinæ legibus rem fuisse peractam, nullâ habitâ peculiari Italiæ ratione, & re ipsâ nihil Patres exteros ea de re conqueri.

Itaque de ijs omnibus Pontifex certior factus, Nuntio in Hispa- 9
nia [l] significauit, vt prudenter suas cum querelis preces ad Regem deferret, vt ipsi celer exitus cordi esset; ita tamen, vt eiusmodi precibus Pontifex haud obstringeretur ad regia responsa præstolanda, vt quæ non certa, sed eadem tarda præuidebantur; & eodem tempore Legatos hortatus est, vt nullâ cuiuspiam habitâ ratione progrederentur; simulque negarent, Pontificem denuò daturum operam aut per se, aut per alios, ad Protestantes inuitandos. Si opportunum Cæsari videretur id agere, in ipso à Pontifice rem reponi, sed absque celeritatis detrimento. De Hispani studio, quo Oratores consociabat ad ea postulanda, significauit Legatis, vt animaduersis aliorum molitionibus, suas ipsi machinas honestè opponerent; qua in re nec se pariter otiari, cùm impenderet operam, quò Venetis Oratoribus, & Florentino (tum Ioanni Strozzio [m] Hieronymus Gaddius Episcopus Tortonensis suffectus fuerat, qui nouam Orationem non habuerat, quia successerat, non primò aduenerat) imponeretur ab ipsorum Principibus, vt obsisterent cuicumque detrimento, quod aduersus consuetudinem, Religionem, & etiam Italiam tentaretur. Prætereà litteras scripsit; quibus Oratori Lusitano grates agebat, ad ipsum inflammandum; sed Legatos monebat, auxilium potissimum à Lotharingo ac Ferrerio ipsis expectandum. Lotharingus inuitanti Pontifici se venturum responderat, omnem operam pollicitus, sicuti mox narrabitur: ac de Ferrerio studuerat Gualterius suspicionem ex animo Pontificis abstergere, scribens [n], habitam à se diutius fuisse consuetudinem cum eo & in Gallia & Tridenti, & quidquid ille egerat, diligenter obseruatum; & quamquam aliquâ de rebus mortalium experientiâ instructo, ne vmbram quidem simulationis in eo deprehensam, paucosque ita studiosos Pontificis à se repertos. Quod tametsi Gualterio non rei veritas, sed hominis ars, & amor negotij à se agitati persuaserat [o], certum est, id temporis Ferre-

l Constat ex litteris Borrom ad Legatos, & ad Moronum 4. & 7. Augusti, & ex alijs suprà adductis.

m Diarium 20 & 27. Iul. 1563.

n Litt. Gualt. ad Borrom. 16. Iul. 1563.

o Litteræ arcanis notis Borrom. ad Moronum 4. Augusti 1563.

Ferrerium adiumento fuisse Pontifici, qui pignus ad ipsi fidendum obtinebat. 1563.

10 Non tamen Ferrerius eiusque collega cessabant studiosè iura sui Principis sustinere; itaque post Sessionem adiere Legatos cum duplici querimonia. Altera præter omnem expectationem ipsis accidit, nimirum, fuisse prætermissos thuris ac pacis ritus, alioquin adeò celebres, vt satis appareret, per eam prætermissionem intendi, ne indicaretur sui Principis prærogatiua. Legati admiratione pleni responderunt, de ijs omnibus anteà cum Lotharingo se conueniisse: sed statim intellexerunt, velle solùm Gallos suum assensum legitimum in ea re dissimulare, adeoque sollicitudine liberi addiderunt Legati, pene subridentes, rem factam infectam esse non posse, & ab Oratoribus patienter tolerandam. Pro consuetudine iam inducta inter summos viros, vt inuicem colloquantur tamquam personæ comicæ in scena per mutuam notitiam mutuæ fictionis, per quam à mendacio absoluantur.

11 Altera querimonia verior fuit, quòd lecta non fuisset in Sessione contestatio, ab ipsis Oratoribus habita in cœtu de sede extra ordinem Lunensi concessa. Id excusarunt Præsides; causati, quòd cùm Lunensis haud petijsset, vt antecedens ipsius contestatio legeretur, nec pariter opportunum fuisse visum subsecutam Gallicorum Oratorum legi; sed quò ipsis fieret satis, oportuit, vt eisdem promitteretur, vtramque typis impressum iri cum Sessione: idque comprobatum à Pontifice; apud quem Galli haud omiserant eamdem agere scenam de prima querela p. Sed ipse liberum extra scenam responsum reddiderat; Se procul esse, ipsi verò inter se nodos quibus se implicauerant, exoluerent.

p Litteræ Borrom. ad Legat. vltimo Iul. 1563

12 Vt operi finem imponerent celeriter, incumbebant Legati ad id, cuius præcipuè gratiâ illud cœperant, hoc est, ad disciplinæ reparationem. In quo Pontifex suam exercebat auctoritatem, non ad eos retinendos, sed stimulandos, hisce verbis per Borromæum ad eosdem scriptis: *Cùm emendationis argumenta sint ea, quæ Principes vrgent supra reliqua, optat Pontifex, vt in hæc neruis omnibus insumant operam, cuncta honesta in his indulgentes Principibus, quæcumque ipsi cupierint; cùm omnino statutum Pontifici sit, velle & pluſquam velle hanc emendationem eâ ratione, quæ ad obsequium Dei, & vniuersale bonum expedire vobis videbitur. Quod mihi placuit hic dicere, non modò quo rectam Pontificis mentem testificarer, de qua compertum mihi est vos esse certissimos; sed ne tempus teratis amplius in petendo hinc consilio, eoq; citius expedire vobis liceat id quod supereſt, & ad gloriam ac laudem Dei recepti*

1563. *ptui canere.* Quapropter ad id peragendum priùs Lotharingo, dein Oratoribus ostensa fuerant capita parata ad futuram Sessionem, quò antegresso ipsorum consensu cuncta in generali conuentu concorditer succederent. Quadraginta duo [q] fuerunt capita, & eiusmodi ponderis, vt euellerint tandem ex animis Oratorum opinionem, quæ illis infixa adamantinis clauis anteà videbatur, videlicet, opus quo grauiora reformarentur, in solum modulum esse abiturum, propterea quòd ipsa fabrica reuerà odiosa foret tum Pontifici, tum Legatis; qui memorata capita ad ipsum misere, declarantes, id à se fieri, quò de euentis edoceretur, non quò responsum expectarent, cùm vellent re ipsa exercere potestatem sibi traditam, & confirmatam toties à Pontifice, statuendi vnà cum Synodo quidquid opportunius censuissent. Quin etiam nec ipsi narrare præterierunt, cùm in præterita Sessione decretum fuerat, vt singula in singulis diœcesibus Seminaria instituerentur; fuisse qui vellent apertè pronuntiare, vt vnum etiam Romæ institueretur; sed ab ipsis moderatâ quadam ratione id præpeditum fuisse, ne quid Synodus Romæ præscribere videretur, pollicitis tamen, à Pontifice erectum iri pro sui gradus dignitate. Quare illum rogarunt, vt ipsorum promisso confestim responderet effectus.

[q] Epist. Legat. numerat. 44. ex errore, vt constat non solùm ex Actis Paleotti, sed ex responso Borromæi ad ipsam epistolam, 11. Augusti 1563.

Pontifex ad capita sibi missa, à Borromæo responsa huiusmodi reddi voluit per expeditum tabellarium [r], *Non vult amplius Pontifex quemquam consulere de capitibus memoratis, nec de reliquis, quæ istinc mittentur in posterum; siquidem certò scit, ob ingeniorum varietatem numquam nos conuenturos, & indies magis dissensuros: adeò autem necessaria est Synodi absolutio ob causas plurimas sæpiùs scriptas, vt nihil quod eam retardet, possit, vt nos arbitramur, culpâ grauissimâ carere. Maximum in rebus omnibus quod fieri possit bonum, & minimum malum peragite, atque hoc animo progredimini, quo quàm celerrimè deueniatis ad exitum Concilij; quod Pontifici videtur potiùs absoluendum solemniter, quàm suspendendum, cùm id maius Dei obsequium, maior noster honor ac dignitas ab ipso putetur: & vbi res eò deductas animaduertetis, vt sancitis posteà dogmatibus, confectisq; iam dictis disciplinæ legibus, opportunum absoluendæ Synodi tempus arbitremini, & vobiscum maior Patrum numerus consenserit, dicit Pontifex, vt nullâ ratione habitâ reluctantium, nec vllis deterriti minis cuiusuis hominis, finem imponatis.* Et post hæc addidit Pontifex epistolam suo chirographo [s], eadem confirmantem.

[r] Litt. Borrom. ad Legat. 11. Augusti 1563.

De Seminario iam ipse per Borromæum significarat [t], cùm primùm proposita Tridenti Seminaria accepit, adiectum à se animum ad id Romæ perficiendum, sicut breuî præstare intendebat,

[s] Epist Pontif. ad Legatos, 14. Augusti 1563.

[t] 14. Augusti 1563.

14

ac

ac posteà præstitit, cum ea non Romanæ solùm iuuentutis, sed Italiæ vniuersæ vtilitate, quam ostendunt egregij viri, qui frequentes ex huiusmodi palæstra ad huius Prouinciæ, & Ecclesiæ decus prodiere. 1563.

15 Non tamen satis erat tam promptus Pontificis animus, quo regionibus Christianis satisfieri cupiebat, quin tunc vt maximè adeò restiterunt summorum Principum Oratores, sicut subinde lectores animaduertent, vt felix exitus opus diuinitus præstitum visum fuerit Legatis. Initio agitati cum Oratoribus negotij de morum correctione, illicò retardatum est iter ob oppositum quasi isthmum, iam præuisum: nam eorum complures postularunt id quod Lunensis proposuerat, vt fieret Patrum delectus habitâ Nationum ratione. Illi contrà oppositerunt rationem, vsum veterrimum, & insuperabilem difficultatem obtinendi consensus à Synodo; & præter Lusitani, Oratorumque Italicorum auxilia, ad se traxere Drascouizium, ac propemodum Muglitium, cùm vtrique compertum esset, iam Moroni operâ Cæsari verum innotuisse; sed ambo denuntiarunt, cùm ipsi haberent in mandatis, concordes omnino cum Oratore Hispano se gerere, posse quidem studere se illum ab incepto remouere, non autem destituere, vbi ipse persisteret. Tamen quà rationibus, quà industriâ, præcipuè verò quòd Galli haud reuerà volebant quod cum Hispanis postulare videbantur, effectum est, vt Hispani consenserint id temporis antiquæ consuetudini, per quam singuli Oratores ad proposita capita propendebant, addentes quod opportunum proprijs Prouincijs existimassent.

u Litt. Legat. ad Borrom. vltim. Iulij, & mandata Gualt. tradita à Morono, infrà afferenda.

16 Inter articulos de duobus magis arduè disputatum est: alter fuit de irritis declarandis matrimonijs clandestinis. Agnoscebantur immensa detrimenta, quæ inde nascebantur, dum vir ex pœnitentia nuptiarum, quas occultè contraxerat, plerumque ob impetum inconsultæ appetentiæ, aut ex cupiditate alterius thori, & illectus ad priores negandas ab ipsa notitia quòd illæ probari non possent, præceps ferebatur ad secundas, quæ vt cum honestiori familia, ita publicè celebrabantur; adeoque posteà perpetuus adulter viuebat, ad id coactus cùm recentium affinium reuerentiâ, tum ac multò arctius à præsumptionibus exterioris fori; in quo cùm prior contractus haud appareret, posterior pro legitimo censebatur. Idcircò Oratores Galli, quorum regna fortassis hoc incommodum frequentius nocentiusque patiebantur, vigesimo quarto Iulij à Concilio Regis nomine solemniter petierunt, vt huiusmodi matrimonia in posterum irrita decernerentur, renouatis antiquis nuptiarum ritibus:

x Acta Arcis Æliæ, tomo vltim. pag. 7.

1563. tibus: quod si graui de causa interdum aliter fieri opportunum censeretur, saltem matrimonia pro non legitimis haberentur, quoties non adesset Sacerdos cum tribus aut pluribus testibus: simul etiam redderentur irrita matrimonia contracta à filijs absque parentum consensu, quippe plerumque noxia, ac familijs indecora, & odiorum potiùs quàm amoris fomes inter coniuges. Verùm quò simul remedium adhiberetur parentum socordiæ in filiorum statu curando, certus annorum numerus præscriberetur, quo absoluto si nondum filius à parente in matrimonio fuisset collocatus, fas illi esset per seipsum vxorem ducere.

Hoc postulatum Gallorum, quod certè solemne fuit, & in Acta relatum, omnino mutilatur à Suaui. Dum silentio præterit, eos petijsse vt irrita declararentur coniugia clandestina, narrat, eosdem quæsijsse, vt esset liberum parentibus irrita aut non irrita reddere filiorum matrimonia, & omittit limitationem temporis ab illis appositam. Hac in re non modica efferbuit disputatio tum de Ecclesiæ potestate, tum de opportunitate illius legis. Pontifex pro eo quod apud se iam statuerat, scribi iussit ad Legatos [y], vt id conficeretur quod opportunum putarent: se quidem adeò abhorrere à mulierum raptu, vt animo meditaretur Decretum huiusmodi, quo numquam posset verum matrimonium contrahi inter raptorem ac raptam, idque restitutionem antiquorum Canonum fore; sed velle pariter hoc illis committere. 17

y Litt. Borrom. ad Legat. 4. Augusti 1563.

Alter articulus, admodum arduus, agebat de collatione Sacerdotiorum, animarum procurationem complectentium. Etenim Episcopis rationi consentaneum videbatur, vt in his nulla Pontifici seruaretur mensium retentio, sed cuncta ipsorum potestati relinquerentur, vt qui idoneos in Diœcesi meliùs cognoscerent. Pius satis intelligebat [z], & quantum id sibi detraheret, & vbi rei deliberatio Tridentinis Patribus remitteretur, ipsos pro se decreturos; noluit tamen vt obex ille cursum Synodo retardaret, sed cœpit etiam aperire, triplici temperamento Legatis proposito. Primum erat, Vt cuncta sacerdotia, animarum curâ affecta, quocumque vacarent mense, ad Episcopos ita spectarent, vt pariter cuncta sacerdotia simplicia ad Pontificem pertinerent. Alterum, Vt, quemadmodum sæpè scripserat Borromæus, darentur ea sacerdotia non alio modo, quàm *in forma dignum*, Datariæ vocabula: ita nimirum, vt illud impetraturus, coram Ordinario probaret se dignum esse. Vbi neutrum acciperetur, ad tertium descenderent, videlicet, Vt Pontifex conferret cuncta Paræciarum Sacerdotia, ipsius mensibus vacan- 18

z Litt. Borrom. ad Legatos, vltimo Iulij 1563.

vacantia, solùm dignis viris, & ex ipsa diœcesi, quorum syllabus ab Ordinarijs ipsi mitteretur. His oblatis ratus est Pontifex, Episcopis in ea re satisfactum iri; ex hominum consuetudine, vt cùm bona quædam litigiosi pars offertur homini nihil possidenti, extinguatur in eo sæpe cupiditas, quamuis possit, suâ manu cuncta capiendi; cùm hominibus, præsertim togatis, videatur ingenti pretio parcere in noua rerum adeptione, cùm certamini parcunt. 1563.

CAPVT II.

Obductæ in Lotharingo vmbræ ob propositas emendationis leges. Variæ in eo suspiciones in Moronum, sed disiectæ. Eiusdem responsum inuitamento Pontificis. Gualterius Romam missus, & mandata ipsi tradita à duobus memoratis Cardinalibus. Iussa Pontificis post aduentum Gualterij, de fiducia cum Lotharingo & Madruccio exercenda; de celeritate, tametsi Lunensis repugnaret; & alia iussorum capita.

1 CIbus tam sæpè tam auidè petitus & repetitus stomachos primo gustatu turbauit, non composuit. Capita emendationis a Legatis communicata cum Lotharingo, ac posteà cum Ferrerio, licuti pariter cum ceteris Oratoribus, graui molestiæ duobus prioribus fuere [a], cùm ipsis videretur reculari ac despici suum consilium & oblatam opem ad absoluendam Synodum absque tanti temporis nouarumque sanctionum impendio. Et ex altera parte Lotharingo non licebat honestè repudiare quod tam sæpè postulârat; nec indicare, vniuersalem restrictionem à se molestè ferri, cùm aliquis ex articulis ipsum complectebatur. Quamobrem dum scriptum illud accepit à Paleotto, non nisi [b] languorem insolitum præ se tulit, ac postmodum ea capita comprobauit; addiditque, subridentis in modum, complurium annorum laborem superesse. Apertius ipse palàm fecit, seu potiùs communicauit ægrimoniam Ferrerio, qui consimiles sensus gerebat, & à quo Gualterius id resciuit; nequiter nauari operam Pontifici, debitam illi auctoritatem ab ipso non obtineri: Moronum, & fortasse Simonettam, proposito tam arduo argumento, nonnisi post longissimum tempus concoquendo, obsecundare Hispanorum voto: ab vnico Nauagero & agnosci & promoueri verum Pontificis bonum: non posse Gallicanos Episcopos diutius detineri procul ab ipsorum Ecclesijs egentissimis: nimis frigidè timideque Moronum progredi ad

a Arcanę notæ Gualt. 17. 18. & 19. Iulij 1563.

b Litt. Vicecomitis ad Borromæum 19. Iul. 1563

1563. ad celeritatis consilia, à Ferrerio & à se proposita, dum cunctorum Principum consensum exquireret: scripsisse illum quidem non in Galliam modò, sed etiam ad Episcopum Rhodonensem, Gallicum Oratorem apud Cæsarem, quò Ferdinandum ad consensum impelleret; sed in re peragenda pendendum non esse à cunctorum assensu, difficulter flexibilium. Ita Lotharingus.

Adeò breuî mortalium scenæ tum in actibus tum in dictis variant, personis minimè variatis. Pontifex, cui Philippus Rex vnicum erat columen in Concilij rebus, quique vt ipsi gratificaretur, ad Gallorum animum quasi vulnerandum adductus fuerat, tunc animaduertebat, compelli se vt in eo negotio Gallos quasi pro brachio, Hispanos pro obstaculo haberet. Ex altera parte, priùs Hispani dehortabantur ne Protestantes denùò inuitarentur; tunc verò id ipsum in Synodo Hispanus Orator postulabat. Galli, & Ferrerius potissimè, qui tam acutis contestationibus, & priuatis & publicis, Pontificem transfoderant, perinde ac si Ecclesiæ is deesset in retardandis declinandisque disciplinæ legibus, nunc ipsum quasi prodigum in ijs concedendis vituperabant; & vbi anteà tot vociferationibus contra Pontificem Legatosque Synodi libertatem implorabant, simulque querebantur, nihil confici posse absque Romanis oraculis, progressi erant tum ad Pontificem reprehendendum, quasi malè cautum auctoritatis suæ custodem, nimisque largum ad eam Legatis impertiendâ, tum ad Legatos incusandos, tamquam in eius vsu nimis liberos, parumque intentos sui Principis indemnitati.

Hæ cunctæ mutationes originem trahebant à Gallorum mutatione, quæ in Hispanos suspicionem iniecit, quasi ijdem Galli suis tantummodò prouincijs personisque consulere studentes, vellent Pontificem trahere ad communis boni stamen præcidendum. Itaque Lunensis obsistens rerum expeditioni, quam ipse præcipitationem, Pontifex verò contentionum tranquillitatem, securitatemque periculorum Ecclesiæ putabat, cœpit moras texere, propositis rebus repugnans, adeoque à Pontifice alienus. Porrò Gallorum variatio adscripta quidem fuit honorificè [e] à Lotharingo nouis Reginæ mandatis, finem Concilij; eorumque reditum cupientis: sed reuerà magni ad id momenti fuit, quod spectabat ad Ferrerium, gratia, quam ille sperabat à Pontifice, vbi is malaciam ab inuentione atque opera sua profectam intelligeret: quod verò spectabat ad Lotharingum, cupiditas illius splendidæ legationis, quâ fortasse confidebat, se tum Galliæ tum Ecclesiæ ingentia bona per summum gloriam collaturum.

[e] Litt. Vicecomitis ad Borromæum 22. Iul. 1563

Pontifex

Pontifex, qui sensus vtriusque intimos callebat, ad Legatos scripsit: Vehementer à Gallis eam abscissionem optari, tametsi eosdem puderet illam petere; idcircò ipsis satisfieri oportere: quod si etiam reliqui Principes non abscindere, sed terminare Synodum vellent, non paruo futuram fuisse emolumento pacatam Gallorum dimissionem: ratus fortasse, illis abeuntibus desituram in Synodo ingentem turbidarum petitionum vexationem, durumque obicem, obsistentem auctoritati Sedis Apostolicæ, quam omnes reliqui fatebantur. Aliquid etiam peculiarius indicauit Morono de mente, vt dicebatur, à Lotharingo patefacta super emendationibus sibi significatis, quò ille certiùs verum pernosceret. Moronus, cùm [d] resciuisset, Lotharingum haud plenè beneuolenti erga se animo esse, propterea quòd ipse non ita frequenter illum inuisebat, neque cum illo negotia communicabat, sicuti Mantuanus, cœpit aliter se gerere. Vnde Lotharingus, æquè ad iracundiam ac ad beneuolentiam procliuis, adeoque tam ad alienationem quàm ad reconciliationem facilis, benè animatum erga Moronum se habuit [e], resposditque epistolæ Pontificis, à Musotto acceptæ, summâ gratiarum actione redditâ, suâque operâ ampliter oblatâ: Numquam se desiturum ab omni conatu, quo posset sanctæ Sedi prodesse, non solùm apud Patres, sed etiam apud eos Principes, qui sibi aliquid fidebant; ex quo Pontifici liceret apertè cognoscere, fiduciam & amicitiam, à se cum illis exercitam, eò spectasse, vt posset ipse Pontifici deseruire. Inuitationem à se quidem excipi, sed cum animo itineris retardandi vsque ad medium Augusti, cùm audiret, profectionem ante illud tempus ex aura frigidula Tridentina ad Romanos calores sibi periculosam futuram. Præterquam quòd optaret, priùs res ita progressas animaduerti, vt posset ad aures Pontificis afferre citra dubitationem ea, quæ diuinæ gloriæ, & Christiani nominis, ac præsertim Galliæ bono profutura œnseret. Altero post hoc responsum die Gualterium [f] Romam misit, cui tamen litteras fidei conciliatrices tradere noluit [g], quia fortassis apertus, sed suspicionsus Lotharingi animus plus illi concredebat quàm eidem confideret: ipsi tamen permisit, vt scriberet commentariolum mandatorum, quæ à se coràm acceperat; quod pariter concessit Moronus.

1563.

Prioris commentarij hæc erat sententia [h]: Lotharingum præstolari responsa ab Gallia & à Cæsare de consilio Pontifici à se proposito, quæ planè peruentura erant quo tempore se in vias daret. Dedisse negotium Lansaco, vt regios sensus exquireret, etiamsi rei

[d] Constat ex litteris citatis Gualterij 17. 18 & 19. Iulij, & ex mandatis à Lotharingo traditis Gualterio.

[e] Litteræ Lotharingi ad Pontificem 22. Iulij 1563. in citato libro Gallico.

[f] Litteræ Legatorum ad Borrom. 22. Iulij 1563.

[g] Scriptum Vicecomitis ad Borrom. 22. Iulij 1563.

[h] Vtrumque extat inter monumenta Gualterij.

1563. propositæ Cæsar haud assentiretur; sed Galliæ statum adeò tunc esse turbulentum, adeoque fluctuantem, vt responsionem firmiter prænuntiare sibi non liceret. Velle se Romam adire plenis manibus, hoc est, cum certa notitia animorum omnium Principum. Scripsisse se prævalidâ formâ ad Regem Catholicum, quâ efficacem sperabat; non ita tamen, vt responsio profectionem suam anteuerteret. Quidquid accidisset, statuisse apud se reuerti in Galliam, quò à cunctis catholicis aduocabatur; nec adeò morari, vt ab hieme Tridenti deprehenderetur; atque ad id pariter coactum iri Præsules Gallicos. Singula temporis momenta impendi à se in excogitanda ratione, quâ Pontifex honestè ex eiusmodi molestijs ac periculis eximeretur; præcipuè cùm experimento comprobasset, ipsum in reformanda disciplina longe seueriorem esse, quàm alij cupiebant. Proinde se confidere, Hispanos se inducturum, vt rebus rationi consentaneis acquiescerent: sed duo à Pontifice se petere; alterum, vt hilaritatem & haberet & præ se ferret, securus operæ & Moroni Cardinalis & suæ: alterum, vt voluntatem absoluendæ Synodi occultaret. Gualterio committebat, vt amplis laudibus Legatos, Moronum præsertim ac Nauagerum, exornaret: vt spem faceret, celebratum iri Sessionem ante præscriptum diem: vt exponeret, à se percupi, vt matrimonia clandestina irrita declararentur. Pontificis opinionem firmaret de propenso ipsius suorumque Præsulum animo ad tuendam Pontificiam auctoritatem, à qua fatebantur suam ipsorum pendere; affirmans, huisce præcipuæ rei gratiâ Gualterium mitti, quoniam conspicabatur malignam multorum operam ad infuscandam in Pontifice hanc de ipso fidentiam. Demum insinuabat: Tametsi per scriptum Morono traditum, de memoratis consilijs exquisiisset assensum Regis Catholici, non tamen omnino necessarium à se putari.

Mandatis Moroni, à Gualterio scriptis, hæc præcipuè continebantur: Opus esse vt in posterum Pontifex ageret cum Lotharingo tamquam cum quinto Legato; in rerum summa ipsis demandans, vt consiliorum omnium participem illum facerent, quandoquidem ipsum & voluntate optimum, & auctoritate maximum experiebantur. Quin ibi reuocari à se in memoriam ipsorum sententiam, quam Romam scripserant, vt idem Legatus remitteretur Tridentum. Pertractos à Morono ad se fuisse duos Oratores Cæsareos Ecclesiasticos, maxime verò Drascouizium. In magnas offendi difficultates in collatione sacerdotiorum, cùm videretur Episcopis, vt quando ipsi obstringebantur ad habenda tot examina in Parœcia-

rum

rum distributione, id rependeretur à Pontifice, dimissis à se aliqua ex parte Canonicatibus,& in illos translatis; & ipsorum plerosque haud rationi consentaneum arbitrari, vt pro Paræcijs diplomata Romæ caperentur. Varia ad hæc proponebantur temperamenta, præsertim verò id quod tertio loco à Pontifice oblatum est, vti diximus. Amplissimè testificaretur Gualterius, quantum Boncompagni ac Paleotti opera prodesset. Sperari, actum etiam iri de corruptelis & oneribus, quæ à Principibus laicis proficiscebantur, idque absque ipsorum offensione, & non absque effectu: esse in animo, vt post Gallorum discessum Pontificis auctoritas secundùm Florentinam Synodum declararetur: vti pariter nomine Concilij aliquis ex Patribus in Hispaniam mitteretur, conquesturus Hispaniensium Episcoporum cunctationem, Regemque rogaturus, vt expeditioni operam daret. Non posse Moronum Tridenti persistere futurâ hieme, si tam diu perduraret Concilium. Paratam Præsulum manum habendam esse Pontifici, quam eò mitteret, vbi Transmontani coniunctim res rationi dissentaneas agitarent. Hæc erant vtriusque mandati capita. 1563.

7 Romam peruenit Gualterius ineunte Augusto:& ad perficienda consilia,per illum à primo Legatorum missa,hanc epistolam ostendendam scripsit Borromæus: [i] *Ea est animi voluptas & alacritas, quâ Pontifex afficitur ob res piè gestas à Lotharingo in religionis negotio; vt cùm in præsentia non possit eam melius exprimere, me iusserit ad vos scribere, vt cœptis insistentes, nihil agitetis aut faciatis ad Synodum spectans, cuius ille particeps non sit, cum eo communicantes singula, & grandia & paruula, omni sinceritate ac fiduciâ; atque ita cum eodem agentes, ac si nec plus nec minus vnus è Legatis esset. Quod si quid aliud vobis occurreret, quo positis illum certum reddere beneuolentiæ quâ ipsum prosequitur Pontifex,& desiderij quo tenetur remunerandi ipsius egregia opera quouis officij genere, compertum habete, gratissimum Pontifici fore, vt id omni bonæ sinceræque voluntatis significatione peragatis.*

[i] Epist Borr. ad Legatos 4. Augusti 1563.

8 Sed ne honor & gratificatio vni exhibita, despectio molestiaque alterius euaderet, altera similiter eodem die epistola conscripta est ad speciem, in qua multum æstimationis honorisque significabatur de Madruccio Cardinali, & iniungebatur Legatis, vt ipsum plurimi facerent, eique admodum confiderent. Hæc autem non perinde splendida ac ampla erat ac prior. At verò probatum Pontifici non est, vt Synodi nomine Præsul mitteretur in Hispaniam: [k] sed præcepit, vt coniuncti haberentur qui ex alijs nationibus erant,ac præcipuè Galli; adiecitque,Tametsi impatienter ipse cupe-

[k] Varię litteræ Borrom. ad Legatos & ad Moronum 4 & 7. Aug. 1565.

1563. ret videre atque amplexari Lotharingum, à se tamen conspici, quid momenti conferre posset rerum summæ eius præsentia vsque ad futuram Sessionem. Eapropter, vbi eam Legati necessariam existimarent, id illi proponerent; ita tamen, vt is animaduerteret, ipsos non nisi æstimatione ac fiduciâ ipsius operæ moueri; atque vt illius arbitrio electio remitteretur. Quin Pontifex præterea voluit, vt à Borromæo ea de re ad illum scriberetur [l]; & ipse posteà suo chirographo ad eumdem scripsit [m], studiosè grates agens ob res optimè ab eo gestas, proponensque ne discederet, donec Synodo finem imponeret. Verùm Lotharingus, quamquam rei propositæ causam lætus exciperet, tamen præ se tulit animum discedendi, saltem post proximam Sessionem, præsertim cùm acceptis Reginæ litteris ea profectio comprobaretur; & quemadmodum arcanis notis scripsit Moronus ad Borromæum [n], reuerti in Galliam ille festinabat.

l Litteræ Borrom. ad Legatos 7. Aug. & Legatorum ad Borrom. 16. & 19. Aug. 1563.

m Litteræ Pontificis ad Lotharingum, missæ ad Legatos 14. Augusti.

n Apparet ex responso Borrom. ad Moronum, 17. August. 1563.

Sed ad Pontificis mandata redeamus. Vbi reliqui Episcopi (aiebat ille) de progressu & exitu Synodi conuenirent, aut Hispani diuinum afflatum accepturi erant ad consentiendum, aut certè verecundiam passuri, quòd reliquis obsisterent, animaduertentes, se communi hominum iudicio damnatum iri. Idcircò præcipiebat vt promoueretur, nullâ vllius habitâ ratione, ac maturaretur præscripta Sessio, sicuti Lotharingus spem faciebat imponendi rebus agitatis finem, antequam ex Hispania responsa redirent. Etenim tametsi propitia præstolanda essent, cunctique regij administri Romæ degentes operam ad id suis litteris impendissent; tamen aliter etiam euenire poterat: quod si accideret, longè feruentius impugnasset Lunensis rerum expeditionem quàm in præsentia, dum à regijs mandatis non succendebatur, simulque reddebatur tepidior ab incerto futuræ comprobationis euentu. Esse nonnemem nec plenæ omnino auctoritatis, nec omnino aspernandum, qui significarat (& epistola mittebatur ad Legatos, quò eam expenderent) Cæsari finem Synodi haud probari: quod vbi verum esset, ab eo facilè pertractum iri in eamdem sententiam Regem fratris sui filium. Quod si Cæsar Synodi suspensionem vellet, postquam Pontifex sua cuncta studia insumpsisset ad eam absoluendam, se ad suspensionem flexum iri, quo huiusmodi molestiâ liberaretur. Verùm ad huius epistolæ calcem, nomine Borromæi scriptæ, Pontifex, quasi postremæ clausulæ eum pœnituisset, adiecit suo charactere quæ sequuntur: *Quamquam Synodi finis honestior & laudabilior est Christianæ Reipublicæ, ad quod incumbendum est, nec cuius-*

mis

uis ratio habenda, & cunctationes omnes præcidendæ, ne obstaculum vllum ac difficultas offendatur, quemadmodum posità dilatione facile continget, cùm animaduertatur, à cunctis prolationibus detrimentum illatum fuisse; idcircò festinate. Et quoà spectat ad emendationem disciplinæ, cuncta omnino vobis committimus, pleneq; in vobis reponimus, ne huiusce rei causâ desistatis à bona, fructuosa ac celeri huius Concilij absolutione, ad Dei, eiusq; sanctæ Ecclesiæ laudem & honorem. Certum hominem missuri eramus, sed hanc epistolam satisfore putamus: idq; nostro chirographo scribere voluimus, tametsi reliqua nomine Borromei, nostræ sororis filij, scripta essent. 1563.

10 Curauerat etiam Pontifex Morono significandum, vt vbi oporteret Lunensi cedere in expendendo diutiùs [o] Indulgentiarum argumento, liberum relinqueretur cuiuis, seu Theologo, seu Præsuli, de Cruce signatis pro suo arbitratu verba facere, dummodò in eo nec opera nec impulsus aut Legatorum aut Aulæ Romanæ appareret. Et quoniam Lunensis scripserat ad se purgandum, sed simul ad Legatos grauiter onerandos, tum ad Pontificem, tum ad Auilam, à quo epistola Pio fuerat ostensa; vtraque epistola ad Legatos missa est [p] cum litteris Pontificijs, quibus Lunensi respondebatur, vt eas illi redderent, & per hanc opportunitatem congruentem sermonem cum ipso haberent.

[o] Notæ arcanæ Borr. ad Moronum, vltimo Iulij 1563.

[p] Litteræ Borrom. ad Legatos 4. Aug. & responsum Legatorum ad Borrom. 12. & 16. Aug. 1563.

11 De subsidio aliorum Præsulum mittendo [q], existimare Pontificem, posse à se viginti submitti; sed id seminimè facturum, nisi admonitum à necessitate, & ab eadem defensum. Ad reliqua capita mandatorum, quæ diximus, responsa vel à nobis suprà indicata sunt, vel necessaria id temporis habita non sunt, sicuti neque necessaria fuit peculiaris responsio ad monita Lotharingi.

[q] Litteræ Borrom. ad Moronum, 4. Aug.

Ex huiusmodi mandatis & consilijs, quæ frequenter adduco, & quæ tamquam optimus succus expressa sunt ex sapientissimis illius ætatis ingenijs, licet inter cetera documenta imbecillitatem humanæ prouidentiæ arguere; cùm posteà compertum fuerit, ab ijs quæ haud præcognita contigerunt, falsas fuisse redditas pleraque prædictionum, & irritas pleraque industriarum. Id verò cunctis ferè huius vitæ artibus commune est; pleraque seminum exarescunt, pleraque iaculorum haud feriunt, pleræque cogitationum fallunter, nec idcircò emolumento sunt vacua: nam abundans vtilitas, quamuis rara, multis partibus compensat parum noxiam inutilitatem, quamuis frequentem.

1563.

CAPVT III.

Lunensis sermo ad Legatos de Præsulibus destinandis emendationi disciplinæ, habito nationum respectu in eorum numero; & de ijs, quæ ipsis apud Pontificem imputarat; & de Principibus laicis reformandis. Legatorum animaduersiones de suspensione aut absolutione Synodi. Noui Lunensis motus. Oblata amplissima à Venetis Oratoribus. Sententia Patrum selectorum, ad absoluendum Grimanum Patriarcham lata.

DVm hæc Romæ agebantur, detulerunt Oratores varias appendices mutationesque, à varijs expetitas in digestis ac perpensis morum correctionibus; quarum rerum syllabum arbitror molestiæ futurum lectoribus, non infinitarum rerum propositarum notitiam, sed præcipuarum, quæ discussæ sunt, cupientibus. 1

[a] Litteræ Legatorum ad Bottom. 6. & 8. August. 1563.

Inter Oratores Lunensis vetus postulatum ardentissimè iterauit [a], vt pro singulis nationibus par Patrum numerus designaretur, qui Canones concinnarent, & sententias colligerent. Nec Præsides remissiùs obstitere, clypeum illum attollentes, quem validissimum experiebantur aduersus varia Hispanorum vehementia postulata in huiusmodi contentionibus, hoc est, contrariam consuetudinem non solùm reliquarum omnium Synodorum, exceptis aliqua ex parte Constantiensi ac Basileensi, sed eiusdem Tridentinæ sub Paulo ac Iulio. Quapropter cùm adeò vrgeret Rex, vt tres illæ conuocationes tamquam vna Synodus declararentur, & præsens tamquam preteritarum continuatio, postulandum non esse ab Regio Oratore, vt prætermitteretur, ac tacitè damnaretur mos in ipsis adhibitus. Id si fieret, ansam porrectum iri ad impugnandas Constitutiones firmatas non solùm illis temporibus, sed etiam post postremam conuocationem, quasi modo non legitimo sancitas; ac proinde ad euertendum funditus illud ædificium. Vsque adeò præmeditari oportet in ciuilium rerum tractationibus, perinde ac in disceptationibus scholasticis, quidquid ex vniuersali quodam principio sequitur, antequam ad ipsum affirmandum deueniatur. Adiecere, Italiam non itidem atque Hispaniam & Galliam ab vno Principe possideri, sed à pluribus, cunctisque in pretio habendis; adeoque fieri non posse, vt destinato modico Italicorum Episcoporum numero, suam quisque partem ex Italicis Principibus sibi debitam obtineret. Denique, vti conflatis tribus quartis Concilij partibus ex Præsulibus Hispano Regi subiectis,

subiectis, mirum esse non debebat reliquis coronatis Principibus, obtineri ab illius Episcopis maiorem quàm ab ipsorum Episcopis potentiam; ita cùm Synodi maior pars Episcopis Italicis constaret, iniquum haud existimandum reliquis nationibus, si prævalerent Italici, pro eo quod accidit in cunctis corporibus; cùm præsertim singulorum membrorum postulata propositionesque audirentur. Hoc colloquium non sine verbis immoderatis, & non plenè circumspectis ex parte Lunensis habitum est. Et quoniam is affirmabat, in eo postulando regnantium ministros, & Lotharingum etiam conuenire, Legati ne id verum esset veriti (non quidem ex præsenti Gallorum Oratorum voluntate, sed ex antiquis mandatis, à quibus vtpote à non reuocatis, numquam secedere ausi fuissent) censuere, se ad eam necessitatem redactos, vt sacram anchoram adhiberent: & fidenter responderunt, Antequam nouitatem tam noxiam paterentur, se discessuros fuisse, abrupto Concilio. 1563.

1 Illi colloquio inter Oratorem ac Præsides non adfuerat Nauagerus, quippe infirmâ corporis valetudine. Quare voluit Lunensis cum eo seorsim colloqui; & iteratis ijsdem rebus, de quibus cum collegis disputarat, conquestus est, se dilationis auctorem credi: ad quod refellendum haberi in quadam epistola Philippi Regis, ad se paulò anteà delata, quosdam proposuisse Regi, à Synodi diuturnitate discrimen aliquod inferri posse regijs Priuilegijs; sed parum id Regem laborare, tum quia tam firmiter ea stabilita fuerant, vt nullus esset timori locus; tum quia quidquid euenisset, studium vniuersalis boni, cautioni propriæ vtilitatis à se anteferretur. Quamobrem argumentabatur Lunensis, potiùs ex norma vtilitatis oportere vt à Regis ministris rebus expediendis opera nauaretur; progressum igitur à se neutiquam retardatum iri, dummodò festinatio in solertiam abiret, operâ plurimâ breuî præstitâ, non in socordiam, omissis necessarijs, cui semper omni studio reluctari & debebat & volebat.

Nauagerus, vt hominem adigeret ad se magis purgandum operis fructu, quàm sterilitate sermonum, respondit, Exaudiri quidem de illo huiusmodi famam, ob quam quantâ Nauagerus ipse tristitiâ affectus fuerat, tanto nunc affici solatio ex contraria Lunensis affirmatione; & sanè confidere se plenè gauisurum operis experimento & oblectamento.

3 Hinc sermo conuersus ad Principum laicorum emendationem, quam capita Oratoribus à Legatis tradita continebant. De hac Lunensis dixit, se noluisse in suo scripto respondere; sed videri sibi consen-

1563. consentaneum rationi, vt priùs absoluerentur in Synodo argumenta magis digesta, & adeò ampla, vt nullam temporis iacturam passis Patribus, liceret illud Oratoribus concedere ad captandam notitiam à suis Principibus, primarijsque administris, de consuetudine ac rationibus cuiusque Regni.

At Nauagerus, Duas hasce emendationes seiungendas non esse, quarum vna absque altera nimis eneruis euaderet, nec onera grauissima tolleret, quibus Episcopi querebantur ipsorum potestatem præpediri. Atque ad hanc rem comperio aliàs Moronum dixisse, Dignum non esse, vt reformatis Ecclesiasticis, & prorsus intactis laicis, suaderetur hominibus, eos tantummodò esse deformatos, hos verò intaminatos.

Questus etiam est Orator de anteacta Sessione, obiecitque, Cunctas nationes optauisse, vt declararetur vnde procederet Episcoporum institutio; duas verò nationes, Quibusnam præpolleret Romani Pontificis potestas; nimirum, Italos & Hispanos, Gallis solùm repugnantibus: & tamen priorem fuisse prætermissam, aduersùs quàm omnes nationes; alteram, aduersùs quàm binæ, suffragiorum copiosissimæ, cupiebant. Ad id respondebant Præsides; Quin ex recenti facto confici posse, quantum in ipsis concordiæ amor valeret, quando repugnantia nationis vnicæ, eiusdemque suffragiorum minùs potentis ipsos continuerat, ne res tanti momenti ad Romani Pontificis vtilitatem definiretur: posteà verò eâ omissâ, haud condecens visum esse de minorum Præsulum potestate declarationem haberi, cùm caput præcedere debuisset, de quo Italos cum Gallis conuenisse; adeoque iustæ querelæ causam non suppetere, quòd ex Hispanorum dumtaxat sententia ac voto non fuisset ad eam definitionem deuentum. 4

Non desistebant Legati [r] in ædes Moroni conuenire, duobus reliquis Cardinalibus aduocatis, ibique res ab Oratoribus adnotatas expendebant, quò redigerentur in eam formam, quæ graues in cœtu contentiones declinaret. Verùm accepto interim Româ exemplo litterarum, quas Lunensis ad Pontificem & ad Aulam scripserat, criminationibus in ipsos plenas, quasi per cohortationes, per minas, per pollicitationes suffragia captarent, statuerunt initio acriter cum eo colloqui per eam opportunitatem quâ illi deferenda ab ipsis erat epistola Pontificis, eidem respondentis. Hæc autem dictata fuerat anteà Romæ, multis rationibus referta, adeoque aliquo etiam aculeo spinosa, vt in eiusmodi contentionibus vsuuenit: posteà mutato consilio Pontifex simpliciorem in formam 5

[r] Litteræ Legatorum ad Borrom. 11. 12. & 16. & scriptum Vicecomitis ad eumdem 16 Augusti. 1563.

mam redegit, ac prioris formæ exemplar [c] ad Legatos misit, quò expressos in ea sensus in rem suam adhiberent voce, quæ censuræ minùs est obnoxia, & plus toleratur quàm calamus, cuius opus magis deliberatum, & suâ naturâ magis permanens existimatur. Pontificem imitati, mentem quoque Legati mutarunt: & quoniam consilia minùs ferentia sunt solidiora, maluerunt vt ira ex amore priuato cederet boni publici charitati. Quare non modò suam offensionem dissimularunt, sed quod ipsis à Pontifice suppeditabatur temperarunt, & optimam præ se ferentes opinionem studij in Lunensi, ac vicissim testati, Pontificem inflammato animo ferri ad sanctum illud opus, neque cohortationibus indigere, studuerunt eum certum reddere, se pariter affectos esse, qui diu noctuque nonnisi ad exquirendas planas ac faciles vias incumbebant, quibus ad tot laborum metam Patres deducerent. Ad id cogi ab ipsis frequentissimos cœtus, aliasque operosissimas industrias adhiberi: grauem sibi iniuriam inferri ab eius dictis, qui affirmabat, ab ipsis in suam sententiam indecoris artibus alios pertrahi: suam à se sententiam in Conuentibus haud exponi, vt in comperto erat; & vnicè se in votis habere, vt cuncta per concordiam & animorum coniunctionem peragerentur, arduitate rerum exæquatâ, & dissidijs conciliatis. 1563.

[c] Huius diplomatis summa missa fuit ad Criuellum Nuntium 4. Augusti, & extat in monumētis Gualterij.

6 Respondit Lunensis, Se numquam in animum induxisse, quidquam minùs honestum ab eiusmodi viris confectum; sed fateri, auditas à se fuisse graues susurrationes ob eos priuatos cœtus, qui in ipsorum ædibus habebantur, eò viginti Italis, & duobus solùm Hispanis, totidemque Gallis accitis. Contrà Legati: Cùm ipsorum munus esset, sicuti dixerant, difficultates amouere, & controuersias componere, id effici ab ipsis non posse absque illorum consilio & ope, quos ad hoc idoneos putarent, & absque eorumdem accitu, pro suo arbitratu: vbi etiamsi verum fuisset, Italos longè maiori quàm alios frequentiâ interesse, non tamen id dissonum videri, cùm Synodo centum quinquaginta ex Italis adessent, reliqui verò ex alijs Prouinciis omnino septuaginta: sed ne id quidem actum esse, cùm inducerentur complures ex variis nationibus, ac præsertim duo Cardinales, & Oratores Ecclesiastici Cæsaris ac Regis Poloniæ; & ipsum quoque, si esset Ecclesiasticus, in eos cœtus conuenturum fuisse, visurumque quo pacto & cur conuocarentur. Ex huiusce colloquij tenore liquet, an illud vituperationem mereretur, quâ priuatim Lunensis ipsum carpsit, ex affirmatione Suauis, quòd contradictionem inuoluerit, hoc est, quod Le-

1563. gati tueri cœpissent condecentiam anteferendi plurimùm Italos, posteà verò concluſissent, ostendentes, magno haberi in pretio reliquas etiam nationes. Absolutum est colloquium vtriſque acquiescentibus, cùm polliceretur Lunensis, daturum se operam celeritati, suosque Præsules hortaturum ad moderata comprobanda.

Memoratum colloquium Legatos aliquantulum recreauit, qui 7
Pontifici illud significantes, simul responderunt ad articulum suspensionis, ab illio insinuatum, sed vnà reiectum, dicentes, Ex humanis rationibus posse Principes alieno esse animo à terminatione Synodi, cùm id temporis neque Cæsari, neque Galliæ Regi facile aut opportunum foret gladium in hæreticos educere, pro eo ac videbantur obstringi, vbi primùm terminaretur Synodus, in qua hæretici damnabantur. Etenim cùm ea ipsis postulantibus fuisset coacta, ad eosdem executio pertinebat. Hoc posito, si optimum, in Synodi confectione situm, fieri non posse noscebatur; quò euitaretur pessimum, in dilatione futurum, accipiendum esse minus malum, videlicet suspensionem, dummodò ijdem Principes eam poscerent: Pontifex verò nec esset nec appareret huius consilij motor; quin apertè constaret, ab eo, quod in se erat, nihil operæ studijque prætermissum quò finiretur. Verùm haud ita multò pòst in ipsis & suspensionis meditatio extincta est, & ardor ob verba Lunensis diminutus.

[d] Litteræ Borromæi ad Legatos 11. Aug. & Legatorum ad Borrom. 3. Aug. 1563

De suspensione nouas litteras Româ acceperunt [d], quibus Pon- 8
tifex illam omnino recusabat, iubens eos progredi prout Dei obsequium putarent. Confirmabat, se ne consilium quidem habere velle de emendationis capitibus ad se missis, sed cuncta in ipsorum Synodique iudicio reponere: rebus ipsi prospicerent ex illius voluntate, prout maior pars arbitraretur, à minori minimè retenti.

Hæc Pontifex: sed Lunensis Legatis posteà significauit: Si pri- 9
uatos illos cœtus illi cogerent in posterum, se quoque domum suam conuocaturum cunctos Præsules Regi subiectos, tum Hispanos tum Italos, adiectâ ipsis prohibitione ne Præsidum cœtus adirent. Verumtamen ea denuntiatio quantò terribilior visa est, tantò, sicuti cordatis hominibus sæpè accidit, ex tenui executionis verisimilitudine minori Legatis terrori fuit. Id enim causam præbuisset Synodi dissoluendæ, contra expressam à Rege Catholico voluntatem: præterquam quòd inter se pugnabant hinc querimonia quòd in huiusmodi conuentibus pauci essent Hispani, hinc prohibitio, ne quisquam ex Hispaniæ subditis eò conueniret. Quamobrem Legati leni responso reddito consuetudi-

nem

nem suam reipsa prosecuti sunt. Tantummodò, quoniam intelligebant [e], à summis viris, cùm ipsorum minæ videntur despectæ, & quouis effectu vacuæ, tametsi per impetum iræ ab ipsis pronuntiatæ, existimationis ergò illas promoueri, priuatos cœtus è suis ædibus in ædes Præsulum transtulere, se quidem ab illis abstinentes, ac posteà summam sententiarum rationumque edoceri curantes. 1563.

[e] Litt. Legat. ad Borrom. 23. Ap. 1563

10 Sed tantumdem illis lætitiæ attulit quod à Venetis Oratoribus expositum est, qui nomine Senatus ad conficiendam Synodum hortati sunt, omnemque ipsorum opem obtulerunt, præsertim apud suæ ditionis Præsules; significantes, eam Rempublicam ad id moueri tum communis boni studio, tum singulari erga Pium beneuolentiâ. Quod in volumine litterarum Vicecomitis, alijsque monumentis lectum à Suaui, & à se fuisse repertum, ipsi displicuit, & silentio obuolui placuit. Et quidem hi quos diximus Oratores per eos dies in Synodo insignem gratificationem acceperant [f]. Viginti quinque Patribus commissa fuerat, sicuti dictum est, causa Grimani Patriarchæ, de cuius vita ac fama multa cum laude ac beneuolentia illis [g] verba fecerat Moronus. Vnus inter viginti quinque Iudices numerabatur Martinus de Corduba Dominicanus, Episcopus Durtonensis; cùm hic autem iamiam Mediolanum iturus esset ad Sessæ Ducem fratris filium inuisendum, Oratores Veneti petiere, vt ante illius profectionem sententiæ dicerentur. Assensere Legati, prætermisso die decimotertio Augusti generali conuentu, quò locus daretur illi peculiari, in quo septem planè horæ consumptæ sunt, & interfuere cuncti Iudices, excepto Præmislienſi Episcopo, qui ægrotabat. Vnanimes consensere, in quadam epistola, multis antè annis à Patriarcha ad suum Vicarium Vtinensem scripta de enuntiationibus, à quodam concionatore dictis in argumento Prædestinationis (in qua epistola nitebatur accusatio) nullum esse verbum quod damnari mereretur; quin nec eiusmodi, quod non reperiretur aut in sancto Augustino, aut in sancto Prospero, aut in sancto Bernardo, aut in sancto Thoma, similibusque Doctoribus; ita quoque visum fuisse cunctis Theologis, quibuscum rem communicarant. Solùm Guerrerus & Ayala aliquâ restrictione vsi sunt, dicentes, Se quoque in eamdem opinionem conuenire, sed nondum adhibito à se studio contentos esse; petieruntque sententias, super ea causa à Theologis Romæ scriptas. Quibusdam opinio fuit, in ea epistola Theologiæ scholasticæ possessionem haud præ se ferri; sed in quadam apologia, à Grimano posteà

[f] Litt. Legat. ad Borrom. 14. Augusti & Vicecom. 14. & 16 Augusti 1563.

[g] Litteræ Iadrēsis 2. Augusti 1563.

1563. ad eam defendendam confecta, dubitationem omnem detergi. Præsides à Iudicibus petierunt, vt suam quisque sententiam scripto breuiter traderet, quò forma iudicij seruaretur: & Veneti Oratores cursorem illicò ad Senatum misere, quò de euentu eum facerent certiorem. Legati quoque de eodem scripserunt ad Pontificem [b]; qui posteà scriptis respondit [i], Vt quod æquum erat perageretur. Quare subsecuto mense lata fuit de Grimano sententia, quemadmodum ostendemus: sed per euentum illi similem, quo quispiam calculi doloribus diu afflictatus, ac posteà ob vnum grandioris molis calculum extractum ingenti affectus lætitiâ, adhuc tamen alios inter intestina ignorans retinet, quibus insanabile & impedimentum & tormentum ipsi perdurat.

[b] Litteræ Borrom. ad Legat. 25. Augusti 1563. [i] 17 Septembris 1563.

Interim oportet vt ab alijs externis negotijs, quamquam ad Synodum spectantibus, narrationem ad ea reuocemus quæ in Synodo & à Synodo agitabantur.

CAPVT IV.

Patrum sententiæ de Matrimonio, ac præsertim de clandestino irrito reddendo, & liberorum contractu, absque parentum consensu; & de vinculo dissoluendo adulterij causâ.

CVm haud intermissâ solertiâ per tot menses in cœtibus minorum Theologorum, & in peculiaribus Patrum conuentibus, de Sacramento Matrimonij, ac de ipsius abusibus disputatum esset, digestiúque Canones & Decreta, post Sessionem in maximo Conuentu sententiæ explicari cœptæ: consumptisque in eo quatuordecim cœtibus, tandem postremo Iulij die collectæ sunt [a]. Plurimum supra reliqua disputatum & concertatum est, irrita nec ne declaranda essent matrimonia clandestina. Et quamquam Suauis aliter recenseat numerum sententiarum, innixus litteris Vicecomitis [b] ad Borromæum; tamen Legati scripserunt, centum supra quadraginta quatuor voluisse vt ea irrita redderentur, aut aliquid consimile, cuiusmodi fuisset, homines inhabiles reddere ad hac ratione contrahendum; reliquos verò antiquæ consuetudini inhæsisse: quam posteriorem sententiam dicebantur etiam secuti Osius & Simonetta [c], & Moronus inter vtramque anceps hæsisse; sed ipsis non nisi in Sessione suffragio vtendum erat. Fieri tamen potuit, vt ambiguitas quorumdam Episcoporum in sententia proferenda, ansam præbuerit, vt vario modo numerarentur. Verùm nec Patribus nouam legem promouentibus satisfecerat exem-

[a] Acta Arcis Æliæ. Diarium vltimo Iulij, & litteræ Legatorũ ad Borrom. eodem die. [b] 2. Augusti 1563.

[c] Constat ex epist. Vicecomitis ad Borromæum 22. Augusti 1563.

exemplum Canonis, à selectis eius formatoribus confectum. Quare iniunctum ipsis fuit, vt illud mutarent; ac posteà publicæ trutinæ rursus expositum. Quædam scitu digniora hîc decerpam ex ijs quæ dicta sunt in tam celebri disputatione, quæ præcipuum fortasse Decretum peperit, quod in rerum ferendarum argumentis è Tridentino prodierit. Ad id verò lucem afferent partim Acta authentica, partim Acta Paleotti, quæ duo monumenta summatim referunt præcipuas dissertationes; partim quædam sententiæ, quas ad verbum descripsit Argentius, de quo aliàs mentionem habui; partim etiam Acta Salmanticensis Episcopi, & aliorum narrationes, qui tunc interfuere. 1563.

2 Ac primò quidem in deliberationem venit vnicum emendationis Decretum, ad calcem digestorum Canonum apponendum [d]. Et sicuti damnabatur per Canones is qui negaret vim huiusmodi coniugiorum, quæ anteà contracta fuerant; ita in Decreto eadem vis tollebatur in posterum tum coniugijs contractis absque tribus saltem testibus, tum celebratis absque consensu genitorum, dummodò mas decimum octauum annum non pertingeret, & femina decimum sextum. Quò facilius huiusmodi Decretum redderetur, emendationis, non definitionis modo positum fuerat. Etenim, sicut alibi animaduertimus, consuetum non erat, vt in Synodo vllum dogma statueretur, vbi complures dissentirent; at verò ad reparationem morum sanciendam non nisi plura suffragia quærebantur: quapropter Legati iam vsque à suffragatione primò habita [e], quasi per præsagium Romam nuntiarunt, si Decretum per modum meræ legis proponeretur, benè progressurum; si per modum dogmatis, in obices incursurum: atque hinc posteà effectum est, vt in conuentu noua controuersia coorta fuerit de ipsius controuersiæ statu; videlicet, an eiusmodi Decretum complecteretur dogma nec ne: de quo diutius disputatum est.

[d] Acta Areis Æliæ 20. Iulij 1563.

[e] Litt. Legat. ad Borrom. vltimo Iulij 1563.

3 Decretum sæpiùs ad limam reuocatum, ac initio erat eiusmodi, vt tres testes fide dignos præsentes postularet absque sacerdotis præsentis necessitate; quod postmodum, antequam finis inueniretur dicendis sententijs, Galli flagitarunt. Decretum quod primò selecti Patres formarunt, sic habebat: *Sacrosancta Dei Ecclesia, Spiritu sancto afflata, animaduertens magna incommoda, & grauia peccata, quæ ex clandestinis coniugijs ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum sæpè priore vxore, cum qua clàm contraxerunt, relictâ, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt, aliàs grauissimis pœnis ea prohibuit, eademq; tamen irrita*

1563. *non fecit. Sed hæc ſacroſancta Synodus, cùm animaduertat, remedium illud propter hominum inobedientiam huc vſque parum profuiſſe, decernit, vt in poſterum matrimonia illa, quæ clàm contrahuntur abſque tribus teſtibus, irrita ſint, quemadmodum præſenti Decreto irrita facit. Præterea eadem Synodus irrita facit ea matrimonia, quæ contrahentur à filijs familias ante annum decimumoctauum completum, & à filiabus ante decimumſextum completum, abſque genitorum conſenſu; remanentibus tamen in ſuo robore alijs legibus, contra matrimonia clandeſtina promulgatis.*

[f] Acta Arcis Æliæ. Poſteà die ſeptima Auguſti [f] idem Decretum aliam in formam ita redactum, Conuentui propoſitum eſt: *Præcipit ſancta Synodus, vt cunctæ perſonæ, quæ in poſterum audebunt contrahere matrimonium, aut ſponſalia, abſque præſentia ſaltem trium teſtium, ſint inhabiles ad eiuſmodi matrimonia aut ſponſalia contrahenda; adeoq; cuncta ab ipſis geſta ad matrimonium, aut ad ſponſalia contrahenda, irrita ſint, ſicuti præſenti Decreto irrita redduntur.*

De filijs familias ita variatum eſt, vt marium coniugium abſque conſenſu parentum eſſet irritum ante annum vigeſimum; feminarum verò ante decimumoctauum completum, niſi vbi parentes, rogati ipſorum conſenſum ad nuptias honeſtè expetitas à filijs, iniquè, iudicio Præſulis, diſſentirent; filij verò obtentâ à Præſule facultate matrimonium contraherent.

Lotharingus, qui primus omnium ſententiam dicebat, die vigeſimo quarto Iulij præmiſit, conuerſus ad Patres; Graui onere ipſos fuiſſe leuatos à minoribus Theologis, à quibus ante Seſſionem de illo matrimonij themate diſceptatum fuerat. Suaſit, vt ad Canones propoſitos alius adijceretur, vbi damnaretur opinio Caluini, docentis, Ob diuerſam religionem, aut ob affectatam coniugis abſentiam, aut ob moleſtum coniugum conuictum, matrimonij vinculum diſſolui. Quod tunc quadraginta ſolùm Patribus probatum eſt [g], ſed poſteà reliquis conſentientibus acceptum. De clandeſtinis dixit: Quamuis non expenderentur offenſæ, quæ in Deum inde proueniebant, ſed ſolùm ciuilis ſtatus detrimenta, liquidò cognoſci, non vtilitatem modò, ſed extremam neceſſitatem ea irrita faciendi. Præterea, omitti cuncta bona, quæ in Rempublicam redundant ex legitimorum coniugiorum inſtitutione, & ex vagorum prohibitione. Quatuor numerari huiuſmodi bona: Cognationum vnitatem, Fidem coniugalem, Beneficium prolis, & Gratiam Sacramenti. Amitti maritalem fidem, dum alter coniugum, arbitratu ſuo potens nodum coniugalem negare, ſæpè illum, ſi non coram Deo, ante conſpectum hominum præcidebat, atque adul-

[g] Diarium Seruantij 23. Auguſti.

adulteram quasi vxorem impunè in torum inducebat, vxore veluti concubinâ repulsâ. Præterea, Ecclesiæ occasionem frequenter præberi reijciendi veri coniugij, & adulterij tamquam veri coniugij comprobandi. Bonum prolis amitti; quandoquidem sæpè contingebat, liberos legitimos despici tamquam nothos; nothos verò tamquam legitimos anteferri: ac denique, ob tam graue delictum, Sacramenti gratiam in sceleris sordes conuerti. Optari à se in Decreto, vt præter solemnes alios ritus opus esset ad vim Sacramenti etiam sacerdotis benedictio. Quando hæretici volebant, vt impij ipsorum ministri nuptijs bene precarentur, multò conuenientius id agendum in Ecclesia Catholica, in qua veri sunt Dei ministri, verique sacerdotes. 1563.

6 Irrita similiter esse reddenda matrimonia contracta à filijs absque parentum voluntate, sicuti Decretum præscribebat. Notum esse naturæ lumine, munus esse patris, filio vxorem dare, & idcircò legi sæpiùs in antiquis comœdijs, quæ vniuersales ac naturales sensus exprimunt, *Ego tibi vxorem dabo.* Idque pariter haberi in exemplis sacræ Scripturæ, vbi semper constat, filias fuisse à patribus in matrimonio collocatas. Si vellent fortasse parentes, assensu non præstito, eas cogere aut ad claustra subeunda, aut ad contrahendum coniugium cum viro ipsis displicente, posse ab Episcopo huic rei prospici. Vnum in hac parte Decreti mutandum proposuit; nimirum, cùm hæc auctoritas vtrique parenti tribuenda non esset, loco vocis, *Parentum*, diceretur potiùs, *Patrum.* In Iure ciuili etiam, secundùm eius leges, quæ trahunt originem à Christianis Imperatoribus, velut à Theodosio, à Valentiniano, & à Iustiniano, reperiri disertè prohibita eiusmodi matrimonia, quibus desit patris permissio; quibus prohibitionibus Episcopi & Concilia numquam repugnarant: posse igitur id fieri, & esse opportunum vt fieret.

7 Contraria opinatus Madruccius, dixit; Causas à se non conspici, cur Ecclesia post continuam tot sæculorum consuetudinem ad rem adeò nouam adducenda esset: corruptelas potiùs reparandas, quà ijs conditionibus interdictis, quibus hæc matrimonia sæpè noxia reddebantur, quà seueris ad id pœnis inflictis.

8 Hanc sententiam complexus est Ioannes Triuisianus Venetiarum Patriarcha, qui non condecentiam modò, sed potentiam negauit, arguens, irritam reddi non posse quamdam Sacramenti rationem, in qua tota insit ipsius natura, tametsi ritus debiti desint; sicuti, exempli gratiâ, quamuis sacerdos consecret absque orna-

1563. ornatu sacro, verum Sacramentum conficit, dummodò materia cum forma coniungatur. Cùm igitur natura matrimonij sita sit in mutuo consensu sensibus subiecto, solumque postulentur reliqui ritus aut ad decorum, aut ad probationem; ab eorum vacuitate (opponebat ille) coniugij vim auferri non posse: minus quoque irrita effici posse matrimonia, contracta à filijs familias absque parentum voluntate, cùm per hoc libertas ab illis tollatur, accepta ab ipsa natura. Quod si hæc eos reddit idoneos ad copulam, cùm femina duodecimum annum complet, & mas decimumquartum; iuri naturali obsisti, si genitoris arbitrio permittatur prorogatio huiusce temporis ad decimumsextum, & decimumoctauum annum. Hæreticos quidem esse qui vim vtrique ex his coniugijs inficiantur, aduersus quos Canones & anathemata parabantur: quare perinde fuisset ea irrita facere in posterum, ac improbis illis assentiri.

Alia fuit Granatensis opinio: Potuisse quidem irrita fieri ab Ecclesia etiam coniugia prius contracta ac firma, ex iure diuino, cuiusmodi erant inter infidelem & fidelem; multò magis id ab ea fieri posse in contrahendis. Pro certo haberi, in ipsa potestatem inesse impedimenti inducendi inter eos, quibus anteà id liberum erat ex quouis alio iure. Exemplo sit impedimentum ex affinitate per sacram actionem inducta, quæ meræ legis Ecclesiasticæ vinculum est. Pœnitentiam quoque Sacramentum esse; & tamen sublatam fuisse ab Ecclesia efficacitatem absolutioni, quæ ab alijs quàm à proprio Pastore impertiretur. Dubitationem igitur non in potestatem cadere, sed in huiusmodi constitutionum opportunitatem; hanc verò sibi maximam videri, ob incommoda ab alijs adducta. Quod hoc nouum esset, nihil obstare: si tale obiectum valeret, aiebat, confectum iri, nullam vmquam sanctionem nouam esse statuendam; id verò nimiùm repugnare regimini, quod postulat rerum humanarum vicissitudo. 9

Castanea Rossanensis Archiepiscopus ita differüit: Dubitationi subijci, an hæc esset in Ecclesia potestas; eoque posito, tametsi communior Theologorum opinio eam potestatem admitteret, ab ea quæstione Concilio abstinendum esse: ad abstergendam dubitationem non valere producta exempla aliorum impedimentorum, quæ induxit Ecclesia; ea siquidem in illis ineptas ad contrahendum inter se reddit duas personas, quæ anteà erant aptæ: sed in re præsenti, permanente habilitate in personis, adiectus fuisset naturæ Sacramenti modus quidam, ipsam anteà non constituens: vtcumque 10

id

id foret, fieri non expedire, tum ne occasio daretur hæreticis de- 1563.
struendi Sacramenta, tum quia prioribus sęculis id factum non erat, quamuis tunc eædem causæ militassent. Quod spectabat ad filios, animaduertit, à iuuene è patria sua egresso parentis assensum haberi non posse; adeoque si prohiberetur eo non obtento vxorem ducere, in proximo violandæ castitatis periculo illum perstiturum.

11 Hæc sententia à Fuscarario impugnata est. Ad credendum, inesse in Ecclesia eam potestatem, abunde sufficere auctoritatem tot tantorumque Theologorum, qui ad Synodum conuenerant, & illam concedebant; & eorum aliquem dixisse, tutum non esse secundùm Fidem eam denegari. Quodcumque genus rerum, quæ Reipublicæ partes sunt, esse in potestate Reipublicæ, quæ totum est; proinde debere partes illi inseruire, ac se accommodare. Iam verò inter humanæ Reipublicæ partes numerari hominum corpora; posse igitur ab ea leges condi, quibus corpora, prout censuerit opportunum, disponat. Antequam matrimonium esset Sacramentum, fuisse in Republica huiusmodi potestatem; nec idcircò credendum esse, ex eo quòd tam præcipuus ac tam frequens contractus ad eminentiam Sacramenti euectus fuerit, euasisse in Reipublicæ detrimentum, ereptâ illi facultate in eo sibi consulendi: posità eius potestate, perspicuè conspici necessitatem ex tam multis ac tam grauibus incommodis; quibus vt efficaciter occurreretur, oportere vt inter testes præscriptos etiam Parochus adesset.

12 Antonius Cerronius Episcopus Almerienſis auctor fuit, vt clandestina irrita declararentur; & sic arguebat: Si potest Ecclesia duos homines ineptos reddere ad quouis modo contrahendum, sicuti ab ea in alijs Ecclesiastici iuris impedimentis actum fuerat, longè maiorem in ipsa facultatem inesse, quâ ipsos ineptos reddat ad certo quodam modo contrahendum. Non irrita fieri ab illa per hoc Decretum matrimonia postquam Sacramenta sunt; sed obicem induci, ne vera matrimonia, adeoque etiam ne sint Sacramenta. Non probauit vt inter testes numeraretur Parochus; neque pariter, vt ponerentur ea verba, ab aliquo expetita, *testes fide digni*: innumerabilium siquidem coniugiorum efficacia redderetur ambigua. Posteriorem partem reiecit, ad filios familias spectantem, nisi varijs restrictionibus coarctaretur, vt quæ libertatem se coniungendi adimebat, quæ à priori non tollebatur.

13 Martinus Rithouius Belga Iprensis Antistes initium duxit à confessione timiditatis suæ, quæ sibi negabat solutâ ac securâ manu ad opus adeò nouum adeoq; magnum progredi; Sanctiones Ecclesiæ in

1563. certo fundamento firmandis esse, ne fideles in anxietate versentur aut interiorem conscientiæ legem, aut exteriorem Ecclesiæ transgrediendi: & tamen certum esse, non esse certam hanc potestatem in Concilio, reddendi irrita matrimonia occulta: à compluribus Theologis, qui ibi aderant, id negari, & ex affirmantibus alias ab alijs rationes afferri, & alterius ab altero rationem confutari. Vnde in comperto erat, rem in nebuloso, non in sudo versari. Oportere Synodi sententijs auctoritatem infundi à coniunctione, & ea quidem animorum, non corporum, quæ sine altera nihil valet ad ipsas firmandas: iam verò in eo argumento conspici animos valdè diuisos, quando complures sufficientem iurisdictionem, complures sufficientem causam non agnoscebant. Argumenta, quæ pro huiusce modi iurisdictione adducebantur, esse debilia; & primo loco, nihil conuinci ex simili ordine Magistratus profani, qui potest efficaciam auferre politicis contractibus, vbi desint solemnes ritus ab ipso præscripti. Huic potestati tantummodò locum dari in bonis exterioribus & in ijs rebus, quæ Reipublicæ dominatui subiacent, non in ijs quæ homini debentur iure Naturæ, cuiusmodi est facultas se per matrimonium consociandi; quod idcircò nec filio à patre, nec seruo à domino prohiberi fas est. Præterquam quòd obstaculum illud, à Iure Ciuili iniectum huiusmodi contractibus, qui alioquin ex natura vim habent, non impediebat, ne inde oriretur obligatio, sed vt daretur partibus facultas eos accusandi, efficiendique vt à iudice irriti declararentur; at verò contractum matrimonij, naturæ & Christi lege talem esse, vt si semel efficacitatem obtinet, numquam postmodum ea ipsi adimatur: neque meliùs aptari similitudinem desumptam ex varijs impedimentis, ab Ecclesia constitutis, siue ob cognationem corpoream, spiritualem & ciuilem, siue ob aliam causam. Etenim in illis & semper habebatur ratio cuiusdam certæ conditionis personarum, quibus fas non esset inter se contrahere, & exemplo Scripturæ adhærebatur; hîc verò absque exemplo irritum vniuersè sanciri matrimonium occultum inter cuiusvis generis personas, adeoque non materiam reddi ineptam, sed formam mutari.

Quod autem spectabat ad causam, eam satis non esse, etiam auctoritate positâ tamquam certâ ad probandam eam legem, quæ irrita redderet ea coniugia, ob turpem in ipsis contrahendis modum: matrimonium enim duplicis finis gratiâ contrahi, nimirum, ad conseruationem stirpis, & ad remedium incontinentiæ; primum honestiorem esse, alterum magis necessarium, magisque communem; 14

nem; adeò vt S. Augustinus diceret, reipsa matrimonium ab vllo 1563.
non contrahi laudabiliter, nisi fragilitatem suam is pertimescat. Iam verò posse quidem optari, sed æquè sperari non posse, communem hominum incontinentiam ita coerceri posse, vt legitimæ nuptiæ expectentur: satius igitur videri, largum ac promptum adesse remedium, & ante occultos concubitus licere ipsis clandestino matrimonij vinculo sè honestè constringere. Similiter existimare S. Augustinum in primo libro de matrimonijs adulterinis, magis expedire, baptismum homini adultero impertiri, tametsi non satis paratus ad eius vtilitatem recipiendam videatur, quàm illo denegato ob irreuerentiæ metum, eum fortasse priuari fructu quem inde susciperet. Addidit, amplificari ab auctoribus oppositæ sententiæ illius damna, qui contracto priùs clàm coniugio, ac dein altero palàm celebrato, cogebatur omnem vitam in adulterio ducere. Sed quò sceleſtorum damno subueniretur, libertatem omnium ac medicinam coarctandam non esse; incommodo iam dicto neque Christum neque Apostolum prospexisse: mirum igitur non videri, si non prospiceretur ab Ecclesia. Potiùs seueriſſimis pœnis, & denuntiatis & inflictis, contra sacrilegam fraudem huiusmodi hominum agendum. Ceterà, nequitiam humanam adeò ingeniosam esse, vt nouerit se ab omnibus legum nexibus explicare, nec alio nisi timoris vinculo constringatur.

15 Magis adhuc improbari sibi Decretum, quo de filiis familias agebatur. Contra ius tum humanum tum diuinum id esse; atque idcircò vniuersè dici ab Apostolo: *Si se non continent, nubant*; non ab ipso dici, *nubant post talem ætatem*, neque, *nubant si genitores consenserint*; sed, *nubant*, absque exceptione. Non esse igitur ad annos aut ad permissionem restringendum hoc remedium, à Deo concessum humanæ cupidini, quæ malum quoddam est, quod vnusquisque ob verecundiam dissimulat; adeoque nemo illud nisi in se ipso cognoscit, & idcircò ab aliorum cura rarò ipsi remedium admouetur. Ecquem inficiari posse, non extimulari parentum incuriam ad filiorum matrimonia ab hoc metu coniugiorum minùs honestorum, à quo punguntur acriùs ad illis consulendum, quàm à reuerentia erga Deum, & à charitate paterna?

16 Constantinus Bonellus Episcopus Tiferni scriptum valdè prolixum attulit. In priore ipsius parte, post varias rationes sibi obiectas, comprobauit, Ecclesiæ fas esse eiusmodi connubia irrita facere, non quidem irrito reddito contractu, vnde is non esset amplius materia idonea Sacramenti, sicuti quidam disserüerant: nam

1563. contractus coniugij inter fideles,non præcedit, imò nec distinguitur à Sacramento, adeoque facultatem perinde illius ac huius irriti efficiendi non esse in Ecclesia, sed posse ab ea irritum reddi assensum, qui antecedens causa est ipsius contractus. Tum eiusmodi potestatem irriti faciendi, assensus ratione haud satis firmâ,secundùm Theologiam explicauit; nimirum, induci per legem ab Ecclesia præsumptionem, quòd consensus reuerà non fuerit; quemadmodum id præsumit, cùm quis seruam vxorem ducit, liberam ratus, vt habetur ex cap. 2. & cap. vltimo *de coniug. serv.* in quo palàm fecit, eum, qui cum sola Canonum scientia, Theologicæ ratiocinationi haud associata, graditur per huiusmodi argumenta, similem planè esse homini pede vnico ambulanti, hoc est claudicanti, ac sæpè labenti.

Censuit præterea, non expedire vt ea à se concessa potestate 17
vteretur Ecclesia; id enim idem futurum, ac corrigere præteritas cunctas leges, quæ ad matrimonium contrahendum non nisi mutuum consensum exigebant. Numquam id ausam Ecclesiam, tametsi eadem incommoda cerneret; vt liquebat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cuius Sanctio habetur in cap. *Cùm inhibitio. de clandest. sponsa.* Tam memorabili conuentui nec pietatem nec prudentiam defuisse; posteà verò genus mortalium non fuisse mutatum. Afferri à quibusdam quamdam legem Euaristi Pontificis, relatam in Can. *Aliter.* 30.q.5. quasi idem ipse tentarit, sed textum illum communiter sic explicari à Canonum Consultis, vt eiusmodi connubia sint quidem haud legitima, hoc est, contra ritum Canonicarum iussionum, non tamen sint irrita; quod etiam censuit S. Augustinus, relatus Canone vltimo causæ 28. quæst. 1. Quod si Euaristus *adulteria* seu *contubernia* appellauit, id intelligendum pro eo ac intelligebat Gratianus in Canone vltimo eiusdem quæstionis, quòd essent causæ adulteriorum & contuberniorum in secundis matrimonijs irritis, quibus ansam præbebant. Quin ab Ecclesia, quò fraudes occultique concubitus euitarentur, statutas fuisse sanctiones oppositas ijs quæ tunc proponebantur, cùm præsumeret, ab ipsa esse consensum coniugalem, vbi concubitus habetur post occulta sponsalia, adeoque tamquam matrimonium præsumeretur quod interdum reuerà matrimonium non erat; idque pariter ab illa effectum, præsumente, intelligendum esse nuntium remissum honestæ conditioni, à qua præcedens matrimonium suspendebatur, vbi contrahentes coeunt ante appositæ conditionis euentum: nunc è contrario agi de auferendo atque irrito faciendo consen-

consensu,cùm certum erat illum existere. Prætereà,Decretum pro- 1563.
positum absurdum esse, quia priuabat efficacitate coniugia, tametsi ita contracta vt legitimè probari possent,cuiusmodi erant aut ante duos solos testes habita,aut scripto,contrahentium manu confecto.

18 Nec minùs ex altera parte dehortatus est Patres,ne Decretum ederent ad filios spectans,tamquam oppositũ Iuri diuino,cùm in sacris Litteris habeatur: *Relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori suæ.* & Paulus doceat: *Melius est nubere,quàm vri.* Contrà verò à Decreto cogi filium vsque ad certam ætatem, ne se à patre ac matre seiungat, vt adhæreat vxori : & relinqui in potestate parentum, vt filius ad id vsque temporis vratur. In Sacramentorum vsu locum non esse paternæ potestati, vt colligitur ex cap. *Cùm causa. de Baptis.* imò nec heri dominio; & idcircò fas esse seruis matrimonium inire dominis dissentientibus,vt sancitur cap. primo *de coniug. seru.* Addidit,non ratò euenire,vt matrimonium clandestinum nec prohiberi quidem, nec reprehendi mereatur, nedum irritum reddi. Primò, si filia, aiebat ille, impeditur à genitoribus ne contrahat in facie Ecclesiæ, & domi aut in monasterio detinetur. Secundò, si parentes diuites vetantur à Principibus, ne filias in matrimonio collocent absque ipsorum consensu; in quo euentu optimum remedium est, ad tyrannicam violentiam declinandam, vt puellis fas sit clàm matrimonio iungi. Tertiò, cùm quis per pollicitationem connubij puellam minoris conditionis clàm pertrahit ad iacturam virginitatis; tunc enim Canones, sicuti anteà dixerat, non solùm voluerunt ratum esse connubium occultum, sed ijdem ipsi Canones præsumunt, etiamsi aliunde non constet, cùm hic modus sit vnicus tergendi familias à perpetua macula, & arcendi inimicitas & vltiones. Quarto loco, si matrimonium, quamuis careat ijs solemnibus ritibus, qui postulantur ne clandestini nomen habeat, ita tamen contraheretur, vt probatione non careret. Considerauit denique, non esse munus Ecclesiæ, per leges prospicere adulteriis adeò occultis, vt nullum ipsorum vestigium exterius appareat,cùm id omnino fieri nõ possit. Ponamus,aiebat,à quodã homine duas vxores subinde duci per ritus præscriptos,sed erga priorem interior illi assensus non adsit; certè id si contingat, prior contractus est irritus [h], & posterior ipsum obstringit: & tamen Ecclesia, interioris voluntatis nescia,illum hominem anathemate compellet ad posteriorem abiiciendam, & ad priorem sibi retinendam.

19 In eadem sententia fuit Sebastianus Vanzius Episcopus Vrbeuetanus, ac primò dixit, Mirari se, fuisse positum in Canone, & à ne-

h In Can. vltimo de clandest. desponsatione, qui ex eo Concilio desumitur,dicitur solum: *Contrahentibus qui talia præsũpserint, digna pœna inuenegatur.*

1563. nemine posteà obseruatum, ab Ecclesia grauissimis pœnis clandestina matrimonia fuisse priùs interdicta: fuisse solùm ab ea simpliciter prohibita peccati denuntiatione per varios Canones, quos ille produxit, & etiam in Synodo Lateranensi. Etenim in Decreto ibi edito solùm vetantur ne munus exerceant sacerdotes, qui huiusmodi connubia occultauerint, aut qui ausi fuerint ea conficere, tametsi adsit legitimum impedimentum. Ceterùm statui quidem à Lateranensi, legitimam non esse progeniem, quoties huiusmodi coniugium propter impedimentum fuit inefficax, quamuis id genitores lateret, ita vt bona ipsorum fides ad arcendam à filiis maculam nihil prosit. Hinc pœnam non esse huiusmodi contractui impositam, sed subtractiones beneficij, ab Ecclesia impertiti illi homini, qui non neglexit diligenter priùs adhibere præscriptas denuntiationes, quò impedimentum, si quod fortassis esset, temporis resciret. At verò vitium illud originis haud legitimæ merè procedere ab obice, qui vim abstulit matrimonio; ex quo, tametsi clandestino, dummodo fuisset efficax, legitima proles oriretur. Neque pariter verum esse, huiusmodi connubia fieri irrita à Iustiniani legibus, vti nonnemo pro certo posuerat. Quin ex aduerso illic prohiberi, ne vxor clàm desponsata, vbi id probaret, à viro expelleretur; & adduxit *Authent. Quibus mod. nat. fi. eff. leg. §. vltim. versic. Quoniam autem interpellantibus. collat. 6.* Cùm igitur ad eam vsque diem pœnæ temporariæ vsurpatæ non fuissent, non illicò arborem succidendam; sed ex Christi documento adhuc modicum expectandum, tantisper dum ea excoleretur; quæ si posteà infructuosa persisteret, tunc posset succidi. Verùm in hoc etiam euentu nullà ratione suaderi, vt efficacia tribus testibus limitaretur, quandoquidem legitima probatio haberi poterat aut per duos, aut per scriptum; quæ secunda probatio adhuc longè firmior ac certior est quàm probatio testium.

Postremò, non solùm ambigere se de condecentia, sed de iurisdictione, an hæc esset in Ecclesia ad vniuersè irrita facienda ea matrimonia; non quidem ex eo quod complures obiecerant, non posse nimirum ab ipsa variari naturam Sacramenti, quod vinculum à quocumque insolubile inducat. aduersus quam rationem ita disserüit: Hoc vinculum omnino insolubile reperiri solùm in matrimonio, per corporum copulam completo, quo significatur coniunctio tum Verbi cum humana natura, tum Christi cum Ecclesia. Sicut enim Verbum assumptam à se naturam numquam dimisit, neque Christus ab Ecclesia se vmquam seiunxit; ita neutri coniugum

post

post corporum coniunctionem fas est ab altero se deiungere; & de 1563.
quo intelligendum est diuinum effatum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; & Apostoli verba, *Matrimonium magnum Sacramentum est in Christo & Ecclesia*, vt obseruat Innocentius III. cap. *Ne debitum. de big.* Profectò coniugium ante concubitum esse Sacramentum; sed tunc significari ab eo solam animæ coniunctionem cum Deo, quæ coniunctio solui posset; adeoque matrimonium in eo statu, cùm suæ significationi conformetur, esse in quibusdam conditionibus dissolubile per vnius partis voluntatem, alterâ etiam inuitâ, si videlicet alter coniugum velit Religiosorum Ordini nomen dare. Iam verò cùm hæc facultas dissoluendi coniugij, nondum per copulam completi, priuilegium quoddam sit, coniugibus ab Ecclesiastico iure concessum, conficitur, arguebat ille, vinculum coniugale, antequam indissolubili modo per corporum coniunctionem connodetur, pendere à potestate Ecclesiæ, cui fas est & in certis quibusdam conditionibus illud relaxare, & etiam ea de causa, rationi consentanea, legem ad id vniuersalem condere, vt colligebatur ex cap. *Ex publico*, secundùm celebrem doctrinam Glossæ, communiter comprobatam, simulque ex Gozzadino *Consil. 2.* & copiosè à Socino *Consil 28. lib. 1.* Hoc fundamento firmato, ab Ecclesia in re præsenti non modò per suam legem anteuerti coniunctionem corporum inter coniuges, sed ipsum etiam contractum, cuius ligamen, si fas est illi soluere postquam constrictum est, multò magis fas erit impedire ne constringatur.

21 Sed quamquam ille potestatem huiusmodi generatim in Ecclesia fateretur, dixit, In proposita quæstione sibi dubium esse, an sufficiens causa suppeteret ad huiusmodi Decretum vniuersale ac perpetuum sanciendum, cùm oporteret hanc pariter causam esse vniuersalem ac perpetuam, & illis adnexam, inter quos inducitur obex, prout obseruari poterat in cunctis impedimentis, quæ rem irritam faciunt, ab Ecclesia iam inductis. Contrà verò, si causa solùm temporalis est, aut potest esse & non esse inter eos, inter quos impedimentum statuitur, haud posse per eam vniuersè adimi efficacitatem ab actu, tametsi Ecclesia in suo interdicto vtatur Decreto derogante. Se hoc didicisse à Glossa cap. *Tua fraternitas. de sponsalibus duorum.* Et à Glossa vltima, cum Abbate Panormitano, in cap. *Ad dissoluendum. de sponsalibus impub.* inter eas, quæ appellabantur nouæ. Iam verò delicta & incommoda, quæ suadebant irrita esse reddenda matrimonia clandestina, non solùm non esse causam perpetuam & communem, sed in plerisque eam non inueniri; cùm plu-

res

1563. res hominũ in huiuſmodi coniugijs quietam ac tranquillam vitam agant. Non igitur id ſatis eſſe ad legem vniuerſalem condendam.

Reiecit etiam partem alteram Decreti de filijs familias. Duo hîc conſiderari poſſe, Paternam poteſtatem, & Officium debitum reuerentiæ; alteram priſcis temporibus ſatis fuiſſe ad tollendam efficaciam huiuſmodi connubijs, vt quæ tum filijs in ſua corpora & bona poteſtatem adimebat: ſed in lege Chriſtiana id amplius non ſubſiſtere, vbi patris poteſtas non extenditur ad ea quæ pietas & Sacramenta ſibi vendicant, ſicuti nec etiam poteſtas domini; ac propterea non modò filijs, ſed ſeruis licere coniugium contrahere, inuitis etiam parentibus ac dominis, vt habetur in cap. 1. *de coniug. ſeru.* & in cap. *Licet cauſam. de raptoribus.* Quoniam autem reſponſum ab aliquo fuerat ad hunc textum, ab aliis adductum, ipſum in integra epiſtola *decretali* non ita ſonare; eumdem ille produxit, qualis planè continebatur in ſecundo volumine Conciliorum inter decretales Alexandri III. c. 14. quod incipit, *Cum cauſa.* vbi adhuc ampliùs id exponebatur. Ob alteram cauſam, nimirum ob reuerentiam à filijs debitã parentibus ex obligatione naturali, reddi quidem minùs decentia, non tamen irrita illorũ matrimonia abſque patris conſenſu; idque probari de filio emancipato, qui debet quidem parenti reuerentiam, filios decentem, & tamen licet ipſi vxorem ducere abſque patris permiſſu, ſicuti dicitur in lege, *Filius emancipatus ff. de ritu nuptiarum*, coniuncta cum lege, *Viduæ.* in Codice, ſub eodem titulo: id etiam exemplo Eſau ac Tobiæ confirmari. Finem dicendi fecit, adductis quibuſdam verbis, quæ ipſe aurea appellauit, Caroli V. in Decreto Auguſtano, quod habitum eſt anno 1548. relatum in volumine 4. Conciliorum cap. 21. de Sacramento matrimonij, & erant huiuſmodi: *Quoniam poteſtas paterna cedit de iure huic coniunctioni inter coniuges, audiendi non ſunt ij, qui nunc volunt vt diſſoluantur matrimonia contracta à filijs familias, vbi non adſit aſſenſus parentum. Nihil hîc à nobis detrahitur obedientiæ filiorum debitæ patribus; ſed nolumus vt patres abutantur poteſtate ſuâ in præpediendis præcidendíſve matrimonijs. Verumtamen quia cenſemus ad honeſtatem pertinere, ne filij matrimonia contrahant abſque conſilio & conſenſu parentum, admoneantur crebrò à Concionatoribus huiuſce ipſorum officij.*

Contrariè diſputauit Conſaluus de Mendoza Salmanticenſis Antiſtes. Dixit: Cùm homo ſit animal politicum, par eſſe, cunctas ipſius actiones ſubijci politicæ poteſtati, vt ad bonum commune dirigantur: ſic igitur matrimonium, quatenus eſt contractus merè ciuilis, ſicut in ethnicis, ſubijci poteſtati politicæ; quatenus verò eſt Chri-

Christianorum contractus,ac proinde materia Sacramenti,subiacere potestati Ecclesiasticæ. Idcircò, quemadmodum propriorum bonorum alienatio,etiam secundùm modos legitimos iuris naturalis, redditur in quibusdam conditionibus irrita ab humanis legibus;ita statui fas esse de potestate in propria corpora, vbi ea ita exerceatur, vt inferatur inde detrimentum Reipublicæ Christianæ. Hoc detrimentum liquidò conspici in matrimonijs clandestinis, quando ipsorum causâ tribunalia scatebant litibus, & Christianorum genus offensionibus & delictis; atque humanam arrogantiam eò deueniisse, vt nobiles probro sibi ducerent aliter quàm clandestinè matrimonium contrahere, perinde ac si honorificum non esset, nisi illicitum; ac propterea gliscente absurdo, cui medendo satis non erant vetera interdicta, nouis efficacioribus opus esse. 1563.

24 Franciscus Zamorra, Minorum Obseruantium Præses supremus, idem comprobauit, narrauitque, accepisse se per litteras nouæ Hispaniæ, nouellos illos Christianos, hoc velamine clandestini coniugij obtectos, bis, ter & quater vxores ducere, & idcircò rogari se, vt ipse remedium exposceret à Pontifice, de quo pariter opem Regis imploratam fuisse.

25 In hanc sententiam non venit Didacus Lainius è Societate Iesu. Ostendit primo loco, naturâ malum non esse coniugium clandestinum: ita contraxisse veteres parentes nostros, & in compluribus conditionibus id tamquam licitum comprobari à moralis Theologiæ magistris;quin,excepto detrimento aliquo (accidente interdum ex re ab illa contractus forma) profectò nihil ea matrimonia reprehendi à S. Thoma in 4. sentent. art. 3. q. 27. Secundò, probare studuit, numquam illa reddita fuisse irrita ab Ecclesia: nam à producto Euaristi Decreto postulari eodem modo multa alia, connubio minimè necessaria, & quæ credibile non erat ea fuisse ab illo requisita, tamquam eius efficaciam intimè constituentia: apud Tertullianum, Euaristo propinquum,legi, matrimonia occulta esse firma: Euaristum intelligendum esse, velle matrimonium irritum esse, vbi in ipsum non influxerit interior consensus, sicut in huiusmodi coniunctionibus sæpè contingebat; quam interpretationem comprobauit verbis ad finem additis ab Euaristo: *Nisi propria voluntas accesserit.* Tertiò affirmauit, sibi non videri profuturum Decretum propositum, propterea quòd esset in parentum potestate filiorum coniugia multos annos impedire cum periculo plurimæ impudicitiæ. Monuit, nec ab hæreticis, nec apud complures Catholicorum nationes Decretum acceptum iri; adeoque innu-

1563. mera illic adulteria secutura, ex quibus oriretur legitimæ successionis peruersio. Causas ad hoc Decretum conficiendum allatas, in Ecclesia easdem semper perstitisse: prætereà ab huiusmodi Decreto illud præstitum iri, quod Caluini doctrina iam effectum affirmabat. Denique in dubijs tutiorem esse culpæ ac reprehensionis eum, qui nihil innouat. Nec reticuit, sibi valde incertum esse, an id ab Ecclesia effici posset; idque ob rationem quamdam ab alijs, qui antea dixerant, expositam: non esse in Ecclesiæ iurisdictione variare Diuinum ius, neque coarctare id quod ab Euangelio conceditur, cuiusmodi est matrimonium, ad incontinentiæ medelam ijs concessum, qui aliter nequeunt caste viuere; idcircò, cùm suę quisque saluti consulere debeat, facultatem Ecclesiæ non inesse ad impediēda matrimonia siue ad certam ætatem, siue solemnis ritus additamento.

Ita per varias sententias disputatum vtrimque est [i] tum de prima 26
Decreti forma à vigesimaquarta vsque ad extremum Iulij, tum de altera, ab vndecimo vsque ad decimum tertium Augusti diem, admissis largiter ad Patres audiendos, præter Procuratores, compluribus eximijs Theologis: quâ solerti diligentiâ posteà effectum est, vt & subtiliori studio tanta quæstio agitaretur, & vt in Decreto pars vtilis rei propositæ seiungeretur à noxia; atque vt etiam pars ipsa comprobata, per eam formam digereretur, quâ euitaretur magna ex parte potissimum incommodum, expensum à Lainio (cuius sententia scripto tradita, etiam antequam ab ipso proferretur, per manus excurrerat, & complurium animos pertraxerat) incommodum, inquam, quod euenturum videbatur in illis populis [k], qui Concilij Constitutiones non exciperent. de quo infrà.

Canon quoque paratus fuerat cum anathemate, in eum qui di- 27
ceret, matrimonia consummata ob adulterium dissolui. Sed Oratores Veneti, die vndecimo Augusti, cùm ipsis posterior modulus ostensus est [l], solemniter exposuerunt Conuentui, veterem Rempublicam semper coniunctissimam fuisse Apostolicæ Sedi, & Concilijs Oecumenicis, eius auctoritate celebratis, pioque semper 28
studio complexam ac veneratam Decreta Sanctionesque inde profecta, vtpote diuinam gloriam, animarum salutem, pacemque Christianorum promouentia. Verùm ab eo, quod septimo Canone parabatur, nisi moderatione aliquâ reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim verò Venetorum insulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephaleniæ, & alijs multis, non solum cum publicæ quietis, sed cum Ecclesiæ Catholicæ detrimento. Compertum esse Patribus, tametsi Græ-

i Cuncta constant ex memoratis litteris Legat. & ex epistola 23. Augusti; ex Actis Paleotti, & ex litt. scripturisque Borrom. 29. Iul. & 12. Aug. 1563.

k Syngrapha Vicecomitis 12. Augusti 1563.

l Acta Arcis Æ.iæ.

Græca Ecclesia à Romana ex parte dissentiret, non tamen eò de- 1563.
sperationis deuentum esse, vt meliora sperari non possent; præsertim cùm Græci in subiectis Reipublicæ locis degentes, quamuis ritu suo viuerent, tamen Præsulibus à Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Eapropter tum rerum conuenientiâ, tum Oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti sinerent eiusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque à Sede Apostolica secessionem prouocarentur. Satis constare, in more positum apud Græcos, vt vxorem adulteram deserant, & aliam ducant, veterrimam maiorum consuetudinem, vt ipsi dicunt, secuti; nec idcircò illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab vlla Synodo Oecumenica, etiamsi Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ huiusmodi mos liquidò innotuisset. Existimare igitur Oratores sui esse muneris, quàm efficacissimè possent, postulare, vt voces illæ Canonis adeò moderatè lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent, præsertim intentato anathemate; quod dubium non erat confici posse non solùm nullâ partâ Ecclesiæ Catholicæ indignitate, sed fortasse retentâ plurimorum Doctorum reuerentiâ. Posse, quantum ipsi rebantur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ satisfieri, Canone eiusmodi verbis conflato: *Anathema sit, si quis dixerit, sacrosanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quæ mater & magistra aliarum est, errasse, aut errare, cùm docuit, & docet, propter adulterium alterius coniugum, matrimonium non posse dissolui; nec vtrumque, vel etiam innocentem coniugem, qui causam adulterio non dedit, debere nouum matrimonium contrahere, mœchariq; eum, qui dimissâ adulterâ alteram duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alij nupserit.* Propterea rogari Patres ab Oratoribus, vt vel eâ, vel aliâ meliori ratione, pro ipsorum prudentissimo arbitratu, vellent in eo gratificari Serenissimæ Reipublicæ, quæ semper sacrosanctæ Sedi Apostolicæ obsecuta plenè fuerat, & erat obsecutura.

28 Hoc exemplar ab Oratoribus propositum, videbatur alicui ex ipsis, aut ex ipsorum Consiliarijs, notam hæresis haud inusturum opinioni contrariæ; sed vim dumtaxat habiturum ad infligendum anathema temerarijs in eo vituperatoribus Ecclesiæ, quæ optimis nixa fundamentis eam doctrinam, tametsi non tamquam Fidei dogma, tradebat. Aliud fortasse ab alijs considerabatur; nimirum, per eam sanctionem non damnari tamquam hæreticam sententiam oppositam, nisi positâ Ecclesiæ auctoritate; & non quasi diuinis Litteris euidenter id repugnaret: adeoque parci dignitati

1563. tati ſancti Ambroſij, qui, vt ipſi arbitrabantur, id ſcripſerat; & etiam Græcorum nomini, donec illis in comperto non eſſet, ab Eccleſia oppoſitum doceri; & donec eius auctoritati contumaciter ijdem haud refragarentur: quamquam illi, quod ſpectat ad ſanctum Ambroſium, allucinarentur; cùm ignorarent quod poſteà recentium Scriptorum ſolertia animaduertit, videlicet, expoſitionem Epiſtolæ primæ ad Corinthios, quæ ſancti Ambroſij nomen præferens, huiuſmodi ſententiam continet, reuera opus magiſtri tantâ pollentis auctoritate non eſſe, ſed aut Remigij, vti Ioannes Maldonatus ſuſpicatus eſt [m], aut Hilarij Diaconi ſchiſmatici, vti multi cenſuerunt apud Philippum Labbeum [n], aut incerti cuiuſpiam ſcriptoris.

[m] In S.Matt. c.19. num.9.
[n] De Script. Eccleſ. in Ambroſio, & in Hilario Diacono.

Legati primo loco deleri iuſſerunt in Venetorum poſtulato [o] 29 verba quædam propoſita, quibus pro ratione afferebatur, Græcos accitos ad Concilium non fuiſſe, ſicuti Germanos & Gallos: quæ verba quaſi in dubitationem reuocabant habitam cunctorum Fidelium conuocationem, perinde ac ſi ad id non ſuffeciſſet diploma conuocationis vniuerſalis, ſolemni, vt par erat, ritu promulgatum, cunctiſque Chriſtianorum nationibus manifeſtum. Poſteà cùm ſuper ea re ſententiæ dicerentur [p], Andreas Cueſta, Epiſcopus Legionenſis, poſtulatum reiecit, affirmans, ab Eccleſia non vſurpari eam damnandi formulam: *Si quis dixerit, Eccleſiam erraſſe*. Hanc veritatem eſſe certam ac firmatam in Synodo Mileuitana cap. 13. in ſexta Oecumenica, & in Florentina; adduxitque ex Patribus Græcis Clementem Alexandrinum, & Baſilium: quod ſi quis ex alijs fortaſſe deerrauerat, contrarium opinatus, complures tamen eorum, qui adducebantur, alio ſenſu locutos fuiſſe; quod ille palàm fecit, eorum dictis expenſis. Et ſanè creditum eſt, ſi Cueſtæ locus loquendi inter primos obtigiſſet, ſicut inter poſtremos debebatur in conuentu, tantum ab eo numerum aſſeclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem ſatis fuiſſet. Verùm reipſa plura ſuffragia conſenſerant, vt Oratoribus ſatisfieret.

[o] Syngrapha dicta Vicecomitis ad Borromæum 12. Auguſti 1563.
[p] Acta Paleotti, & litteræ Iadrenſis 19. Aug. 1563.

In quo Suauis duplici laborat vitio; primò, quia deſcribit Ve- 30 netos non quidem ſuprà allatam vocum mutationem proponentes [q], ſed quaſi mutationem quamdam in genere poſtulantes, quâ Græcis conſuleretur. Hinc verò audacior, progreditur ad carpendum Concilium, quaſi complexum mutationem aëream, & vtilitatis effectuſque vacuam, dum narrat, à pleriſque non diſcerni quid inter priorem ac poſteriorem formam intereſſet; rem tamen maiori

[q] Poſtulatũ Venetorum tale determinatè fuiſſe, oſtendunt præter Acta Arcis Æliæ, vbi illud verbatim refertur, ſuffragia Patrum, contenta in Actis Paleotti, & exprimunt pariter Acta Salmanticenſis Epiſcopi.

Patrum

Patrum numero remissam. Sed non solùm reuerà discrimen inerat, quamuis subtilius; sed, etiamsi non inesset, conuenientius fuisset Reipublicæ satisfacere, eam mutationem petenti, vbi per eam merus sonus, non autem significatio variaretur: cùm eò videatur inurbanior repulsa, quò minoris momenti censetur postulatio; sicut ex aduerso eò minus offendit repulsa, quò maius beneficium crederetur impetratio. 1563.

CAPVT V.

Antinorus à Pontifice missus Tridentum, & mandata illi tradita. Cæsaris responsa ad Moronum de Synodi prolatione, à Lunensi quæsita; & ad Lotharingum, de negotio à se illi proposito, quod cum Pontifice agitarat: & eiusdem Cæsaris litteræ ad suos Oratores, vt cum Lunensi consentirent in quibusdam capitibus; curarentque cum eodem, ne Constitutiones Laicorum Principum reformarentur, cum variis eiusdem notationibus super iam paratis Decretis.

1 NOn satis habuit Pius res per litteras significare, sed Ludouicum Antinorum Tridentum misit [a], qui voce pariter illas exprimeret. Hic Lotharingo acceptus, eiusque ingenium probè callens, eò venit simulatâ specie, vt Lotharingum Romam comitaretur, Pontificis nomine, eumdemque per viam honorificè excipiendum curaret, quòd spes erat ante præstitutum diem Sessionem habendam. Sed speciosus cortex solùm ad contegendum nucleum ostendebatur. Potissimùm itaque demandatum illi est, vti studeret Lotharingo callidè persuadere, ne abscederet à Synodo, nisi perfectam illam conspicaretur. Quoduis absentiæ suæ momentum posse causæ publicæ detrimentum afferre: eius accessum ad inuisendum Pontificem neque Pio gratiorem, neque sibi honestiorem futuram, quàm qui tanti operis absolutam confectionem Romam deferret.

[a] Ex epistola Legatorũ ad Borromæum 23. Augusti 1563.

2 Iniunctum pariter est Antinoro, vt Legatis repeteret, quàm vehementer cuperet Pontifex exitum Synodi, dum complurium coniunctio siderum aspectu propitio rei fauebat, quorum aliqua nimis erant errantia. Valido gratoque honoris ligamine secum deuinctum Lotharingum retinerent: ne de Lunensi, Synodi absolutioni reluctante, rationem haberent, quando regij ministri Romæ, &

1563. Pontificij in Hispania, certò affirmabant, longè aliam Philippi Regis mentem esse.

Rescripserunt Legati de festinatione: Non posse ab vllius voce 3
sibi efficaciùs exprimi Pontificis desiderium, eiusque causas æquissimas, quàm ab ipsius charactere iam effectum fuerat; nec vlli stimulo vim inesse ad ipsos compellendos vt suprà quàm egerant conarentur, quandoquidem omnes neruos ad id intenderant. Verùm de Lunensi parum valere aliorum dicta ad impedienda illius facta, quippe quem tanta Episcoporum cohors reuerebatur ac sequebatur, multique Oratores, ac præcipuè Cæsariani sibi coniunctum volebant. Expedire quidem, vt honor Lotharingo deferretur; sed in eo peccari posse non solùm defectu, sed excessu, ac præsertim nimiâ honorationis specie, quæ aliorum oculos perstringeret, & vmbris obuolueret. Qua in re planè contigerat, vt agitatum memoratæ legationis negotium in aures multorum subrepsisset [b], eosdemque Gallos, qui illud promouerant, molestiâ simul affecisset: hi verò, siue vt eius legationis opinionem, siue vt effectum extinguerent, asperiores de industria notationes & appendices apposuerant capitibus emendationis, sibi communicatis. Adiecerunt, mentionem apud Lotharingum minimè faciendam esse de ipsius mansione Tridenti post Sessionem, idque ab ipsis Antinorum fuisse monitum: quamquam enim splendidum esset nomen, res ipsa tamen illi suspicionem incutiebat, pro eo quod ipsi animaduerterant. Nec à vero aberrarunt: siquidem Lotharingus, vbi primùm de aduentu Antinori cognouit, suspensionem animi perturbationemque [c] præ se tulit; sed posteà cùm audisset, Antinorum solùm ad ipsum comitandum aduentare, omnino exhilaratus est.

[b] Schedula Vicecomitis ad Borrom. 5. Aug. 1563

[c] In schedula Vicecomitis 23. Augusti 1563.

Rerum summa videbatur à Cæsaris responso pendere. Etenim 4
vbi cum Gallis in absoluenda Synodo consensisset, cunctis Italiæ Principibus in sensa Pontificis coëuntibus, minori habenda fuisset in pretio Lunensis oppositio, quando reliqui Hispanorum ministri non solùm aliter sentiebant, sed aliam esse Regis mentem testabantur; inter quos Granuelanus Cardinalis etiam anteà [d] in optimam sententiam scripserat ad Legatos, & quamuis non rogatus, salutarem ad id operam contulerat. At verò si Cæsar Lunensis consilia comprobasset, nimis validum auctoritatis fulcimentum suppeditasset ipsis Præsulibus Hispanis, intextamque cum Gallis telam, ad contrahendum extra ordinem Concilium, præcidisset, quippe in illius ditione, in illius gratiam, & sub illius patrocinio

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum 19. Augusti 1563.

trocinio coactum. Iam verò importunè ad id accidit, vt ad Ferdinandum duæ litteræ perlatæ fuerint, alteræ vnà cum epistola Moroni, quam diximus, alteræ paulò post hanc ipsam, quarum causâ ipsius efficacitati plurimum detrahebatur. 1563.

5 Litteræ secundo loco redditæ Cæsari, ab eius Oratoribus scriptæ fuerant, per quas indicabatur, velle Præsides attingere potiùs quàm expendere emendationis argumenta, cùm ea paucis quibusdam Canonum peritis, ferè cunctis Italis, committerent. At verò par fuisset, complurium sententias consulere, & ex cunctis nationibus, quò æquè omnes audirentur in ijs, quæ ad omnes æquè spectabant. Quamobrem ad Oratores rescripsit Cæsar [e], Vbi id contingeret, se coniungerent cum Lunensi, nec eorum capitum examini consentirent, nisi destinatis Præsulibus cuiusuis nationis, qui de illis capitibus & haberent consilium, & Decreta formarent. Hæ litteræ, quas subinde affero, Ferdinandi Cæsaris ad Oratores suos Tridentum missæ, ad me magna ex parte peruenerant, sed nec omnes, nec formâ plenè legitimâ: nunc verò dum hæc scribo, integrum earum volumen ad me detulit humanitas Didaci Tagliauiæ, Ducis Terranouæ, Oratoris Catholici Regis priùs in Germania, nunc in Aula Romana; cuius religioso animo charum fuit, opem aliquam conferre huic Operi, quod quoddam veræ Religionis propugnaculum est.

[e] Litteræ Cæsaris ad Oratores, 8. Augusti 1563.

6 Alteræ litteræ, quas memorauimus, seu potiùs scriptum, quod peruenit ad Cæsarem vnà cum epistola Moroni, missæ fuerant à Lotharingo, & ab eodem Episcopo Conadiensi delatæ; quibus addita est prolixior narratio voce Rhodonensis Episcopi, Oratoris Gallicani [f]. Lotharingus (sicut vniuscuiusque mos est in loco incusationibus minùs expositò se ipsum collocare) Cæsari nequaquam exposuit, negotium, quod tunc agitabatur cum Pontifice, fuisse à Ferrerio & à se inductum; sed significauit, Pontificem absoluendæ Synodi percupidum, sibi proposuisse, vt eam Sessione proximâ terminaret, oblatâ Galliæ legatione, cum facultate relaxandi pro suo arbitratu leges Ecclesiasticas ad illius regni salutem; quod ne recusaret, patriæ charitas ipsum cohortabatur, si Cæsari probaretur.

[f] Constat ex Epist. Cæsaris ad Oratores, Viennâ Kal. August. 1563.

7 Cæsar itaque id temporis Viennæ degens ad celebranda Comitia, cùm animum tam siniſtris narrationibus occupatum gereret, respondit primùm Morono temperatè quidem, sed grauiter, ac suspiciosè, in hunc modum: Gratulatus illi est prosperum exitum Sessionis; certumque ipsum reddidit perhonorificis verbis, à se

æqui

1563. æqui boniqúe factum esse, quod ab ipso fuerat expositum. Vehementer mirari se quæ Conadiensis eius nomine retulerat, Regem Catholicum intendere prolationem Concilij, & aduersari cuicumque iuris Ecclesiastici relaxamento in ijs regionibus ipsum postulantibus: à se non conspici, quò tenderet huiusmodi Regis consilium; neque credi, aliarum Prouinciarum vtilitati illum obstiturum. A se quidem prolationem minimè comprobari; sed optari, vt Synodus contraheretur, quò Respublica Christiana inde fructum decerperet, & Ecclesiæ suos Præsules recuperarent, adeoque sibi non displicere consilium Pontificis, quod scribebat Lotharingus, de sollicitando Synodi fine Italorum simul & Gallorum operâ; sed cuncta ritu Canonum peragenda, nullo absque decisione relicto ex ijs capitibus, quorum gratiâ conuentus fuerat habitus, nec illis minori diligentiâ, quàm consueuerat ac decebat, ob festinationem agitatis: secùs enim Concilio derepente præciso, in grauissimam offensionem, ac periculum amplioris ab Ecclesia secessionis incursum iri, maiori cum detrimento, quàm si numquam fuisset coactum. Et quoniam Legatus ad ipsum scripserat, Synodum de sola vniuersali emendatione tunc acturam, posteà verò ad peculiares pro singulorum regnorum commodo descensuram, in memoriam illi redigebat, Oeniponti ab ipso fuisse sibi pro certo positum, stabilitum iri celeriter quidquid ad vtilitatem populorum sibi subiectorum pertineret; id verò nec ab illa secessione, nec ab anteactis confectum fuisse, quod eò magis expediebat, quoniam eadem capita in Christianæ Reipublicæ bonum magna ex parte recíderent. Nec Cæsari nec Legatis desistendum ab eo esse nonnullorum Præsulum causâ, aduersantium relaxationi alicuius Ecclesiasticæ prohibitionis: nam vt ipse bono aliarum Prouinciarum haud repugnabat; ita fas non esse, vt aliorum repugnantia suarum subsidio damnum inferret. Concilium ex eo appellari Oecumenicum, quòd omnes complexum omnibus opitulatur, nec vtilitate ac voto vnici regni sanctiones metitur: quamquam ipse non arbitraretur, Hispanos Præsules charitatem rationemque obliturus. Quòd autem dein Moronum cohortabatur, vt proponeret Synodo ea quorum indigebant Cæsaris ditiones, quæ post communis emendationis decreta illicò agitarentur, se adhuc de illis deliberare, quod spectabat tum ad vsum Calicis, tum ad reliquas legum Ecclesiasticarum relaxationes: vbi ipse rem plenè statuisset, se Præsides certiores facturum. Sperare se, si quid occurrisset quod à Pontifice aut à Concilio peteret, id ab illis, pro eo

ac

ac par erat, expensum iri, cùm ipse nihil in gratiam temporariæ vtilitatis suæ petiturus esset, sed in emolumentum animarum ditionis suæ, Imperij ac Religionis, quò eius reliquiæ adhuc superstites conseruarentur. Addebat, Vbi etiam nihil impetraret, se nihil amplius curaturum, sed curam in Deo repositurum: nec parum esse timendum, ne populi per suam ipsorum potestatem ea sibi caperent, quæ sibi necessaria putarent, & quorum concessionem facilem, & sine Ecclesiæ offensione futuram fuisse censerent. Num id profuturum esset, à se illius iudicio committi, cuius beneuolentiæ auxilioque singulariter fidebat. 1563.

8 Lotharingo responsum reddidit Ferdinandus [g] scripto valdè ieiuno, sed non sine insperssis quibusdam guttulis acerbitatis, quam sinu claudebat: Præter opinionem ad se peruenisse notitiam tam accensæ in Pontifice voluntatis Synodi terminandæ, vt eò festinaret viâ non tritâ & accliui. Se priùs in animum haud induxisse, rationes humanas adeò præpollere; vbi id perageretur, plurimum offensionis à se præuideri. De suo celeritatis desiderio eadem scribebat, quæ in responso ad Moronum narrauimus. Ac denique de legatione Gallicana, quam sibi oblatam à Pontifice Lotharingus affirmabat, consilium Cæsaris ad eam excipiendam exposcens, breuiter aiebat Cæsar, eam sibi de Lotharingo æstimationem esse, vt profuturum Galliæ consilium existimasset, quodcumque ab illo susciperetur, siue continuato siue interrupto Concilio.

[g] 30. Iulij. 1563.

9 Harum omnium responsionum exempla [h] suos ad Oratores misit, significauitque, se audiuisse, præcipitem properantiam à Pontifice, lentam cunctationem à Rege Catholico intendi. Profectò diuinæ prouidentiæ fuit, vt Cæsar obsisteret præproperæ illi rationi dimittendi potiùs quàm absoluendi Concilij, quam Pontifex amplectebatur peioris euentus metu, simulque ne abalienaret à se Lotharingum ac Ferrerium: vnde posteà contigit, vt Lotharingus, Pij voluntate contentus, expertusque aliunde iniectum obicem, expediendæ Synodi ratione digniore operam contulerit, tametsi Ferrerius abalienatus grauiter nocuerit.

[h] In allatis litteris primo Augusti.

10 Hæ Cæsaris litteræ, ad Cæsarianos delatæ [i], iis ad quos mittebantur redditæ sunt. Lotharingus, perlecto Cæsaris responso, tepescentem præ se tulit animum ipsis Cæsarianis, tum ad Synodum præter vsitatum morem terminandam, tum ad Gallicanam legationem suscipiendam. Idcircò iisdem dixit [k], se, ne interrumperetur emendationis tractatio, velle suum Romam accessum protrahere, etiamsi Pontifici à se promissum, donec Sessio celebrata fuisset: cautè acturum

[i] Ex epistola Oratorum ad Cæsarem 10. Augusti 1563.

[k] Litteræ Oratorum ad Cæsarem 20. Augusti. 1563.

1563. acturum se, ne ab aëre Romano læderetur: vnicum illic negotium sibi futurum, Religionis & Galliæ bonum; ac breuî curaturum; tum vt vsus Calicis concederetur, quò ad Ecclesiæ sinum aberrantes allicerentur, tum quorumdam Ecclesiasticorum prouentuum alienatio, cum Cleri consensu, quò regnum ære alieno leuaretur. Legationem Galliæ, quamquam sibi sponte offerretur, haud à se acceptum iri, quò maleuolentium calumnias, accusationesque hæreticorum mutas redderet; nec velle se quidquam in Gallia sancire, ne per Pontificiam quidem auctoritatem, absque reliquorum Præsulum consensu.

Sed longè alia scripserat ad Pontificem Lotharingus biduo ante[l] hoc cum Cæsarianis colloquium: Se per Lansacum, in Galliam regressum, tam efficaciter res significasse Reginæ, vt propitia responsa præstolaretur de negotio quod cum ipso egerat. Putare se id quoque Cæsari haud displicere; sed certiorem se redditum iri ab Aulico, à se ad Cæsarem ea de causa iam misso. Confestim post Sessionem opportunum se ducere, ad Pontificis pedes accedere: ac demum amplissima rursus pollicebatur. Aspectu tam vario idem homo, non solùm variis temporibus, vt de nescio quo fabulæ cecinerunt, sed vno eodemque tempore variis oculis sese offert. 11

[l] Epist. Lotharingi ad Pontif. 16. Aug 1563. in citato libro Gallico.

Non modò spes à Legatis concepta celeriter absoluendi Synodum, sed spes etiam habendi pacificè paratam Sessionem, nebulis cœpit offundi. Oratores Cæsarei iam vsque ab initio miserant ad Cæsarem exempla reformandæ disciplinæ, à Legatis digesta, ac posteà adnotationum, quas ipsi confecerant, iisdemque Legatis dederant, & earum quoque, quas Galliæ Oratores parauerant; non item Lunensis, vt qui eas cum ipsis minimè communicarat. Et ob negotij grauitatem Cæsar dies aliquot responsum distulit, quod posteà reddidit [m] per litteras 23. Augusti signatas, tam celeriter Viennâ delatas, vt post diem 26. mediâ nocte acceptæ fuerint[n]. Ex iis, quæ sparsim in hoc Opere allata sunt, cingebatur Ferdinandus à compluribus Consiliariis, malè affectis, vt ipsi fatebantur, Aulæ Romanæ, sed reuerà Religioni Romanæ, qui nullam vmquam opportunitatem negligebant instillandi in eius animum sinistras opiniones de Pontifice, ac de ipsius Præsulibus; ille verò instar lanæ candidæ quibusuis facilè coloribus inficiebatur. Eaproter insederat Cæsaris animo id quod primo loco significauit per illas litteras Oratoribus, disciplinæ reparationem tanto haberi odio à Clero & Aula Romana, vt in illis sibi communicatis Decretis eo artificio contexta fuerit, quò Principibus intolerabilis ostenderetur; 12

[m] Constat ex epistola Cæsaris ad Oratores 23. Augusti, 1563.

[n] Constat ex responso, reddito die 29.

tur; adeoque ab illis reiecta, in ipsos infamia recideret, & Aula Romana, in alios regestâ culpâ, in antiqua laxitate persisteret. 1563.

13 Ad peculiaria progressus, dicebat, multa ibi contineri de ordine Ecclesiastico, quæ quidem sibi egregia videbantur; tamen vt intelligeret, quo pacto ea in vsum deduci possent in Imperij locis, optare se vt illic adessent Episcopi Germaniæ, aut certè illorum Procuratores: nec sibi dubium esse, illos, vbi certiores ea de re fierent, bonorum Præsulum muneri non defuturos. Sed in vigesimo nono capite dici, irritas ac nullas reddi cunctas sanctiones constitutionesque Principum aduersus immunitates vacationesque hominum ac bonorum Ecclesiasticorum. Huiusmodi decretum esse sibi, ac fortasse cunctis Principibus intolerabile. Numquam à se oppressam, sed semper defensam fuisse libertatem Ecclesiasticam; sed animaduertendum esse, præter leges communes, quodcumque Regnum suis proprijs & antiquissimis consuetudinibus regi: præterquam quòd etiam ex iure communi, Ecclesiasticorum immunitati suas distinctiones ac limitationes inessent. Putare se, cunctos Principes in varias super eo Decreto difficultates offensuros, sicuti nonnullas in scripto Gallorum iam viderat: plenum à se responsum tunc reddi non posse de articulo tam amplo. Quod si Præsides vellent adhuc progredi, & Decretum comprobandum curare, ipsius Oratores ob oculos ponerent prævalidas difficultates, in quas impingeret in locis Imperij eius acceptio, nedum executio; idque potissimùm super collationibus, à quibus ex vetustissima consuetudine Ecclesiastici non erant immunes, ob communem incolumitatem; quoniam ea bona cum hoc onere deuenerant in illorum manus, Apostolicâ Sede consentiente & comprobante. Si neglectis hisce rationibus ad sanciendum huiusmodi Decretum procederetur, ipsius Oratores, communicato cum Hispanis Gallisque consilio, solemni ritu declararent, sibi non licere illi Constitutioni assentiri, vt quæ detrimentum afferebat sacri Imperij iuribus, & contestari aduersus perturbationes omnes inde prouenturas.

14 Varias deinde mutationes adnotauit in reliquis articulis, quæ ferè omnes aut Concilij sensibus consonabant, aut anteà moderatiùs concinnatæ fuerant, vti paulò pòst videbitur.

15 Ita in tertio, vbi in templis interdicebatur mollior harmonia, optauit, ne cantio, quam figuratam appellant, excluderetur, cùm sæpè sensum pietatis excitet.

In quarto, & in postremo, per quos vetabantur Principes vio-

1563. lare precibus miniſve libertatem Eccleſiaſticorum in habendis electionibus, petijt ne moderatæ deprecationes prohiberentur.

Octauo, in quo iubebantur beneficiorum Domini plures quàm vnum præſentare, oppoſuit, per id potius in Ordinariorum quàm in Dominorum facultate collationem collocari: & idcircò laudauit poſteà quod Oratores propoſuerant, vt à Dominis ſinguli ſingulis vicibus nominarentur, nimirum, ſi primus haud cenſeretur idoneus, ſecundus nominaretur. 16

Habebatur in nono: Vbi Paræciarum prouentus tenuiores erant, aut per decimas aut per collationes populi ſupplerentur. Id ſcribebat ille in Germania fieri non poſſe, vbi decimæ plerumque poſſidebantur à laicis, qui ab Eccleſia illas coëmerant, & vbi collationes adeò frequentes erant ad alias indigentias, vt hoc onus addi populis nequaquam poſſet; adeoque ſatius fore, ſi per aliquam beneficiorum coniunctionem illis conſuleretur. 17

In decimo tertio auferebantur iura patronatus ijs qui ea non obtinebant titulo fundationis, aut dotationis, eademque legitimis ſcripturis non probarent: hinc enim detrimentum inferebatur multis, antiquiſſimam poſſeſſionem obtinentibus, quamuis ſcripturæ primæ poſſeſſionis fuiſſent deperditæ pro temporis iniurijs, & etiam priuilegijs, obtentis ex alijs promeritis ab Cæſaribus, aut varijs Principibus, quàm ex fundatione aut dotatione. Quare volebat, vt Oratores ſui ſe cum alijs Oratoribus coniungerent, efficientes vt articulus deleretur. 18

In vigeſimo ſecundo negabatur oſculum Euangelij & pacalis imaginis cunctis laicis, etiam Cæſari. Dicebat, Prudentius videri ſibi, allici Principes ad eas ſacras celebrationes quacumque honorificentiâ. 19

In eodem articulo continebatur, vt Epiſcopi præcederent in quauis actione priuata & publica cunctos laicos, cuiuſcumque ſtatus, eminentiæ & adminiſtrationis. Id videri ſibi potius deturpationem quàm reparationem, cùm ſuperbiam, non demiſſionem Eccleſiaſticam ſpiraret: in Germania præſertim fieri non poſſe vt veteres ritus mutarentur. 20

In vigeſimo tertio præſcribebatur cunctis Epiſcopis, vt inuiſerent Diœceſes, populique ſumptus ad id ſuppeditarent. Affirmabat, neutrum obſeruari poſſe in Germania, vbi Præſules nolebant inuiſere ſine magno comitatu, adeoque cum magno diſpendio, & vbi ob eamdem cauſam, poſitâ Diœceſeon amplitudine, non poterant eas integrè inuiſere. Quare ſibi videri opportunius, ſi ſuis ſumpti- 21

sumptibus propinqua loca per se, remota per interpositas personas 1563.
inuiserent.

12 In trigesimo tertio obseruabat, aptè consuli Ecclesiæ in decimis exigendis; sed esse retinendam indemnitatem complurium laicorum, qui iusto titulo eas sibi acquisiuerant.

13 Posteà considerabat notas varias, à suis Oratoribus appositas, quarum multas comprobabat. Ita in primo capite sanciendum esse, vt ex omni regione Cardinales eligerentur: in tertio, vt sacra Psalmodia non præcipitanter, sed pedetentim recitaretur, ad captum & pietatem composita; & vt Ecclesiasticis venationes, ludi, choreæ prohiberentur: in quadragesimo secundo, vt mulctæ pecuniariæ in pios vsus conuerterentur ab Ordinarijs in ipso delicti loco: & alias huiusmodi, de quibus cum ipsius animo conuenerant.

14 Alias è contrario refellebat, siue vt minoris momenti, siue vt nimis seueras, siue vt quæ fieri non poterant, siue vt Germaniæ haud congruentes. Ac vniuersè scribebat, Futurum sibi gratum, si Gallicos Oratores ipsi pariter imitarentur, qui cuncta ad ipsum retulerant (prout ipse arbitrabatur, tametsi falsò, ex ijs quæ ipsius Oratores rescripsere) antequam responsa Legatis redderent. Tam seuerè (& iure quidem) Principes à suis Oratoribus exigebant antecedentem illam communicationem, & in agendo subiectionem; quæ si à Legatis exercebatur erga Pontificem, ab ijs accusabatur quasi Concilij seruitus; adeò vt Pius, sicuti vidimus, ad tam multas vociferationes sedandas coactus fuerit demandare, vt ad quodcumque Decretum pergeretur, ipsius sententiâ non cognitâ, neque rei notitiâ priùs ad se delatâ.

15 Adiecit, vel maximè necessarium esse, vt compendium doctrinæ Catholicæ formaretur, ad cuius normam à concionatoribus ac magistris eam cuncti Christiani populi docerentur, adeoque perficiendum id sedulò curarent.

Vt secundùm hæc ipsius mandata Legatis responderent, & cuncta peragerent: ac postremò iussi sunt de his omnibus certiorem facere Lunensem, quemadmodum mos est alijs notitiam impertiri, quò ad opus pariter alliciantur, tum quia pronus quisque est ad auxilium rependendum de se honorificè existimantibus, tum quia non minùs animi, quàm loca vacua, & nondum occupata, facilè capiuntur.

1563.

CAPVT VI.

Dissensio inter Oratores Cæsaris & Legatos, de ijs omittendis quæ ad Principes laicos pertinebant; & quo pacto composita. Legati à Pontifice secretam abeundi facultatem postulantes, si quid accideret quo ad id adigerentur. Difficultas, an rata esset electio Ferdinandi in Regem Romanorum, & promptus Pontificis animus ad supplendos defectus, modò Rex certo quodam iureiurando se obstringeret, & legationem mitteret ad obedientiam profitendam. Maximiliani repugnantia, & rationes vtrimque militantes. Varia agitata, & quo tandem exitu.

ANtequam Ferdinandi litteræ, quas diximus, non modò exciperentur, sed scriberentur [a], exemplum reparatæ disciplinæ adeò reformatum fuerat, vt memorata iam monita parum illi aptarentur. Etenim tum vt illæ contraherentur, quò ante præstitutum Sessioni diem digeri possent, tum ob difficultates in ipsarum trutina deprehensas, ad ea solùm capita redactæ erant, in quibus ijdem Cæsariani facultatem ac decentiam agnoscebant. Supererant tamen duo articuli, Cæsari ponderosiores: alter de Principibus laicis, sed formâ magis moderatâ, quàm ad ipsum fuerat missus: alter, quo irrita reddebantur *iura patronatus* ex priuilegio. Oratores accepta mandata Lunensi aperuerunt; ipse verò censebat, nihil peculiariter obstandum duobus articulis dum proponebantur, ne ipsi viderentur libertatem Concilij perturbare; sed generatim respondendum, eos non probari: vbi verò ad firmandos articulos ventum esset, tunc pro viribus strenuè acerrimeque reluctandum. Verùm Cæsariani consilium non admittebant, vtpote futuris tumultibus grauidum. Cùm autem Quinque Ecclesiarum Episcopus ac Tonus ægri decumberent, solus Archiepiscopus Pragensis Legatos [b] adijt, eosque docuit auersum Cæsaris animum, ne duo illa Decreta proponerentur. Ad hæc grauem animi mœstitiam præ se ferens Moronus, vti Legatorum Princeps, respondit: Mirari se, Cæsarem, qui semper tam acre emendationis vniuersalis studium professus fuerat, velle tunc laicos Principes subtrahere. Cùm Præsides, antequam rem proponerent, explorare voluerant voluntatem Pontificis, non ipsorum modò, sed Ecclesiæ Principis, tunc exclamatum fuisse: cùm verò Pontifex se quasi spoliauerat eâ præ-

[a] Cuncta constant ex dicta Cæsaris epist 20. Aug. & ex altera, 29.

[b] Ex litteris 20. & 29. Aug. ad Cæsarem ab Oratoribus, & in duabus alijs Legatorum ad Borr. eodem die.

prærogatiuâ, & conceſſerat Concilio poteſtatem cuncta conficiendi, ſe ne præmonito quidem, velle Cæſarem præſcribere, ne de hoc illóve articulo ageretur; paratos eſſe Legatos potiùs facultatem abeundi petere à Pontifice, quàm adeò grauem indignitatem perpeti. Quare ſi Cæſariani, dum res proponeretur, ſuas conteſtationes objcerent, ſe ſua diplomata executuros, Patreſque dimiſſuros; quamquam, etiamſi vellent, haud futurum in ipſorum manu, Epiſcopos adducere ad ferendam de alijs articulis ſententiam, illo, qui præcipuus erat, relicto. Lamentabiles eſſe ipſorum querelas, ob incommoda, quæ varijs in regnis tolerabant, non quidem in Cæſaris ditionibus, ſed in aliorum Principum, quos nominauit. Affirmari, ab Epiſcopis ſeuerum manſionis Decretum fuiſſe fruſtrà confectum, niſi tollerentur manſionis obices, ab eiſdem Principibus iniecti; cùm fieri non poſſet, vt illic reſiderent, vbi Paſtorum lituus adeò vileſceret, vt ipſi Præſules ſe quaſi pro famulis haberi à quouis minimo dynaſta cognoſcerent: ſi Cæſari hæc innoteſcerent, non retractum ab eo iri Concilium, ſed incitatum, vt tantæ neceſſitati conſuleret: reſciri, non eſſe id ſponte profectum ab optimi Cæſaris mente, ſed ab eorum inſtigatione, qui Apoſtolicam dumtaxat Sedem reformatam cupiebant, reliquis in veteri deformitate relictis. Has rationes obiecit Præſidum princeps Oratorum poſtulato: & poſt multam diſceptationem ipſe eiuſque collegæ concluſerunt, articulum illum deleri non poſſe. 1563.

2 Tunc Archiepiſcopus repoſuit: Se numquam ſperaſſe, id ab ipſis ſtatutum iri: in compertò eſſe, quàm modeſtè ſe geſſiſſet Cæſar ad eam vſque diem, cunctis repoſitis in Legatis, etiam ijs, quæ ſuo iure exigere fas ſibi fuiſſet: at verò fuiſſe ab alijs ea illis prolata, quæ ipſe putabat ſibi abſque ſcelere ne narrantis quidem modo referre, & tamen his tam ſeuerè non fuiſſe reſponſum. De duobus illis articulis reformatis expendendam omnino eſſe deliberationem Cæſaris, cui ſupra reliquos compertum erat, quidnam Imperij ſaluti congrueret.

3 Sed iterùm Legati: Vbi per eumdem tabellarium duo illi articuli remitterentur eâ formâ quâ correcti fuerant (ſe quoque paratos oſtenderant ad eos iterum corrigendos, dummodò non omnino prætermitterentur) ſperare ſe, ab illo comprobatum iri. His acquieuit Archiepiſcopus, ſed noluit vt interim proponerentur. Et ita colloquium abſolutum eſt; in quo Oſius ſtudij ardore, & indolis candore, præ reliquis collegis oſtendit, neceſſariam à ſe duci emendationem laicæ poteſtatis etiam in Germania, cuius res erat exper-

1563. expertus; magisque Poloniæ, vbi natus erat, consuetudinem commendauit.

Oratores Ferdinandi mandatis constanter inhærebant, ad rem, si proponeretur, oppugnandam; & ad Cæsarem rescripserunt, Lunensem cum ipsis acturum: de Gallis nihil sibi polliceri, quippe durissimum quemcumque cibum deuoraturis, quò Lotharingus celeriter in Galliam remigraret.

In eiusmodi controuersiæ statu Legati sedulò litteras Romam 4
miserunt ad Borromæum, per opportunitatem hominis, qui Delfino à secretis erat, & ab eo Romam mittebatur, & Tridento transibat: simulque institerunt, vt ipsi de voluntate Pontificis certiores fierent, vbi violentiam in eo paterentur, atque vt acciperent diploma, perfecturi quod minitati fuerant; videlicet, se abruptâ Synodo discessuros, vbi illam, suumque munus præpediri censerent, polliciti, id à se non nisi extremâ coactis necessitate peractum iri. Sed antequam nuntius in viam se daret, euentum colloquij cum Archiepiscopo per familiarem hominem nuntiarunt Drascouizio, qui ex morbo decumbebat, & rem à collega resciuerat, fortasse quò eius animus tentaretur an acquiesceret. Respondit ille, Sibi mirum videri, eos qui paulò antè publicè dixerant, Pium Quartum, qui se pro summo Pontifice gerebat, reuerà summum Pontificem non esse, sed per simoniam electum, adeoque dignum qui deponeretur, consecutos fuisse, & consequi facilius quod ipsi postulabant, quàm Oratores Cæsaris, tam pij ac tam modesti. Rogari à se moneriique Legatos, ne Cæsaris postulatis aduersarentur: nam etiamsi tacuisset ille, haud ipsis defuturos qui acerrimè contradicerent.

Moronus animaduertens Cæsarianos deiungi, adeoque deuinci 5
non posse, Pragensem accersijt: & cùm in ambobus æstus animorum partim colloquio, partim meditatione ac morâ deferbuisset, studuit vterque, id quod impetu exasperatum fuerat, suauitate lenire. Pragensis dixit, Cæsarem illi formæ reconcinnatæ minimè repugnaturum, vt qui ab altera offendebatur, quod ita sonabat, vt cuncta Decreta Conuentuum Germanicorum in rebus Ecclesiasticis abijcere videretur; sed oportere habitam ab ipsis de Cæsare rationem ostentari, expectato eius responso, breuî aduenturo. Ex altera parte præteritam acrimoniam excusauit Moronus; & quò palàm fieret Pragensi, quàm addictus Cæsari idem esset, acceptâ silentij fide legendum illi obtulit id quod Pius scribebat, quò facilius Romanorum Rex confirmaretur. Hîc verò par est vt aliquanto remotius regrediar, quò rem exponam, argumentum plurimi

rimi sermonis laborisque id temporis, & quæ non parum connexa fuit cum viris ac negotijs Concilij, præsertim cùm Suauis haud cesset eam rem sui carbonis ductibus depingere, quantum sibi valeat ad Sedis Apostolicæ dignitatem ac famam denigrandam. 1563.

6 Fuerat ea res commissa inter alias Morono, dum legatione fungebatur Oeniponti, vbi opportunitatem nactus esset: controuersia in hoc versabatur. Aduersus electionem Maximiliani plurima connumerabantur vitia, ac potissimè [c], quòd duo solùm Septemuiri illi consensèrant, quoniam reliqui tres hæresim sectabantur, & Colonien sis Archiepiscopus nondum fuerat confirmatus. Præterea, Pontifex [d] non admittebat potestatem in Septemuiris absque suo consensu destinandi successorem Cæsari adhuc viuenti, sed solùm subrogandi iam defuncto, seu concedendi adiutorem viuenti, donec ipse diem obeat: atque huiusmodi adiutorem esse reipsa Regem Romanorum ante Pontificiam confirmationem; multoque validius id tunc militare, quando ipsius parens coronam è Pontificis manu non acceperat. Ac denique obiectabatur, coronam argenteam à Maximiliano fuisse susceptam Francofurti, & non Aquisgrani, secundùm Caroli Magni constitutionem, à successoribus perpetuò custoditam: tamen significauerat Pontifex Morono, haud difficilem se præbiturum ad defectus supplendos, dummodò Maximilianus Catholicorum parti omnino adhæreret.

c Litteræ arcanis notis Borromæi ad Moronum 24. Martij 1563.

d Cuncta extant in longa epistola Borrom. ad Delfinum Nunt. 8. Iunij 1563

7 Sed quoniam Regis absentia omnem opportunitatem ademerat Legato Oeniponti ad rem transigendam, posteà Delfinus Pontificem monuit, in rem non esse [e], negotium sic in ancipiti deserere cum acerbo Ferdinandi ac filij sensu; qui repugnantiam in eo Sedis Apostolicæ conspicati, illam tamquam propitiam ac fauentem ipsorum amplitudini aspicere non possent. Quare Pontifex animum flexerat ad electionem confirmandam, vbi Maximilianus postularet vt illius defectibus suppleretur, & iusiurandum ederet pro Fide ac Sede Apostolica, ex scripto illi tradito, pro eo ac varij Cæsares iurauerant: & Oratorem ad exhibendam obedientiam Romam mitteret, de more aliorum Principum, & sicuti Ferdinandus eius parens egerat.

e In epist. Delfini ad Borromæum 4. Maij 1563 cùm in Germania difficultas erat in excipiendo diplomate Cõfirmationis; at summa suarum litterarum est in cõmentarijs Barberinorũ.

8 His quæ Pontifex postulabat difficilem præ se tulerat animum Maximilianus, etiam ex Ferdinandi sensu. Recusabat confirmationem petere, nisi ea ostenderetur petita à decessoribus, inter quorum electiones aliquam fuisse pluribus quàm suam vitijs affectam. Iuriiurando quæsito à Pontifice opponebat, vsurpatum illud non esse; idcircò Cæsaris Orator de se aliud protulerat, quod vsurpa-

1563. tur cùm Cæsar à Pontifice coronam accipit, in quo se obstringit ad Fidem Catholicam tuendam Sed hoc existimatum fuerat præsenti negotio non congruere ; illi tamen Pontifex acquieuisset, dummodò verbo aliquo adiecto, & amplius litteris à Maximiliano ad Pontificem scriptis, ille declararet, nomine Catholicæ Fidei, à se in eo iureiurando promissæ, intelligi fidem illam, quam Romani Pontifices profitebantur : quæ declaratio (aiebat Pontifex) vim habuisset ad serenandos Cardinalium animos, qui consensuri erant solemni declarationi, quâ Maximilianus Romanorum Rex agnosceretur, nondum omni rerum præteritarum vmbrâ purgatos. Nec minùs obedientiæ exhibendæ repugnabat Maximilianus, opponens, id à patruo suo Carolo Quinto, & ab auo Maximiliano peractum non liquere : & quamquam patris Orator in eo consensisset, actum id ab illo extra limites mandatorum; & quia Tridentinus ac Moronus Cardinalis ad hoc illum impulerant, polliciti se ostensuros, idem à memoratis Cæsaribus vsurpatum fuisse, quod legitimè non probabatur. Quapropter nisi tunc rem excusasset apud Cæsarem recta Oratoris mens, hic pœnam exoluisset.

Contrà verò pro Pontifice afferebatur : Quamquam siue ob recentem Romæ direptionem, siue ob socordiam in tabulis custodiendis, non reperirentur iuramenta, & obedientia, à Maximiliano I. & à Carolo V. præstita ; tamen id actum esse credendum. De iuramento haberi formulam in Canone, *Tibi Domino.* distinct. 93. quæ formula postea variata fuerat, sed semper vsitata à Cæsaribus electis, per amplissima verba, prout eam Pontifices postularant, sicuti constabat ex summario Othonis Quarti, Frederici II. Guilielmi, Rudolphi, Alberti I. Henrici VII. & Caroli V. Quod verò ad obedientiam spectabat, præsumi non solùm exhibitam illam fuisse à præteritis Imperatoribus, ex cunctorum Regum Principumque Christianorum exemplo, sed scriptum reperiri, Carolum V. eam fuisse pollicitum disertis verbis : & recenter oblatam à Federico, legitur in Oratione per typos edita ab Ænea Siluio Picolomineo, qui posteà Summus Pontifex Pius II. dictus est. Præterea de Maximiliano I. referri ab antiquo Cæremoniarum libro, *ab eo fuisse præstitam obedientiam.* Vbi Rex nec Pontificiam confirmationem vellet accipere, nec exhibere Pontifici obsequia consueta debita, & nihil sibi noxia, satiùs censeri, ne offensionis causæ augerentur, in eodem rerum statu vtrimque persisti, donec maior à Deo lux affulgeret de eo quod expediret.

Quid-

10 Quidquid narratum est, scribebatur à Borromæo in quibusdam documentis, tam prudenter digestis, vt si quo infortunio elaberentur, aut necesse foret Nuntio ea in Cæsaris manu per vnum aut alterum diem relinquere, & ille sibi exemplum exscriberet, possent ob oculos Maximiliani absque offensione obuersari. Sed præterea significabatur per arcanas notas Nuntio, vt ipse Cæsari in memoriam reuocaret suspiciones de filio conceptas, tum quia hæreticum concionatorem à se depellere noluerat, tum ob alia maioris momenti ab illo gesta; adeò vt ipse Cæsar sæpè conquestus de eo fuerit cum Pontifice, per litteras suâ manu conscriptas, ostendens, in sua potestate non esse rebus consulere. Hinc moueri Pontificem & Purpuratos Patres, ne satis haberent vniuersalem quamdam declarationem, quâ polliceretur Rex conseruationem Catholicæ Religionis, sicuti loquebatur iusiurandum oblatum ab Oratore; sed vt poscerent voces immunes ab interpretationum varietate, & declarantes, quid ipse nomine Catholicæ Religionis intelligeret. Porrò, quò altiorem euehebatur ad gradum in Christiana Republica, eò securiorem fidem habendam esse, quòd ab ipso ad Christi gloriam esset administrandus; aliter Pontificem ne tria quidem suffragia, in Senatu Maximiliano propitia, sibi polliceri posse. 1563.

11 Delfinus, quamquam his rationibus instructus, insuperabilem offendit duritiem in Maximiliano, in Ferdinando, & in Consiliarijs, profectam, vt ipse scripsit, non ex repugnantia Sedis Apostolicæ, celsissimo quouis modo honorandæ, sed ex quadam ratione admodum speciosa, & in hisce rebus prævalida, præsertim apud Germanos, ne videlicet variaretur id quod consuetum est, cui soli ad se tuendum apologiâ opus non est. Vetera iuramentorum exempla, quæ adducebantur, varia esse & abolita, & fortasse accommodata illius temporis Cæsaribus, à quibus par erat vt Apostolica Sedes exigeret huiusmodi cautiones, ob ea quæ sæpè illis insectantibus tolerabat; non tamen illis, qui tunc erant, veris nimirum ipsius defensoribus, eique addictis, iusiurandum illud Canonis, *Tibi Domino*, fuisse in vsu, cùm Cæsar coronam susceptus Romanum territorium ingrediebatur, adeoque præsentibus conditionibus haud aptari: & fortasse illi iuriiurando aliud consuetudine successisse, quod Reges Romanorum habebant in prima corona accipienda, & quod reipsa protulerat Maximilianus Francofurti solemniter, & in conspectu tot potentissimorum Protestantium, qui priùs illum euexerant, & tunc fremebant. de quo infrà.

1563. infrà. Memoriam non extare huiusmodi recentis iuramenti, antequam Reges Romanorum secundùm *Bullam auream* eligerentur. Illud verò longè maioris æstimationis esse, quippe habitum in tam celebri Germaniæ concursu, quàm quidquid ageretur in Vaticano Senatu. Recentius Caroli IV. quod afferebatur, non videri plurimi faciendum: cùm enim ille Princeps electus fuisset eo tempore quo Ludouicus Bauarus regnabat, mirum non esse, inductum illum fuisse ad quamcumque legem à Romano Pontifice accipiendam, vt ab eo fieri solet, qui non nisi nomine Principatum obtinet, & alienâ indiget ope ad reipsa possidendum. Ab Oratore arbitratu suo, non suorum Principum mandato illud aliud iusiurandum oblatum fuisse, quod habebatur à Cæsare iam regnante, cùm à Pontifice coronam accipiebat; & valdè indecoram videri confusionem rituum officiorumque in huiusmodi actionibus, quæ adeò variabant, abiectis cæremonijs diutius vsurpatis. Si talia iuramenta secundùm illorum veterum tenorem, quæ Pontifex adducebat, reuerà fuissent habita siue à Carolo V. siue à Maximiliano I. non esse credibilem tabularum illarum iacturam in Vrbis direptione, vtpote quæ conseruari soleant à Romanis Pontificibus in Arce Ælia, quò Clemens VII. & se & pretiosissima quæque receperat. Et sanè post direptionem & memoratas iacturas, accidisse electionem Regis Romanorum in Ferdinando Cæsare, tunc regnante; nec apparere, huiusmodi iusiurandum ab illo editum.

Eamdem ab vsu comprobationem postulabant, vt assentirentur petitæ obedientiæ, ab Oratore nomine Regis exhibendæ. Quod de ipsa aliàs exhibita proferebatur, eamdem exceptionem habere, pro iureiurando adductam. Orationem Æneæ Siluij satis rei probandæ non esse; auctor enim eo fuerat ingenio, & vitâ tam diuturnâ post eius recitationem, vt ipsam multis in partibus pro more scriptorum mutare potuisset. Neque rem satis ostendi à vetere Cæremoniarum libro, quippe qui diserta verba à Maximiliani I. Oratore dicta non ponebat, sed sententiam; adeoque dubitari posse, expositam fuisse tamquam obedientiam, significationem illam obsequij, quæ certum hoc vocabulum non contineret. Nec Maximilianum obsistere facultati, quam assumerent Pontificij, similis interpretationis in posterum vsurpandæ, dummodò ipsum non obstringerent ad eam formam exercendam, cuius vsum non cernebat apud suos proximos decessores, excepto parente, cuius Orator id egerat absque sui Principis mandato, & nixus conditionibus positis pro certis, sed posteà haud veris repertis.

Hæc

12 Hæc erant Cæsarianorum responsa: sed temperamentum, ad quod postremò Pontifex confugiebat, vbi difficultas in Maximiliano persisteret, vt nimirum vterque quiesceret, omissâ eius rei tractatione, ne contentiones adeoque acrimoniæ multiplicarentur in Germania, neque Cæsaris, neque Sedis Apostolicæ studiosis vllo pacto probabatur. Alteri parum firmum in capite Maximiliani diadema censebant, nisi illud stabiliuisset manus Pontificis, cuius auctoritas tanti fit à cunctis Catholicis, ac præcipuè à tribus Septemuiris Ecclesiasticis, & à tam multis Præsulibus, in Germania præpotentibus. Alteri perpendebant, hoc litigio vti posse Pontificatus hostes, validâ quasi machinâ ad Regis animum concutiendum, & ab illius studio amouendum, qui regiam ipsius potestatem haud legitimam agnoscebat; pro eo ac mos hominum est, auctoritatis plurimum tribuere sua comprobantibus, minimum sua improbantibus. Atque in hac sententia erat præsertim Delfinus, à quo missus fuit ad Pontificem Fata, qui sibi erat à Secretis eo tempore de quo loquimur, sua deferens consilia, compluriumque Catholicorum, religione ac prudentiâ præstantium, & Maximiliani promissa; quæ huiusmodi erant. 1563.

13 Vt Romam mitteretur exemplum authenticum iurisiurandi à se præstiti Francofurti, in quo habebatur hæc interrogatio, quâ illum Archiepiscopus diadema imponens percontabatur [f]: *Vin sanctissimo in Christo Patri ac Domino Domino Romano Pontifici, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ debitam subiectionem ac fidem reuerenter offerre?* Rex verò responderat, *Volo*, ad hæc & alia à se promissa obstringens se iureiurando super Euangeliorum libro. Prætereà deferret Orator ad Pontificem in cubiculo epistolam Maximiliani, quâ se obstringeret ad exhibendum illi omne officium, omnemque professionem obsequij, quæ quouis tempore reperiretur exhibita ab eius decessoribus, aut à parente Ferdinando, aut à patruo Carolo V. Vt idem Orator diceret in Senatu verba reuerentiam plurimam sonantia: vt ibi legeret epistolam Regis ad Pontificem, quæ tametsi non contineret vocabulum obedientiæ, multum tamen obsequij subiectionisque depromeret. Hæc deferebat Fata. Moronus verò per suas litteras auctor erat Pontifici mitiorum sensuum, sperans, quemadmodum Maximilianus animum auerterat ab aliqua propensione, quam primis annis ostenderat, ad nouas doctrinas; ita amanter habitum à Sede Apostolica, suorum maiorum obsequium imitaturum, ac re ipsa experturum, per ea maiestatem non abijci, sed sustineri. Quod Moroni consilium quamquam

[f] 30. Nouēb. 1563. in Bibliotheca Barberinorū.

1563. Pontifex à se agnosci fateretur vt à sincerissimo [g] studio profectum, tamen respondit, id sibi durum videri; sed à se; quantum poterat, concoctum iri, demandatâ interim eidem curâ, vt cum collegis rem perpenderet, & cuncti ad se scriberent quid ipsi sentirent.

g Litteræ Borrom. ad Moronum 4 Septembris 1563.

Iam verò post longam meditationem impensam à Legatis & à 14 Pontifice, huius nomine [h] ad Nuntium responsum est: Si ab initio fuisset missum ad Pontificem iusiurandum à Rege habitum Francofurti, tot in eo controuersias haud excitum iri; sed aduenisse Regis nomine Ioannem Manriquium cum epistola valdè ieiuna ad fidem illi conciliandam, in qua ne ipsius quidem missionis finis exponebatur. In reliquum studiosissima voluntas gratificandi illis Principibus ostensa est, atque ad id varia proposita; præsertim verò vt Rex obedientiam exhiberet ex titulo Bohemiæ & Hungariæ, ac reliquæ hereditariæ ditionis, quam obedientiam exhibuerat Iulio III. Maximilianus I. ex persona & tamquam tutor Philippi filij, & quæ continebatur in conuentionibus Barcinonensibus inter Clementem VII. & Carolum V. qui spondebat, exhibiturum se obedientiam pro cunctis suis regnis ac ditionibus hæreditarijs: & cum eo communis consuetudo omnium Christianorum Principum consonabat. Sed post hæc proposita, Pius, propter Ecclesiæ bonum, anteferens Austriacorum gratificationem, & coniunctionem integram & apertam inter ipsos & Apostolicam Sedem, litigio vocabulorum potiùs quàm rerum, ad calcem cuiusdam epistolæ, ad Nuntium à Borromæo scriptæ de hoc negotio [i], apposuit suo chirographo hæc verba: *Volumus tandem, vt ipsum Cæsarem arbitrum huiusce rei constituas, gnari, eum suâ pietate ac studio in hanc sacrosanctam Sedem, nostramq; Catholicam Religionem, ita negotio prospecturum, vt os occludere nobis liceat malignis, parumq; ipsi beneuolis. Compertum est Cæsari, voluisse nos semper res Serenissimi Regis sui nostriq; Filij charissimi inter nos agitare; idem nunc volumus, ac semper præstabimus, cunctis commissis ac repositis in prudentia, pietate ac Religione Cæsaris, cui scimus Serenissimum Regem eius filium adhæsurum, eumq; omnino probitate suâ imitaturum; atque hæc pauca verba volumus vt Cæsari legas, perinde ac si ad ipsum scripta fuissent.*

h Litteræ Borrom. ad Delfinum 19.& 28. Septemb. 1563 cum notis Pontificis.

i 28. Septembris 1563.

Et ne lectorem pernoscendi exitus auidum relinquamus, nonis 15 Februarijs [k] anni subsecuti in Vaticano Senatu recitatæ sunt literæ latinæ Maximiliani ad Pontificem, huius sententiæ: *Beatissime in Christo Pater, Domine, Domine Reuerendissime, post demissam commendationem, & continuum incrementum meæ filij obseruantiæ, mitto ad sanctitatem tuam Georgium Comitem Elfestain, qui pro meorum decessorum*

k Cuncta extant in Actis Consistorialibus.

more à te reuerenter petat, vt ea peragas, & concedas post meam electionem in Regem Romanorum, quæ sanctissimi Romani Pontifices agere & concedere consueuerunt. Itaque dum ego profiteor præstari à me Sanctitati tuæ, & sanctæ Apostolicæ Sedi, nunc & in posterum, quidquid reperietur fuisse præstitum à maioribus meis, ac præcipuè à diuis Maximiliano, & Carolo V. atque à Serenissimo Ferdinando, Domino ac parente meo, non dubito, à Sanctitate sua vicissim declaratum iri in præsentia beneuolam erga me propensionem suam. Me quidem semper reperies in officio obseruantissimum sanctitatis tuæ, sanctæq; Sedis Apostolicæ, cui Deus immortalis prospera cuncta concedat. Subinde Pontifex ex consilio consensuque Cardinalium electionem, de qua diximus, confirmauit, supplens defectus iam narratos, & in eo actu distinctè numeratos. Posteà verò decretum est, vt in sequenti Senatu, qui post biduum habitus est[1], exciperetur Orator Maximiliani tamquam Regis Romanorum Orator. Is verò delatis litteris fidem conciliantibus, consuetam orationem fecit, pollicitus in ea *amorem, reuerentiam, obseruantiam & obsequium*: quæ postrema vox latinè sonare potest *obedientiam*; sed hac voce vsus non est. 1563. [1] 7. Februar.

16 Cuicumque rerum gestarum conscio, narrationem Suauis legenti super hoc negotio, licebit cognoscere, quot erroribus & calumnijs illa scateat, & quantâ rationis penuriâ Pontificem ipse derideat; aut quasi anteà is postularit obsequia, quæ ipsi minimè deberentur; aut quasi posteà exercuerit iurisdictionis ac prærogatiuæ actus, qui postulatis minimè consonarent. Verùm quisquis eum deridet, quem potentiæ, sapientiæ, & sanctitatis humanæ fastigia venerantur, non supra reliquos hic certè sapit; sed similis est mente captis, qui timoris quidem, non reuerentiæ capaces sunt: cùm timor sit affectio belluis communis, & excîta à phantasia; reuerentia verò proprius hominis affectus, & à ratione procreatus. Sed ad nostra tempora successusque reuertamur.

CAPVT

1563.

CAPVT VII.

Concordia inter Moronum & Archiepiscopum Pragensem. Postulatio Lunensis apud Pontificem, vt leges ad Comitia Pontificia & Purpuratorum Collegium reformanda, ferantur à Synodo. Responsa illi reddita Pontificis nomine à Legatis.

IN colloquio memorato inter Moronum & Pragensem, post- 1
quam ille præteritæ contentionis asperitatem lenijt, vt dictum est, quo sibi veterem Cæsaris beneuolentiam conseruaret, sine qua Pontifici minister idoneus esse non poterat, conuenit cum Pragensi, vt de argumento discordiæ, hoc est, de suspendendo examine Decreti, ad reformandos Principes digesti, cum collegis colloqueretur. Et hi tandem conuenientes considerarunt, idem planè futurum amicitiam Cæsaris, ac Synodum abrumpere; cùm is aquila quodammodo illa esset, sub cuius alis Synodus fouebatur. Præterquam quòd conatus euasisset irritus ob aduersum Lunensis animum, quem rescitum fuerat affirmasse, inspecturum se, vbi Regis nomine ea intermissio postularetur in Synodo, quisnam inter subditos Regis esset illi aduersaturus. Audiri, Lunensi quoque in eo Lusitanum obsecundare: cumque à Legatis ad consilium accitus esset Lotharingus secundùm accepta mandata, vt is tamquam quintus Legatus in rerum communicatione haberetur, ille non modò eam dilationem comprobarat, sed adiecerat, Si Brentius hæresiarcha spatium petijsset vt audiretur, haud ipsi denegandum fuisse. Idcircò inter eos conuenit, vt Oratores Viennam cursorem mitterent, cuius reditus post octauum aut decimum diem incideret: vt curarent interim Legati expendi à Patribus dogmata, seu disciplinæ reparationem; & vbi intra illud spatium temporis responsum haud redderetur, darent operam, vt illi de reliquis emendationis generalis articulis differere permitterentur, eâ tractatione sepositâ, donec responsio perueniret. Tabellarium Oratores confestim miserunt, & post rei gestæ narrationem Ferdinando significarunt; Sibi quidem ex animo videri opus esse, vt laici quoque Principes reformarentur. Simul etiam per eumdem tabellarum de rei euentu Delfinum monuerunt, vt negotio coram opem ferret.

Eiusmodi tunc molestiâ liberi Præsides, sententiam suam de alia 2
re notabili, in postremis Borromæi litteris [a] contenta, Romam perscripserant. Lunensis vnà cum responsionibus scripto redditis ad

[a] Litteræ Legat. ad Borrom. vlt. August. 1563

ad parata legum capita, coràm etiam expoſuerat, neceſſe eſſe vt in Concilio & Collegium Purpuratorum, & Pontificis Comitia reformarentur. Id quoque fuerat ab eodem Cæſari ſignificatum, à quo traxerat mandata ad ſuos [b], vt vtrumque promouerent. Poſteà ſcripſerat Lunenſis ad Pontificem, teſtatus animum ſuum optimè paratum; ſed hæc duo poſtulans, quæ vniuersè ab Oratoribus expetita dicebat, & in reliquis vſus formulis ad animi demiſſionem amoremque compoſitis, prætermiſſo per ſilentium capite, tam ardenter anteà à ſe quæſito, vt nimirum pro maiori nationum numero decerneretur. Hanc epiſtolam Borromæus Legatis legendam miſit [c], indicauitque quid Pontifex haberet in animo illi per ipſos reſpondere; ſed ſimul eoſdem conſuluit, addens, fortaſſe præſtolaturum Pontificem ipſorum ſenſus, antequàm reſponſionem ſuam illis committeret. Hi verò ægrimoniâ pleni ob oppoſita à Lunenſi, oſtenderunt, à ſe parui fieri tum quòd ille mitius ſcriberet de ſententijs, nationum numero ponderandis, cùm eos ſenſus voce repeteret; tum quòd etiam affirmaret, in ea duo capita commune ſuffragium Oratorum conuenire, cùm præter ipſum ne verbum quidem reliqui haberent. Exiſtimare ſe opportunum, vt Pontifex, pro eo ac planè indicabat in animo ſibi eſſe, litteras ad eum reſcriberet officioſas ac breues, ipſis iuſſis illi coràm reſpondere ſuo nomine in hanc ſententiam: De Cardinalibus negotium Synodo à ſe iam commiſſum: ſibi polliceri, eam nihil operæ omiſſuram; vbi id non ſuccederet, ſe ſuo muneri haud defuturum: Pontificijs Comitijs fuiſſe iam conſultum per diploma, vbi optimæ ſanctiones veterum Synodorum reuocabantur, annorum decurſu, itidem ac reliqua humana, collapſæ. Id negotij non fuiſſe demandatum Synodo, propterea quòd nulla de eo peritia in Epiſcopis erat. Diploma Cæſari planè ſatisfeciſſe, cùm ipſe tantummodò poſceret, vt artibus laicorum Principum in promouendo aut præpediendo aliquo ex Cardinalibus iretur obuiam: poſſe id confici in emendatione laicorum, cunctis vetitis, etiam Principibus, denuntiatione grauium pœnarum, ne in eiuſmodi negotium ſeſe admouerent, adeoque iudicio libertatique Cardinalium relinquerent eius electionem, ad quem diuino afflatu impellerentur. Hoc fuit Tridentinorum Præſidum conſilium, quibus Pontifex reſponſionem commiſit per eoſdem ſenſus, quos ipſe conceperat, ac per litteras illis aperuerat [d], antequam eorum epiſtolam acciperet; ſolùm adiecto, animaduertendum eſſe Lunenſi, an prohibitio cum anathemate, in quoſcumque principes irrogato, ne Comitiorum Pontificis

1563.

[b] Memorata Cæſaris epiſtola ad Oratores 8. Auguſti 1563.

[c] Litteræ Borrom. ad Legatos 21. Auguſti 1563.

[d] Litteræ Borrom. ad Legatos 28. Auguſti, & Legatorum ad Borrom. 5. Septembris 1563.

1563. tificis res tractarent, Hispano Regi expediret, qui tam magnam in ijs partem obtinebat. Diploma commendatum, ceteroqui tamquam perfectum, in eo solùm vitiosum fuisse agnitum; idque quoniam Pontifex de vtroque Rege rationem habuerat. Quod si placeret Lunensi, vt in Concilio aliquid adderetur diplomati, quod hoc vitium ab eo tolleret, Pontifici haud molestè id futurum: sed eodem tempore Auila, percepto rei pondere, mentem Lunensis illuminauit. Quare ille responso Præsidum acquieuit, sibique satisfactum affirmauit, cum eo Pontificis emolumento, vt repulsa loco gratiæ habita fuerit.

Si Satyricus ille impiè dixit, Deos interdum ex audiendo malignos esse; verè licet affirmare, Deum & homines beneficos esse negando.

CAPVT VIII.

Consilium à Legatis susceptum, vt emendationis capita minuerentur. Quædam adiecta, petente Lunensi, de primis instantijs, ad inducendam Mediolanum sacram Inquisitionem agitata. Turbæ hinc ortæ, sed sedatæ. Falsæ ratiocinationes Suauis de Decreto clandestinorum coniugiorum. Variæ Patrum sententiæ de Matrimonio.

ANimadvertebant Legati, si Cæsaris mandata præstolarentur, incertum lentumque negotium diutius protractum iri. Quare quò præstituto die Sessionem celebrarent, duo excogitarunt; alterum, vt solum illum articulum ad futuram Sessionem transferrent; alterum, vt simul cum eo alios quoque transferrent. Per illud, tametsi Lotharingi consilio comprobatum, videbantur nimis apertè obsecundare, & quasi obtemperare voluntati Cæsaris. Præterquam quòd Episcopi, illius articuli auidissimi, fuissent veriti, ne, vt sæpe vsuuenit, dilatio in obliuionem voluntariam degeneraret. Idcircò alterum consilium & gratius & magis honorificum, & etiam facilius habitum est, quandoquidem argumentum destinatum crassior materia censebatur, quàm vt tota simul moleretur. Statuerunt itaque Decreta solùm ad viginti redigere, Patribus pollicìti, Decretum de Principibus agitatum iri simul cum alijs grauissimis, quæ supererant.

Necesse autem erat, vt Episcopis hoc promisso animi releuarentur: ex eo enim quòd recenter acciderat, hi non mediocriter animis conciderant. Philippus Rex optauerat Mediolanensem ditionem

nem tutam reddere à propinqua Germaniæ & Heluetiæ hæresi, quæ plus minúsue Vicentiam & Sabaudi oppida penetrauerat; cumque in Hispania experimento comprobaretur, tutissimum propugnaculum esse seueritatem Sanctæ Inquisitionis, habuit in animo eam secundùm eamdem formam Mediolani instituere. Pontifex, cuius opem ille implorauerat, animaduerso graui periculo non Insubriæ modò, sed hinc vniuersæ Italiæ, quæ Christianæ Reipublicæ cor est, impendente, consenserat [a]; simulque assensus est, vt Gaspari Ceruantes Hispano, Archiepiscopo Messanensi, qui erat in Concilio, liceret inde discedere, id quod proponebatur executuro. Hi nuntij terrorem populis incusserunt, & mœstitiam illius ditionis Episcopis: alteris ob intolerabilem, vt ipsi arbitrabantur, seueritatem illius in Hispania Tribunalis; alteris, ob diminutionem, quam inde præuidebant, suæ iurisdictionis. Nec minori, quàm Insubriæ Episcopi, affecti sunt tristitiâ regni Neapolitani Præsules, idem suis regionibus formidantes, præsertim cùm adhuc vigeret illius memoria quod à Carolo V. in eo regno tentatum fuerat. Et quamquam postea mitigaretur acrimonia, quòd Inquisitores futuros Italos affirmaretur; adhuc tamen non effluxerat acerbitas, dum animaduertebatur, eos Hispanicæ Inquisitioni fore subiectos. Quamobrem Legati apertè significarunt Pontifici communes querimonias, quibuscum exanimatio vniuersalis coniungebatur, aientibus Episcopis, Se non ausuros vocem promere in Synodo aduersum Principes laicos, cùm ij viderentur cuncta Romæ impetrare: sed interim suo se incommodo intelligere, quantum illi cladem ipsorum molirentur, dum nitebantur plurimas auctoritatis vlnas subtrahere Pontifici, quò suam quisque vel vnico digito ampliaret: perinde ac si ciues vellent planè arcem diruere, quò illius saxa ad priuatas ipsorum domos extruendas distribuerent. 1563.

3 Monuerunt itaque Legati Pontificem, etiamsi ditionis illius salus huiuscemodi arma deposceret, par esse vt Inquisitores constituerentur miti Romano Tribunali subiecti, non terribili Hispanensi. Interim Mediolanenses, præter operam apud Regem ac Pontificem nauatam, Sfortiam Briuium Tridentum miserunt, vt litteras à duobus Legatis Mediolanensibus impetraret, patriæ opitulaturas: & adfuit quoque Legatus quidam à Cremonensibus, opem imploraturus à cunctis Episcopis Insubriæ, qui communem epistolam iam destinarant ad Pontificem: nec eo contenti, egerunt ac penè conuenerunt cum reliquis Patribus, vt in Decretis disciplinæ voces apponerentur, quæ auctoritatem Episcoporum eximeret

[a] Cuncta constant ex varijs litteris Borrom. ad cunctos Legatos, & ad Moronum & Simonetã 7.17.25.& 28. Augusti & 1. & 4. Septembris; & Legatorũ ad Borrom. 17.& 23. Augusti; & Vicecomitis 17.& 23. Augusti; & duabus mense Septembri ab eo scriptis.

1563. ret à nimis absoluta Inquisitorum auctoritate. Sed hæ voces posteà à Morono deletæ sunt, vt qui præsenserat duros obices Hispani Oratoris, & cùm amplius his opus non esset, comperto plus timoris quàm periculi fuisse. Etenim Pontifex vbi primas excepit Tridento querelas, mutato consilio, & iteratis per Borromæum responsis clarioribus semper & amplioribus, significauit, Sibi non licere Inquisitionem in vniuersum denegare, vtpote quam omnes, & ipsi Mediolanenses Præsules tamquam salutarem ac sanctam fatebantur; sed certi essent Legati, & ipsius nomine certi essent Patres, Inquisitionem haud inductum iri in eam ditionem, nisi ex iure communi, absque Ordinariorum detrimento, & subiectam Romanæ, non Hispanicæ Inquisitioni; neque id à se peractum iri, nisi tardà maturitate, & auditis anteà Legatorum consilijs de conditionibus: quod Mediolanensibus & Episcopis generatim solatio fuit.

Causa igitur seu vera, seu vnica, ob quam ea perturbatio resedit, 4
non ea fuit, quòd Hispani destiterint ab incepto, edocti improspero Belgij exemplo, sicuti Suauis narrat; quamquam verum esset, propositum à Pontifice fuisse periculum, & à Suessano Duce, se apud Regem deprecatorem pollicito Mediolanensibus, destinatas ab ipsis legationes in Hispaniam & Romam fuisse detentas; sed magis destitere, quòd Pontifex tum Mediolanenses tum Patres certos reddidit, se omnino dissensurum[b], quippe qui satis intelligeret, quantum inde perturbationis inferretur patriæ suæ, & quàm facilè ad exemplum huiusmodi reliqui principes ansam arriperent ad idem postulandum, Romani Pontificis & Episcoporum auctoritate diminutâ. Quare, antequam Româ noua Sucssani sensa accipi potuissent; quin etiam susceptis litteris, in quibus pro certo ponebatur, Oratores Mediolanensium ad Pontificem, hoc ipsum curaturos, iam se in viam dedisse, consilium apud se statutum Legatis aperuerat, addens, Oratores à se benignè habitum iri, & postulata impetraturos pro sua in patriam charitate: qua in re suam quoque strenuam operam pollicebatur Borromæus, dicens, Ad id se permoueri simul ab affectu naturæ, simul à conscientiæ stimulo, quorum coniunctio vim summam obtinet, quippe quæ non partem hominis, sed hominem integrum ad opus compellit.

[b] In epistola citata 27. Augusti, 1563.

Iam verò dum adhuc in Episcopis ea perturbatio inerat, articuli 5
de disciplina solùm ad viginti redacti sunt[c], sicuti diximus, festinationis studio, & in quibusdam seiunctis cœtibus expensi, quò eodem simul tempore à compluribus ponderarentur ac limarentur, antequam

[c] Acta Paleotti.

quam ad vniuersalem Conuentum venirent. Vnus ex his cœtibus habebatur coram Lotharingo, vbi aderant præter Gallos multi Hispanorum ac Lusitanorum Præsulum; alij congregabantur in domibus duorum Præsulum Italicorum, qui animi fortunæque dotibus, ac generis nobilitate prælucebant, ne reliqui peculiari hoc honore illis exhibito offenderentur: hi erant Marcus Antonius Columna Archiepiscopus Tarantinus, & Alexander Sfortia, Clericus Apostolicæ Cameræ, & Antistes Parmensis: est qui pariter connumeret Episcopum Hydruntinum; sed is, qui scripsit accuratius de rebus illius ætatis[e], me certiorem reddit, id tunc non accidisse. Et quidem verisimile est, noluisse Hydruntinum citra necessitatem in se irritare Oratorem Hispanum, cui quanto essent odio ac suspicioni hi peculiares cœtus, in comperto erat. Post habitam in domibus trutinam argumentorum, iterum cusa recusaque sunt Canones ac Decreta[f], & ad Patres delata nonis Septembris, vt in generali consessu sententiæ proferrentur. Modestè conquestus est[g] Lunensis, quòd hi articuli ita reconcinnati Patribus traditi fuerant, secum anteà minimè communicati, nec se interrogato, an quidquam pro suo Rege proponendum haberet. Sed Legati hominem sedarunt, allatâ excusatione, quæ sicuti frequenter est omnium quæ adducuntur verissima, ita plerumque acceptissima foret, nisi humana superbia illam adducere dedignaretur; ea verò fuit culpæ confessio, à curarum laborumque congerie profecta, à qua non sine doloris sensu dixerunt interdum se trahi extra se, sibique optabile reddi, vt in quouis mundi angulo infelicissimo potiùs quàm ibi collocarentur. Ita se habet illorum graduum felicitas, ad quos longâ ac laboriosâ viâ per sudorem plurimum aspirant, quasi ad terrestre cælum, communia mortalium vota.

1563.

d Scriptura Vicecomitis ad Borrom. 26. Augusti 1563.

e Acta Paleotti.

f Diarium, & Acta Paleotti.

g Litteræ Legatorum ad Borrom. 5. Septembris 1563.

6 Ab ipsis deinde Lunensis petijt, vt articulum adderent, sibi regijs in mandatis acerrimè commendatum; nimirum, vt in omnibus causis, primæ instantiæ relinquerentur Ordinario, quicumque is esset, aut Præsul inferior, aut Episcopus, aut Archiepiscopus, aut cuiusuis conditionis. Quoniam autem Legati negabant tunc illum proponere, ostensâ amplitudine reliquarum rerum, per summum laborem digestarum, quæ ijs temporis angustijs coarctari vix poterant, eos iterum rogauit vt omitterent potiùs quodcumque ex alijs capitibus magis arduis, eo retento, quod ferè absque repugnantia exciperetur; aliter, aiebat, visum Regi fuisset sua postulata nihili pendi, prætermisso articulo tam æquo, & tam supra ceteros à Rege postulato. Quapropter Legati, intelligentes id non fieri

1563. ex arte ad moram protrahendam, quin potiùs si assentirentur, festinationi se consulere, illi gratificati sunt, adiecto capite vigesimo primo.

h Diarium 7. Septembris, & Acta Palcotti præter Acta Arcis Æliæ.

Hoc rerum apparatu [h] generalis cœtus die 7. Septembris habitus 7 est; quo die admissus etiam est Orator Melitensis, in postremo loco post Oratores Ecclesiasticos Principum laicorum, nimirum, post Episcopum Cortonensem; perlectumque est diploma Pontificium, quo iura Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum illæsa seruabantur. Posteà sententiæ dici cœptæ sunt de articulis Matrimonij, tertiò iam refectis; in quibus dicta quædam referam notatu digniora.

Canone tertio damnabatur, qui affirmaret, Ecclesiæ fas non esse 8 plura aut pauciora præscribere impedimenta, quàm quæ in Leuitico continentur. Vox, *pauciora*, reiecta fuit à Lotharingo, non probante vt Fidei dogma ea de re constitueretur. Iterum actum est de mutatione à Venetis petita, varijs sententijs, sed plerique eam comprobarunt [i].

i Diarium 23. Augusti 1563.

Præcipuæ disputationis argumentum erat matrimonium clan- 9 destinum: & quò facilius de eo decerneretur, alia formula proposita est [k], in qua per hæc verba detractio ipsius efficaciæ mitigabatur: *nisi tamen Episcopus opportunum censeret, matrimonium publicè contractum coram Ecclesia cum aliquo impedimento quod sine scandalo detegi non posset, iterandum posteà, eodem impedimento sublato, sine testibus. Declarat præterea Sacrosancta Synodus, matrimonium ac sponsalia contracta coram tribus testibus, probari posse per duos illorum, aut per aliam legitimam probationem.*

k Acta Arcis Æliæ 7. Septembris 1563.

De filijs familias repositum est Decretum, certam ætatem, sicut 10 in priori forma, exigens, nimirum in maribus annum decimum octauum, decimum sextum in feminis; adiectumque est, opus esse consensu patris, aut aui paterni catholici: sed adhuc temperabatur hæc necessitas, vbi illi aut rogati dissentirent iniustè, aut diutius abessent, & contractus celebraretur cum Ordinarij facultate. Denique præcipiebatur, vt ea Decreta singulos obstringerent post diem à prima promulgatione trigesimum; quod inter cetera commoda vnum quoddam afferebat, tunc ab omnibus haud obseruatum, quia videlicet euitabatur id quod Lainius & alij monuerant, nimirum, inter hæreticos, qui huic Decreto non parerent, nullum matrimonium in posterum verum fore, nullamque prolem legitimam. Huic sanè incommodo occurrebatur, quoniam illi suis in regionibus Decreti promulgationem haud permisissent, adeoque non fuisset

fuisset expleta conditio, sub qua Synodus imperabat vt illud cunctos obstringeret. Quod tamen satis non fuit illis regionibus, quæ à Catholicis tunc possessæ, adeoque hac lege illic solemniter promulgatâ obstrictæ, in manus posteà hæreticorum ibi degentium & imperantium deuenere. Sed quòd per sanctiones cunctis euenturis casibus non consulatur, non est hominum culpa, sed hominis natura. 1563.

11 Narrationis cursus sæpè calamum, vnaque memoriam abstrahit, ne Suauis, vt par est, castigetur. Præterij multa eius errata in recensendis temporibus, quibus inceptæ perfectæque sunt suffragationes in referendis Patrum dictis, aut Oratorum postulatis, præcipuè verò tenuissimam notitiam, quam ille palàm facit de ijs quæ cum Cesare Cæsarianisque contigere: sed dissimulare non possum quod per intolerabilem falsitatem dicit, Pontificem ad Synodum absoluendam fuisse inflammatum, vbi sensit Oratorum postulata: perinde quasi eius absolutio commendata ab ipso acriter non fuisset in cunctis ad Legatos litteris, antequam id ageretur; & quasi Oratores Cæsarei & Galli non proposuissent aliàs, perinde ac ipse quoque narrauit, congeriem postulatorum, absque comparatione præsentibus grauiorum. Sed quò intelligamus quem sensum exciuerint in Pontifice ea cuncta postulata Oratorum, lustremus epistolam super his à Borromæo ad Legatos scriptam[1]: *Nihil noui Pontifici detulere vestræ litteræ; certi enim eramus, Oratores Gallos minimè desituros in suo scripto ab ijs postulandis quæ postularunt, tametsi optarent ne ea à Concilio impetrarent; & de Lusitani modestia eramus plusquam certi. Superest vt cognoscamus Lunensis postulata, quando parato erat animo ea confestim tradere; quamquam Pontifex illis non inspectis statuit nunc id quod statuerat de iteratis petitionibus Oratorum Cæsaris, nolle scilicet ea amplius in deliberationem adducere, sed omnino in vestra prudentia iudicioq; conquiescere; cùm satis nouerimus, in cunctis vos peracturos, quoad fieri possit, maius bonum aut minus malum.* [1] 14. Augusti 1563.

12 Sed demus Suaui, vt hoc inter cetera eius errata, ex penuria notitiæ, & abundantia fiduciæ, connumeretur. Profectò in ratiocinatione, quam habet de noua Constitutione super coniugijs clandestinis, cum errore grauissimo intolerabilem malignitatem coniungit. *Hæc*, inquit, *elatio quædam fuit Ordinis Ecclesiastici: siquidem actio tam præcipua in politica & oeconomica administratione, quæ ad id vsque temporis in sola facultate fuerat illius ad quem ea spectabat, Clero integra subijciebatur, nullâ viâ, nulloq; modo relicto ad contrahendum matrimonium, si duo Sacerdotes, hoc est Parochus & Episcopus, ex aliqua vtilitatis propriæ*

1563. *propriæ ratione ſuam actioni præſentiam denegarent.* Et addit, à ſe libenter auctorem tanti emolumenti nominatum iri, ſed illum cum rebus alijs compluribus à ſe ignorari.

Ac primò quidem neceſſe eſt, cæcitate non modicâ tunc laboraſſe cunctos Oratores & Conſiliarios Principum, qui tamen animos intentiſſimos, maximeque ſollicitos præ ſe gerebant in tuendo laicæ poteſtatis iure, quando tam enorme detrimentum haud animaduerterunt; quin omnes certatim Decretum illud promouerunt, quod magnum quidem obicem in Epiſcopis offendit, nullum in laicis. Præterquam quòd nondum auditur per nonaginta annorum ſpatium atque vſum, laicos Principes illud conſpicatos ipſius pœnituiſſe; nec intelligo, populos obtemperantes Concilio vociferari, à ſe liberè non poſſe contrahi matrimonia, quia Sacerdotes nolint. 13

Prætereà Suauis, quem aiunt in Mathematicis apprimè verſatum, hac vice pueriliter in arithmetica falſus eſt. Etenim ſatis eſſe non ſolet, quòd duo Sacerdotes adeſſe recuſent, vt coniugium retardetur; ſed oportet vtquatuor ſimul conſpirent, Parochus viri, Parochus mulieris, Vicarius generalis, qui facultatem neget alij Sacerdoti vt interſit, & Epiſcopus. Vbi vnus ex his quatuor conſenſerit, matrimonium conficitur. Malè dixi, conſenſerit; par erat vt dicerem, vbi vnus ex his non ſe abſconderit, ſeque à commercio ſubtraxerit: neceſſe ſiquidem non eſt ad efficaciam matrimonij, vt Epiſcopus aut aliquis Parochus (quod ex communi opinione ad Vicarium extenditur) auctoritatem aut conſenſum præſtet; ſatis eſt vt ipſo præſente, eoque admonito, tametſi inuito ac reluctante, vir ac mulier coram duobus teſtibus contrahendi voluntatem expromant. 14

Inſuper quanam veritate nixus poterat ille affirmare, Matrimonium tamquam politicum & œconomicum contractum, ad id vſque temporis in aliorum poteſtate perſtitiſſe? Prætermitto, non dici, in alia quàm in Eccleſiæ poteſtate eſſe actionem, quæ per fas & ſine peccato haberi non poteſt, niſi collatâ operâ ab Eccleſia; & tamen ante illud Decretum multi Canones interdixerant matrimonia clandeſtina, coram ipſa Eccleſia non celebrata, & non præmiſſis à Parocho denuntiationibus, neque merè in conſcientiæ foro ea prohibuerant; ſed hinc ſimul idonei ad ſucceſſiones honoreſque legitimorum declarati fuerant liberi, orti etiam ex matrimonio non rato, propter obicem genitoribus ignotum, dummodò huiuſmodi diligentia priùs fuiſſet adhibita; hinc verò vbi ea fuiſſet omiſſa, 15

omissa, in similibus casibus proles ad ea consequenda inepta declarabatur. Sed hæc omnia nulla sint. percontor: Nónne Ecclesia varijs tempestatibus varias condidit sanctiones, quibus irrita reddebantur coniugia contracta inter personas talis ac talis conditionis? nónne pro suo arbitratu relaxauit easdem sanctiones, non permissâ ad vtrumlibet præstandum facultate laicorum potestati? Numquid igitur eâ ratione matrimonia ad id vsque temporis peracta fuerant per contractus mere politicos & œconomicos, & in alijs quàm in Ecclesiæ manibus eadem fuerant absolutè relicta? 1563.

16 Quod spectat ad auctorem tanti emolumenti, ignotum Suaui: historici vitio non vertitur, quòd is ignorauerit profundum aliquod arcanum, aut neglecta quædam minutula, sed quòd publica maximeque solemnia ignorauerit. Auctor illius nec vnus ex Legatis, nec vnus ex Episcopis fuit, ob cupiditatem illius elationis in ordine Ecclesiastico, quam Suauis comminiscitur; plures ex Legatis, & ex Episcopis plurimi restitere. Quis igitur is auctor fuit? Fuit illud idem, de quo alibi diximus, exprobrantes Suaui mutilam ipsius narrationem, Regium Galliæ Consilium, quod voluit ab Oratoribus sui Regis nomine peti, vt irrita redderentur coniugia, coram Sacerdote ac tribus alijs testibus non contracta; atque ita reipsa ij postularunt [m] per actum publicum ac legitimum, Christianissimi Regis nomine, in cœtu generali die 24. Iulij. Et iam antea visus est (cùm prima forma Decreti digesta fuisset, absque hac necessitate ita proposita Conuentui memorato die 24. Iulij) Lotharingus, qui cunctos in dicenda sententia præibat, & Gallorum dux regia postulata præ ceteris promouebat, petijsse statim vt forma in eo mutaretur, Sacerdotis præsentiâ tamquam necessariâ matrimonio præscriptâ. Et tamen quia per hanc tot hominum præsentiam, ac præcipuè Sacerdotis, videbatur efficacitas matrimonij nimiùm coarctari, idcircò non in prima solùm, sed etiam in secunda ac tertia forma, proposita à Patribus ad id à Synodo destinatis, præsentia trium dumtaxat testium tamquam necessaria fuerat posita, nullâ factâ mentione Parochi aut Sacerdotis; tametsi ob Gallorum postulata Patres in sententijs dicendis differerent de imponenda nec ne huiusmodi conditionis necessitate. Plures tamen concordabant in exigendis tribus testibus, non item solis duobus; cùm facilè contingat, vt vnus ex duobus moriatur, aut abscedat, adeoque matrimonij probatio haberi non possit. Posteà perpensum est, nimis pariter facile fore, matrimo-

[m] Acta Arcis Æliæ tom. vltimo pag. 7

1563. nium contrahi coram tribus hominibus vagis, ac puellæ ignotis, quibus abeuntibus facti testimonium haud extaret, & in absurdã pristina incideretur. Quapropter haud satis consulebatur, nisi stabili teste quæsito, qui contracta connubia in codicem referret. Huiusmodi censeri posse aut Scribam, aut Parochum. Scriba ad hoc idoneus visus non est, propterea quòd cùm innumeri essent Scribæ, duo in eo vitia cognoscebantur: alterum, facile potuisse à partibus, saltem ex vtriusque consensu, vbi eas contracti matrimonij pœniteret, antecedens vinculum occultari; alterum, difficulter à Magistratu compertum iri, an quispiam ligatus an solutus esset, & an liberi legitimi an nothi. Accedebat, Scribam citra laborem plurimum adduci posse seu per veram seu per simulatam ignorantiam, vt in tabulas referret matrimonium inter huiusmodi capita, quibus id vetitum esset, tametsi ex impedimento non irritum contractum reddente: exempli gratiâ, si quis legitimis sponsalibus cum altera obstrictus fuisset, aut ex aliquo delicto interdictum illi esset cum hac contrahere, aut si debitæ denuntiationes haud præcessissent: quod non ita facilè impetrabitur à Parocho, melius huiusmodi res edocto, magisque Ecclesiasticas pœnas sibi pertimescente. Et quamuis conflari possit matrimonium coram ipso etiam inuito; tamen illicita coniugia, quippe quibus obex & dedecus præuidentur, rarò contrahi solent, aut possunt alibi quàm in locis semotis, quò tam facile non est vt fraude aut vi Parochus adducatur. 19

His permoti rationibus tum Episcopi tum Oratores, tum etiam ipsi Principes Christiani, satius habuerunt, opus esse ad efficaciam Sacramenti præsentiâ Parochi, ex quo ingentia bona, & nullum incommodum prouenere. Ecclesiastici verò se adeò abstinuerunt ab auiditate acquirendi sibi noui iuris in his contractibus, vt cùm Gallorum Oratorum postulatio vrgeret, vt Sacerdos matrimonio *præfuerit* (quod verbum sonabat plusquam simplicem testis præsentiam, nimirum, voluntatem & auctoritatem) Patres, quò quantum possent libertatem contrahendi seruarent, quæsitâ solùm securâ stabiliquè probatione, noluerint Parochum alio modo concurrere, quod spectabat ad efficaciæ necessitatem, præterquam ministerio, petito quidem, tametsi coacto, aurium & oculorum. 17

Iam verò ad sententias illius tertiæ suffragationis accedamus [n]. Tres Patriarchæ, & Archiepiscopus Hydruntinus rei propositæ repugnarunt, & inter eos Triuisianus ac Barbarus auctores erant, vt propter negotij ambiguitatem ad Pontificem res referretur: at verò 18 20

[n] Acta Palcotti, & Arcis Æliæ.

rò Ælius validiore impugnatione affirmauit, existimari à se Decretum illud contrarium iuri Diuino, seque illi vsque ad profusionem sanguinis obstiturum: & Archiepiscopus in exprobrationem prorupit, quòd agitaretur de constitutione sancienda, doctrinam quamdam sonante, quæ Geneuæ tradebatur. 1563.

19 Ex opposito neruosè disserùit Granatensis; Molestè à se audiri quod à quibusdam dicebatur, quæstionem ob difficultatem aut omittendam esse, aut Pontifici remittendam: ac difficultatem vbinam aptius discuti enodarique posse, quàm in œcumenica Synodo, quæ non patentium rerum gratiâ, sed dubiarum cogitur, & sancti Spiritus custodiam obtinet? Num fortè reperiri alibi parem frequentiam Theologorum, legumque Peritorum præstantium ex quauis natione, quibuscum Pontifex deliberationem habere posset? argumentum esse eiusmodi, cuius gratiâ Concilium meritò congregandum fuisset, nedum à Concilio iam coacto in alio iudicio reponendum. Probari sibi, vt tales contractus in posterum irriti decernantur: fas esse Ecclesiæ id perficere, nec de eo quempiam ex antiquis Scholasticis Canonumque Peritis dubitare. De hac doctrina plures ex sententijs conuenire; & penes Ecclesiam esse, obices inducere, qui contractus irritos reddant. Quare qui hanc potestatem negabat, obligari ad eius defectum in Ecclesia comprobandum. Infirmam videri rationem, quòd hinc libertati matrimonij inferretur iniuria, si non erat iniurioſum, neque contrarium libertati interdictum, cum adiecta pœna matrimonij clandestini, sicuti hactenus effectum fuerat; neque pariter eiusmodi esse denegatam illi efficacitatem. Nihil confici ex eo, quod multi dicebant, idem esse Matrimonium & Sacramentum; vnde arguebant, cùm ab Ecclesia natura Sacramenti mutari non posset, nec pariter matrimonij naturam posse mutari. Etenim, respondebat ille, si duo baptismate susceptо animum habeant se per matrimonium coniungendi, non item suscipiendi Sacramenti, confici inter eos matrimonium, sed non confici Sacramentum, quippe quod non suscipitur à nolente; adeò non accedere hoc Decretum Caluino, sicut alij arguebant, vt potiùs duo illius errores damnarentur, alter, matrimonia clandestina esse irrita iure naturæ; alter, ab Ecclesia nouos obices sanciri non posse.

20 Ayala Segouiensis Episcopus petijt, vt propugnatores sententiæ, denegantis Ecclesiæ potestatem reddendi irrita matrimonia clandestina, obstringerentur ad exhibendas scripto ipsorum rationes, quò melius confutari possent; huiusmodi enim opinionem

1563. malè tutam videri, & Decretum tam vtile Christianæ Reipublicæ impediri. Admonuit, si causa Pontifici committeretur, non per id honore affici Pontificem, sed offendi, quasi iudex seiunctus à Concilio is esset, cùm Concilium auctoritatem omnem obtineret tum à conuocatione tum à directione Pontificis, tum ex eo quòd ipse per suos Legatos Concilio assisteret; adeoque eiusmodi remissionem idem futurum, quod deliberationem tanti ponderis transferre à Pontifice totius Ecclesiæ consilijs suffulto, ad Pontificem solum, & tanto auxilio destitutum. Matrimonia clandestina esse contra iustitiam, contra charitatem, contra honestatem, in Ecclesia tum Orientis tum Occidentis damnata.

Die decimo Septembris absoluta est sententiarum collectio, 21
quæ in quatuor classes diuidebantur. Prima, huiusmodi potestatem in Ecclesia negabat. Secunda, ex aduerso sentiebat, esse hanc in Ecclesia potestatem, & esse ab illa exercendam. Tertia, inesse quidem Ecclesiæ potestatem, vbi sufficiens adesset causa; sed eam causam reuerà deesse. Quarta, opinabatur, cùm Ecclesiæ potestas à multis affirmaretur, negaretur à multis, quæstionem ad dogma redigi, in quo nequaquam decere, vt Decretum conficeretur tam multis contradicentibus.

Verùm, post prolixam disputationem habitam, posteà, priusquam Sessio celebraretur, pene omnes de duobus concordarunt, nimirum, in deliberatione inuolui dogma: dogma verum esse pro ea parte, quæ non opponebatur Decreto, cùm inesset reuerà in Ecclesia facultas illa, vbi alioqui digna causa supperetet, in quo ferè vnanimes conueniebant minores Theologi. Quamobrem eò denique deducta res est, vt perpenderetur, an verè huiusmodi adesset causa. Centum triginta tres semper Decretum promouerunt [o]; quinquaginta sex illi aduersati sunt; reliqui in medias sententias abierunt, quæ recensendæ non sunt & quia plures fuerunt, & quia singula paucorum. Id verò consuetum admodum est ob hominum voluptatem, siue cum duabus magnis partibus concordandi, siue duas magnas partes conciliandi.

[o] Constat præcipuè ex nota sententiarum post secundā suffragationem, absolutam 23. Augusti, & notatā in vltim. Tomo Acto ū Arcis Æliç pag. 99

CAPVT

CAPVT IX. 1563.

Perturbatio inter Episcopos, quòd omittebatur articulus de Principibus laicis. Rumor de suspensione, & vnde excitus. Peculiares cœtus Præsulum & minorum Theologorum ad concordandam controuersiam de matrimonio clandestino, & quo exitu. Prorogandæ Sessionis necessitas.

1 POst proprium matrimonij argumentum, agendum erat vniuersè de legibus emendationis. Pontifici molestum non erat, vt in Concilio emendatio laicorum Principum tractaretur, idque duplici de causa, quæ vtraque in idem recidebat. Altera erat, quòd illi in se ipsis defendendis occupati, minorem virium curarumque partem ad Aulam Romanam premendam conuerterent. Altera, quòd intelligerent, vbique locorum abusus esse, de cunctis deblaterari posse, ac re ipsa blaterari: & si illi querelas plurimas in Pontifices audiebant, ab his etiam querelas plurimas in Principes audiri; adeoque vtrasque querelas partim esse indebitas, & enatas aut à peritiæ penuria, aut ab immensa subditorum cupiditate; partim conqueri de malis, veris quidem, sed insanabilibus per leges, nisi quod in hominibus imperfectum est, mutetur à Deo; partim de malis curationis capacibus, adeoque dignis, vt ipsis vtrimque consulatur. Idcircò vsque ab mense Iunio Borromæus hanc scripserat ad Legatos arcanis notis [a]: *Quoniam vnusquisque nos petit huiusce emendationis causâ, videturq; non alio ictus dirigi, nisi ad huius sanctæ Sedis auctoritatem, & nos Cardinales, qui sumus illius membra, vulnerandos; Pontifex dicit, vt ob amorem Dei desinant, aut curent laicos Principes reformare, nec in eo cuiuspiam rationem habeant, in rebus tamen iustis atque honestis; atque in ijs etiam curandum vobis est, ne videatur res à nobis profecta.*

[a] Arcanę notæ Borromei ad Legatos 26.Iun.1563

2 Is erat animus Pontificis; tamen in re præsenti rogatus ab Hispanicis ministris, vt Regis indemnitatem commendaret, necesse habuit epistolam huiusmodi formæ [b] ad Præsides scribere: *Aloysius Avila, & Vargas, Oratores apud nos Regis Catholici, institerunt, vt ad vos scriberemus de ijs, quibus aiunt ipsi Regem Catholicum prægrauari in Principum emendatione. Responsum reddidimus, existimare nos, à vobis ac Patribus Synodi non nisi æquum & honestum peragi, & Concilium esse liberum pro ea libertate, quam ipsi postularant, atque idcirco nobis non licere legem illis præscribere: verumtamen amoris, quo eos prosequimur, gratiâ vobis commendatum à nobis iri quæ ad Regem spectant, sicuti per has litte-*

[b] Litteræ Pontif. & Borrom. 8 Augusti, & responsa Legatorum 6. Septemb. 1563

1563. *litteras facimus, simulq; vos hortamur vt cautè procedatis, eiq; gratificari conemini in ijs, quæ per æquitatem, honestatem, & vestram nostramq; dignitatem fieri possint.* Sed simul cum hac epistola altera pariter Borromæi delata est, quæ alterius vim quasi diluebat, ac temperabat, & hæc habebantur: *Quæ ad vos scribit Pontifex de Principum emendatione, intelligentur, si Lunensis à vobis ea petierit; quod si non petierit, quemadmodum litteris suis ostendit se non petiturum, ne Synodi libertatem præpediat, neque vobis vlla rei notitia ostendenda erit, sed incumbendum ad rem prosequendam eâ libertate, rectoq; animo, quibus hucvsque vsi estis.* Prætereà ibi significabatur, non licuisse Pontifici Hispanis eam epistolam non concedere, vt qui vicissim cum Auila conuenerat de celeri Concilij exitu, & super eo tantum de Regis animo ac mandatis obtinebat, quantum satis erat; non tamen suæ mentis esse, vt Legati illius epistolæ causâ ab ijs peragendis desisterent, quæ alioquin opportuna censerent.

Ipsi læti excepere concordiam Pontificis cum Auila & cum ipso Rege, cuius concordiæ effectum aliquem in Lunensi experiebantur. Sed altera epistolæ pars molesta illis accidit: siquidem opinabantur, epistolam Pontificis, vtpote scriptam Hispanis petentibus, adeoque illius conscijs, occultari non posse Lunensi, qui eius executionem postulasset; adeoque totum onus ipsorum humeris imponi, nimis imparibus ponderi tantæ litis, nisi robustioris nominis adminiculo inniterentur; quamquam posteà certiores redditi sunt, eam Pontificis epistolam non nisi duobus [e] Romæ Oratoribus, & per arcanum silentium innotuisse. Quare nequaquam Lunensis potuisset eam scire, aut certè citare, atque idcircò confirmati sunt à Pontifice, vt in ea re Episcopis satisfacerent. Animus illis auctus est à quadam exteriori violentia: etenim cùm gradus esset faciendus à doctrinis ad leges, cumque animadverterent Patres sublatum articulum de Principibus laicis, mirum in modum commoti sunt, eorumque complures cuiusuis conditionis ac regionis Legatos adierunt [d], denuntiantes, nisi articulus ille restitueretur, supra centum conspirasse, se suffragium de reliquis haud laturos. Conspicari se, & cognoscere ex Romanis litteris, rem eò tendere, vt celebratâ Sessione Synodus suspendatur, & Episcopi suas ad Ecclesias remigrent, vacui potissimo fructu illinc sperato ac debito.

[e] Litteræ Borrom. ad Legat. 15. & Legat. ad ipsum 19. Septemb. 1563.

[d] Litteræ Legat. ad Borrom. 11. Septemb. 1563.

Publicus hic rumor de suspensione falsus erat, sed non absque vestigio aliquo veritatis. Pontifex enim acceptâ Legatorum epistolâ, de qua diximus, vbi opinionem ipsi præ se ferebant, Cæsarem

rem & Galliæ Regem, cùm ad opus deueniretur, potiùs consen- 1563.
suros suspensioni quàm absolutioni Concilij, ita illis respondere iusserat Borromæum [e]: *Si interim de suspensione sermo fiet, potiùs quàm* e 25. Augusti 1563.
rescindatur, præbere aures poteritis: sed quoniam nostrum non est de ea loqui, nec vnquam nisi rogati à Principibus consensuri sumus; cùm existimet reuerà Pontifex, multo magis Christianum esse, Synodum absoluere quàm suspendere; ita vbi Cæsar, vnaq; Galliæ Rex hanc suspensionem exposcerent, quò tempus ipsis suppetat ad humores præparandos, & ad res Germaniæ Galliæq; componendas, in quarum prouinciarum gratiam potissimùm Concily celebrationem amplexi sumus, in eiusmodi casu Pontifex, quamquam etiam, vti dixi, rogari volet, tamen vbi maior Patrum pars consenserit, multum difficultatis non afferet. Atque addebatur, non esse ab eo desistendum ob formidatam aliquam Hispanorum repugnantiam, modò id Cæsar & Galli vellent, quorum ditionum gratiâ, non item Philippi, Synodus fuerat conuocata: par esse, vt Regi Catholico sufficiat confectio emendationum, quæ ad id vsque temporis statutæ essent: & credi, Philippum Regem, pronum ad gratificandum Cæsari patruo suo, haud reiecturum suspensionem, vbi eam ab illo optatam cognosceret. Id tantummodò de huiusmodi negotio verum est, de quo nihil re ipsa agitatum; sed fama, quæ nuntiæ munus dedignatur nisi etiam inuentricis partes agat, rem confectam decantabat, eique fides habebatur ab Episcopis. Quare necesse fuit Legatis, polliceri Patribus, intra triduum ipsis memoratum articulum vnà cum reliquis exhibitum iri, non quòd in proxima Sessione digeri possent ob temporis angustias, sed quò veluti arrhaboni esset eorumdem in sequenti Sessione agitandorum. Et aduertebant animo, haud licere Cæsari propterea conqueri, tum quia ipsius responsum vltra præstitutum terminum expectatum fuerat, tum quia nihil interim statui animus erat, antequam eius mens innotesceret, sed solum sermonem de his haberi.

5 Tunc itaque sedatis Patribus, cœpti sunt generales conuentus de morum emendationibus die 11. Septembris. Sed ne sententiarum narratio interrumpatur, quas illi plurium hebdomadarum spatio protulerunt, varia præmittam, quæ per eos dies acciderunt; præsertim verò id quod contigit de matrimonio clandestino, quodque retardandæ Sessionis causa fuit. Animaduertebant Præsides [f], tametsi maior pars Decreto faueret, tamen Episcopos prope sexaginta immobiliter illi aduersari, tantoque animi robore, vt vbi non habitâ de ipsis reluctantibus ratione ad Decreti sanctio-

f In litt. Cæsarianorum ad Cæsarem 14. Septemb. & in epist. Legatorũ ad Borromæum 15. Septemb. 1563.

1563. sanctionem iretur, valde timendum esset, ne ad Pontificem prouocarent; hinc verò lis illa pestilens, & schismatis grauida excitaretur, Num Pontifex Concilio sit superior, adeoque an liceat à Concilio ad Pontificem prouocare. Quamobrem Legati [g] Romam scripsere, Se ea de causa cogi ad Sessionem prorogandam: à se satis intelligi, huiusmodi prorogationes ex intestina discordia parum honorificas Synodo euasuras; minus tamen id malum esse quàm schismatis discrimen. Et quoniam Pontifex cognitis contentionibus super eo articulo, Legatis non semel significarat, opportunius [h] videri sibi, huiusmodi articulum prætermitti, ne in nouum velut isthmum abiret, qui ingressum in propinquum portum infinite protraheret, Legati iam eamdem complexi sententiam, Pontificem admonuere, ad id profuturam eius cohortationem, quam de ea intermissione ipse coràm haberet ad Lotharingum, Romam interim aduenturum: narrabantque, tantam esse in ea re varietatem opinationum, vt aliqui etiam ex Legatis arbitrarentur, nullâ ratione fas esse huiusmodi matrimonia irrita reddere. Sed antequam Sessionem prorogarent, [i] studuerunt rei veritatem enucleare, & hoc pacto discordiam tollere per exquisitam disputationem, quæ super his habita est 13. Septembris solemniter in ædibus primi Legati, coram collegis, reliquis Purpuratis, cunctis Oratoribus Ecclesiasticis, & quàm plurimis eximijsque Præsulibus, ac minoribus Theologis, quorum aliqui disceptaturi erant, reliqui omnes audituri, & etiam coram laicis, concesso eo die libero cunctis ingressu. Selecti ad disputandum in duas classes partiti erant, alteram oppugnantium, alteram propugnantium hoc Decretum, quo irrita clandestina coniugia reddebantur. Erant in priori classe Adrianus Valenticus Venetus ex Ordine Prædicatorum, qui Stellæ posteà suffectus est in Ecclesia Iustinopolitana, Franciscus Torres Clericus haud regularis, Salmeron è Societate Iesu, Ioannes Peletier ex Sorbona, & quidam Anglus, cuius nomen haud notatum comperio. In altera classe numerabantur Franciscus Furerius Dominicanus, Didacus Payua Clericus haud regularis, vterque Lusitanus, Simon Vigor, & Richardus Drupeus ex Sorbona, & Petrus Fontidonius Hispanus, Theologus Episcopi Salmanticensis: classis altera è regione alterius sedebat, in media corona.

Dicere orsus est Osius; qui vt solus inter Legatos doctrinis Theologicis excellebat, perinde etiam acriorem sensum in quæstione præ se ferebat, & sententiæ Decreto contrariæ tenaciter adhærebat. Quare ipsius præsertim gratiâ, qui tertio iam conuen-

tum

[g] Ad Bortomæum 11. 14. & 15 Septemb. 1563

[h] Litt Borrom. ad Legatos 21. & 25. Augusti 1563.

[i] Litteræ Legat. ad Borrom. 14 & 15 Septemb. & Iadrensis 16. Sept. & Cæsariano ad Cæsarem 14. Septemb. Quæ cuncta extant copiosè in Actis Palectti, & Salmanticēsi. 14. Septemb. sed cum aliquà leui inter eos varietate.

tum periclitatus semper Decreto propitium, nondum tamen ac- 1563.
quiescebat, & ab aliquo pertinaciæ notabatur, ad hoc nouum experimentum deuentum est. Vtrosque is præmonuit, fuisse illos conuocatos non ad subtilitatis ostentationem, sed ad veritatis inquisitionem in tantæ molis controuersia: Præsides iudicio Patrum multùm tribuere; non tamen eos in Synodo consistere tamquam arbores sensu carentes, qui se flecterent quò ab impetu maioris partis impellerentur: oportere ipsos pariter commoueri ab interiori vi cognitarum rationum. In anteactis disputationibus omnem scrupulum haud fuisse sublatum, ac præcipuè, quo pacto posset Ecclesia nouum hoc impedimentum inducere, quandoquidem in cunctis reliquis obicibus, vsque ad eum diem constitutis, semper fuerat habita ratio alicuius facinoris antecedentis, cuius causâ obex oriretur inter contrahentes: sed hoc non accidere in præsentia; idcircò quietè & placidè suas sententias exponerent.

7 Prima lis de possessione fuit. Fautores Decreti dicebant: Aduersariorum onus esse, tamquam actores arguere; sibi, tamquam possessoribus, sufficere respondere, quorum possessio nitebatur communi iudicio tum minorum Theologorum, tum Patrum: id sibi satis esse ad Decretum sustinendum, dummodò ab obiectis argumentis haud vincerentur. Contrà aduersarij: Ius possessionis fauere defensoribus veteris consuetudinis Ecclesiæ, & mutationi reluctantibus. Alteri ex aduerso aiebant: Potiùs obtineri ab Ecclesia possessionem constituendi obices qui coniugia irrita facerent, adeoque ab eo qui iurisdictionem ad id Ecclesiæ denegabat, actoris onus assumi, & probandi debitum iniri. Denique primus Legatorum voluit, vt qui nouum Decretum promouebant, suas rationes proferrent. Sed alterum hîc litigium ortum est: illis siquidem mens erat de sola potestate agere, non item de condecentia, cuius trutinam dicebant ad Patrum prudentiam, non ad Theologorum doctrinam pertinere: sed Peletier opponebat, odiosam esse pronuntiationem, *Ecclesia non potest*: quare sibi esse animum sustinendi, eam non debere. Sed Adrianus huiusmodi quæstionem præcîdit, se paratum offerens ad impugnandam potestatem; quod affirmabat nihil indecorum sonare dum agitur de Sacramentis, neque quidquam deterius, quàm si negetur, esse in Ecclesiæ potestate aquâ è rosis expressâ baptizare, & nucis oleo Sacramentum Confirmationis conferre. In illum itaque sic Payua disserûit: Esse in Ecclesiæ facultate matrimonij naturam mutare, sublatâ contractui efficaciâ, quemadmodum palàm erat in eius obicibus, inter

1563. contrahentes positis; idque illi efficere licuisse, propterea quòd eorum conditio aduersabatur alicui bonorum illorum, quorum ergò matrimonium instituitur. Porrò certum esse, magis repugnare bonis matrimonij obscuritatem clandestini, quàm quarti gradus affinitatem. Alter respondit: Mala ex clandestino suborta ex accidente contingere, & ex hominum nequitia; adeoque parem non esse rationem inter illa, & inter ea quæ ex natura proueniunt, cuiusmodi sunt in coniugio inter affines. Repositit Payua: In legibus sanciendis, atque in impediendis per eas actionibus, vnicam esse normam, scilicet, obseruare an sæpiùs malum contingat, siue ex accidente, siue ex natura contingat, cùm in vtroque casu æquè noceat, & remedio indigeat.

Furerius ad idem alio exemplo vsus est; nimirum, irritum 8
fieri ab Ecclesia matrimonium ob adulterium præcedens illius qui mortem coniugis molitus est: licere igitur ipsi pariter irritum reddere ob adulterium imminens, quodque valde frequenter contingere consueuit; ac per id Osij obiectum dilui, quippe quòd nihilò minùs necesse est occurrere delicto imminenti, sublatâ illius patrandi facilitate, quàm præscriptâ, vbi patratum fuerit, pœnâ. Cœtus ille biduum habitus est, & aliquem etiam sermonem intermiscebant Patres; inter quos Didacus Lainius, qui præter suffragium Generalis Moderatoris, munus quoque Theologi Pontificij exercebat, sicuti dictum est, disputationem ingressus, ad excludendam hanc ab Ecclesia potestatem, valdè nitebatur in eo, quòd ipsa ab illa sanctione per quindecim sæcula continua abstinuerit, tametsi eadem accidissent incommoda. Sed respondebatur, sperata fuisse ab Ecclesia fructuosa reliqua remedia; quibus posteà experimento cognitis inefficacibus, ad hoc deueniebatur. Si Lainij ratio vim habuisset, haud expediturum fuisse legem vllam nouam in Concilio condere, cùm liceret opponere singulis, ab Ecclesia per quindecim sæcula eas conditas non fuisse.

Glisscente paulatim animorum ac verborum æstu, & loquentium 9
numero, dum varij Præsules colloquium identidem interpolabant, disputatio in contentionem confusionemque migrauit. In Valenticum, qui quò se defenderet ab auctoritate partis oppositæ, ex frequentia inualescentis, exemplum produxit profanæ Synodi Ariminensis, & secundæ Ephesinæ, in quibus minor Patrum numerus meliores sententias propugnauit, ingens strepitus excitus est, perinde quasi conferre vellet cum Tridentina Synodos illas nequaquam legitimas: quod reuerà non intendebatur ab illo; sed qui seipsum audit

audit cum re indecora collatum, ad primum ſonum id ſibi vertit contumeliæ, quamuis non ſemper collatio in malignam exempli conditionem cadat. Lainius quoque cùm appellaret conſcientias appetentium nouum Decretum reddens irrita coniugia, *minùs rationi conſentaneas*, hoc eſt, minùs æquas, à quodam Oratorum vellicatus eſt. Poſt multa colloquium finem parum decorum habuit, & omni fructu vacuum, pro eo ac huiuſmodi diſputationes terminari ſolent; cùm opportunior ſit ad veritatem detegendam inter diſcordantium ingeniorum dubitationes vmbra domeſticorum ſermonum, quàm ſolemnium diſceptationum lux. Et in arboribus pariter vſuuenit, vbi maior eſt frondium pompa, minorem fructuum maturitatem haberi. 1563.

CAPVT X.

Mandata Lunenſi tradita à Philippo Rege. Prorogatio Seſſionis ad vndecimam Septembris. Reſponſum Cæſaris redditum ſuis Oratoribus, & Morono, de articulo Principum laicorum, & de reliquis capitibus reformatis.

1 PErueneratid temporis [a] tabellarius Regis Catholici ad Oratorem Hiſpanum, qui poſteà Legatos inuiſens, generatim locutus eſt de poſtulatis ſibi iniunctis, quod erat indicio, ea nec multa eſſe, nec grauia; qui enim viæ plurimum cupit conficere, haud lentè ſe mouet. Retulit, plenè ſatisfactum fuiſſe Regi per anteactam Seſſionem, & per habitum in ea ipſius reſpectum, indicans rationem initam in litigio locorum honorumque cum Gallis. Acquieuiſſe Regem ſyngraphæ, à Legatis traditæ Oratori de particula, *proponentibus Legatis*: eumdem nunc cupere, vt ea particula ſine vlla mora declararetur, ob rationes, quas ſcripto ipſis oſtendiſſet.

[a] Litteræ Legatorum ad Borrom. 9. & 10. Septembris, 1563.

2 Reſponſum illi eſt: Parum loci ſupereſſe ad id verborum operâ declarandum, dum facto exercebatur, relictâ liberè proponendi facultate Oratoribus, vt videre erat in poſtulato Gallorum de matrimonio clandeſtino, & Venetorum de Græcorum conſuetudine; ſe tamen traditum ſcriptum perlecturos. Eidem aperuerunt neceſſitatem tradendi Patribus cunctos articulos triginta ſex, ac præcipuè articulum de Principibus laicis, tametſi de vno ſupra viginti tunc agendum eſſet; nec Lunenſis repugnauit. Id itaque effectum

1563. ctum est, quò impleretur promissio, solemniter à Legatis habita in primo vniuersali cœtu de reformanda disciplina [b], vndecimâ Septembris.

[b] Acta Paleotti eo die.

Postridie quàm Lunensis sermonem habuit cum Legatis, res 3 accidit, quæ argumentum præbuit obloquendi & in Comitis violentiam [c] & in Præsidum libertatem. Hispaniæ Capitula Tridentum miserant multò anteà, sicut ad rem aliam indicatum est, quemdam Patraliam, Canonicum Segouiensem, procuratorem suum, immunitatem ab Episcoporum auctoritate, ab ipsis possessam, defensurum; ad quam abrogandam rescitum fuerat illius Regni Episcopos adspirare. Iam verò cùm is numquam fuisset admissus in Conuentum ad sua postulata proferenda, codicillum Pontifici [d] deferendum curauerat, quo illum orabat, vt ipsius causam Concilio committeret, seque audiri iuberet. Pontifex negotium salebrosum intelligens, nolensque deliberare de re à conditionibus pendente, quas præsentium oculi solùm intueri poterant, merum codicillum, nullo ipsi adiecto rescripto, ad Legatos misit. Interim mandata à Rege Catholico ad Lunensem peruenerunt, vt is procuratorem illum compelleret ad discedendum Tridento, bonorum omnium, quæ ab eo in Hispania possidebantur, iacturam comminatus [e]: quod ne ab Hispanis quidem Episcopis plenè comprobatum est, sed à reliquis admodum improbatum. Ea verò denuntiatio habita Patraliam ad discessum coëgit. Patrum multitudini, quæ vires ratione metiebatur, visum est, esse Legatorum munus sese opponere, & conseruare liberum illum Synodi statum, quem Principes ore postulabant, & manu violabant. Sed Legati haud ignari, quamquam semper nefas sit mala patrare, nefas non esse, quin & laudabile, nonnumquam ea permittere, ne maiora bona præpediantur, noluerunt vt ab accidente rei substantia corrumperetur; seque apud crassiores homines excusarunt ratione crassiore, dicentes, huiusce violentiæ nihil apparere in Actis, neminem ad ipsorum Tribunal confugisse, adeoque se non obstringi ad eam causam agendam. Non tamen destitere à querela apud Lunensem; qui differo Regis mandato, & quia res ampliùs non esset integra, se purgauit. Quamobrem arbitrati sunt, sibi aliud non licere, nisi cuncta significare Pontifici, sine cuius aperta voluntate haud expedire censebant, vt ipsi periculosam aleam iacerent ad rem obturbandam.

[c] Acta Paleotti 11. & litteræ Legatorum ad Borrom. 14. & Iadrensis 13. Septembris, 1563.

[d] Litteræ Borrom. ad Legatos 1. Septembris, 1563.

[e] Acta Salmanticensis duobus in locis, & alij Commentarij citati.

Interim in opus præcipuum incumbentes [f], & conspicati, studia 4 omnia, ad celebrandam Sessionem die 16. Septembris, impensa in irritum casura, die decimo quinto Moronus in hanc sententiam allo-

[f] Acta 15. Septembris 1563.

allocutus est Patres : Conatum omnem adhibitum à Legatis fuisse, quò Sessio præscripto die celebraretur, intelligentibus, tanto id honori futurum, quanto dedecori cunctationem ; sed rem confici non posse, sicut ex se patebat, cùm adhuc inter Patres supereſſent graues controuersiæ de matrimonio, & nondum satis digeri potuissent emendationis articuli. Arbitrari Præsides, functionem ad S. Martini festum transferendam : nam interim licuisset quod supererat de dogmatibus expendere, nimirum, de Imaginibus, de Purgatorio, de Indulgentijs, & de Monachorum votis. Respondérent igitur Patres id quod ipsis agendum videretur. 1563.

5 Lotharingus dixit ; Eiusmodi prolationem sibi permolestam accidere ; solatio tamen sibi esse, quòd illius temporis spatium insumeretur maximo cum fructu, vbi tandem vera ac perfecta morum reparatio in Concilio stabiliretur. Par esse, vt ea ab ipsis initium ducat, quò liberius posteà ijsdem liceret alios corrigere ; idcircò reformandos esse Cardinales, Episcopos, Parochos, Regulares, auferendos abusus coniugiorum, & commendarum ; dein verò ad laicos Principes descendendum. Reliqui etiam responsum hoc amplexi sunt, exceptis triginta.

6 Nec destiterunt [g] in hoc ipso minùs periti in Præsides de more obloqui, cùm ad res ab Optimatibus gestas damnandas, animosiores iudices nulli sint, quàm ij qui causæ seriem prorsus ignorant. Voluisse Legatos, & Moronum præcipuè, gratificari Principibus moræ cupidis, Patresque Trideuti per hiemem retinere, vt proinde posteà Transmontanis haud liceret ad reditum animum adijcere, adeoque ad Synodum ante vernum tempus absoluendam : Sessionem celebrari oportuisse, & in ea Decreta edi saltem super argumentis iam expensis de Matrimonio ; de quibus si quis maiori parti repugnasset, habenda de ipso ratio non fuisset : edoctos iri hoc imbecilli animi exemplo Principum Oratores obluctari cuicumque deliberationi sibi molestæ, tametsi à pluribus comprobatæ, dummodò conspicua Patrum cohors, quæ numquam defecisset, ipsos tueretur.

g Cuncta in Actis Paleotti.

7 Sed res prorsus è diuerso se habebat ; nec enim quispiam, siue Oratorum, siue Transmontanorum, consensisset vmquam dogmatum sanctioni, nisi disciplinæ legibus associatæ, pro Decreto ac more perpetuo illius Concilij, ob suspicionem, ne illà confectà Conuentus infectis reliquis dimitteretur. Quapropter Oratores Cæsaris [h], audito huiusmodi quorumdam consilio celebrandæ Sessionis, cum ceteris omnibus Oratoribus ad illud impediendum conspirauerant.

h Litteræ Oratorum ad Cæsarem 14. Septembris 1563.

1563. Et quàmuis etiam hoc obstaculum superari potuisset, sancitis vnà nonnullis ex legibus magis expensis, magisque acceptis, ipsa Matrimonij capita decerni non poterant, quando duo Legati, Osius & Simonetta, & cum ipsis Madruccius, tam acriter adnitebantur ne clandestinum irritum declararetur, quamquam communis consensus contrariæ parti faueret, vt compluribus Patribus denuntiauerint, velle se ad Pontificem prouocare, vbi ad Decretum deueniretur, nondum ipsis ob adductas rationes acquiescentibus. Quare ad hæc absurda, ac præsertim ad prorogationem, deuitanda, fuerat habitus Theologorum conuentus, de quo iam diximus, ad concordiam ineundam, tametsi non sine querimonijs Oratorum[i], Decretum illud cupientium, quasi per hanc nouam periclitationem detrimentum inferretur sententiæ, à maiori Patrum numero iam tertiùm prolatæ. Quod si differri Sessionem oporteret ad breuius tempus, id fieri non poterat; cùm enim vellet Lotharingus interim Romam petere, necesse erat, vt eius reditus, eorumque quæ cum Pontifice acturus erat, conclusio expectaretur, ad quod mensium saltem spatio opus erat, quod ille pariter postulabat; posteà verò[k], vt cum eo de cunctis articulis conueniretur, quò res tutius procederet.

i Prædictæ Oratorum ad Cæsarem litteræ.

k In ijsdem Oratorum litteris.

Cæsarianis aliàs tam sollicitis ad sua postulata proponenda, nunc nulla suppetebat causa alienæ prolationis incusandæ, sed excusationum penuriâ laborabant, ob moram ab ipsis iniectam: iam non decem modò, sed sexdecim dies fluxerant, postquam tabellarius ad Cæsarem profectus fuerat, responsis vacui[l], quod ipsis permolestum accidebat, adeò vt ad illum scripserint, à se vndique huiusmodi querelas audiri: Progressum libertatemque Concilij à Principibus impediri; ipsos Præsulum mansionem velle, sed simul nolle vt fortiores mansionis obices amouerentur: Conniti, vt Ecclesiastici cuiuslibet conditionis reformarentur, sed in se recusare earum rerum emendationem, quæ omnem ordinem Ecclesiasticum potissimè deformabant ac perturbabant. Et quamuis nullus Principum per eas voces nominaretur, satis tamen intelligebatur quemnam peteret ipsarum aculeus. Addebant, Patres à verbis ad facta progressos, negasse, velle se sententias dicere de reliquis, nisi articulus ille regrederetur: ægrè tandem acquieuisse dissertis promissis Præsidum illius reponendi intra triduum, pro eo ac re ipsa perfici conuentum erat; adeò vt Patriarchæ, qui priores dicebant, ideoque intra triduum locuti fuerant, contestarentur in cœtu, tamquam indicta putanda esse quæ in reliquum dicerent, vbi Legati promissa

l In ijsdem litteris.

promissa non perfeciſſent. Hinc à Cæſare Oratores petere, vt reſponſi moram præcideret, & argumentum querelæ. Ita ſcripſerunt: nec parum proderat, quòd cùm duo ex illis & perſonam Oratoris & Epiſcopi munus gererent, vtriuſque reſpectus ſeſe inuicem temperabant, adeoque eiuſmodi in conditione temperatio ſinceritatem in cognitione præſtabat. Sed poſtridie manè quàm litteras miſerant, eo nimirum die quo Seſſio prorogata eſt, Tridentum redijt tabellarius cum Ferdinandi reſponſis[m] tum ad priores litteras, quibus mutati articuli fuerant illi expoſiti, tum ad poſteriores, quibus Oratores ipſum edocuerant de ijs quæ cum Legatis egerant de retardando articulo, quo Principes reſtringebantur. 1563.

m Litteræ Cæſaris ad Oratores Poſſouiâ 4. & 5. Septembris, quæ Tridentum peruenere 15. Septembris. 1563.

9 Quod ſpectabat ad priores, oſtendebatur, mutationes ſibi vniuerſe placuiſſe; varia tamen obſeruabantur, quorum præcipua afferemus.

In ſecundo articulo auferri ſingulis immunitatem adeundi Synodos Metropolitanas, ſed exceptis ijs qui generalibus Conuentibus Regularium ſubdebantur; ac de ipſorum immunitate ſermonem pariter haberi in vigeſimo octauo. Plenæ huiuſcemodi immunitati locum fortaſſe concedi poſſe in alijs regionibus; at verò ſi in Germania (vbi grauis Generalium viſitantium negligentia deprehendebatur, præſertim ob longam monaſteriorum diſtantiam, ac ſæpè ob idiomatum varietatem) ea monaſteria ab Epiſcoporum inſpectione redderentur immunia, pernicioſiſſimum id futurum. Quapropter ſtatuendum eſſe, vt in hoc illa ſubijcerentur, ſaluis de cetero ipſorum priuilegijs.

10 In tertio prohiberi Templorum dominos, ne ſeſe ingererent in ea quæ ad fabricam & ſacrarium ſpectarent; ſed eam procurationem, quam illi exercebant in Germania, valdè conducere aduerſus rectorum deſidiam.

11 In decimo quarto haberi, vt inopiæ indigentium Epiſcoporum conſuleretur varijs modis, non tamen ex bonis monaſteriorum, in quibus regularis obſeruantia vigeret, ſeu quæ Capitulis generalibus, aut certis hominibus, qui ea inuiſerent, ſubiacerent: putare ſe id pariter intelligendum de Epiſcopatibus de nouo erigendis. Verùm id opponi ex aduerſo animi ſui propoſito: etenim cùm in Germaniæ cœnobijs adeò imminuta ſit non modò diſciplina, ſed numerus, abſque remedij ſpe, ignorare ſe quænam alia bona poſſent aptiùs impendi ad varia pia opera, ac præcipuè ad reparandos dotandóſve Epiſcopatus: ſibi in animo eſſe, hoc pacto nouos con-

1563. constituere; ita tamen vt Apostolicum consensum priùs deposceret.

In articulo decimo nono, vbi declarabatur, opus esse causæ 12
tum grauitate tum cognitione, ad legem relaxandam, sublatam fuisse particulam, quæ in priori forma inerat, hoc est, vt rarò leges relaxarentur; optare se, vt ea particula reponeretur. Ex quo, & ex tot Principum Præsulumque clamoribus, posteà in Concilio excitis aduersus huiusmodi relaxationes, licet arguere, quàm iniquè postmodum ijdem conquerantur, cùm Pontifices ad ea laxamenta difficiles experiuntur. Sed nouum non est hominem in vniuersum cupere quod in peculiaribus displicet: siquidem vniuersale conditionibus nudum est, & peculiare semper illis conuestitum, quodque in eo displicet, non corpus, sed vestis est.

Responsum posteà reddebat Cæsar alijs litteris ad se scriptis: De 13
Collegio Cardinalium sibi æquum videri, vt illud ad viginti quatuor ordinarios, & duos supra numerum limitaretur.

Diploma, quo Pontificia Comitia reformabantur, sibi probari; 14
solùm à se insuper desiderari id, de quo Moronus Legatus sibi spem fecerat Oeniponti, illud promulgandum esse sacrâ Synodo comprobante, quò firmius persisteret.

Quoniam autem Oratores voluntatem illius explorarant de pe- 15
tendo vsu Calicis, & sacerdotum coniugio, ipsis significabat; accitos à se fuisse Viennam Consiliarios Septemuirûm ac Principum, & post maturam deliberationem propendisse ad vtrumque petendum non à Concilio, sed à Pontifice; atque ea de re mandatorum exemplar ipsis mitti; sed cùm de argumento nondum firmato ageretur, illud nemini, excepto Lunensi, communicarent. Vnde in primis confirmatur quod à nobis alibi ostensum est, pollicitis, clariores subinde probationes adductum iri, per quas mendax deprehendatur Suauis, affirmans, postquam Synodus in Pontifice reposuit Calicis concessionem, Cæsarem tacuisse, quippe quòd populi eam à Concilio, non à Pontifice cupiebant. Præterea credibile hunc est, cùm Cæsar ostenderet se adeò Lunensi fidere, hunc alios ab Hispanis sensus patefeciisse; quemadmodum contingit, vt qui diutius in aliqua regione commoratur, linguam patriam etiam nolens cum domicilij lingua commutat.

De postremis Oratorum litteris indicauit Ferdinandus intimam 16
animi molestiam, ex eo quòd Moronus dixerat, Cæsarem aduersatum fuisse libertati Concilij, quoniam obstiterat, ne Decreta illa de Principibus laicis proponerentur, aduersùs quàm idem antea signifi-

significarat. Respondebat, Verùm quidem esse, reformandis Ecclesiasticis semper se institisse, simulque spopondisse, daturum se vicissim operam vt laici reformarentur: sed si Legati annum integrum de alteris quæ ipse proposuerat retardarant, non intelligi à se, quàm æquè illi dolerent, quòd ipse confestim manus haud porrexerit ad excipiendum eorumdem Decretum de alteris, spatiumque ipsi circumscripserint decem dierum, computatis duobus tabellarij itineribus, ad deliberandum de articulo & sibi & cunctis Principibus tam ponderoso. Si Concilij exitus non adeò immineret, licuisse sibi rem conferre cum Imperij Principibus, absque quorum consilio numquam sibi in animum induxisset quidquam statuere, ne posteà non sine sua indignitate recidisset in irritum quod ipse acceptasset. Ad Legatos igitur rationes hasce Oratores deferrent, eosque rogarent, vt in aliud tempus tanti ponderis articulum transferrent, donec cum omnibus Christianæ Reipublicæ Principibus de eo agi posset. Quod si Legati in voluntate illius proponendi persisterent, Oratores adijcerent, ipsum numquam destiturum ab iterata petitione spatij sufficientis; quod vbi denegaretur, intendere se, saluas sibi excusationes ac iura sua superesse. Velle se hac vti potiùs ratione, quàm contestari, quò moderationem ac beneuolentiam suam custodiret. Cùm autem Archiepiscopus Pragensis ad Cæsarem scripsisset, excusationes à Morono habitas fuisse ob inflammata responsa ipsi priùs reddita, præ se gerebat Cæsar animum pacatum, simulque iniungebat Pragensi, vt quâ par erat modestiâ vteretur erga Moronum. Denique ipsum iubebat cuncta cum Lunensi communicare. 1563.

17 Idcircò eodem die, antequam Legati consessum adirent vbi Sessio prorogata est, ipsis exposuerunt Cæsariani responsa & mandata Ferdinandi: sed Legati sese excusarunt, monentes, id quod Oratoribus compertum erat, à se, necessitate compulsis, triginta sex capita, & inter ea, quod ad Principes spectabat, Patribus fuisse iam tradita: rem non ampliùs in ipsorum potestate sitam esse: licere Oratoribus epistolam Cæsaris ipsis Patribus recitare, & quid illi vellent, intelligere. Cùm autem opponerent Oratores, id sibi interdici ob particulam, *proponentibus Legatis*; hi responderunt, complures iam ex Oratoribus propòsuisse, & se suo iuri in eo renuntiare: sed Oratores, gnari quanto difficilius multi quàm pauci flectantur, adiecere, Se non habere in mandatis nisi vt cum Legatis agerent; ac certum spatium petierunt, intra quod de illo articulo fileretur. Ad id Legati: Non licere sibi hoc ipsum polliceri,

1563. nisi tantisper dum priora capita viginti & vnum expenderentur. Oratores verò, quò post suauia, etiam austera experirentur, Legatos perstrinxere, communem audiri querimoniam, quòd Hispanica Collegia Ecclesiastica dimissa fuissent inaudita, & in præsentia Christianos omnes Principes pariter inauditos esse damnandos.

[n] Litteræ Cæsaris ad Oratores & ad Moronum Possoniâ 12. Septemb. 1563.

Die postero alter tabellarius [n] nouas Ferdinandi declarationes 18
attulit aduersus articulum de Principibus. Misit ille suos ad Oratores responsum, redditum epistolæ Moroni, à Nuntio sibi posteà delatæ, in qua Legatus amplioris obsequij & efficacitatis gratiâ eas excusationes significationesque per se ipsum exhibebat, quas per Oratores exposuerat. Ad ea Ferdinandus rescripsit per humanissimam amoris & æstimationis formulam, A se in optimam partem accepta fuisse & eius litteras & Decretum à Legatis digestum; nec in animo sibi esse, Synodi libertati, & Ecclesiæ immunitati aduersari: sed præter ea, quæ iam ipse ad Oratores scripserat, quando Moroni epistola rem attingebat, opportunius à se duci suum aliquem sensum adijci. Idcirco illi redigebat in memoriam, iam centesimum annum esse, nimirum ex eo tempore quo adhuc omnes Catholici persistebant, cùm agitata fuisset eiusmodi quæstio, prout constabat ex multis libris, siue manu scriptis, siue per typos editis; adeoque quòd tunc nihil statueretur, argumento esse, laicos studuisse sua iura probare. Valdè igitur mirum sibi videri, quòd nunc per vnicum mensem tanti negotij decisio, & veluti securis ictu obtruncatio tentaretur. Tueri posteà conabatur Ecclesiasticorum obligationem in Germania conferendæ pecuniæ ad sumptus publicos necessarios, & subiacendi in quibusdam certis causis Imperij tribunalibus: atque ita de suis ditionibus hæreditarijs proportione differebat, Consuetudinem adducens, quauis memoriâ vetustiorem, & constitutiones, eorumdem Ecclesiasticorum interuentu sancitas. Esse præterea animaduertendum, ab his possideri in Germania & prouentus & prædia, & iurisdictionis prærogatiuas, ampliora quàm in vlla alia Christianæ Reipublicæ prouincia. Si articulus ille sine diuturno consilio, & citra declarationem firmaretur, non modò nullam accessionem habiturum in ea regione ordinem Ecclesiasticum, sed in extremum odium cum horrendæ cladis periculo casurum. Vtinam præsens hominum conditio ea esset, vt restitutas antiquæ seueritatis leges, tum Ecclesiasticis tum laicis, pati posset. Nihil sibi magis in votis esse, quàm illius ætatis ferrum in aurum pristinæ conuersum spectare: sed conditione temporum perpensâ vereri se, ne perinde foret id

id tentari, ac oleum & operam perdi. Si placuisset Episcopis statum suum sanctè reformare, se quoque vsurum fuisse omni liberalitate in controuersijs inter ipsos, & suam Cæsaris aut Archiducis Cameram; seque polliceri vniuersè probum Ecclesiæ patronum futurum. Visam à se fuisse postremam formam reconcinnatam, & præter ea quæ significarat Oratoribus, sibi admodum probari Decretum de Principibus in breuius redactum, mutatis quoque superioris scripti fulminibus in vniuersalem paternamque monitionem. Grates denique agebat Morono, ob adhibitam ab eo operam cum Pontifice pro filio suo Romanorum Rege; & paria vicissim offerebat. Ita simul haud flexibilem animum, simul comitatem præ se ferens, studuit vnà spem Legatis adimere ipsius permouendi, & repugnantiam ipsis cedendi, quarum altera litigatores firmat vtilitate, altera dignitate. 1563.

CAPVT XI.

Propitia Grimano Patriarchæ sententia. Lotharingus Romam profectus. Commendonus in Poloniam missus. Vicecomes accitus à Pontifice, & mandata ipsi à Legatis tradita.

1 PRæter hasce negotiosas litteras ad viros publicos, alteras ad priuatum Ferdinandus scripsit, videlicet ad Grimanum. Magno is in pretio propter varias animi dotes apud Principes erat. Quare post dictas in ipsius causa sententias, Lotharingus per opportunitatem in responsis post triduum [a] Pontifici redditis, Grimanum ipsi commendarat, eumque certiorem reddebat de concordi iudicio in absoluendis ab omni nota incusatis Patriarchæ litteris; Pontificem rogans, vt Purpurâ ab ipso destinatâ, & ob hanc solùm suspicionem retentâ, hominem cohonestaret. Grimanus etiam [b] rogarat Ecclesiasticos Cæsaris Oratores, qui aderant inter iudices, vt successum Ferdinando significarent, in cuius ditiones Patriarchæ iurisdictio longè protendebatur. Quapropter Cæsar, vtpote humanitate præstans, amicæ gratulationis litteris illum honorauit, quæ incredibile est quantâ voluptate non modò Grimanum, sed Venetum Oratorem affecerint. Huiusmodi monetam Principes obtinent, nullius ipsis impensæ, & summæ accipientibus æstimationis, eam si moderatè expenderint, nec ipsam prodigè largiendo cuicumque illius auido, nec tenaciter denegando illam promerentibus. Supererat, vt solemni ritu sententia proferretur, ad cuius formam conficiendam denuò coactus est

[a] In prædicta epist. 6 Augusti 1563.

[b] Apparet ex litteris Ferdinandi ad Oratores 4. Septemb. & ex Oratorum responsis 18. Septemb. 1563

1563. cœtus die tertio Septembris [e]. Post hæc, antequam Lotharingus Romam proficiscereturr, ad sententiam in hanc summam ventum est: Iudices ad id delectos, ex aliorum quoque Theologorum sententia iudicare, *memoratas Grimani litteras, vnà cum eiusdem apologia, hæreticas non esse, nec hæreseos suspectas, atque ita declaratas, neque pariter esse scandalosas. Eas tamen euulgandas non esse, ob quædam difficilia, minùs exactè ibi agitata & explicata.* Huiusmodi tamen absolutio vim non habuit, vt Grimanus vmquam Patriarchæ pallium, nedum Purpuram obtineret. Expensa in Concilio fuerat sola quæstio theorica [d], pertinens ad scriptorum, quæ diximus, doctrinam, relictâ Romanæ Inquisitioni quæstione facti de quibusdam criminationibus, quibus [e] accusabatur Patriarcha amicitiam exercuisse cum hominibus, qui postmodum hæretici detecti sunt, ac de alijs indicijs in illum productis Fidei parum sinceræ. Quare cùm ea post latam Tridenti sententiam nondum extincta vigerent, tametsi adeò exilia, vt numquam siue ad pœnam, siue ad carcerem satis fuerint; tamen, vti retinuerant Paulum III. Iulium III. & Paulum IV. ita pariter retinuerunt posteà Pium IV. eiusque successores, ne pallium ipsi concederent. Denique in cœtu sanctæ Inquisitionis, habito 24. Octobris anno 1585. Sixtus V. qui ante Pontificatum Frater Felix Perettus è Monte alto [f], sententiam cum alijs compluribus Theologis protulerat Grimano aduersantem de ea causa, super qua ille posteà in Concilio absolutus est: pallium eidem solemniter denegauit, ac perpetuum de illo silentium imposuit. Quòd si ex falsa suspicione prouenit, non modicam [g] commiserationem promeruit Patriarcha, egregijs quippe dotibus non ingenij minùs & animi quàm sanguinis præditus; à Principibus amatus, & litteratorum amator.

Postridie quàm hæc sententia lata est, Lotharingus iter cœpit Romam versus [h], & cum eo egregius comitatus Episcoporum ac Theologorum, inter quos Pragensis Archiepiscopus numerabatur.

Venit per eosdem dies Tridentum Commendonus, accitus à Legatis, & inde missus in Poloniam iussu Pontificis, tamquam ipsius Nuntius [i], cum mandatis ab Osio confectis, qui Pontifici auctor fuerat, vt illum mitteret, positis ob eius oculos proximè futuris Comitijs illius Regni, in quibus viri huiusmodi præsentia, quem ipse in Germania expertus fuerat, validum fuisset columen Religionis, & ingens leuamen Ecclesiasticæ libertatis, illic recens perculsæ. Et euentus consilium comprobauit, quod Historia nostra postremò recensebit.

Alter

[e] Acta Paleotti & Arcis Æliæ, & litteræ Vicecom. ad Borrom. 3. Septemb. 1563.

[d] In Actis Paleotti.

[e] Cuncta extant in volumine memorato litterarum, quod ab Albisio Cardinali accepi.

[f] 11. Septembris 1561. vt ex originali scriptura, in memorato litterarum volumine contenta.

[g] Vide Vghellum in Ital. sacra, inter Patriarchas Aquileiæ.

[h] Diarium 18. Septembris. Acta Salmaticēsis & Paleotti.

[i] Litteræ Borrom. ad Legatos 21. Augusti, & Legatorum ad Borrom. vltimo Augusti, & 26 Sept. 1563.

4 Alter quoque præclarus Antistes sub idem tempus Tridento profectus est in Hispaniam Nuntius. Is fuit Vicecomes, [k] destinatus à Pontifice Hispanicæ Aulæ, & idcircò Romam ab eodem reuocatus, quò simul edoceretur Pius opportunè de præterito ac præsenti Concilij statu, vnde paratiore esset animo ad futura Lotharingi colloquia. Eapropter duplex illi tradita fuit rerum narratio; altera, vt sic loquar, legalis, Paleotti opus, quâ exponebatur quidquid peractum & agitatum fuerat in cœtibus tum generalibus tum peculiaribus, & rationum capita, in singulis articulis emendationis expensa: altera, quæ poterat appellari politica, à Morono dictata suo & collegarum nomine [l], de ijs quæ Principum intererant, de conditionibus & potentia Oratorum, de Præsulum affectionibus, ac præsertim de consilijs in posterum seligendis. 1563.

[k] Litteræ Legat. ad Bortom. 19 Septemb. 1563 & Acta Paleotti.

[l] 19. Septembris, inter monumenta Morona.

5 Posterioris summa erat: Quadruplici ratione procedi posse, nimirum, aut Synodum protrahendo, aut præcidendo, aut eam terminando, aut suspendendo. Si protraheretur, à Legatis pessimum existimari, vtpote quòd hæc incommoda oriri possent: primò, schismatis periculum, siue ob discordias semper enascentes inter Patres, siue ob mortem alicuius Principis, quæ statum orbis terrarum peruerteret: secundò, tam diuturna tot Episcoporum absentia à suis Ecclesijs: tertiò, sumptus Apostolicæ Sedi intolerabiles: postremò, audacia, quam sibi arrogabant Episcopi inter se coniuncti, adeoque penè formidabiles petendi semper nouas in communi prærogatiuas, & noua priuatim beneficia; quod etiam Principibus contingebat, qui rebantur, extante Synodo frænum à se teneri, quo pro suo arbitratu Pontificem circumagerent.

6 Pessimum quoque censeri, si Synodus præcideretur, præsertim ob communem offensionem; quæ tamen mitigari potuisset, si antequam illa præcideretur, emendationis perfectæ Decreta præcessissent, adeò vt mortales animaduerterent, alterum ex alterius metu nequaquam fieri, simulque si qua conspicua causa expectaretur (vti plures ex parte Principum euenturæ fuissent) quæ Pontificis in eo consensum defenderet. Verùm tametsi hoc præcisionis consilium semper plus minúsve euasurum esset noxium; re ipsa tamen eius minas intentatas prodesse posse, vbi Oratores nimiam auctoritatem sibi arrogarent, aut progressus celeritatem impedirent. Hic plurimùm de Lunensi conquerebantur, ea quæ ille egerat, & nos sparsim narrauimus, commemorantes. Tantò absurdiorem conspici rationem illam agendi in ministris laicorum Principum,

1563. quantò luculentior testis poterat esse Synodus & moderationis quâ Legati Pontificis agebant de libertate, & sinceritatis de morum emendatione. Addebatur, nimis credere Lunensem quibusdam è suis Præsulibus, Romæ parum beneuolis: ceterùm ab illo intentum negotio animum geri, plurimumque auctoritatis possideri, auctæ ex arcta & assidua communicatione per tabellarios cum Cæsare & cum Rege Romanorum: tum à Cæsare tum à Lunensi parùm suam mentem aperiri de breuitate, aientibus, intendi à se vt expediretur Synodus, non præceps ageretur; quæ voces ad res peculiares admotæ, poterant à singulis explicari pro suo arbitratu: sed animaduerti, omnem lapidem à Lunensi moueri & Tridenti & cum Cæsare, ad Synodum protrahendam, & audiri, eò tendere postrema mandata ab Hispania ipsi reddita; oportere, ne se Pontifex tam auidum festinationis ostenderet, vt debitam argumentorum grauitati trutinam omitti vellet.

Reiecit tamquam noxias prolixitatem & præcisionem: monstra- 7
batur, optimum esse absolui Synodum tum ad fidelium vtilitatem, tum ad Ecclesiæ dignitatem; sed dubitari ne obstituri essent Cæsar, & Galliæ atque Hispaniæ Reges, ob causas quas Legati aliàs scripserant: tamen cùm absolutionem Synodi expeterent Lusitaniæ Rex, Italiæ Principes, & præcipuè Veneti cuncti abscissionem perosi, & insuper diuturnitatem Galli, quò citius Lotharingum & Episcopos suos recuperarent; nequaquam extra spem esse Concilij absolutionem, ad quam præter Gallos facile posset etiam adduci Philippus Rex, præsertim conscientiæ communisque vtilitatis ergô, & oblatâ ipsi à Pontifice, quantum honestas sineret, postulatorum omnium concessione, cuius fortasse spes diuturnitatis appetentiam in Rege nunc alebat; & ipsius consensu posito, Cæsarem minimè aduersaturum.

Faciliorem tamen absolutione, ac tolerabiliorem diuturnitate 8
ac præcisione suspensionem censeri: illi acquieturos omnes Principes à bello alienos, quoniam id temporis non damnarentur solemniter hæretici, adeoque neque hi ad vltionem irritarentur, neque illi compellerentur ad arma capessenda, quibus conuocatam ipsorum petitionibus Synodum exequerentur: quod si ante suspensionem absoluerentur emendationis leges, & in opus deducerentur, quarum desiderio potissimè Synodum Principes flagitarant, fore vt alacres cuncti conquiescerent. Verùm haud decere, vt Pontifex suspensionis auctor esset, nec eam proponeret; sed vt alios exaudiret, solùm impellens Principes, vt illam à se peterent, dum fixum

fixum immobiliter animum absolutioni præ se ferret. Monebant, 1563.
à Cæsare, iam annis graui, & infirmâ valetudine, magnam negotiorum partem committi Regi Romanorum, inter quem & Hispaniarum Regem, sororis suæ virum, intercedebat arctissima necessitudo; hinc omni studio curandum, vt Maximilianus benè affectus haberetur. Optari ab illo, vt suæ res cum Aula Romana ex voto componerentur, atque vt ibi in pretio ipse haberi videretur: quare absolutâ ipsius causâ, ex sententia quam omnes Legati propediem scriberent, opportunum esse, peculiarem Nuntium ad eum mitti tum honoris tum beneuolentiæ comparandæ gratiâ; præsertim, quoniam cùm ille à parente plerumque abesset, non poterat transigendis cum eo negotijs satis esse Delfinus.

9 Concludebant: Super omnia conferre ad Synodum facilè terminandam, ad vtiliter suspendendam, ad abrumpendam minori cum detrimento, & maiori cum dignitate, reparationem disciplinæ priùs stabiliri; id porrò euenturum, vbi Patres intelligerent, velle Pontificem Decreta sanciri pro maiori suffragiorum numero, tametsi complures obstarent in rebus ad dogma non spectantibus. Confectâ morum emendatione, licere confidentius loqui; & etiam de articulo ad Principes laicos spectante fieri posse, vt aliqua iniretur ratio, quâ vtrique parti mutuò fieret satis.

Postremò duo significabantur; alterum, inesse quidem Legatis auctoritatem aliquam, & intimam amicitiam cum Oratoribus; sed his, cùm ad tradita sibi mandata consulenda redigebantur, non nisi obtemperare Principibus licere. Alterum erat, Lotharingum (de quo ibi parcissimè dicebatur, quia plurimum anteà scriptum fuerat) tantum posse apud Hispanos, quantum cum ipsis coniungebatur, non quantum ad eos pertrahendos satis esset.

10 Ita Legati scripsere in litteris Vicecomiti traditis. Ex quo animaduertitur, quantum id temporis dubitaretur, oportere præcidi ante fructum plantam illam, tot sudoribus totius orbis Catholici irrigatam, & quantum debeatur inenarrabili labori eorum cultorum, qui ad ferendos fructus eam adduxerunt per salutarem ac perpetuam fecunditatem ad Ecclesiæ emolumentum. Sed maximorum bonorum auctores parcè plerumque Fama remuneratur, quippe quæ maximos labores ignorat idcircò exantlatos; at verò magnificè illos concelebrat, qui humanum sanguinem fortunatè profuderunt, quoniam in ipsis solis difficultas operis æquè ac ipsum opus dignoscitur.

HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER VIGESIMVS TERTIVS.

ARGVMENTVM.



Spera Gallici Regis mandata ob notitiam habitam de parata Principum emendatione, & ob alios nuntios; quorum falsitatem is posteà docetur à Lotharingo. Acerbissima Ferrerij contestatio in generali consessu. Responsio Caroli Grassij Episcopi Montis Falisci; & aliæ illius facti conditiones. Lunensis ad contestandum paratus, quòd non obineret postulatam declarationem aduersus particulam, proponentibus Legatis. *Contrarius aliorum Oratorum sensus; sed Gallus & Lusitanus ad illi adhærendum in eo coacti, & Cæsarei negantes ipsis assentiri absque mandato Ferdinandi, ad quem litteræ scribuntur. Patrum sententiæ de vno supra viginti articulis emendandæ disciplinæ, ac potissimùm de Episcoporum electione, de actis in ipsorum assumptione, de Cardinalibus, de immunitate Collegiorum Ecclesiasticorum ab Episcopis, de impertiendis Sacerdotis curam animarum habentibus per concursum, & de primis iudicijs Ordinariorum iurisdictioni relinquendis. Sessio à Legatis proposita, in qua solùm hæc viginti & vnum capita statuerentur, cetera, ac præsertim articulo Principum futuræ Sessioni remissis; de quo plures consentiunt, tametsi multis contradicentibus. Errores & mendacia frequentia Suauis, sparsim confutata. Voluntas Cæsaris & Romanorum Regis de Concilij absolutione. Sensus & notæ Ferdinandi*

dinandi de postrema correctione paratorum Decretorum. Eiusdem responsa ad Lunensis postulata de particula, proponentibus Legatis, *& consilium in eo susceptum. Profectio Ferrerij. Querelæ Tridenti habitæ de quibusdam quæ Pontifex in Senatu egerat, & scriptæ ab ipso ea de re causæ. Sententiarum discrepantia de matrimonijs clandestinis, & de subiectione Episcoporum in varijs rebus Archiepiscoporum potestati. Capita constituta inter Pontificem & Lotharingum de Concilio. Pontificis sententia in septem Galliæ Episcopos, & vocatio in ius Nauarrensis Reginæ; sed sine progressu, & quare. Lotharingus Româ profectus. Eius transitus Venetijs, ibique ab eo acta cum Oratoribus Gallicis, qui illò secesserant. Adhibita ab his apud Regem studia, vt ipse Lotharingum à Concilio abalienaret. Responsum Philippi Regis ad Legatorum epistolam, & ad Pontificis querimoniam in ipsius ministros. Varia Tridenti perpensa de primis iudicijs, de immunitate Collegiorum, & de priuilegijs Ecclesiæ Gallicanæ. Initum consilium de apponenda in fine Concilij particula*, saluâ semper auctoritate Sedis Apostolicæ. *Sessio vndecimo Nouembris celebrata. Canones & Decreta de Matrimonio: aduersæ de clandestino sententiæ. Functionis prolixitas, & res ibi mutatæ aliter quàm paratæ fuerant ac propositæ, ac præsertim de subiectione Episcoporum Archiepiscopis. Noua Sessio ad nonum Decembris denuntiata.*



1563.

CAPVT PRIMVM.

Mandata à Rege Galliæ ſuis Oratoribus & Lotharingo tradita. Epiſtola à Lotharingo illi reſcripta. Ferrerius ad exequenda mandata conteſtatus. Reſponſio Epiſcopi Montis Faliſci. Varia Suauis errata.

NOn multum effluxit temporis, cùm in eo pelago, quamuis ſemper ſua inter littora contento à diuina prouidentia, alia tempeſtas coorta eſt. Oratores Gallici ad Regem miſerant paratas morum emendationes, & inter eas Decretum de laicorum poteſtate ſecundùm priorem formam ſeueriorem, non item ſecundùm poſteriorem mitiorem. Et quoniam Conſilium regium ingenia malè affecta in iuriſdictionem Eccleſiaſticam continebat, interpretari cœperunt ea capita, quaſi ad eam amplificandam, confecta in detrimentum Regiæ auctoritatis: quam exiſtimationem fouerunt variæ narrationes falſæ eorum quæ Tridentum moliretur. Quapropter ad Oratores & Lotharingum Regis nomine ſcriptum eſt [a], quæuis alia præſtolari Principes à Concilio, quàm quæ in legibus paratis cernebantur; vbi cùm eſſent reformandi Eccleſiaſtici, vngues ipſis protendebantur, & præcidebantur Principibus. Reſciri præterea, illic haberi conſilium declarandi irritum coniugium Nauarræi Regis demortui cum Ioanna Regina, & Henricum eorum filium nothum, minimeque ſucceſſionis capacem, ex quo Regnum illud aliorum prædæ deſereretur. Regem Galliæ tam enormia detrimenta numquam paſſurum: obſiſterent cunctis rationum neruis, verborum robore, & conteſtationibus publicis, ipſius Oratores; & vbi conteſtatio in irritum caderet, tum ipſi tum Præſules Galliæ illinc ſecederent, ne quid auctoritatis adijcerent, non quidem aſſenſu, ſed nedum præſentiâ, iniquis illis Decretis. 1

[a] Litteræ Regis è S. Siluano 28. Auguſti 1563. in adducto libro Gallico.

Hæ litteræ peruenerunt cùm Lotharingus profecturus iam erat. Quare pridie quàm diſcederet, ita reſpondit [b]: Mirari ſe, à Rege fidem haberi nuntijs eiuſmodi de Conuentu adeò ſacroſancto, vbi aderant tot Regis famuli, vbi ipſe, ſtudioſiſſimus atque addictiſſimus Regis obſequio, conſiliorum omnium erat particeps, & ne vnam quidem horam præterijſſet, quin Regem certiorem faceret de hiſce noxijs conſilijs; & vbi ſi deeſſent reliqua, Cæſaris, Philippi Regis, cunctorumque Principum miniſtri aduerſaturi fuiſſent cuiuis indicio detrimenti aduerſus regias ſucceſſiones ac prærogatiuas. 2

[b] Litteræ Lotharingi ad Regem 17. Septembris, in eodem libro Gallico, impreſſo iterum cum appendice anno 1654.

tiuas. Huiusmodi molitionem ne in mentem quidem illis optimis Patribus incidisse: solum haud licuisse Legatis denegare præseruidis multorum Antistitum postulationibus, inter emendationes disciplinæ quædam capita poni contra detrimenta, quæ in quibusdam, non autem in Regis Gallici regnis, libertas Ecclesiæ, & Episcoporum dignitas patiebantur: idcircò se à Rege petere, ne vnquam huiusmodi nugis crederet. Velle se Romam pergere, eâ temporis opportunitate vsum, dum Patres de quibusdam rebus disceptarent, in Sessione, duos menses postremo dilata, sanciendis, quò posteà liber ab eo in Pontificem obsequio, posset absolutâ Synodo ad Regem reuerti. Hæc Lotharingus. 1563.

Sed non ita studuerunt Oratores acceptis Regis mandatis rescribere, Aulamque ab errore deducere; quamquam scirent, numquam 3 venisse Patribus in animum, irrogare notam filij non legitimi Henrico puero, & Decretum generale de Principibus fuisse admodum mitigatum, Præsides verò ad ipsum iterùm mitigandum operam polliceri. Oratores igitur Legatos adiere, & animi proposito ipsis celato, ne ab illis præpediretur, primò conati sunt culpam omnem ab Aula regia remouere de recenti discessu quorumdam Galliæ Episcoporum; testati, id accidisse aduersùs quàm vellet Regina [c], quæ statim ac id cognosceret, eorum imperatura reditum credebatur. Posteà retulerunt, valdè lætatum Regem, quòd audiret, ibi optimam morum correctionem agitari: se iussos à Rege fuisse quædam ipsius nomine à Concilio postulare.

c Litteræ Legatorum ad Borrom. 20. & 23. Septembris, 1563.

Illos percontati sunt Legati, quænam essent ea postulata; redditoque ab Oratoribus responso, generatim leuia quædam esse: ipsi, ne morositate suâ certamen succenderent de particula adeò agitata, *proponentibus Legatis*, illicò consensere. Verùm Ferrerio die vigesimâ secundâ ad dicendum admisso, longè alius ab expectatione ipsius sermo personuit [d]. Vtebatur ille viuido dicendi genere, sententijsque exornato, sed aspero & aculeato atramento. Historiæ munus mihi esse videtur ea referre, quæ sincerorum hominum mentem edoceant, non quæ prauam maleuolorum affectionem vellicent. 4

d Oratio extat in iam dicto libro Gallico, & in Actis Arcis Æliæ.

Quinquagesimum, ait ille, supra centesimum annum esse [e], ex quo Gallia reparationem Ecclesiasticæ disciplinæ collapsæ postulabat, quemadmodum testabantur in primis doctissimus Gerson, Parisiensis Cancellarius, in Synodo Constantiensi, & posteà tot Orationes auditæ in Tridentina. Hac tantummodò de causa missas fuisse à Rege Christianissimo legationes suas ad Concilia, Constantiense, 5

e Oratio typis vulgata sic loquitur. Monumenta eorum, qui eam audierunt, referunt 140. & in aliis pluribus affirmant, eam esse aliâ ab ea quę recitata est.

1563. tiense, Basileense, Lateranense, ad primum & ad hoc secundum Tridentinum (Concilium sub Iulio III. non connumerabat, quippe cui restiterant Galli) & adhuc tamen fructum expectari. Huic negotio à Patribus haud satisfactum per anteactam dogmatum decisionem, cùm debitori minimè fas sit vnum pro alio soluere, creditoribus etiam inuitis: à Gallis huiusmodi definitiones numquam fuisse postulatas. Quod si alij postularant (indicabantur Hispani) oportere Patres reminiscì, in iudicio, appellato *Familiæ herciscundæ*, siue de patrimonij diuisione, primam partem deberi primogenito, qualis erat in Ecclesia Rex Christianissimus.

Sed posset fortasse responderi, iam eò deuentum esse, vt per lon- 6
gam emendationum syllabum negotio tandem consuleretur. Hac de re præcipuè locuturos adesse Oratores, syllabum illam, præter adnotationes à se confectas, fuisse cum Rege ab eisdem communicatam; qui auditis suorum Principum Consultorumque sententijs, nihil in eo compererat quod esset idoneum ad continendos in officio Catholicos, ad reconciliandos aduersarios, ad imbecillos confirmandos: parum esse quod congrueret, & multum quod aduersaretur antiquæ Patrum disciplinæ. Paucis: illud non esse emplastrum Isaiæ, quo Christianæ Reipublicæ vulnera sanarentur; sed potiùs emplastrum Ezechielis, compactum tantummodò ad obtegendum, per quod eadem, tametsi restituta sanitati, recrudescerent. Id quod apponebatur de infligendo Principibus anathemate (ita habebatur in priori forma, non in posteriori, vt dictum est) nullo exemplo veteris Ecclesiæ niti, ac per ipsum seditiosam quasi fenestram rebellionibus aperiri: caput illud integrum de Principibus non aliò tendere, nisi ad deprimendam libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, Regumque Christianissimorum maiestatem. Hi cùm semper in fide Romanæ Ecclesiæ perstitissent, tamen veterum Imperatorum exemplo multa edicta sanxisse de rebus Ecclesiasticis, non modò à Romanis Pontificibus haud improbata, sed eorum quædam sua inter Decreta ab ipsis relata, connumerantibus etiam inter Sanctos, præcipuos illarum legum auctores, Carolum Magnum & Ludouicum Nonum. Ex præscriptis à Rege sanctionibus rectas fuisse Gallicanas Ecclesias ab Episcopis, non post *pragmaticam sanctionem*, sicuti nonnulli dicebant, aut post concordiam Leonis Decimi; sed quadringentis annis antequam prodiret in lucem Decretalium Pontificalium volumen. Has leges, ex parte collapsas temporis vitio, velle Carolum Regem, vbi ad maiorem ætatem peruenisset, ad pristinam obseruantiam reuocare; siquidem nihil

nihil in ipsis Ecclesiæ doctrinæ, veteribus Pontificum Conciliorumque Decretis, & Ecclesiasticæ disciplinæ perfectioni repugnabat. Pereas haud vetari ne Præsules orarent, concionarentur, elargirentur, siue, si verius esset loquendum, pauperibus sua redderent, & ne Episcoporum sedibus admouerentur, ibique retinerentur solùm idonei. 1563.

7 Tum perrexit vituperare pensiones, reseruatas ex alio titulo, quàm si Episcopus, inutilis effectus, eas sibi ad alimenta retineat, adiutore ad Episcopatum assumpto; sacerdotia multiplicia; eadem pro certo capite resignata; communem vsum regressuum; expectatiuas, annatas, præuentiones. Posteà eò prolapsus est, vt negaret, de rebus ad animi salutem spectantibus in possessionis iudicio, licere litem agere ante alia tribunalia præterquam Regia; & in iudicio proprietatis, aut in causis criminosis, etiamsi litigator esset Episcopus aut Cardinalis, ante alium iudicem præter Ordinarium, aut à Pontifice delegatum, sed intra Galliam. Defendit consuetudinem prouocandi ab abusu, vt Galli loquuntur, quo deluderentur, non quidem mens summi Pontificis, cui debitum obsequium Gallia semper exhibuerat, sed homines fraudulenti, qui beneficia ab ipso Pontifice per fraudem extrahebant. Nec minùs propugnauit, inesse Regi potestatem, à Deo illi traditam, vtendi, ad releuandam regni necessitatem, cunctis bonis Ecclesiasticis, tamquam domino tum Gallorum tum regni vniuersi, & tamquam fundatori ac domino omnium ferè Ecclesiarum. Mirari se, à Patribus, qui ad reparandam disciplinam Ecclesiasticam eò conuenerant, tunc eâ omissâ operam nauari ad emendandos Principes, quibus, tametsi discolis, iubet Apostolus obtemperari. Idcircò ab ipsis Regem petere, ne quid aduersus ipsius auctoritatem, Ecclesiæque Gallicanæ libertatem tentarent; aliter iussos esse ab illo Oratores *intercedere* (secundùm formulam latinam) quemadmodum re ipsa *intercedebant*. Si verò Regibus prætermissis vellent operam impendere ad ea quorum causâ conuenerant, & quæ genus humanum ab ipsis præstolabatur, iniunxisse Regem Oratoribus, vt omni studio sacrosanctum opus adiuuarent.

8 Expositâ Regis legatione, tandem adiecit suo nomine, imitandos esse Ambrosios, Augustinos, Chrysostomos, qui hæreticos debellarant, non Principibus ad arma concitatis, ipsis verò paronychias tantùm curantibus; sed exemplo, virtute, precibus & concionibus. Hac industriâ ab illis sanctissimis Episcopis Ecclesiam fuisse purgatã, & informatos Theodosios, Honorios, Arcadios, Valenti-

1563. lentinianos & Gratianos : idem expeti, idem sperari ab illius Synodi Patribus actum iri.

Oratione absolutâ, primus Legatorum ab eo petijt, vt ad breue 9
temporis spatium secederet, quò de responsione deliberaretur[f]. Sed
Orator: Se nihil de ea sibi reddenda laborare. Hinc Legatus arreptâ
opportunitate libertatis integræ sibi seruandæ, ad Patres conuersus
adiecit: Eapropter liberum ipsis esse, aut dum sententias dicerent,
aut aliâ ratione responsum reddere. Cùm autem egrederetur è con-
sessu[g], Ferrerio dixit, Ipsum imitatum fuisse veteres Tribunos ple-
bis, qui aduersus Consulum leges intercedebant. Ad ea Gallus,
Non nisi proba à se deposci. Legatus verò: Nec pariter nisi proba
Synodum velle.

Incredibile est, quonam odio excepta fuerit à Conuentu ea 10
concio. Oratores Cæsarei ad Ferdinandum scripsere[h], ab illa cun-
ctos graui animi dolore affectos fuisse, & quibusdam etiam ex Gallis
vehementer eam displicuisse. Salmanticensis addit in suis Actis, cui
pariter assonant litteræ Iadrensis Archiepiscopi, auctam ex eo su-
spicionem fuisse, prius de Ferrerio conceptam, insinceræ religionis.
Noluerunt itaque retardare confutationem illius orationis, quam
dissonam à religione obiurgationem, non regiam legationem ex-
istimabant. Postridie loquendi locus dabatur ex ordine Carolo
Grassio Bononiensi[i], Antistiti Montis Falisci, qui Lotharingo pro-
cesserat obuiàm, sicuti narrauimus, Pontificis nomine, vir egregiâ
virtute, posteà verò, præter Apostolicæ Cameræ Clericatum, varias
prouincias & ipsam Vrbem moderatus est in subsecuto Pontificatu,
ac dein inter Purpuratos adscriptus, summis in Christiana Republi-
ca muneribus perfunctus. Is igitur ne vnum quidem diem passus est
communem illam contumeliam impunè abire. Et quamuis alij
posteà linguæ vim adhibuerint, Grassius tum celeritate, tum plau-
su primas tulit. Non tamen aduersarium confutationi suæ præ-
sentem ille habuit: nam Galli prænoscentes, ijs qui dicturi erant
se quasi signum futuros[k], consultò se à cœtibus abstinuerunt. Gras-
sius antequam rem ipsam aggrederetur, hoc exordio vsus est[l].

Aliud omnino procœmium à se fuisse paratum orationi suæ; sed 11
Ferrerij concionem priùs auditam, in causa esse vt illud mutaretur.
Optari à se, produci ab Oratore mandata Regis diserta ad id pera-
gendum. Etenim nec rei peractæ conditio illorum præsumptio-
ni fauebat, nec in huiusmodi ministris satis erat vniuersalis quæ-
dam facultas, quò suaderetur tamquam credibile, id ex Regis vo-
luntate committi. Dum ipse sibi redigebat in memoriam Pipinum,
qui

[f] Acta Arcis Æliæ 23. Septembris 1563.

[g] Littere Legatorum suprà adductæ.

[h] Cuncta extant in litteris Cæsarianorum ad Cæsarem 28 Septembris 1563. & in Actis Salmāticensis, præter Acta Paleotti, & Iadrensis 23. & 27 Septēbris 1563.

[i] Alia epistola Legatorū ad Borrom. 25. Septembris 1563.

[k] In Litteris dictis Cæsarianorū, & in litteris Legatorum ad Borrom. 27. & 29. Septembris 1563.

[l] Grassij sententia summatim refertur ab Actis, sed integra est penes Auctorem.

qui Zachariæ Pontificis operâ Rex inunctus fuerat à Bonifacio Episcopo Moguntino; Carolum Magnum, è Pipino natum, qui ob eximias in infideles expeditiones à Leone III. primus occidentis Imperator constitutus est,& subsecutos Gallię Reges,qui propter egregiam defensionem Ecclesiasticæ libertatis, promeruerant ab Apostolica Sede nomen *Christianissimorum*; quonam pacto sibi posset in animum inducere,consentanea esse voluntati Principis,eorum in regno, in sanguine,in nomine successoris,ea legationis mandata, quæ tam audacter exposuerat Orator, & ab ipsis tam molestè fuerant audita? Cuinam ex eruditissimis illis Patribus in aures vmquam inciderat, nominari in Oecumenicis Concilijs intercessionem quasi Tribunitiam, quæ in seditionibus popularibus vsurpata est? in eo loco, vbi nonnumquam in habenda de moribus deliberatione,ipsis Cæsaribus denegatum fuerat interesse, vti Nicolaus primus ad Michaelem Imperatorem scripsit, velle Oratores non solùm interesse, sed de moribus Ecclesiasticorum leges præscribere? vbi Diuinus Spiritus per ora sacerdotum loquitur,Oratorem laicum gloriari, se Spiritui sancto resistere, atque intercedere? vbi magnus Constantinus, tametsi rogatus à tot Patribus, iudicium proferre ausus non est, Oratorem ausum esse ore suo quasi cunctos Patres damnare? Nullâ ratione credi posse, id Christianissimi Regis consensu ac voluntate peractum. Quo tandem nomine se Gallos appellasse creditores, quibus non posset debitor vnum pro alio ipsis inuitis persoluere? num illos ex eo creditorum ius adeptos fuisse aduersus Patres, quòd hi calamitates illius regni, non modò sibi communes, sed proprias existimarant? num ex eo, quòd sola charitas subueniendi collapso illi regno, ipsos ex quauis Christiani orbis parte traxerat ad impendendam substantiam, sudorem, & fortassis etiam vitam? Quid porrò ad eam arguendi formam dicendum erat, quâ tuebatur Ferrerius suæ regionis leges, quòd Episcopis conciones, eleëmosynas, & eiusmodi pia opera non prohibebant? Diceretur illi venerabili Coronæ, Oratoris pace, & pro debita huiusmodi loco libertate,id esse sophisma,doctissimis eorum auribus indignum; perinde, quasi pijs hisce operibus non interdictis, par sit præterea, Regis arbitratu peragi reliqua ad Ecclesiasticam immunitatem iurisdictionemque spectantia, dissipari Ecclesiæ bona, dijudicari Episcopos & Clericos à laicis tribunalibus, aduersus Apostolicam traditionem, Decreta Conciliorum atque Pontificum, & omnium ferè Patrum documenta. Legeretur id quod ea de re decreuerat Nicolaus I. in litteris ad Episcopos, congregatos in oppido Conuicino, 1563.

1563. cino, & Symmachus in sua secunda Synodo Romana [m], & quæ idem Nicolaus scripsit ad Michaelem Imperatorem, & Gregorius Nazianzenus ad suorum temporum Cæsares. Legeretur Augustinus in dialogo contra Petilianum, vbi affirmat, posse leges Cæsareas fauere, sed non aduersari Ecclesiasticis. Legerentur Decreta Gregorij VII. & Innocentij III. in Concilio generali Lateranensi. Legerentur denique ea, quæ sanxerat super libertate & immunitate Ecclesiæ Synodus Constantiensis Sessione decimanonâ. Quando tam ardenter Orator Patres reuocabat ad Ecclesiæ primæuæ nitorem, vellet ipse quoque, omissis recentioribus Regis priuilegijs, odio non habere candorem pristinamque libertatem Ecclesiæ; & in memoriam sibi redigeret id quod ore Danielis eidem Ecclesiæ dixit Deus: *Ea gens, & illud regnum, quod tibi non seruiet, peribit.* Quòd autem Orator narrabat, Galliam per centum quadraginta annos à summis Pontificibus petijsse quædam peculiaria, & per id temporis nouarum rerum consilia fuisse nutrita, nimis in comperto esse, quo pacto id in rem euaserit Galliæ Regibus in populorum illorum concordiam, in illius regni salutem. Concludebat, Legatos ac Patres rogans, vt cùm ageretur de re grauissima, curarent sibi tradi Oratoris concionem, ac Regis mandata, & de illis deliberarent.

[m] Vt refert Gratianus distinct. 10. Can. 1.

Incerti auctoris apologia deinde prodijt, ficto Synodi nomine, in eamdem orationem, & quædam huius summa, quam Ferrerius [n] affirmabat mutatam fuisse, adeoque se grauatum; & facti culpam coniecit in Pelueum Archiepiscopum Senonensem, qui potissimè factum improbabat. Quamobrem questus est apud primum Legatum, ostendens, hinc se compelli ad orationem suam, eiusque defensionem vulgandam [o]. Mirari se, esse qui reuocaret in dubium Regis mandata, quasi minister tam acre consilium suscepturus esset sine peculiari sui Principis mandato. Accepta à se fuisse mandata disertissima, Lotharingo, vesperi pridie quàm ille discederet, clàm ostensa, eademque velle se ostendere Legato similiter sub arcana fide. Contestationem suam sub conditione fuisse denuntiatam, siquid detrimenti Regi & Ecclesiæ Gallicanæ inferretur: & quod sub conditione denuntiatur, conditione non positâ, suapte naturâ quasi non factum euanescere. Respondit Moronus: Ignorare se, quodnam esset scriptum illud, quod aiebat Ferrerius circumferri. Verè sibi visum esse audiri à se in ea denuntiatione res absurdas; adeoque se libenter eam visurum, pro eo ac Ferrerius se ostensurum affirmabat, quò melius de responso cum Patribus deliberaret. Hoc

[n] Litteræ Legatorum ad Borrom. 27. Septembris 1563.

[o] Hæ scripturæ iam dictæ extant in libro Gallico citato.

13 Hoc Oratoris facinus Legatorum animum vehementiùs retraxit [p] ab eo consilio, ad quod ille Pontificem adeò stimularat: etenim sibi visi sunt apertè cognoscere, Ferrerium cupidum esse noui conuentus in Gallia, vbi concordibus cum magno Cancellario votis Regem constitueret Ecclesiæ Gallicanæ caput, Angliam imitatus, & Ecclesias bonis, Sedemque Apostolicam obedientiâ spoliaret: & cùm animaduerteret, suum consilium prompte non suscipi, opportunitatem ab eo quæri, ad id quod ipse intendebat, quauis ratione perficiendum. 1563.

[p] Litteræ Legatorum ad Borromæum 29. Septemb. 1563.

14 Edidit confestim Orationem Ferrerius [q], qualem nos attulimus, & posteà etiam apologiam. Verùm Præsides in ea ad Borromæum missa plurima obseruarunt, quæ variabant, diuersa ab oratione ab Oratore recitata, ex communi iudicio Patrum, qui eam audierant. Iam verò antequam progrediar, oportet vt Suauem castigem ob multa quæ falsò commentus est in postremis hisce rebus, ab ipso & à me recensitis.

[q] Litteræ Legatorum ad Borromæum vlt. Septemb. & 7. Octob. 1563.

15 Dicit, mandatum contestandi peruenisse ad Gallos 11. Septembris, & ab ipsis fuisse vulgatum, quò Patres remouerent à Decreto de Principibus laicis: sed oppositum euenisse; id enim centum Patres permouit, vt scripto conuenirent, se de reliquis capitibus haud locuturos, nisi illud à Legatis reponeretur.

16 Ne guttula quidem veri. Oratores mandatum adeò celarunt, vt nec Legati, nec Cæsariani, nedum Episcopi tenuissimam illius lucem viderint; quemadmodum liquet ex tot [r] litteris Legatorum ad Borromæum, & Cæsarianorum ad Ferdinandum [s], post vndecimam Septembris, & ante contestationem, in quibus ne vestigium quidem. Nec vestigium pariter extat in amplissimis mandatis, à Morono traditis Vicecomiti die 19. Quin in epistola diei 20. significantes Legati, à se petijsse Oratores in Conuentu verba facere, ab omni suspicione huiusmodi se alienos ostenderunt. Præterea fragor & publica denuntiatio Patrum apud Legatos, nolle se de reliquis capitibus quidquam loqui, vbi caput de Principibus excluderetur, non modò ab huiusce modi causa non sunt profecta (sicut patet ex litteris Cæsarianorum ad Cæsarem, & ex omnibus iam productis monumentis) sed fieri non poterat vt inde nascerentur, cùm fragor ille ad vesperam diei decimi excîtus fuerit, vt Legati Borromæo significarunt [t] die postero, adeoque ante vndecimum, quo die (quod narrat Suauis ipse) mandatum regium ad Oratores peruenit. Sed quid plura, si Lotharingo ipsi apertum illud fuit arcanissimè non ante diem 17. quemadmodum Ferrerius posteà Moro-

[r] Die 11. 13. 14. 15. 16. 19. & 20. Septembris.

[s] Die 14. & 18. Septemb.

[t] Litteræ Legatorum ad Borrom. die 11. Septemb. 1563.

1563. no fassus est, & nos retulimus ? Quod autem ne verbum quidem faciat Suauis de neruoso Grassij responso, nihil mirum, cùm vnicuique odiosum sit, aduersarij rationes producere.

Scribit insuper, Pontificem, conuerso animo ad superandas Concilij difficultates, in suis colloquijs habendis cum Lotharingo, iniunxisse Legatis, vbi Sessio præstituto tempore celebrari non posset, ad duos menses protraheretur. Mendacissima narratio: Pontifex enim numquam dubitauit id effici non posse antequam experiretur: idcircò Borromæus in litteris ad Legatos ante medium Septembrem dicebat, superuacaneum censeri, de eo quod spectaret ad futuram Sessionem, loqui, cùm pro certo poneret Pontifex, tabellarium illum ipsam iam habitam reperturum. Cùm verò posteà contrarium nuntium accepit, Legatis significauit [u], tum propter prorogationem ipsam, tum propter distantiam termini denuntiati, grauem illam ægrimoniam, quam affert infaustus euentus, ab re improuisa exasperatus. 17

[u] Litter. Borrom. ad Legatos 18. & 19. Septemb. & Legat. ad ipsum 23. Septemb. 1563.

Affirmat, sententias dictas fuisse de viginti articulis. Erratum in parùo, sed quod indicat magnam ignorantiam & omnium Actorum, & omnium narrationum. Nam litteræ Præsidum & Cæsarianorum, & Acta tum Mendozæ tum Paleotti vnum supra viginti connumerant; ac de vno supra viginti leguntur sententiæ dictæ, & in hæc Acta relatæ, tametsi diebus Sessioni proximis vnus auferretur, vti posteà palàm fiet. 18

Refert, à Lunensi per eos dies fuisse vetitum Procuratorem Collegiorum Hispaniensium, quidquam postulare de reuocatione immunitatum ipsorum. Et propterea hic ostendit, ignorari à se rem adeò celebrem, & fusè dictam, atque iteratam in cunctis commemoratis commentarijs, cuiusmodi fuit subitus eius discessus, ipsi velut in pœnam denuntiatus. Quin verius, sicut in Opere Suauiano post multa discernitur, cùm rem ipse ignorare non posset, eam transfert in aliud tempus, & alij assignat causæ, ad tempus proximum Sessioni iam dilatæ, cùm Lunensis petijt, vt in reseruandis Pontifici Episcoporum causis custodirentur iura Inquisitionum; perinde ac si nactus ipse Legatorum in eo duritiem, illam adscriberet Procuratori Collegiorum, adeoque ipsum cogeret ad profectionem. Ac planè mirabile est, quo pacto Suauis non animaduerteret, imputari non posse Procuratori Collegiorum, sed Episcopis, illorum aduersarijs, obicem illius exceptionis, quæ non Episcopis, sed Collegijs detrimento fuisset. 19

Recensет disputationem publicam de matrimonijs clandestinis, 20 &

& communicationem cum Patribus omnium articulorum, tamquam habitas post Sessionis prorogationem ; cùm tamen vtraque eam prorogationem præcesserit, ad eamdem impediendam. 1563.

21 Audet comminisci, Cæsarem de articulo Principum scripsisse ad Moronum, *Cuncta mala præterita orta fuisse ex oppressionibus, quas Ecclesiastici tentarunt in populos & in Principes.* Immanis calumnia! Etenim nec ad Legatum, nec ad suos Oratores misit religiosissimus ille Cæsar litteras tam falsâ & offensionis plenâ sententiâ, sicut ostendunt litteræ à me productæ : satis ipse gnarus è contrario, quemadmodum Imperium Germanicum Ecclesiæ operâ fundatum est, ita Ecclesiasticorum operâ magna ex parte semper fuisse conseruatum.

22 Describit, Oratores Gallos prouocatos ad paratam contestationem denuntiandam à quodam Episcopo, qui in eodem cœtu, die vigesimosecundo, acriter disserüerat de reponendo Principum articulo prætermisso. Falsitas adeò manifesta, vt non solùm Cæsariani in minùta facti narratione ad Cæsarem x numquam mentionem huius rei fecerint ; sed Oratores Galli biduo antè, sicuti vidimus, petierint, & obtinuerint à Legatis facultatem publicè loquendi Regis nomine, sed obtecto argumento.

x In productis litteris 28 Septemb.

23 Quò reliqua eius errata præteream, ipse, Ferrerij personam agens, suadere nititur, eam denuntiationem consentaneam fuisse sensibus Lotharingi, sibi, antequam is discederet, patefactis. Sed ex aduerso, non Romæ, sed Parisijs impressa typis est epistola opposita, à nobis allata, quam Lotharingus ad Regem scripsit, cùm eius mandata Tridentum peruenere ; nec certè ab illa epistola discordantia loqui poterat cum Oratoribus. Verum est, in volumine, vulgato adhuc viuente Suaui, Gallicorum Scriptorum, quasi mercium, in odium Synodi, Romanæque Aulæ selectarum, non contineri memoratam epistolam ; quæ, vt noua editio emptores magis alliceret, illi volumini recens addita est y, cum aliqua modica appendice. Quod si quid in eo veri silentium excusaret, id profectò affirmationem falsi non excusaret. Legit forsitan Suauis in Ciceronis Officijs, dubitari à nonnemine, an fas esset mentiri pro amicis, qui apud ipsum Ecclesiæ Catholicæ inimici erant ; & affirmantium opinioni largiter adhærens, animum solùm adiecit ad boni amici, non ad boni scriptoris officium. Nos ipsius vice id agamus, & ad rerum gestarum seriem redeamus ; illi quidem obnoxij, quòd suæ vituperationis pretio sinceritatem nostram commendet, nihil simulantem aut dissimulantem ex affectu partium, quæ per seipsam potiùs esset fuga vituperationis, quàm meritum laudis.

y Anno 1654 Parisijs apud Cramoysiū.

1563.

CAPVT II.

Coorta contentio cum Oratore Hispano de particula, proponentibus Legatis. *Mandata ad ipsum à Philippo Rege super eo missa. De hoc Patrum & aliorum, ac præsertim Cæsarianorum sensus. Induciæ de hac ipsa re vsque ad Cæsaris responsum.*

FAcultas à Legatis concessa Oratoribus proponendi pro ipsorum arbitratu in Conuentibus, haud satis fuit, ne Lunensis denuò Regis nomine sollicitaret, vt particula, *proponentibus Legatis*, aut tolleretur, aut explicaretur [a], prout ipsi spoponderant, vbi Rex neutri ex propositis consilijs acquiesceret. Aiebat Lunensis [b], Regem considerasse, cùm ipse tam ingentem partem orbis Christiani possideret, se obstringi ne permitteret dici posse, inductum ætate suâ fuisse id quod tam graue detrimentum inferret Concilijs in posterum. Et reipsa Rex significarat Lunensi, cùm sibi ostensa fuissent Legatorum syngrapha (quoniam à Lunensi nondum nuntios de eo acceperat, & celeritatis studio rem præuertere per mandata curabat) neutro ex consilijs sibi satisfieri. Non quidem promissâ declaratione in fine Concilij: nam fieri poterat, vt personarum mutatio, vel aliud quidpiam accideret, vnde in exitu Synodi promissa explicatio omitteretur, & ea particula permaneret, ad perpetuam memoriam exemplumque posteritatis. Non item alio consilio, quod ibi dicebatur à Morono fuisse cum Cæsare initum; quod licet non explicaretur in syngrapha, tamen, quantum deprehendi poterat à Rege ex quadam summa rerum Oeniponti agitatarum, erat, vt Oratoribus, petitâ priùs facultate proponendi à Legatis, etiamsi hi recusarent, liceret nemine interposito id peragere; hac enim ratione Patrum libertas haud seruaretur illæsa, cui pariter consulendum erat: præterquam quòd ea circuitio, præscripta Oratoribus, quærendæ priùs facultatis à Præsidibus, iniecisset moram ac sæpè obicem ipsi propositioni, aut saltem euentui. Quamobrem sollicitè curaret Lunensis particulæ declarationem, secundùm postulatum ab ipso iam traditum, ac relatum in eamdem Legatorum syngraphum. Nec remedium sufficiens adhuc à Rege cognòsci in promisso illic ab ipsis exhibito, vbi ab eo vtrumque commemoratum consilium reijceretur, nimirum, vt illi habendam curarent à Synodo explicationem secundùm epistolam Pontificis; tum quia huiusmodi respectus ad prædictam epistolam valdè ambiguus ac dubius erat, cùm fieri posset, vt epi-

[a] In Syngrapha 21. Iunij, à nobis suo loco recitata: & vide l. 21. cap. 5.

[b] Cuncta exstant in litteris Legat. ad Borom. 27. 29. & 30. Septembris, & 3. Octob. & fusiùs in litteris Oratorũ ad Cæsarem, 3. Oct. 1563. & Lunensis ad eumdem 5. Octobris, vbi habetur articulus ad Lunensem scriptus à Rege, 17. Augusti.

stola

stola petitioni Regis non consonaret; tum quia satis non erat quæ- 1563.
cumque simplex declaratio, sed solemnis petebatur, & quæ referretur in Acta Concilij, ad perpetuam memoriam, publicamque notitiam. Id si Lunensi negaretur, ad imperatam contestationem progrederetur, cum offensione ac strepitu quàm fieri posset minori, sed absque cunctatione, siue cum ipso reliqui Oratores concordarent, siue non concordarent.

Hæc mandata, decimoquarto Septembris ad Lunensem delata, ipsum magnoperè inflammarunt, ac sollicitarunt [c]; & fortassis illum ad festinandum stimulabat id quod sub arcana fide cum Cæsareis communicauit [d], nisi hoc ipsum egerit ex arte, ad eos escâ ipsorum appetentiæ congruenti pertrahendos. Velle se tam citò eam declarationem, quia cùm instaret finis differendi de viginti & vno articulis, adeoque initium loquendi de reliquis, in quibus articulus de Principibus continebatur, habebat in animo, varia illi directè oppositа petere, adeoque rei euentum obturbare; ac propterea optari à se, vt cunctis lingua solueretur, eius retinaculis non amplius in Legatorum manu remanentibus. Illi nequaquam se difficiles ostenderunt declarationi, quæ moderatos inter limites esset: sed huiusmodi non videbatur ipsis id quod intendebatur à Lunensi, & cuius sententia fuerat illis significata, cùm is moderatiores formulas, à Cæsareis oblatas, ex regio mandato reijceret. Et discordia, quantum comperio, ad hoc redigebatur, quòd Legati [e] consentiebant huiusmodi Decreto, ne per ea verba libertas vlli auferretur in Synodo exponendi quidquid liberet; sed Lunensis volebat, vt exprimeretur verbum *proponendi*, vel certè diceretur, ea verba, quod spectabat ad ius vlli addendum, auferendúmve, perinde se habere, ac si *non scripta nec dicta fuissent*: quorum prius videbatur Legatis incommodum, posterius indecorum. Nec ipsis tantummodò permolestum id erat, sed etiam Patrum compluribus; quippe qui sibi à Pontifice relictum experiebantur quantum cuperent libertatis, & ex altera parte illius violatores Principum ministros existimabant, tum in præscribendis rebus, de quibus deliberandum esset, tum in expellendis Tridento publicis Procuratoribus, tum in prohibendis peculiaribus cœtibus, qui hac illâue ratione haberentur, tum etiam in ipsis per publicas declamationes obiurgandis. Quapropter censebant, illius aggeris apertionem sibi non laxitati, sed oppressioni futuram. Idcircò cœperunt ipsi dolere, & conqueri cum Legatis, quòd esset animus vulnerandi Decreti, ab vniuerso Concilio summâ conspiratione confecti. Legatis

[c] In litteris Lunensis ad Cæsarem.
[d] In epistola Oratorũ ad Cæsarem 3. Octobris.
[e] Litteræ Moroni ad Borrom. 7. Oct. 1563. & variæ formulæ illius declarationis mutuò propositæ, in Moroni monumentis contentæ.

1563. obstaculum haud displicebat; obstringebantur tamen promissione, Lunensi exhibitâ ex mandato Pontificis. Sed quemadmodum inter angustias augetur mentis attentio atque animaduersio, relegerunt epistolam Pontificiam, ad se Maio præterito scriptam, ex qua fidem suam Lunensi obstrinxerant, & in ea nacti sunt id, de quo Rex prudenter dubitarat in producto à nobis responso ad Lunensem; Pontificem non iubere vnum potiùs quàm alterum Decretum confici aut curari, sed ita loqui: *Quoniam hi Principes adeò postulant Synodi libertatem, eisq; videtur per ea verba,* proponentibus Legatis, *quæ nobis inscijs fuerunt appositа, libertas adimi; placeat vobis aut in Conuentu generali aut in Sessione proponere Patribus, numquam nostra mentis fuisse, per ea adimere Synodo libertatem, sed potiùs confusionem. Eapropter velle nos, vt cunctis enuntietis & declaretis, Concilium esse liberum: quod si videatur Synodo explicanda, aut omnino tollenda esse verba illa, vos acquiescatis: & insuper vobis compertum sit, quidquid conficietur à Patribus, nobis gratum fore, planeq; satisfacturum, quò Principes omnes populiq; cognoscant, nos, quantum in nobis erit, effecturos, vt fructuosi Concilij finem assequamur.* Quod animaduersum à Patribus nouitati repugnantibus, ansam illis præbuit ad variandam vocem, exclamantibus, Epistolam Pontificis prudentem ac sanctam esse, & adamussim adimplendam, remissâ deliberatione Concilio, Legatis tamquam auctoribus nihil certi proponentibus.

In hanc igitur sententiam Lunensi responderunt Præsides. Sed ille conditionem non accepit, animaduerso euentus periculo, nisi Legati ad Conuentum retulissent nouum Decretum, tamquam ab ipsis formatum, & nisi auctoritate suâ viam sternerent. Considerabat, ob absentiam Lotharingi, & quorumdam Hispanorum, qui aliò diuerterant, per eam Sessionis moram, & ob memoratam complurium Gallorum profectionem, vrnam in Italicorum potestate sitam, quorum sensus à Transmontanorum sensu longè dissidebat; & audierat, supra centum conuenisse in re proposita refellenda: quam si pateretur Conuentus repulsam, intelligebat ille, contestationem posteà odiosam futuram, quippe directam non tam ad reparandam Synodi libertatem, quàm ad impugnandam Synodi voluntatem. Ex altera parte se tuebantur Legati, quòd sibi non liceret progredi vltra mandata Pontificis, ab ipsis Hispanis impetrata, sibique exemplum in eo exhiberi à Lunensi, adeò regijs mandatis defixo: nihil aliud velle se, nisi Concilij libertatem, pro eo quod effecta monstrabant. Sed Lunensis iterùm: Acquieturum fuisse consilio tunc oblato ante viginti dies: at posteà, cùm inter ipsos conue-

uenerit de reficiendo Decreto, eius modulis digestis, ac mutuò communicatis, videri sibi præposterè id agi, adeoque suo in animo sensus turbidos excitari. 1563.

4 Quò æquior causa Legatorum apparebat, eò validiora à Lunensi obiecta videbantur. Illi tamen se defendere nitebantur, respondentes: Si Lunensis anteà congruenti declarationi consensisset, eam ab ipsis obtenturum illum fuisse, dum per cautionem minorem, minusque subtilem intuitum procedebant: sed cùm idem declarationis formam postularet, adeò ipsorum muneri indecoram, eos impulerat ad habendum de re consilium in cœtu peculiari apud Simonettam, coram multis Patribus, ibique lustratis iterùm Pontificijs mandatis, acutiori obtutu obseruatum ab ipsis fuisse id quod anteà non animaduerterant; idcircò mirum videndum non esse quod illud recusarent, cui anteà præstò erant, cùm sibi fas esse arbitrabantur: quòd autem ea facultatis vacuitas, à se priùs producta, adspersus excusationi color non esset, sed sincera veritas, palàm fieri ex ipsis verbis epistolæ Pontificiæ, ab Hispanis impetratæ.

5 Petijt ab illis Lunensis, vt facultatem, quâ carebant, à Pontifice quærerent. Ipsi negarunt, suum munus, aut gradum, aut bonum commune sibi suadere, vt in huiusmodi causa Procuratorum partes susciperent: duos Regis Oratores Romæ degere, quibus licebat rationes precesque sui Principis exponere Pontifici, ac eius primis nutibus se obtemperaturos. Sed Lunensis animaduertebat, Romæ difficulter quidquam ampliùs impetratum iri, cùm posset honestâ specie Pontifex obijcere postulatis Hispanorum eamdem libertatem Concilij, ab illis adeò imploratam. Quare eò quoque deuenit, vt Præsides percontaretur, an vbi simplex forma propositionis in Synodo reponeretur, ipsi crederent comprobatam iri. Si enim affirmarent, rebatur, hoc pacto iam illos obstrictos ad dandam operam, quâ se veraces augures ostenderent. Sed illi prudenter cauti responderunt, Nullum præsagium difficilius contingere, quàm de rebus à complurium arbitratu pendentibus; posse tamen credi, cùm ea propositio Patrum potestati faueret, illam ex priuata propensione minimè reiectam iri. Lunensis, nullâ sibi accessione commodi per eam responsionem animaduersâ, noluit repulsæ indecoræ periculo Regem, se, causamque subijcere. Quare nullam non mouere machinam destitit. Sæpiùs ille cum Legatis sermonem habuit: curauit, vt Hispani Præsules, quà Lunensis nomine, quà proprio ipsorum, & per speciem ferendi consilij, acerbasque tragœ-

dias

1563. dias prænuntiandi, si Lunensi, quin & Regi in re tam expetita non satisfieret: & quod supra reliqua vim habebat, fœdus iniit cum alijs Oratoribus, Gallo (vnus enim aderat, Fabro Venetias profecto) Lusitano, Cæsareis. Sed omnes dum Regis postulatum persuadere studebant, videbantur in colloquijs cedere contrarijs rationibus, & suam operam ad permouendum ijsdem Lunensis animum pollicebantur: quod si non eueniret, sicuti reipsa non euenit, excusabant seipsos, quòd illum deserere sibi non liceret ob diserta suorum Principum mandata. Inter eos tamen Cæsariani negarunt, se ad paratas contestationes, secum à Lunensi communicatas, concursuros, non acceptis anteà nouis disertisque ad hæc Ferdinandi mandatis; ac multò magis abhorrebant ab illius postulati societate Oratores Polonus & Veneti, cum reliquis Italicis.

Cunctas admouit vires Lunensis ad peruincendos Cæsarianorum animos, quorum adeptionem & faciliorem & validiorem ille censebat. Redigebat ipsis in memoriam generalia amplissimaque mandata, à Cæsare illis præscripta, vt cum Lunensi coniuncti vno simul gressu procederent: quam Oratorum coniunctionem postulari ab arctissima coniunctione & sanguinis & animorum & vtilitatum, quâ ipsorum Principes connectebantur. E diuerso Moronus clypeum obtendebat, qui Gorgonem imitari videbatur, aduersus formidabiles Cæsarianorum impetus, ipsis denuntians, vbi ex parte Cæsaris, in cuius tutela Synodus extabat, ad contestationes deueniretur, adeò vt is ex patrono se aduersarium profiteretur, Legatos illicò inde abituros, Conuentu dimisso. Quànam necessitate, quâve vtilitate postulari, vt dum tam feruidæ morum emendationi, adeò expetitæ, opera impendebatur, perturbandum esset opus propositione importunâ, ac discordiæ plenâ? Credibile non esse, Ferdinandum velle vt nunc Oratores sui oppugnarent illud ipsum, cui in negotijs Oeniponti transactis idem consenserat, cùm cernebat effecta promissis plenè respondentia, per integram libertatem Synodo concessam: quod si quid ampliùs optaret Lunensis, id à Patribus ille postularet, pro æquissimis mandatis, ipso suisque Hispanis petentibus, à Pontifice missis; & Legatos non cogeret ad proferendum Conuentui Decretum, quod ab ipsis rationi dissentaneum putabatur. Huic ratiocinationi cessere Cæsariani, ac præcipuè tribus de causis. Vna erant minæ præcidendæ Synodi, quod nouerant quàm molestum Cæsari contigisset: alia, recens eiusdem prohibitio, ne contestarentur ob articulum, qui adhuc multò magis illi cordi erat, hoc est, ob articulum de Principibus:

bus: postrema, consilium concorditer initum cum Morono Oeniponti, cui huiusmodi contestatio ipsis videbatur officere. Quare deliberationem per expeditum tabellarium Ferdinando commisere. 1563.

7 Lunensis sæpiùs denuntiarat Legatis se contestaturum; ita tamen, vt ne latum quidem vnguem excederent suæ contestationes id quod causæ necesse erat, seque intra fines reuerentis modestiæ continerent. Cui Moronus per iocosos simul ac penetrabiles sales: Sperare se, tam pium virum haud commissurum, vt inter Protestantes numeraretur, præsertim cùm inter suum Regem ac Pontificem tanta beneuolentiæ coniunctio intercedebat. Sed validiùs quàm huiusmodi respectus, hominem fortasse retinuit ea consideratio, quòd paratæ contestationi nimium deesset, dum Cæsarei nominis robur deerat. Idcircò tantisper supersedere decreuit, dum Ferdinandi responsum præstolaretur, quem de negotio plenè certiorem fecit, misso simul exemplo mandatorum quæ acceperat à Philippo Rege: Secum conuenire in eo, tamquam in communi causa, Oratores Galliæ ac Lusitaniæ: confidere se, Cæsarem quoque consensurum, ad quem supra ceteros spectabat, ob gradus celsitudinem, illæsam Conciliorum libertatem seruare. Contrarijs significationibus haud fidem haberet; affectatas excusationes eas esse, & artificiosas moras: se libenter cunctari, donec responsa Cæsaris acciperet, tum ob debitum illi obsequium, tum ob dignitatem grauissimæ illius rei. Verùm vbi fortasse negaret ipse suis Oratoribus in societatem illius negotij venire, non propterea sibi fas esse desistere ab re perficienda cum reliquis Oratoribus, secundùm alteram ex formulis contestationis [f], quas ad ipsum mittebat. Eiusdem notas prudentissimas in articulis disciplinæ à se perlectas fuisse, easque sibi omnino probari; præcipuè verò velle se coniunctim agere cum ipsius Oratoribus in articulo laicorum Principum, & in oppugnandis detrimentis, si quæ fortè in ipsos tentarentur.

[f] Eius sententia extat inter Monumenta Moroni Cardinal.

8 Suauis de hoc negotio omne visibile vidit, si verum est, sensum visus vltra corporis faciem non progredi; nihil tamen de antecedenti syngrapha, à Legatis Lunensi tradita, nihil de nouis Hispani Regis mandatis, nihil de rerum tractationibus cum Cæsare. Sed opus illi non erat emendicare ex aliorum narrationibus rem gestam, qui adeò ferax erat suarum in commentitijs inuentionum. Affirmat, Patres impulsos ad refragandum fuisse ab occulta Legatorum opera; perinde quasi supra centum capita (is enim refragantium erat numerus, & Lunensis & Cæsaris testimonio) pertrahi

1563. possent occultis machinis ante lynceos oculos tot Oratorũ; ad quod ministerium terreni Ioues opus non habent fabuloso Mercurio, Argi interfectore, sed illius operâ, qui non minor Mercurio Argus sit.

CAPVT III.

Dictæ in cœtu Generali sententiæ super viginti vno capitibus de morum correctionibus.

QVàm iniquè accusata fuerit Synodus, quòd ipsa leges disciplinæ declinaret, comprobatur eodem ipso tempore feruentibus continuisque consessibus, in quibus illæ cudebantur. Earum sententias hîc non affero, quæ tunc expensæ sunt [a]: cùm enim leges illæ varias in sententias sæpè mutatæ fuerint, existimo, lectoribus haud gratum fore tot embryones adspicere: ex ipsis sententijs quoque, vt de more Historiæ legibus seruiam, & alios ab ea molestia liberem, quæ ab ordinarij prolixitate generatur, solùm eligam vtiliora, & iucundiora scitu. 1

Lotharingus, vti prior in dicenda sententia, ita pariter longior fuit, cùm de cunctis articulis accuratè disserüerit. Sic exorsus est: Se non erubescere confiteri, numquam in eo loco locutum se fuisse animo turbatiore quàm tunc, dum intelligebat, iudicium à se prolatum iri de morum reparatione, quæ ad Episcopos potissimè spectabat. Obijci memoriæ suæ, multò magis se in Aula quàm in Ecclesia fuisse versatum, magisque inter Principes ac Dynastas, sui Regis iussu, quàm inter Theologos; tamen ea se dicturum, quæ sibi conscientia suggessisset, propensiore sanè animo ad accipiendam ab aliorum sententia normam, quàm ad eam aliorum operibus præscribendam: ac in primis quidem non posse à se maximoperè non commendari prudentiam & alacritatem Pontificis ac Legatorum, qui tam egregiè in eo negotio se gerebant. 2

In primo capite, vbi sermo erat de Episcoporum electione, petijt, vt vbi dicebatur, *dignos* esse eligendos, poneretur, *digniores*, quod posteà maior pars comprobauit. Suasit, vt variæ adderentur diligentiæ ad exactam notitiam habendam, antequam quispiam ad illum gradum eueheretur, quandoquidem tam multæ statuebantur ad Ostiarij munus conferendum. Quoniam autem habebatur, cuncta *gratis* facienda; posteà verò in syngrapha illius, qui à secretis erat, lectum est, particulam illam [b] fuisse deletam petente Lunensi, ne, sicut arbitror, detrimentum inferretur iuri Cardinalium,

[a] Canones, de quibus dictæ sunt hæ sententiæ, fuerant reformati, & propositi Patribus 5. Septembris; vt in Actis arcis Æliæ, & Paleotti: & in litteris Iadrensis sunt relatæ sententiæ secundùm tenorem in Historia nostra descriptum.

[b] Litteræ Iadrensis 13. Septembris.

lium, Regnis patrocinantium, qui Ecclesiarum collationes proponunt in Senatu; dixit, Auferenda non esse emolumenta Cardinali proponenti, & vnius anni prouentum Pontifici; sed deliberandum esse de alijs lucris eorum qui nihil laboris impendebant. Interim verò eradi posse, sicut actum erat, vocem illam, *gratis*, donec Pontifex rei prospiceret. In quo ex transitu obseruauerim, Suauem, qui alioqui nullam præ se fert notitiam rerum, quæ tunc dictæ sunt, affirmare, Gallis placuisse, vt ex capite decimoquarto auferrentur *Annatæ*; quamquam posteà res aliter euenerit: quod planè ridiculum est, cum Lotharingus, alijque complures, apertis verbis eas reseruarint, & numquam certè propositum in Conuentu fuerit, vt illæ tollerentur. 1563.

4 Prætereà de primo capite censuit, de Cardinalibus caput seorsim conficiendum; cùm par non esset, vt maior adhiberetur solertia ad Romanæ Rotæ Duodecemuirum, quàm ad Cardinalem eligendum.

5 In quarto dehortatus est à tribuenda Episcopis facultate prohibendi omnino concionem cuiuis Regularium; satis esse, ipsis haud licere suis in templis concionari, nisi priùs ab Episcopis examinarentur: & retulit, à quibusdam Episcopis hæreticis in Gallia vetitos fuisse Catholicos conciones habere.

6 In sexto capite, quod à Clericorum Collegijs immunitatem auferebat, affirmauit, nullam pestem à se magis noxiam putari, quàm huiusmodi immunitatem; cùm plura membra sine capite monstrum euadant. Vnicam immunitatem æquam ac sanctam esse, illam nimirum, quâ quispiam eximitur à potestate Episcopi suspecti, vitâ perdurante. Immunitatis perpetuæ tres causas extitisse: Vnam peculiarem in Gallia fuisse auaritiam cuiusdam Antipapæ, hoc est, illius Clementis septimi, schismatis tempore creati, qui inter veros Pontifices non connumeratur: vnde Lotharingus ita de illo loqui non verebatur, ab eo & ipsius successore huiusmodi beneficia fuisse diuendita. Aliam causam esse complurium Episcoporum socordiam, aut appetitionem pecuniæ, illis traditæ à Canonicis ad assensum præstitum compensandum. Tertiam, quòd omnes Canonici priscis temporibus in Gallia monachi fuerant, quibus præerat proprius ipsorum Præsul, quo immunes Canonici haud regulares carent. Etenim Romanus Pontifex, vtpote nimis remotus, nequit eorum curam gerere per se ipsum. Eapropter friuolam adduci rationem, quòd immunitas ab ipsa fundatione originem traheret: nam fundationis tempore Canonici erant monachi, suisque sum-

1563. mis moderatoribus subdebantur: magis adhuc friuolam esse possessionem omni memoriâ antiquiorem; cùm abusus inferre detrimentum non debeat bono vsui vetustissimo, qui præcesserat. Et sanè aut cunctis immunitatem esse concedendam, aut cunctis auferendam, aut ab omnibus ius commune seruandum. Nec adduci posse, ab immunitate Canonicorum auctoritatem Pontificiam custodiri; hæc enim ex eo non seruabatur, quòd delictis daretur immunitas. Placere sibi, ne quid agere liceret Episcopis sine Clericorum Collegijs, vbi Canonici eligerentur prout ius postulabat: sed id temporis sibi non probari, propterea quòd sæpè viles ac inepti assumebantur.

In nono, quod spectabat ad pœnitentias, auctor erat, vt à Pontifice constituerentur singuli in singulis prouincijs Pœnitentiarij, ad publicas pœnitentias imponendas secundùm Prouincialium Synodorum decreta. 7

In decimonono, in quo agebatur de conferendis sacerdotijs, animarum curam habentibus, minimè comprobauit, ea per concursum impertienda, ne induceretur in Ecclesiasticos quoddam petitionis genus, quâ declararetur qui peteret esse dignissimus; sed edictum vulgandum, quo monerentur omnes, vt si quis idoneum quempiam agnosceret, illum nominaret, posteà verò eos qui descripti & oblati essent, examinandos, & eorum optimum eligendum: tametsi hæc necessitas eligendi optimi inter eos qui subierint examen, aduersaretur commodo temporario Ecclesiæ Gallicanæ, ac præsertim suo, cùm ipse duo fortasse sacerdotiorum millia distribueret. 8

De hisce sacerdotijs animarum curæ addictis, dicit Suauis plurimum extitisse difficultatis, dum Episcopi studebant potestatem ea distribuendi sibi recuperare, cum graui Aulæ Romanæ detrimento: idcircò conatum esse Simonettam temperamentum reperire, quo illis fieret satis, & nihil Pontifici detraheretur, decernendo, vt sub specie concursus Episcopi ea Sacerdotia distribuerent pro suo arbitratu, & Roma lucrum ex diplomatibus sibi retineret. Hæc est Suauiana narratio. Sed in primis sciendum est, in tribus Synodi conuocationibus, ab Episcopis, & præsertim Hispanis, duo inter cetera fuisse proposita ad suam iurisdictionem reparandam: Vt Clericorum Collegia immunia sub Episcoporum auctoritate reponerentur; & Vt sacerdotia curam animarum gerentia, ab Ordinario cunctis mensibus distribuerentur. Vtrumque Sedi Apostolicæ noxium agnoscebatur. Ex priore minuebatur admodum numerus 9

eorum,

eorum, qui proximè illi subiecti erant; & experimento liquet, cuicumque superiori tutissimos & obsequentissimos eos esse, qui sunt illis proximè subiecti, non magnæ notæ. Posterius auferebat ab Aula Romana distributionem quamplurium sacerdotiorum in variis orbis Christiani partibus; & tamen alter cardinum, in quibus veneratio Principum innititur, est ipsa facultas beneficia cõferendi. Nec tantum Aulæ Romanæ detrimentum ex his duabus nouis sanctionibus compensari videbatur ab euidenti Ecclesiæ vtilitate: quin in comperto erat, ab immunitate Collegiorum quodammodo frænum injci Episcopis, ne aut in fide aut in regimine præuaricarentur: & expendebatur, quamuis distributio beneficiorum, salutem animarum curantium, fieret ab Ordinarijs per certiorem meritorum notitiam; hanc tamen notitiam comparari etiam posse variis modis à Pontifice, præcipuè verò cùm eos eligebat, qui Romæ degerent: & è conuerso, in Ordinarijs maiorem vim habituros respectus timoris, spei, aliarumque affectionum, quàm in Pontifice, quà ex ipsius amplitudine, quà ex eiusdem longinquitate. 1563.

10 Equidem comperio de priori capite minorem duritiem in Romanis Pontificibus. Quare, sicuti permiserunt Concilio, vt plurimas alias immunitates aboleret; ita de ea Paulus III. monuerat [c] simpliciter Legatos suos, ne quid nouum huiusmodi moueretur sine maturo consilio, & sine æqua trutina, qua Collegiorum rationes expenderentur post tam diuturnam fundatamque ipsorum possessionem; ac posteà Synodus decerneret quod sibi luberet. Nec etiam Iulius longè abfuit vt id permitteret, quemadmodum constat ex ipsius epistola [d] ad Crescentium Legatum, quæ simul cum alijs [e] pluribus mihi ostensa fuit à Francisco Palumbara, non minùs animo quàm maioribus nobili, ad quem auiæ causâ deuenere cum hæreditate memorati Cardinalis commentarij; quique eo libentius hanc mecum comitatem exercuit, quòd vir ipsius sororis, Stephanus Pignattellus, inter selectos ac domesticos amicos meos, virtute, assiduitate, beneuolentiâ præcellentes, meritò connumeratur. Sed posteà maiori effectuum euidentiâ Pius IV. liberam sanctionem iudicio Conuentus reliquit.

[c] Vide lib. 9. cap. 20. n. 6.

[d] 26. Ianuarij 1562.

11 E contrario, de altero capite nonnisi leuis sermo ætate Pauli habitus est [e], cùm tantummodò ageretur, ne huiusmodi sacerdotia cum animarum procuratione, darentur minùs dignis, nec nimis potentibus, nec degentibus in Aula, nec aliâ curâ deuinctis. In Iulij conuocatione [f], cùm ea de re sermo increbresceret, scripsit ipse ad Crescentium Legatum, Audiri à se nonnullos prænuntiantes,

[e] Vide lib. 7. cap. 2. num. 3 & 10.

[f] Epistola producta.

1563. eam Synodum, quippe magna ex parte Hispanis conflatam, Toletanam Synodum futuram, ad Hispaniæ commoda omnino conuersam: se proculdubiò numquam esse passurum, cùm Regi potestas inesset in cunctas Ecclesias Episcoporum & in cuncta cœnobia Consistorialia, Episcopos eam adipisci in cunctas Ecclesias Parochorum, relictâ solùm Apostolicæ Sedi ex alijs sacerdotijs distributione, cum Ordinarijs diuisâ secundùm menses. Oratorem Hispanum numquam secum de huiusmodi consilio collocutum: quod si semel de eo colloqueretur, ita se responsurum, vt iterum de eodem collocuturus non esset. Hi sensus in Iulio fuere. Verùm Protestantium arma, quibus tunc Synodus interrupta est, rem maturescere haud permiserunt. De his actum est iterum in Synodo, à Pio coacta. Pontifex verò variis ea de re consiliis propositis [g], quæ suprà narrauimus, significauit in commune Legatis, & peculiariter Simonettæ, vt ab ipsis Concilio satisfieret, nec ob eam causam cursus emendationis tardaretur; idemque anteà scripserat Borromæus ad Vicecomiten. [h].

Hæc de re suprà gesta. Vnde liquet, quàm procliuis ad id esset Pontifex in publicæ quietis & gratificationis gratiam. Iam verò expendamus Suauis ratiocinationem de ijs, quæ, postquam huiusmodi facultas ab Aula Romana delata est, Patribus statuenda visa sunt. Ac primò quidem falsum est, Paræciarum collationem penes Episcopos esse: hi enim obligantur, vt sententijs examinantium inhæreant in reiiciendis iis qui ab illis repudiantur; & etiam, vt digniores inter comprobatos anteferant. Quare videmus interdum eos qui posthabiti sunt, prouocantes ab iniquo Ordinarij iudicio, & in lite victores. Præterea non satis callebat Suauis vtilitatem aut damnum Principum, si solo pecuniæ lucro aut iacturâ ea ponderabat. Hac ratione idem esset Pontifici Bononiæ possessio, quod reditus annuus sex millium scutatorum ex aliis fundis, illius loco. Hæc, igitur regula mercatores metitur, non Principes, qui à dominio Dominantes dicuntur. Quamobrem qui lumen rectæ ratiocinationis obtinet, probè intelligit, quàm graui iacturæ consenserit Pontifex vt Ecclesiæ bono consuleretur, cùm abdicauit à se facultatem, pro suo arbitratu conferendi sacerdotia, curandis animis addicta, quæ per octo anni menses vacant in tot Prouincijs Christianæ Reipublicæ; & cùm Aulam Romanam priuauit eâ frequentiâ, quam secum ferebat concursus tot hospitum Ecclesiasticorum, quibus opus erat, vt illic sui specimen darent ad ea sacerdotia suis in regionibus obtinenda.

Sed

[g] Litteræ Borrom. ad Legatos 17. Augusti. & ad Simonettam 21. Augusti 1563.

[h] Syngrapha Borrom ad Vicecomitem 13. Augusti, cui respondet Vicecomes per aliam syngraphan 23. Augusti 1563.

13 Sed vt ad sententiam Lotharingi regrediamur, ferè omnibus placuit quod in ea habebatur, sanctionem peculiarem ac seiunctam de Cardinalibus edendam esse; sicut è contrario perpauci opportunum existimarunt, vt eorum numerus restringeretur[i], pro eo ac Cæsari probabatur. 1563.

[i] Litteræ Cæsarianorũ ad Cæsarem 8 Septemb. & Legatorũ ad Pontificem 30. Septembris, 1563.

14 Helius Hierosolymitanus Patriarcha, qui secundo loco sententiam dicebat, in secundo capite suasit, ne omnes Collegiorum Ecclesiasticorum immunitates tollerentur. De aliis immunitatibus id sibi probari, sed non de ijs quæ illas possidebant aut ex fundatione, aut ex concordia, quam partes iureiurando firmarant, & Sedes Apostolica comprobarat. Id agendum non esse inauditis aliorum rationibus, ne se ostenderent Episcopi iudices sibi addictos; cùm earum pleræque concessæ fuerint à Gregorio VII. & Innocentio III. viris sapientissimis.

15 Archiepiscopus Hydruntinus in primis cohortatus est, vt cùm fas non esset vlli potestati potestatem Pontificiam coarctare, apponeretur vniuersalis clausula, *saluâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate.* In decimooctauo reiecit prohibitionem plura sacerdotia obtinendi, affirmans, id repugnare capiti, *De multa*, & Concilijs Lugdunensi & Lateranensi: idem æquaturum sacerdotiorum possessores numero, non æstimatione sacerdotiorum, & multos nobiles dehortaturum ab Ecclesiastica vita ineunda.

16 Granatensis in nono Lotharingi sententiam laudauit de constituendo *Pœnitentiario* in singulis Episcoporum Ecclesiis.

17 Verallus in quinto, vbi præcipuè lex ferebatur de causis criminosis aduersus Episcopos, petiit, vt earum commissiones extra Vrbem manu Pontificis signarentur; monuitque, earumdem cognitionem spectare ad Synodos Prouinciales, prout imperabat Canon, *Quorumdam*, distinct. 24. & Can. *Quamuis.* 6. q. 2. tametsi posteà sententiæ pronuntiatio ad Pontificem nõ spectaret. In decimonono improbauit, habendam esse ab Episcopis, & à Pontifice electionem ad Paræcias ex iudicio examinantium; cùm fidendum non esset aliorum conscientiæ in animarum cura demandanda. In vigesimo primo, vbi tuncta prima iudicia concedebantur Ordinariis, optauit, vt causæ magni momenti exciperentur.

18 Mutius Callinus Archiepiscopus Iadrẽsis, in primo capite opinatus est, Episcoporum examen esse instituendum (quod post multos annos Clemens VIII. fieri iussit) & decernendum, ne quispiam à Pontifice ad Episcopatum promoueretur, nisi priùs ad id comprobatus ab Episcopo suæ diœceseos, aut ab Legato Apostolico illius Prouinciæ. Archie-

1563. Archiepiscopus Bracarensis in sexto dissensit ab Helio in excipiendis immunitatibus ex fundatione, dicens, hoc ipsum idem esse, ac nihil curare monstrum enatum cum pede adnexo ipsius capiti, aut non corrigere institutionem nosocomij, quod eâ ratione conditum esset, vt à medico numquam inuiseretur. 19

Contrà verò Gaspar à Fosso Rhegiensis Archiepiscopus obstitit, ne vniuersè delerentur immunitates Collegiorum; ob oculos positis clericorum Collegiis in Germania, vbi multi Episcoporum defecerant, sed nullum ex Collegiis. 20

In hac disputatione de immunitate, aliqui ex Patribus Lunensis operam perstrinxerunt de Procuratore Collegiorum Hispaniensium, alij verò eamdem propugnarunt. 21

Antonius Augustinus Leridensis Episcopus questus est, auditam à se fuisse quorumdam vocem, perinde ac si planè in angulis Germaniæ degerent, Synodo potestatem non inesse ad leges sanciendas, quibus Principes obligarentur; quasi huiusce rei vsus Sedi Apostolicæ & anteactis Conciliis perpetuus non fuisset, & luculento Historiarum testimonio minimè confirmatus. In primo articulo censuit, neminem inter Purpuratos Patres esse cooptandum, qui aut frater, aut ex fratre nepos, aut sobrinus esset alterius Cardinalis, aut ipsius Pontificis, nec plures quàm duos ex eadem prouincia. Et præterea, ne munera ob collationem Purpuræ vacarent, hortatus est, vt suauiter cum Principibus ageretur: sicut enim dictum est, *Nolite ad iracundiam prouocare filios vestros*; ita cùm Synodus indigeat Principibus, qui eius Decreta exequantur, opus erat vt ipsos sibi beneuolentes haberet. 22

Facchinettus Neocastrensis Episcopus, ex primo desumpsit opportunitatem monstrandi, ea incommoda, de quibus Orator Gallicus conquestus erat, orta esse in Gallia præcipuè à Rege, & à facultate, quam ille obtinebat, concedendi prout sibi libebat sacerdotia. 23

Salmanticensis sermone suo plurimum temporis occupauit[k]. Præmisit, à se Deo grates agi, quòd tempus aduenisset Ecclesiam spectantibus hæreticis reconcinnandi, eorumque in Concilium calumnias conuincendi; cùm præsertim in ordine Ecclesiastico morum emendatio inchoaretur exemplo Synodi octauæ Toletanæ: quisquis enim seipsum corrigit, & auctoritatem & facilitatem consequitur ad alios corrigendos. In propositis Decretis sibi generatim displicere prolixitatem aduersantem & consuetudini veterum Synodorum, etiam in grauissimis argumentis, & præsentis decoro, & 24

[k] Extat in eiusdem Actis.

etiam

etiam subiectorum quieti : siquidem quot verba, tot litigiorum se- 1563.
mina multiplicabantur. In primo capite, neutiquam sibi probari vocem illam *gratis*, de actis quæ conficiuntur vt quispiam ad Episcopatum assumeretur : etenim quamquam Sacramenta sine pretio sint administranda, tamen antegressi labores ministrorum pretium postulant. Et quod spectabat ad emolumenta Cardinalium, qui Ecclesias in Senatu proponebant, quando ipsis tunc adimebantur cuncta sacerdotia salutem animarum curantia, exceptis Episcopatibus, æquum non esse, consuetis emolumentis illos priuari. In tertio, se consensurum negauit articulo valdè controuerso, sicut posteà narrabimus; nimirum, à Metropolitis inuisendas esse diœceses suffraganeorum: esse id inauditum in Hispania, & plura præuideri detrimenta tum ex diuturna absentia Metropolitarum à suis Sedibus, tum ex multiplicatione onerum minoribus sacerdotiorum possessoribus, quibus conferenda esset pecunia in sumptus tum Archidiaconorum, tum Episcoporum, tum Archiepiscoporum, ipsos inuisentium : posse huiusce rei vice cunctis satisfieri per Synodos Prouinciales, quæ tertio quoque anno imperabantur in primo capite. De quinto, commendauit, vt renouaretur Canon tertius Synodi Sardicensis, propositus ibi ab Osio Episcopo Cordubensi, & per ingentem plausum exceptus, ac posteà relatus in Can. *Osius* 6. q. 4. & confirmato à Sixto III. hoc est, causas Episcoporum ad Romanum Pontificem deferendas esse. In sexto, acriter inuectus est in Collegiorum Ecclesiasticorum immunitatem, ostendens, eam discordiæ & corruptelarum fontem esse. Censuit tamen excipiendum Complutense, in quo cum eo consensere complures Hispani Præsules: non quidem, aiebat Mendoza, illam exceptionem à se proferri quòd ipse illius Academiæ alumnus esset, neque quòd eius fundator Ximenez Cardinalis, Toletanus Archiepiscopus, instituerat Mendozas perpetuos illius dominos; sed in primis, quòd illa tot illustrium virorum esset parens, quorum multi ea in Synodo numerabantur. Deinde, quòd cum Canonicis illius Collegij non poterant alij conferri sanctionum dignitate; quippe quòd necesse erat eos esse Theologos, Doctores & Magistros in liberalibus disciplinis: ijdem consueuerant dare operam quouis tempore concionibus, prælectionibus, confessionibus, ac disputationibus; numquam otiosam, semper tamen quietam vitam agentes, eximiæque virtutis specimen exhibentes. Quapropter cùm clarissimus ille Cardinalis eorum fundator voluisset illos immunes, tametsi ceteroqui eius Episcopatui subiecti

1563. fuissent; cumque singulos annos inuiserentur à Rectore illius Academiæ, cui plurimum splendoris vigoriſque defuisset hac prærogatiuâ deperditâ, Patres hortabatur, ne Academiæ adeò de Ecclesia benemeritæ damnum inferrent. In decimo nono, pluribus comprobauit, curas animarum per examen demandandas; testatus, experimento conspici in Hispania, præstantiores Parochos esse qui hoc pacto seliguntur: sibi tamen displicere concursum, vtpote stimulum ad æmulationes, ad ambitiosos conatus, ad odia. Idcircò videri sibi, ad maiorem Cleri pacem & Episcoporum dignitatem conferre, si ad hos pariter extenderetur id quod præscribitur Dominis Paræciarum; hoc est, vt eum eligerent, qui postèà examinantium iudicio idoneus esset declarandus, aliter electio in irritum caderet: & quò amoueretur omnis suspicandi ratio, probatum iri ab examinantibus non idoneos, in gratiam Ordinariorum; cauerent ijdem examinantes, ne præter iurisiurandi vinculum illius familiares essent.

Melchior Auosmedianus Episcopus Guadicensis, exulceratus, 25
vt in Actis suis refert Salmanticensis, ob illatam sibi offensam ab ijs quos illi Romanos appellabant, opportunitatem arripuit differendi, prout argumentum ferebat, de Ordine; ratusque se nunc muniri quasi vallo, Oratoris Hispani præsentiâ, studuit se vindicare: captoque argumento ab ea voce *gratis*, de collatione Episcopatus, de qua voce Lotharingus alijque variè disputarant, sermonem habuit, quo ardenter inuectus est in Magistratus Romanos, productâ notâ pecuniæ, quam necesse ipsi fuerat singulis persolui ad obtinenda Pontificis diplomata. Quod quemadmodum vi'um est ab animi perturbatione, non à religionis studio profectum, ita non parum molestum accidit reliquis Hispanis, & ipsi etiam Lunensi, cùm animaduerterent, inde non nisi inuidiam suæ nationi conflari.

Sed Paulus Iouius Episcopus Nucerienſis, qui proximè verba fe- 26
cit, dixit, Guadicensem locutum fuisse secundùm conscientiam, non secundùm scientiam; cùm fas non sit subtrahi emolumenta, & ea quibus opus habet, ad congruentem sibi vitam ducendam, vniuersalis omnium Ecclesiarum Pastor. Quemadmodum reus maiestatis accusaretur is, qui affirmaret, auferenda esse Principibus laicis ipsorum tributa; ita reum multò grauioris iniustitiæ illum esse, qui Ecclesiæ Principi & Christi Vicario vult auferre fructus ipsi debitos à singulis Ecclesijs ex iure, ex æquitate, & ex consuetudine.

Ioan-

27 Ioannes Baptista Sighicellus Bononiensis, Episcopus Fauentinus, vehementer instituit, ne Collegiorum immunitates abolerentur, aitque: Si tantum detrimenti attulissent in Hispania, quantum Hispani Præsules amplificabant, neque Calistus, natus in Hispania, neque Adrianus, Episcopus olim in Hispania, eas toleraſſent: profectò Germaniæ Galliæque illas prodesse, ne vnius Episcopi præuaricatio in Fide satis esset ad Ecclesiam suam euertendam. 1563.

28 Vanzius Vrbeuetanus Antistes, dum refelleret Guadicensem, monuit, munera Romæ venalia, esse veterrima, & ante Pontificatum; vt constabat ex vltimis libris Codicis, *lege primâ §. Nec castrense. de collatione bonorum, & leg. fin. Cod. de pignoribus, & leg. fin. Cod. de silentiar. & leg. Omni modo §. Impetrare. Cod. de inofficios. testam.* Ea postmodum à Constantino Sedi Apostolicæ fuisse tradita, secundùm Canonem, *Constantinus 96. distinct.* & Canonem, *Futurum 16. q.3.* Præterea, fuisse præscriptum ab Innocentio III. vt Apostolicis litteris postrema manus admoueretur à quibusdam Magistratibus, vtillis à fraude cautum esset, *Cap. Dudum. & Cap. Licet. de crimine falsi* His Magistratibus mercedem laboris esse soluendam: alijs ministris honorarijs dandam esse portionem quamdam ex annuis prouentibus, Pontifici Romano debitis etiam ex iure Ciuili, *Authent. de sanctissimis Episcopis. § Iubemus.* cui propterea licet pro suo arbitratu ea donare. De vigesimo primo, quod ad prima iudicia exercenda spectabat, cupiebat, vt exciperentur causæ miserabilium capitum, quibus permittitur instituere primum iudicium in maxima Curia, secundùm celebrem legem vnicam; & clarissimorum capitum, secundùm legem primam, *cod. Vbi Senat. vel clar.* & omnium Curialium, ex lege prima, *Cod. de Curial. Vrb. Rom.* & causæ beneficiales, leuioribus exceptis, *Cap. per venerabilem. § Igitur qui filij sint legit.*

29 Vincentius Iustinianus Generalis Magister Prædicatorum plurima disserüit de quarto capite, quo Regularibus libertas concionandi auferebatur. Eam ipsis fuisse traditam ab Oecumenica Synodo Viennensi, ex Clementina, *Dudum de sepult.* nullum inde detrimentum inferri Episcopis, quibus licebat eos amouere ac punire, si quando errores prædicarent; nec esse obstruendum os homini, qui per illud Dei verbum disseminat. In nono, repugnauit Pœnitentiario, à quibusdam proposito; obiecitque, neminem ausurum fuisse ad huiusmodi Sacerdotem accedere, ne se grauiorum noxarum reum puderet, quæ ipsius foro reseruantur.

30 Vltimo loco Lainius verba fecit die secundo Octobris. Monuit,

1563. ne vllo pacto omitteretur particula, cuius auctor fuerat Hydruntinus, *salua Sedis Apostolicæ auctoritate*. Hanc sacrosanctam Sedem duplici ratione considerari, secundùm spiritum, & secundùm carnem; nimirum, tamquam domicilium charitatis & religionis, & tamquam fontem temporalium bonorum. Vtramque prærogatiuam esse in ea detinendam, quò in pretio habeatur etiam apud minùs perfectos: posterior enim ad priorem exercendam opem ferebat, ac viam parabat. Duo à se studia erga sanctam Sedem animaduerti: alterum, cuiusmodi erat in sancto Bernardo; alterum, cuiusmodi in hæreticis: ab illo ad suum caput reduci, & cum eo coniungi quæ aberrauerant; ab hoc seiungi res ab vnitate, ac longè repelli. Tria generatim expeti à se in propositis Decretis, maiorem breuitatem, minorem correctionem antiquorum Canonum, & sanctiones facilioris executionis. Quod spectabat ad postremum, in hoc differre legem à Deo, & legem ab hominibus latam. In prima tantâ moderatione opus non est, propterea quòd legislator ipse vires suppeditat ad eam custodiendam: at verò secunda normam capere debet à viribus quæ adsunt, cùm eas augere non possit in subditis auctor legis. Obseruauit, Ecclesiasticos non accusari ab aduersarijs ob defectum, sed ob violationem bonorum Canonum. Videri sibi, reliquorum omnium humeros premi, Episcoporum humeris ne tactis quidem. Contineri in illis disciplinæ legibus multa aduersus Pontificem, Cardinales, Archidiaconos, Canonicos, Parochos regulares; aduersus Episcopos nihil. His vniuersè propositis, ad peculiaria descendit, & in quinto capite, vbi de Synodis Prouincialibus agebatur, considerauit, eas difficulter coactum iri; subsecuturas tamen proprias Nationum Synodos cum graui Ecclesiæ periculo. Sibi non probari certum tempus Oecumenicis Concilijs præscriptum; hinc enim speciem obtenturos contumaces ad prouocandum à sententijs Romani Pontificis ad futurum Concilium, sublatâ obedientiâ & vnitate Christianæ Reipublicæ. De sexto, ad immunitates pertinente, censuit, non cum omnibus Cleri Collegijs eodem pacto agendum: Hispanica Episcopis subdi posse, vtpote integritate vitæ præstantibus, idque Philippo Rege cupiente. Aliam rationem ineundam esse, vbi Episcopi essent hæretici aut infames, & Principes laici dehortarentur. Institit, vt per leges consuleretur Episcoporum supellectili, modo quo hi cum consanguineis se gerebant, & quo pacto his sacerdotia essent elargituri; ne admitterentur translationes Ecclesiarum, quæ ad declinandam mansionem laboremque haberentur. De pensionibus decretum

cretum ederetur, quo initæ fierent iniustæ; nec in posterum illæ, nisi rationi consentaneæ, concederentur. Vnicum vni sacerdotium conferretur, vbi esset sufficiens; nec sufficientis rationem petendam esse ex nobilitate personæ, sed ministerij, cui sacerdotium destinatur: nam Ecclesia non dirigitur ad ministrorum vtilitatem, sed ministri diriguntur in Ecclesiæ vtilitatem. Licere alicui plura sacerdotia possidere cum Ecclesiæ emolumento; exempli gratiâ, cùm desunt plures Pastores idonei, aut cùm propter sanctitatis litterarumque præstantiam magis vnus prodesse potest quàm plures. 1563.

31 Absolutâ disputatione de viginti & vno articulis, supererant reliqui exagitandi, ac præcipuè articulus de Principibus: sed postrema Cæsaris responsa nondum peruenerant. Compertum iam erat Patribus, quantâ acerbitate hic articulus à Gallis impugnabatur: nec latebat repugnantia, nihilo remissior, tametsi modestior, magisque obtecta, Lunensis, qui per eos dies acerrimè vrgebat agitatam declarationem particulæ, *proponentibus Legatis*. Accessit die quarto Octobris Oratorum Venetorum postulatio, exponentium Legatis[l]: Cùm ipsorum Respublica semper libertatem & immunitatem Ecclesiæ sanctis tectas seruauerit, profectò nullam à se materiam exhibitam fuisse Decreto, quod de Principibus parabatur; proinde reuerenter à se peti quorumdam dierum dilationem, quò ipsi docerentur à Senatu, quid à se proponendum esset, ad sua priuilegia, consuetudines, ac generatim ad suam auctoritatem conseruanda; ne vmquam dici posset, Principi obsequenti, ac singulariter benemerito de Sede Apostolica, illatum fuisse detrimentum, eodem non priùs audito.

[l] Litteræ Legat. ad Borrom. 4. Oct. 1563. & postulatio extat inter monumenta Gualt. 7 Octob.

32 Hanc Venetorum petitionem vt res protraheretur, subsecuta est altera similis petitio Cæsarianorum, qui dixerunt, Velle se super eo negotio solemniter rogare Concilium, & ab eo, qui Oratori Hispano à Secretis erat, postulatum communi nomine expositum iri: Gallum quoque sese ad id obtulisse; sed ipsos, postquam eius contestationes audierant, noluisse in ea re cum illo societatem.

33 Coniuncta tot Oratorum eodem tempore postulata [m], tandem impulerunt animos Præsidum, adhuc suspensos; cùm apud se reuoluerent, si in huiusmodi conditionibus ipsi indulgerent, non imbecillitati tribuendum, sed potiùs pertinaciæ ac temeritati si repugnarent. Idcircò omissâ publicâ recitatione earum petitionum die octauo Octobris [n], primus Legatorum ita differüit: Si quod appeti potest, idem simul esset ac quod fieri potest, opus haud

[m] Litteræ Legat. ad Borrom. 4. & 7. Octob. 1563

[n] Non 7. vt dicit Sauis.

1563. haud futurum fuisse inter ipsos consilio °: sed infelicem tempo-
° Litteræ Oratorũ ad Cæsarem 8.Oct.1563. Acta Arcis Æliæ, & Paleotti, Diariũ 8.Octob. & litteræ Legat. ad Borom. 9.Oct. 1563
rum conditionem postulare, vt vice maximi boni minimum malum eligeretur. Destinasse priùs Legatos, vt expensis viginti & vno articulis, ad reliquos gradus fieret, ac præsertim ad trigesimum quintum de Principibus. Verùm, pro eo quod Patribus in comperto erat, iam à cunctis Oratoribus, quà deprecationibus, quà denuntiationibus, ad alia consilia se compelli. Eosdem Oratores profiteri, se nihil velle quod immunitati ac libertati Ecclesiæ aduersaretur; sed solùm petere temporis spatium in articulo adeò graui, ad suas consuetudines purgandas, & ad sua iura ac priuilegia palàm proferenda. Videri, secundùm rectam æquitatem, negari non posse Principibus Catholicis id quod vel ipsis hæreticis indulgeretur: & ex altera parte conspici, tempus illis concedendum tam breue esse non posse, vt interim otium Synodi sine grauissimo detrimento contingeret. Legatos igitur existimare, posse interim celebrari Sessionem de argumentis Matrimonij iam perpensis, & de vigintivno articulis legum discussis. Quod si fortè fieri posset, vt præueniretur præstitutus Sessioni dies, reparato aliqua ex parte dedecore superiorum prorogationum, sine dubio patefactum iri falsitatem vulgatæ calumniæ; ex odio videlicet emendationis caput illud de Principibus prætermissum fuisse, quò ipsi, abhorrentes ab emendatione sua, desisterent ad emendationem Ecclesiasticorum Patres extimulare: hoc pacto tot rerum capitibus absolutis, in alia Sessione ad Synodi finem tam optatum & tam optabilem deueniri posse. Quod si quis obex aliorum culpâ injceretur, liceret Patribus intrepidâ fronte ab opere manum amouere, cùm officio suo fecissent satis in plurimis, promptumque animum in reliquis præ se tulissent. Denique bonum, quâ parte nostra est in manu, numquam esse retardandum; opportunitates enim illius perficiendi breues raræque contingunt. Ponderarent has rationes Patres: sicut munus erat Præsidum eas proponere, ita partes esse Concilij, iudicium ferre. Accommodata certè ratio, quâ ij qui præsunt, propositiones claudant molestas Conuentibus, qui libertatis suæ maximè solliciti, tunc se magis liberos ostentare cupiunt, cùm magis se cogi sentiunt.

Varia fuerunt opinamenta, & complures ardenter obstiterunt; sed maior pars voluntatem potentiæ accommodantes aut diserte consenserunt, aut certè dixerunt, Legatorum conscientiæ se remittere. Hinc progressi sunt ad delectum eorum, quibus negotium datum est emendandi Canones ac Decreta secundùm sen-

tentias,

tentias, quas audierant in conſeſſu: illæ verò tam iteratæ vocifera- 1563.
tiones, vt haberetur delectus per æqualem ſingularum nationum numerum, obmutuerunt; adeoque abſque vllo certamine Legatis electio concordi voce commiſſa eſt. Siue quòd Lunenſis, qui vnicè, ſi non deſiderio, certè animi ardore poſtulatum illud promouerat, opportunius dignitati ſuæ putaret, incertæ pugnæ ſe non committere; ſiue quòd intelligeret, in eum, qui multas eodem tempore lites intentat, communem præſumptionem in omnibus contra ſe militare; & ſummorum etiam Principum morem eſſe, plura ſimul bella non inferre, ne in ſingulis victos ſui poſteà pœniteat.

CAPVT IV.

Ratio inita ad celeriter componenda Decreta, quibus maiori parti ſatisfieret. Voluntas Cæſaris ac Romanorum Regis de concluſione Concilij, etiamſi repugnarent Hiſpani. Conſilia ſuper eo à Delfino data Morono, & ab hoc Pontifici. Cæſaris notæ de Decretis poſtremò reconcinnatis. Eiuſdem ſenſus de Principibus reformandis. Diſceſſus Ferrerij. Querelæ Tridenti, de collationibus à Pontifice quibuſdam factis, operâ Lotharingi.

1 ADeò variarant [a], ac de tam multis rebus verbiſque, eorum ſententiæ, qui mutationem in exemplo Decretorum poſtulabant, vt ne inueniri quidem poſſe videretur non modò quod cunctis ſatisfieret, ſed etiam quod maior pars vellet. Itaque ſelecti ad id Patres in tres cœtus diuiſi ſunt, qui coram tribus Cardinalibus, Oſio, Simonetta & Nauagero, habebantur; in quorum ſingulis expenderetur vtraque pars ſententiarum, quæ ſcripto tradebantur à ſingulis Patribus; ne quid ineſſet ambigui, aut prætermitteretur: in quæ vitia facilè prolabuntur feſtinata compendia eorum qui à Secretis ſunt. Ibi in quolibet ex vigintivno Decretis multa loca communia conſiderabantur, in quibus verſabatur ſententiarum varietas; quæ loca trigeſimum planè numerum in quibuſdam pertingebant, & ſuper eorum ſingulis deprehendebantur ſingulorum Præſulum iudicia: ita vt quilibet ex tribus cœtibus ſimul colligeret ſummam ſententiarum, quæ ipſis committebantur. Poſteà duo Patres in ſingulis cœtibus ſelecti ſunt, qui peculiares indices inter ſe conferrent, & vnicum conflarent vniuerſalem de ſingulis locis communibus; atque ita reperirent quodnam fuiſſet

[a] Acta Paleotti, & literæ Iadrenſ. 14. Octob. 1563.

1563. set in eo loco iudicium maioris partis, & secundùm illud in nouam formam Decreta redigerent.

[b] Duæ litteræ Legatorũ ad Borrom. 22. & 25. Octob. 1563.

De hoc opere Lunensis apud Legatos conquestus est [b], quòd 2 à multis ipsorum sententiæ calamo fuissent mutatæ, relictis antea voce prolatis; præcipuè de immunitate Collegiorum, & de primis causarum delationibus, adiectis ipsorum scripto multis grauibus limitationibus, pro iudicio ab alijs prolato: permotos ad id fuisse quorumdam artibus, qui aut precibus, aut promissis, aut minis sententias sibi compararant, idque nominatim Archiepiscopus Hydruntinus, Verallus, Sanfelicius, & Sfortia. Idcircò remedium esse admouendum: illud tantummodò quod in cœtibus dicebatur, à Spiritu sancto dictari, & publicâ auctoritate pollere; reliqua priuatim dicta, ab humanis sensibus esse profecta, eisque priuatam dumtaxat auctoritatem tribuendam. Velle se & Pontificem id monere, eius responsa præstolaturum, & interim indicere ijs Episcopis, qui à Rege suas Ecclesias acceperant, vt se à conuentibus abstinerent, ne ipsorum causâ libertas Concilij detrimentum pateretur.

Grauiter à Legatis responsum: Variationem semper esse licitam, donec Decreta in Sessione firmarentur. Quòd autem à quibusdam ad id opera nauaretur, sicuti pro certo ponebat Lunensis, sibi compertum non esse, ac videri quidem vti valdè rationi 3 dissentaneum, ita parum credibile, cùm verisimilius esset, actum de his per modum differendi; inde verò siue per errorem, siue per calumniam, ansam arreptam fuisse ad ea comminiscenda. Si Lunensis, quinam & quibuscum id egissent, & peculiares conditiones palàm faceret, se quidem inquisituros; aut si magis probaretur, reprehensuros generatim in conuentu huiusmodi agendi ratione, monentes, vt ab ea se quisque abstineret, secùs verò meritam pœnam soluturum. Ceterùm ex variatione sententiarum ne argueret Lunensis tam facilè veritatem illius susurri. Sæpè ex audita alterius ratiocinatione proprium iudicium mutari: præterquam quòd tempus ipsum cuncta variat in homine, ac præcipuè opinionem; idque in Lotharingo liquere, qui sententiam suam scripto exhibuerat longè aliam ac voce protulerat, & tamen id pollicitationibus minisve adscribi non posse. Prohibitionem, ne Episcopi Regi subiecti conuentibus interessent, nec ex pietate, nec ex prudentia Lunensis sperari: hoc enim pacto non seruatam, sed potiùs violatam iri Concilij libertatem.

Inter molestias, quas accipiebant Legati ab Hispano Oratore, 4 non

non parum releuati sunt à litteris Cæsaris,omnino diuersis;quæ ad ipsos delatæ biduo post [c] susceptum in conuentu diei octaui consilium, penè in ipsis effecerunt, vt eos quodammodò pœniteret dilationis argumentorum. Scribebat Delfinus Nuntius ad Moronum, se cum Cæsare [d] & cum Rege Romanorum, qui illic aderat, collocutum eâ rationum efficacitate, sibi à Deo immissâ, vt ipsos ad Concilij absolutionem amplectendam induxerit,etiam (nisi aliter fieri posset) inuitis Hispanis : id tamen sibi polliceri Nuntium posità conditione, quòd Synodo finis imponeretur per Sessionem vndecimo Nouembris futuram: si enim diutius protraheretur,fieri poterat, vt variæ rerum animorumque mutationes occurrèrent. Hispanos non eâ apud Cæsarem auctoritate pollere quam putabant; & sibi in animum inducere Nuntium, huiusmodi propositum illos à Cæsare celatum iri. In Legatorum esse potestate, etiam reluctantibus Hispanis Synodum terminare cum Italis, alijsque; in quo euentu si Hispani vellent obfirmatis animis illam continuare, aliud domicilium illis quærendum esset. Sed vbi Legati coniunctioni & auctoritati Pontificis cum Cæsare non fiderent, fidemque somnijs, aliorumque fabellis haberent, Cæsarem ita exasperatum iri, vt forsitan consilium mutaret. 1563.

[c] Litteræ Legatorum ad Borrom. 10. Octobris 1563.

[d] Litteræ Delfini ad Moronum 4. & 5. & fusiùs confirmatur in litteris 11. Octobris 1563 inter Moroni monumenta.

5 Causa, quâ Ferdinandus & Maximilianus impellebantur ad Concilij exitum festinandum, à nobis paulò pòst narrabitur. Addebat Delfinus, etiam de libertate atque immunitate Ecclesiastica Decretum aliquod à Cæsare permissum iri, quando iam Synodus illud argumentum assumpserat: tamen non ita super articulo de reformandis Principibus eum consensurum; & certos reddebat Præsides, neque Cæsarem, neque Regem Romanorum, ob quantamcumque aliorum repugnantiam, vmquam à Pontifice secessuros.

6 Vnà cum hisce Nuntij litteris epistolam Ferdinandi excepit Moronus, quâ Cæsar alteri, per Nuntium illi redditæ, respondebat. In ea magno studio illi grates agebat ob eius amica officia,adhibita Pontifici in Regis filij sui vtilitatem,quibus acceptum referebat emollitum erga Regis rationes animum,quem experiebatur in Pontifice. Grates pariter persoluebat, quòd certus ab eo fuisset redditus, nullam in Concilio de laicorum potestate statuendam esse sanctionem,quam antiqui Canones,quin & ipsæ leges Cæsareæ non continerent; nec irritas reddendas nisi Constitutiones illas laicorum Principum,quibus mansio Episcopis impediebatur. Subdebat, ex eo negotio minimam partem ad se spectare, maximam, ac

1563. ferè totum, ad sacrum Imperium aliosque Principes pertinere: ne momentum quidem temporis à se prætermitti in iis rebus exquirendis, quæ Concilio essent exponendæ, ne suspicaretur Legatus, eam esse artem ad moram injciendam; omni enim conatu suo ac labore felicem celeremque Synodi cursum à se promotum iri. Nec in animo sibi esse, emendationem recusare, prauumque aliis Regibus exemplum præbere, aut Episcoporum mansionem impedire, & ea, quæ iam decreta erant, in dubium reuocare: sed à rebus tam grauibus, tamque vniuersalibus ad eam maturitatem se compelli. Perpenderent Legati, deceretne aut prodesset, polliceri se id, quod sibi certum non erat à se posse præstari: vbi Decreta ad suas hæreditarias ditiones tantummodò pertinerent, haud se commissurum, vt à Synodo, à Pontifice, ab vniuerso Ecclesiasticorum ordine quidquam iustè de prompta animi sui obseruantia desideraretur.

e 3. Octobris Possouiâ. Idem tabellarius litteras Ferdinandi detulit ad Oratores[e], in quibus exactissimum iudicium ponebat de tertia forma, ab illis missa, reformatarum sanctionum, comparatè cum secunda: & tam accuratè reuocabat ad trutinam obseruatas à se declarationes, mutationes, ea quæ prætermissa, quæ adiecta, quæ variata fuerant, vt à Legatorum solertissimo tam operosa diligentia speranda non fuisset. Ego verò propè fui, vt hîc ea plenè recenserem, quò palàm fieret, quo pacto pius ille Cæsar in negotio Religionis nihil omnino putaret aut nimis minutum, aut inferius animi sui suæque conditionis celsitudine. Sed id, quantum satis sit, pluribus in locis à nobis patefactum est: nec ignoro, res paruulas etiam magnorum Principum humanæ curiositati charas esse, vbi paucæ sunt; neglectas, vbi multæ. 7

f Ex litteris Cæsaris ad Oratores Possouiâ 9. Octobris 1563. Innotuit posteà Ferdinando Oratoris Gallici denuntiatio[f]. & quamquam in se bonam haud censuerit, sibi tamen bonam censuit; quippe quâ satis probaretur, nec à se perperàm prædictam fuisse difficultatem Principum in digesta à Patribus eorum emendatione, si mulque commendarentur obsequentes ipsius petitiones, collatæ cum inobsequentibus aliorum contestationibus. 8

Grata supra modum accidit Legatis hæc Cæsaris propensio absoluendi Concilij. Etenim sperabant Sessionem se celebraturos tam propinquam alteri subsecuturæ, vt nulla mutationis causa interponeretur: & aliunde augebatur in ipsis festinandi sollicitudo, cùm intelligerent, Ferdinandum [g] valetudine multum defecisse, & febriculis frequenter laborare, quæ tamquam tenues, sed crebræ guttulæ, 9

g Litteræ Legatorum ad Borrom. 27. Septembris 1563.

guttulæ, si non perfringunt, atterunt: quamobrem fieri poterat, vt improuisò deficeret, deficiente cum eo fiduciâ ab ipso præstitâ in ea regione, in qua Concilium quiescebat; adeoque si infortunium illud accideret, graui diuexabantur anxietate, quidnam ipsis consilij esset extemplò capiendum. Verùm significauit Moronus Pontifici, haud sibi tutum videri Nuntij consilium de Concilio finiendo, Hispanis minimè consentientibus. Duplici modo posse id effici. Primò, illis non præmonitis: sed vix possibile videri, vt aliquis illius negotij odor ad eos nõ irreperet siue in Aula Cæsarea, siue Tridenti; vbi tandem necesse erat rem, antequam ea fieret, cum pluribus communicari. Iam verò rei notitiâ ad ipsos aliunde perlatâ, colorem optimum habituros ad cohonestandam repugnantiam, tamquam nullo habitos in pretio; & fortasse satis etiam virium ad rem præpediendam. Alterum modum esse, si susceptum consilium ipsis aperiretur; & hoc peracto se duram incertamque pugnam habituros: nam quantum ex Lunensi cognouerat, procliuiorem ad suspensionem quàm ad conclusionem ipsum viderat, ne consentiretur à Rege Synodi terminationi, nondum compluribus dogmatis definitis, & compluribus corruptelis nondum correctis. Quare præuideri à se, illum neruis omnibus obstiturum. Vbi aduersarij hac illâue ratione vicissent, Pontifici graui dedecori futurum & quòd temerè decertasset, & quòd victus fuisset. Sed detur, etiam Hispanos, aut improuiso deprehensos, aut obrutos aliorum numero, victum iri; quisnam fructus ex ea victoria decerperetur? Magnam orbis catholici partem possideri ab Hispano, cui grauis causa suppeteret, ne suis in ditionibus exciperet Decreta Synodi, se inuito despectoque absolutæ. Quapropter ad nihilum, peiusque etiam nihilo deciderent tot annorum labores, quando non alius ferè prouentus inde colligeretur, quàm operis repulsa, discordia, & Ecclesiæ communis offensio. Rationes hasce libraret Pontifex: expromeret quid ipse vellet: mitteret facultates necessarias siue ad concludendam Synodum, siue ad suspendendam: significaret Legatis quid ipse in colloquijs cum Lotharingo decreuisset, eumque alacrem, & virtutis documentis imbutum remitteret. 1563.

Sed interim Pontifex nondum conscius harum rerum, Præsides ad terminandam Synodum sollicitabat [h], vetitos ne de suspensione mutirent; eosque monuit, vt humaniter agerent cum Ferrerio, tametsi malè se gessisset, cùm cuncta opera regenda sint à fine, cunctique gressus à meta. Antequam contestationis fragor perstreperet, subtilissimus susurrus peruenerat ad Pontificem, iussos fuisse

[h] Litteræ Legatorum ad Borrom. 10. Octobris 1563.

1563. Gallos Venetias secedere, idque tunc effectum iri, si Sessio constituto die celebranda esset: cuius propositi ratio cùm ipsum lateret, ex coniectura putabat id fieri, ne ipsi Decreta comprobarent, adeoque Rex obstringeretur ad eorum executionem ab hæreticis armorum vi extorquendam. Audierat præterea, Ferrerium, quippe sagacem virum, moliri tam importunam secessionem cum Regis dignitate, & reiectâ in alteram partem illius causâ. Quare Moronum secretò hac de re monuit, vt quò magis præuidebatur, quæsitum iri à Gallo iustæ indignationis speciem, eò magis caueret, ne vel tenuis color illi præberetur. Sed hæc epistola eodem die scripta est, quo habita contestatio. Huius posteà certior factus Pontifex, quamuis eam supra modum rationi dissentaneam appellasset, eoque magis, quòd Lotharingus pro certo affirmabat, Regem Oratori non imperasse (ita scribit) *vt tantum carnis ad ignem admoueret*; tamen Legatis iniunxit, vt nullus idcircò fieret motus, ne vbi Galli animo secessionem agitarent, ipsis occasio præberetur, quâ illam faciliorem redderent, ac fucarent. Atque idcircò edoctus subinde vehementiora primi Legati verba ad Ferrerium, responsionemque à Grassio redditam, nullum propterea sensum voluptatis præ se tulit. Solum iussit grates agi Grassio propter beneuolum animum: & ad Legatos scripsit, quando eò vsque processum erat, non vltrà progrederentur, cùm Ferrerius is esset, qui & commodum & damnum inferre posset & illic & in Gallia, & cuius operâ adhuc spes erat aliquod beneficium acceptum iri. Quòd si pro huiusmodi Pontificis sensibus, ita moderatis, anteà Præsides se gessissent, melior fortasse fructus è Concilio prouenisset in Gallia. Atqui per quemdam veluti strepitum indignationis sine ictu, nouæ offensiones excitæ sunt, non veteres sedatæ. Verùm ministri, tametsi prudentissimi, timent interdum ne timidi videantur, & ne prudentia in ipsis, ab alijs credatur, aut per calumniam accusetur tamquam innata animi formido, ab alijs tamquam sollicita vtilitatis cura. Hæc igitur monita peruenerunt ad Legatos, cùm iam Ferrerius collegam secutus Venetias petierat, animumque malè affectum gerebat, animaduertens, priuatas spes exaruisse, vniuersamque Synodum auersam ab ipso, eam detestari tamquam non modò iniuriosum, sed irreligiosum. Quare Legati præsagierunt, numquam amplius illum adfuturum.

Litteræ ad Legatos, & arcanæ notæ ad Moronũ 2. Octobris 1563. & alijs sequentibus.

Ipsi verò ne bonum, quod euenire poterat, amitterent per obstinatam appetitionem alterius boni, quod fieri non poterat, statuerunt Decretũ de Principibus ita componere, vt eius causâ Syno-

odus non offenderet ; & spem conceperant, desiderium Synodi absoluendæ inflexurum Patres ad reseruandam exactam illam Christianæ virtutis reparationem ad tempora feliciora, quæ misericors sed incomprehensa Dei prouidentia Ecclesiæ destinaret. 1563.

Suum hoc consilium[k] ad Pontificem scripserunt: sed simul eumdem non celarunt, excîtum Tridenti murmur obloquentium in quædam ab eo collata beneficia, vnde videbantur Romana opera Tridentinis Decretis aduersari; eoque maiori tristitiâ Patres[l] affectos fuisse, quòd operam suam ad id impenderat Lotharingus, qui se priùs adeò Synodi studiosum ostenderat: eo siquidem proponente in Senatu, admotus fuerat Ecclesiæ Ferrariensi Alfonsus Rossettus, anteà Conacli Antistes, cunctis prouentibus (præter mille scuta) & collationibus sacerdotiorum, reseruatis Aloysio Cardinali Estensi, qui tunc eius administratione se abdicabat; ipsi verò vigesimumquintum ætatis annum attingenti tradita fuerat eodem die Ecclesia Auscensis, cuius administrationi renuntiauerat Hyppolytus Cardinalis Ferrariensis, Aloysij patruus, eodem planè iure sibi retento, quod in Ferrariensi fratris filius retinuerat, & facto ad Narbonensem Archiepiscopatum gradu; quamquam reuerà cum optione necessaria, vt vel hunc, vel Lugdunensem, quem ille administrabat, intra spatium quatuor mensium relinqueret. Hæc itaque oneris abdicatio in grege pascendo, emuncto tamen ipsius lacte, quin onus vnius dumtaxat cum lacte duorum, seuero illorum Patrum animo repugnabant; nec minùs Infulæ collatæ iuueni, sacerdotis ætatem vix ingresso, displicebant. Si hæc (exposulabant) tunc peragebantur ante oculos Concilij viuentis, & auctoritate eiusdem Pontificis, qui Concilij auctor erat, & ministerio viri tam præcipui in eodem Concilio; quænam præsagitio concipienda erat in posterum, cùm clausis oculis Concilij rem publicam illi gererent, qui nec peculiari animorum affectione eius Decreta cernerent, neque quidquam de suo in illis agnoscerent? Non tamen prætermisit Pontifex quantum poterat, rem à se gestam purgare[m]; respondítque, Estensem Cardinalem ætate spectatâ iam idoneum haberi ad regendam Ecclesiam, cuiusmodi erat Ferraria, duos anteà annos à se possessa, adeoque in hac parte opus illi non fuisse nouâ legis relaxatione: quod autem spectabat ad fructuum retentionem dum Ecclesiam renuntiabat, nondum super eo Decretum vllum in Synodo editum; & retulisse Lotharingum, id liberum Pontificis prudentiæ remissum iri: nullam pariter Ferrariensi

[k] Litteræ Legatorum ad Borrom. 16. Octobris 1563.
[l] Acta Paleotti.
[m] Litteræ Borrom. ad Legatos 23. Octobris 1563.

1563. nouam legis relaxationem impertitam; solùm enim ille Auscensem Ecclesiam in Narbonensem commutarat, hoc insuper obstrictus vinculo, vt hanc aut alteram Lugdunensem relinqueret intra tempus constitutum à Synodo, quæ sex menses concedebat à die initæ possessionis; & hanc ipse nondum obtinuerat, neque compertum erat quandonam obtenturus esset, hugonottorum causâ. Quamuis adhuc Synodus à Pontifice confirmata non erat, appositum diserte fuisse in illis concessionibus, vt nihil per eas derogatum intelligeretur vlli eius sanctioni; Lotharingum verò in se recepisse, quidquid actum erat, quocumque in loco à se purgatũ iri. Ita Pontifex rescribi iussit. Sed præterea in memoriam non reuocabant religiosi illi Patres, opus esse, vt hæc potestas Ecclesiastica, cui non alia militant arma nisi subditorum pietas, valdè dispari seueritate procedat, vbi dispar non solùm promeritorum, sed etiam potentiæ ratio est; præsertim cùm eiusmodi Principes, cuiusmodi sunt Galliæ Rex, & Ferrariæ dux, deprecatores accedunt pro collatione Ecclesiarum, quæ in ipsorum ditionibus sitæ sunt, quæque melius administratæ cernuntur etiam in Ecclesiastica disciplina, cùm Episcopi manus Principis brachio sustinetur. Etenim quemadmodum animus leges suas obseruat exactius, cùm ipsi corpus non obluctatur; ita perfectius custodiuntur leges potestatis gerentis curam spiritus, cùm potestas, quæ corpori dominatur, ipsi non resistit.

CAPVT V.

Cæsaris responsa ad Lunensis postulata de particula, proponentibus Legatis: *& intimi eiusdem sensus de Concilio. Quæstio difficilis concordiæ de matrimonijs clandestinis; & petitio complurium Episcoporum, scripto exhibita, ad minuendam Archiepiscopis in ipsos potestatem.*

Die septimo, post datas ad Pontificem litteras à Legatorum Principe de consilio Delfini, nouæ Ferdinandi litteræ Tridentum peruenere[a]: quæ tametsi non repentè, breuî tamen difficultates cum Lunensi dispulerunt, simulque sustulerunt omnem obicem Decreto de Principibus iniectum. Et quoniam Suauis narrat, Cæsarem indulsisse Synodi terminationi, impulsum ad id à Rege Romanorum, *qui dicebat, oportere illam finiri, propterea quod nihil boni fructus ferebat, neque quidquam spei superesset, illum productum iri*; quod aliquo acceptum sensu verum est, sed altero, quo Suauis accipit,

[a] Litteræ Cæsaris ad Lunensem, ac suos Oratores Possoui 12. Octobris.

accipit, falsum. Proferam integrâ candidâque formâ sententiam illius epistolæ, à Ferdinando scriptæ, vbi quid ille intimè sentiat de hoc negotio, deprehenditur: sed quædam anteà monuero, quæ sparsim in mea narratione obseruari potuerunt, & alia nondum dicta simul addam. 1563.

1 Primum est; quandoquidem vnusquisque plurima facilè concipit de suo iure, plurimaque genti suæ adscribit; Ferdinando, & tamquam Cæsari & tamquam Germano, facile à suis persuasum est, in ea Synodo nimiùm anteferri tum auctoritatem Pontificiam Cæsareæ, tum Ecclesiasticos laicis, tum etiam Italos Transmontanis.

3 Alterum est; à Cæsare, perinde ac etiam à Gallis, optatam fuisse Synodum non præcipuè ad disciplinam reparandam, sed ad reconciliandos hæreticos, & intestina dissidia componenda. Quod ille consecuturum se sperabat vniuersali Calicis vsu, sacerdotum matrimonio, alijs legum Ecclesiasticarum laxamentis, & inuisis Romanorum prærogatiuis imminutis, quæ posteà cognouerat experimento, ex Concilij voluntate sperari non posse: & huiusce rei culpa regerebatur in nimiam illic potentiam Ecclesiasticorum & Italorum, quibus cordi non esset ad concordiam reuocare discordes prouincias, sicuti cordi erat Principibus laicis, & vniuersè Transmontanis. Sed intelligebat Imperator, generatim hominum multitudinem (ex Historici illius dicto [b]) esse veluti legem, hoc est surdam & inexorabilem. Idcircò Viennæ habito solemni maturoque consilio, decreuerat ad ipsum Pontificem mittere harum relaxationum postulata. Iam verò idem animo volutabat, Pium ægrè inclinatum iri ad concedendum in oculis Concilij spectantis id, cui repugnare Patrum animos compertum erat, cum periculo vituperationis, quâ ab eo venerabili cœtu lacessiretur. Quare arbitrabatur Ferdinandus, rationem vnicam flectendi Pontificis haberi posse, si magnus ille Censor è medio tolleretur; atque ita patuit, clauso Concilio confestim à Cæsare os ad destinatas petitiones apertum fuisse.

[b] Liuius.

4 Tertium est; eumdem experientiâ comperisse, Concilium non modò machinam esse parum aptam ad hæreticos recuperandos, sed periculosum fomitem ad incendendam in ipsis seditionem. Etenim vsque ab anno præterito in Comitijs, habitis Francofurti, Protestantes [c] rabie percitos se ostendisse propter Conuentum illum, ad eos damnandos coactum, & Episcopis Imperij minitatos fuisse vltiones hostilis ferociæ, si consensissent. Quamobrem id fuerat præcipuum

[c] Epistola de hoc prolixa Delfini ad Borrom. 11. Decembris 1562. Francofurto.

1563. cipuum retinaculum, ne quisquam illorum per se adesset, quin neque, paucis exceptis, per procuratorem: & ipsi Cæsari minaces contestationes denuntiarant; adeò vt dubitatum fuerit, ne, quò se defenderent à Catholicis, formidabile fœdus inirent non solùm cuncti hæretici Germani cuiuscumque sectæ, sed etiam in societatem adsciscerent Condæum Principem, & hugonottos Galliæ.

Quartum est; per nouum Decretum in medio positum de laico- 5
rum potestate, non leuem timorem Cæsari incussum esse grauis perturbationis in suis ditionibus, tum Cæsareis tum hæreditarijs; qui cùm videret Patres adeò inflammatos, nesciebat quonam pacto illos ab incepto reuocaret, nisi receptui canendo. Aliter præuidebat, sibi necesse fore aut asperrimam illam correctionem iurisdictionis suæ perpeti, simulque efficere vt eadem ab Imperio reciperetur, cum discrimine noui motus; aut abalienari à Pontifice vniuersoque ordine Ecclesiastico, quod pernicioſissimum existimabat.

Quintum; per leges iam paratas Ecclesiasticæ disciplinæ, sine diu- 6
turnioris Concilij opera abundè satisfieri ferè ijs omnibus, quæ in eo genere Cæsar postularat, & habebat in animo postulare. Quod statim confirmabitur.

Porrò his præmissis, ad rem intelligendam opportunis, adducam fideliter sententiam epistolæ, quam ad Lunensem scripserat Ferdinandus.

In exordio aptissimis formulis exprimebatur amor Cæsaris erga 7
Philippum, fratris filium, & cum eodem animorum coniunctio. Tum significabatur, in ijs quæ Orator postularat, varias sibi difficultates obijci. Auersatum semper se fuisse huiusmodi contestationes, ex quibus animaduerterat plurimum offensionis, nihil vtilitatis redundare; vt proinde ratio, per quam complures illis hactenus vsi, aut potiùs abusi fuerant, ipsarum etiam nomen odiosum effecerit; adeoque à se iiunctum fuisse suis Oratoribus, vt in articulo Principum per circumscriptionem aliarum vocum, quæ minùs molestè sonarent, sua iura illæsa tuerentur. Philippum Regem in suis ad Lunensem litteris non petere à Cæsare, Cæsareisque Oratoribus, vt contestarentur; neque in illis affirmare, se satis edoctum esse de ijs, quæ Cæsari cum Morono Oeniponti conuenerant. Addebat, etiamsi fingeretur, nihil inter eos conueniſse, & rem adhuc integram esse, à se non intelligi, cur idem consilium recusandum esset, etiamsi tunc, & non antea fuisset propositum: nihil per huiusmodi consilium, sicuti Rex opponebat, detrahi Præsulum libertati, cui nocere non poterat vllius Principis conuentio. Præterquam

quod

quod vbi quispiam Patrum vellet auditu digna proponere, & à Legatis præpediretur, liceret Oratoribus illius Principis, ad cuius ditiones ille pertineret, eadem in medium proferre; & hoc pacto liberum esse cuicumque proponere, siue propriâ, siue alterius voce. Neque magis officere aliud vinculum à Rege obseruatum, vt, antequam illi rem proponerent, Legatis aperirent: id enim non nisi ad audiendum Legatorum consilium eos cogebat, quod ab alijs longè minoris notæ quàm Præsides, opportunum erat audiri. Id à se non dici quò Lunensem ad idem pertraheret, gnaro illud Regi non placuisse; sed quò palàm faceret, quàm sibi graue contingeret, se ab eo recedere, in quò rebus diu perpensis de se solo conuenerat, saluo reliquorum Principum iure. Præterea, si Oratores sui concurrerent ad improuisam illam denuntiationem, ingens periculum imminere, ne Legati repentè discederent; quod perpenderet pro sua prudentia Comes, quàm infelici & horribili funere Synodum sepeliret, & quem triumphum ornaret Catholici nominis hostibus, spectantibus tantâ discordiâ dissidentes hinc Romanum Pontificem, hinc Cæsarem, Regesque Hispaniæ, Galliæ, ac Lusitaniæ. 1563.

8 Insuper significari ab eodem Lunensi, si res huiusmodi proponeretur Conuentui, valdè metuendum esse, ne maior pars illam reijceret: adeoque argui posse, idem contestationi euenturum; cùm haberet in animo Lunensis, non in priuato colloquio ad Legatos, sed in publico consessu ad Patres illam habere. Quis enim tunc ipsis obstitisset, quò minùs dicerentur suffragia, & Decretum in Acta referretur? Iam verò ea repulsa quàm graue detrimentum attulisset, præsertim non ignorante Lunensi, Patres opinari, in deliberationibus Concilij omnem Iudicum auctoritatem sitam in ipsis esse, & nullam in Principibus? Videri Cæsari, in postremis regij mandati verbis non modicam discerni curam huiusmodi periculi, adeoque cautionem plurimam in agendi modo.

9 Pergebat dicere: Tametsi hæ omnes rationes essent nullæ, deliberationem super ea particula, in primo Synodi Decreto posita, opus habere maturitate ac diuturnitate; ac proinde id non consonare mandatis à se postremò scriptis ad Oratores, vt finem Concilij promouerent. Id à se statutum fuisse non tam vt gratificaretur Pontifici, cui sanè in cunctis rebus honestis gratificari cupiebat, quàm ob alias causas, quas sine necessitate, paginæ haud plenè concredendas putabat; sed præcipuum esse, quòd hæc opinio insederat animo suo, etiamsi centum adhuc annos Concilium extaret, eâ ratio-

1563. ne, quâ progredi cœperat, aut nullum aut modicum fructum inde sperari posse; contrà verò, grauiores offensiones quàm anteà timeri posse.

Quæ cùm ita essent, & cùm Pontifex cupientissimum conclusionis animum gereret; cumque ij ferè omnes, qui Synodo intererant, lassitudine laborarent, & eorum multi, quos adesse oportebat, non accessissent, à se non conspici, quo pacto Lunensis eiusque Rex possent obsistere reliquorum omnium voluntati, & integrum illud onus suis humeris sustinere. Cùm igitur Concilij finis prope ianuam esset, quænam ab ipsis sollicitudo illius particulæ capienda erat; præsertim, cùm (vt verum ipse fateretur, quod ad se spectabat) ferè in omnibus quæ proposuerat potuerátve proponere, sibi omnino satisfactum fuisset? Quod autem ad indemnitatem futurarum Synodorum attinebat, arbitrari se, longissimo temporis spatio nequaquam eâ ratione Synodum celebrandam fore. Quod si aliter accidisset; vbi subsequens Concilium debitam sibi libertatem dignitatemque posslideret, haud obstrictas habiturum manus, quibus hæc aliaque componeret. 10

His addebat: Cùm ipse ab eruditis Doctoribus certior fieret, in antiquis Synodis non à Patribus & ab Oratoribus solùm, sed à cunctis viris auctoritate conspicuis proponendi facultatem vsurpatam fuisse, quin etiam Consiliarij partes exercitas; haud existimare, per eas voces, *proponentibus Legatis*, ex incidente positas, probationem conficiendam, pro eo ac loquuntur Legis periti, *à contrario sensu*, vnde intelligeretur detrimentum illatum tot capitum iuri; præsertim quia, sicut idem Lunensis fatebatur, re ipsa in eo Concilio & Oratores Galli, & Veneti, & complures ex Patribus proposuerant: quæ consuetudo satis secum ferebat expetitam declarationem, non atramenti sed operum characteribus. Si eam Lunensis postulabat, quò de Principum articulo aliqua proponeret, Cæsarem à suis audire id illi adhuc permissum iri. 11

Regi, cùm ea mandata dederat, compertum non fuisse præsentem Concilij statum, nec illum diuinare licuisse. Formulas verò regalium litterarum non videri Cæsari tam vrgentes, vt executio Oratoris prudentiæ minimè relinqueretur. Hos à se sensus depromptos fuisse, non quò Lunensem adduceret ad id, quod ille suo Principi molestum putaret, sed quò seipsum purgaret: quamquam sibi amoris paterni gratiâ, quo fratris sui filium prosequebatur, non parum tristitiæ allatum iri, si quid dissidij oriretur inter Philippum Regem, & sanctissimum ipsorum Dominum: etenim tam periculoso 12

soso Reipublicæ Christianæ tempore nihil magis opus erat, quàm inter omnes Catholicos Principes coniunctio. Quapropter Comitem à se rogari, vt quantum ipsi liceret, ad illum scopum pietate ac prudentiâ suâ cuncta consilia operationesque dirigeret. Itaque videri sibi, si quid reperiri potuisset in ea controuersia, quo Lunensi Legatisque satisfieret, spernendum non esse. Quare ab amore, quo Cæsar non solùm erga personas, sed simul erga causam afficiebatur, varios modos suggeri. 1563.

13 Primum, si haberetur declaratio per amplissimas formas, quòd ea verba, *proponentibus Legatis*, non importarent abrogationem iurium, institutionum, & consuetudinum, siue præteritorum, siue futurorum Conciliorum. Vbi hoc non impetraretur, omne studium adhiberi posse vt Legati consentirent, aut caput illud de laicorum correctione omnino prætermittendum, aut certè quasi per simplicem narrationem omnia onera enumeranda, quæ se perpeti rebantur; commonitis vniuersè pro sanctiore imperio Principibus, vt in hoc genere imperarent sibi ipsis, & in suis ditionibus illæsam relinquerent libertatem & immunitatem Ecclesiasticam. Validas suppetere rationes, quibus ad id adduci possent Legati. Palàm esse, non solùm ab ipso Cæsare, sed ab Hispanis & Gallis ponderosissimum illum articulum oppugnari, quorum omnium magna ratio habenda erat; neque committendum, vt ij qui summam in Ecclesia Catholica potestatem obtinebant, ab ipsa aut alienarentur, aut saltem exulcerarentur; ac potissimè Hispaniæ Rex, qui hactenus tanta cum laude in illius obedientia principatus suos conseruarat. Præterquam quòd cùm Synodi exitus instaret, magnoperè intererat, vt singulis conuiuis deferretur postremum ferculum, cuius sapor in ipsorum ore mansurus erat, ex dulcibus intritis, non ex herbis amaris conflatum: præcipuè verò, quoniam ea laicorum repugnantia, æquitatis ac iustitiæ speciem præ se ferebat. Siquidem cùm Patres sibi tantummodò tribuerent decidendi potestatem, par non esse videbatur, vt Iudicum munus exercerent, alteri parti fauentes, alterâ ne auditâ quidem, & causâ maturè non cognitâ. Postremò vbi ne his quidem acquiesceret Orator, ipsi proponebat, vt priuatim potiùs coram Legatis, quàm publicè in consessu contestaretur, quò facti asperitatem modi lenitate temperaret; atque ad hæc omnia transigenda suorum Oratorum interpositionem offerebat.

Ita Ferdinandus rescripsit. Et Rex Romanorum, ad quem pariter Lunensis scripserat, Parentis responso se remisit [d].

14 Quicumque attentè legerit quidquid his litteris continetur, idque

[d] Litteræ Regis Romanorum ad Lunensem 14 Octobris 1563. Possiouiâ.

1563. que cum superioribus notitiis coniunxerit, facilè deprehendet, quonam sensu Cæsar dicebat, nullum aut modicum fructum à se sperari ex Concilio huiusmodi conditione perdurante; hoc est, quod spectabat ad conuersionem aberrantium, & ad reconciliationem dissidentium, non item ad emendationem Ecclesiasticæ disciplinæ; quandoquidem fatebatur simul, quod ad eam attinebat, se quidquid proposuerat, aut proponere poterat, cumulatè consecutum fuisse. Nec minùs illic palàm fit, quantum conferre Ferdinandus putauerit ad bonum Christianæ Reipublicæ, coniunctionem omnium Catholicorum Principum cum Ecclesiæ Capite.

Exemplar huiusmodi mutuarum litterarum, inter se ac Lunen- 15
sem, Cæsar ad Oratores suos misit; eorumque circumspectione collaudatâ, quòd se à contestatione abstinuerint, ipsis iniunxit, vt Legatis ostenderent sua responsa Lunensi reddita in ea parte, quæ nihil offenderet, eâ tamen occultatâ, vbi non probabatur ratio quâ res Concilij peragebantur. Simul eisdem mandauit, vt concordiam promouerent; & vbi etiam Lunensis eam respueret, ne desisterent ea curare, quæ ipse in litteris ad Lunensem secundo loco proponebat; nimirum, efficere vt omitteretur aut mitigaretur caput illud de Principum emendatione, quò facilius & Hispanis & Gallis fieret satis.

e Constat ex litteris Legatorum ad Borrom.

Acceperant[e] Legati à Pontifice mandata, ne discederent ab eo 16
quod ipsis imperatum fuerat per litteras, ab illo scriptas proximè superiore Maio super ea declaratione; id autem erat, vt illam Synodi libertati ac voluntati simpliciter remitterent: eapropter confirmato ad id animo erant, quamuis Nuntius ipsis aperuisset quæ Lunensis Ferdinando significarat, velle nimirum se contestari, etiamsi Cæsar se consensurum negaret: posteà verò cùm ab Oratoribus Cæsareis cognouissent[f], quàm multis rationibus nitebatur Ferdinandus Lunensem ab ea pugna remouere, ipsum desiturum putarunt: atque interim summa cum voluptate accepere confirmationem eorum, quæ scripserat Nuntius de animo Cæsaris ad conclusionem prono. Quare studium potissimum impendebatur interiori concordiæ, cui multum difficultatis obiectabat articulus de matrimonijs clandestinis.

f Litteræ Legatorum ad Borrom. 18. Octobris 1563.

g Datum Patribus 13. Octobris, vt in Actis Arcis Æliæ.

Super eo nouum exemplum confectum erat[g], vbi, sicuti nunc 17
habetur, ad efficaciam matrimonij necesse erat vt adessent duo saltem testes, & Parochus, aut alius sacerdos qui assisteret, acceptâ siue ab illo siue ab Ordinario ad id facultate: sublatumque fuerat, vt irrita declararentur coniugia filiorum sine parentum consensu.

Ponti-

Pontifex scripserat[h], se tamquam vnum ex priuatis hominibus censere, inesse in Ecclesia potestatem illam de qua disceptabatur Tridenti, idque similiter existimare viros sapientes, Romæ à se interrogatos. Non tamen quiescebant qui oppositum opinabantur, & præcipuè Madruccius Cardinalis, dicens, Optare se rationem edoceri, quâ conscientiæ suæ fieret satis, quod effectum non erat ab ijs quæ illic hactenus disputata fuerant; sed cùm sententiæ ter pronuntiatæ fuissent, plurimis rationum momentis expensæ, adeoque argumentum illud esset accurratè agitatum, Legati confugientes ad eam iussionem, quæ vnica falx erat ad amputandam redundantiam ac prolixitatem, ex quibus ambiguitas & discordia nascebantur, præscripsere singulis, vt suffragium stricte ferrent verbo, *Placet*, aut *Non placet*. Ad id ventum est die 26. Octobris, ac die postero idem continuatum[i]: sed nec ordo plene seruatus, nec quidquam id ad concordiam satisfactionemque conduxit, sed solùm aliquâ ex parte ad breuitatem. 1563.

[h] Apparet ex litteris Legatorum ad Borrom. 21. Octobris, & ex Actis Paleotti.

[i] Litteræ 27. Octobris, & Acta Arcis Æliæ & Paleotti 26. & 27. Octobris

18 Madruccius dixit, Decretum illud ita mutatum, sibi multò minùs probari quàm anteà.

Helius Patriarcha affirmauit, sibi valdè nouum accidere, in re tam graui oportere per legem respondere verbo vnico, *Placet*. Præsidium conscientiæ à se relinqui, an Decretum, quod aduersus dogma catholicum proponebatur, esset vnicâ voce conficiendum: sed quoniam nolebat prolixitate suâ Sessioni moram creare, exponendum liberè in ea seruabat id quod sentiebat, vbi nec ab vlla ratione auctoritatis, aut spei, aut cuiusuis affectus fuisset cohibitus, sed ab omnipotenti Deo, qui terribilis est supra filios hominum, viâ rectâ deductus.

Similiter dissenserunt Triuisanus Venetiarum Patriarcha, Verallus, Castanea, alijque Iuris Pontificij periti. Et Horatius Græcus Episcopus Lesinensis, sibi non temperauit quin diceret, non solùm se non consensurum illi Decreto, sed nolle interesse Sessioni, suasque manus coram Patribus à se lauari, quemadmodum Pilatus egerat.

19 E conuerso non minùs ardenter illud confirmauit Archiepiscopus Granatensis, asseuerans, Decretum esse catholicum, ac necessarium, & obiecta mera sophismata. Quin idem negauit, Matrimonium clandestinum verum firmumque fuisse ad id vsque temporis, & idcircò recusauit Canonem ibi reponendum esse qui anteà confectus erat, & posteà deletus, quo id pronuntiabatur.

Gaspar à Fosso Archiepiscopus Rhegiensis, Zambeccarus Epi-

1563. scopus Sulmonensis, Fuscararius Mutinensis, rei summam comprobarunt: sed alia alij temperamenta posuere pro illis prouincijs, vbi Parochus non adest.

Sed ad id responsum est à Francisco Blanco Episcopo Aurien si, Decretum eo pacto fuisse conceptum, vt non nisi post habitam in Paræcia vulgationem obligasset; adeoque ab ipso obstrictum non iri eos populos, inter quos Parochi non essent.

Antonius de S. Michaele Minorum obseruantium, Episcopus montis Marani, publicè recitauit epistolam Clementis Cardinalis Doleræ, ex suo Ordine, nominati ex titulo *Ara cæli*, de quo diximus in creationibus Cardinalium, habitis à Paulo IV. tamquam de viro doctrinâ conspicuo. Hic scribebat, expensam fuisse Romæ quæstionem, & tandem conclusum: Fas esse Ecclesiæ, & expedire, ea matrimonia de medio tollere. Cùm autem breuiter dicerentur sententiæ, sicuti narrauimus, die vigesimâ sextâ Octobris, S. Euaristo Pontifici Maximo sacrâ, vtriusque sententiæ propugnatores professi sunt, honorem à se deferri suis sententiis huic sancto Pontifici [k], cuius verba in hoc argumento variis interpretationibus subiacent, aut quòd simpliciter sint prohibita, aut etiam facta irrita, sicuti suprà significatum est in aliorum disputationibus referendis.

[k] Acta Episcopi Salmaticensis, & Paleotti.

Sententiarum numerus modicissimè variauit ab anteactis examinibus. Plures duabus tertiis partibus Decretum approbarunt; haud multo pauciores quàm sexaginta obstiterunt. Aliqui, sed pauci, ad contentiones auferendas suaserunt, vt res in Pontifice reponeretur. Is interim cùm animaduerteret, consilium sopiendæ controuersiæ non succesisse, huiusce argumenti breuem tractationem, à suis Theologis scriptam, Tridentum misit, quæ per manus Patrum circumferretur [l].

[l] Litteræ Legatorum ad Borrom. 4. Nouembris 1563.

Præter hoc certamen, alia quoque feruebant in articulis reformandæ disciplinæ, ac præsertim quædam, in quibus complures Patrum vtrimque litigabant; cuiusmodi erat [m] articulus de prærogatiuis Archiepiscoporum supra Episcopos. Quo obrem quadraginta planè Episcopi postulatum Legatis tradiderunt, ab ipsis subscriptum, in quo petebatur, vt iniustus vsus auferretur obligandi suffraganeos ad eundum siue per se siue per procuratores ad Ecclesias Metropolitarum singulis annis, secundo Paschatis festo, sicuti solebant, cùm haud ita benè ab Archiepiscopis, eorumque Vicariis haberentur: sed tunc tantummodò ad id adstringerentur, cùm prouinciali Synodus esset celebranda. Quin etiam, quò etiam in

[m] Ex ijsdē Legatorum litteris 21. Octobris.

suos

suos inferiores æquitatem præ se ferrent, petierunt, vt eodem nexu pariter soluerentur Archipresbyteri & Curiones respectu Episcoporum, excepto dumtaxat ad Diœcesanam Synodum celebrandam, aut cùm opportunum Episcopo videretur: affirmabantque, huiusmodi consuetudines originem à Synodis traxisse; sed ijs omissis, illas permansisse. Quare Legati, quò tranquillius res procederet, distinarunt duos Episcopos, duosque Archiepiscopos, qui agerent inter se, & opportunum remedium excogitarent; gnari, quanto sit detrimento Senatus concordiæ, cùm Senatores sese inuicem tamquam aduersarios intuentur. 1563.

CAPVT VI.

Res constitutæ inter Pontificem & Lotharingum Cardinalem de Concilio. Diploma Pontificis, quo componeretur controuersia de particula, proponentibus Legatis, *& quo pacto composita. Aliæ Lunensis dissensiones super articulo* de primis instantijs. *Pontificis sententia in complures Galliæ Episcopos lata; & voluntas procedendi aduersus Reginam Nauarræ; sed oppositum Legatorum consilium. Mandata ab ipso tradita ad Concilium terminandum. Lotharingus Româ profectus. Eius Venetijs transitus. Res ab ipso transactæ cum Gallis Oratoribus, qui eò secesserant. Eorum industria ad contestationem sustinendam, efficiendumque, ne Rex amplius ipsos aliósve Oratores ad Synodum legaret. Lotharingus Tridentum regressus. Duo Philippi Regis responsa, alterum ad Legatorum litteras, alterum ad querelam, nomine Pontificis habitam à Nuntio, aduersus ministros regios.*

PEndebant animis Legati [a] in acceleranda Sessione, vbi ex vna parte id fieri posset, & ex altera ignorarent, perbreuî Lotharingum ibi affuturum: sed per tabellarium mandata, vt eum præstolarentur, Româ accepere, & simul eorum summam, quæ inter Pontificem & Cardinalem conuenerant.

[a] Litteræ Borrom. ad Legatos 20. & 21. Octobris, quibus responsũ est.

2 Plenè illi Pius satisfecerat, vnde litteras beneuolentiam in Pontificem spirantes scripserat in Galliam Lotharingus, commendatâ eius optimâ voluntate reformandæ disciplinæ, & improbatâ contesta-

1563. testatione; addiditque, eam se præsente non habitum iri. Quæ omnia etiam à Suaui narrantur. Româ profectus est vigesimo Octobris, & eodem die scripsit Pontifex ad Legatos [b] prolixam epistolam. In ea dicebatur: Sibi satisfactum fuisse à Lotharingo etiam supra suam, quamuis non modicam, opinionem: sed suprà quàm opinatus fuerat non fuisse, summas laudes ab ipso virtuti ac solertiæ Legatorum attributas. Ipsis commendabat, vt cum eo reduce perinde agerent atque cum collega, eamdemque fiduciam æstimationemque ostenderent ex parte etiam erga Madruccium. Lotharingum reuerti animo inflammato ad celerem, vtilem, honestamque Synodi terminationem promouendam. Quò id facilius, & Patribus acquiescentibus conficeretur, varia Pontificis mandata sequebantur.

[b] Extat in Archiuo Vaticano, & inter Commentarios Burghesiorũ.

De matrimoniis clandestinis à se concordiam optari: vbi ea obtineri non posset, pro maioris partis suffragiis res stabiliretur.

Sibi non displicere, si concederetur Episcopis facultas relaxandi & absoluendi in rebus ad matrimonia spectantibus, & in alijs casibus, dummodò occultis, & ad forum contentiosum non deductis.

Vt leges disciplinæ statuerentur de Cardinalibus, seruatâ cum inferioribus Ecclesiasticis proportione, ad optimum exemplum Ecclesiæ; cùm ipse confideret, Patres nonnisi rationi consentanea decreturos.

Vt fieret sanctio, quâ facultas tolleretur etiam Legatis à latere, impertiendi sacerdotia mensibus Episcoporum vacantia.

Vt *exspectatiuæ*, hoc est, concessiones primi sacerdotij vacaturi in aliqua Diœcesi; mandata *prouidendi*, hoc est, mandata, per quæ iubentur Episcopi concedere sacerdotia, ipsorum mensibus vacatura, certæ cuipiam personæ; retentiones, quibus Pontifex peculiaria sacerdotia reseruat; aliæque huiusmodi consuetudines, aut restringerentur, aut irrita redderentur, ex Synodi arbitratu.

Vt primæ causarum delationes Ordinariis relinquerentur, quibusdam causis grauioribus exceptis, & illustrium capitum, in quibus etiam litteræ, vulgò *Remissoriæ*, ad examinandos testes ipsis Ordinarijs essent committendæ.

Vt in exitu Concilij cuncta Decreta, se & Iulio & Paulo sedentibus confecta, resumerentur, & suo nomine eorum confirmatio sponderetur.

Vt Legati, ex consilio eiusdem Lotharingi, Præsules Hispanos singulatim certos redderent, ab ipsis satisfactum fuisse Pontifici, vt qui sciebat, omnes optimo religionis studio operam suam nauasse;

ac

ac propterea si quibusdam ipsorum posteà libuisset Romam pergere, se libenter eos amplexaturum, & pro rerum opportunitate beneficijs affecturum. 1563.

Vt idem significaretur Episcopo Mutinensi, & alijs Italis, qui verebantur ne parum grati essent Pontifici, propter dissensiones in mansionis Decreto.

Rogarentur Archiepiscopus Hydruntinus & Episcopus Parmensis, vt omni studio conferrent operam ad Synodum absoluendam. Quod fortasse scripsit Pontifex, cùm audiret, nimiam ab illis æmulationem exerceri cum Patribus Transmontanis. Hæc epistola die vigesimoprimo Octobris missa est cum altera [e] Borromæi, quæ breuiter singula capita interpretabatur, simulque satisfaciebat ijs quæ libellus à Vicecomite delatus continebat. Hîc tamen non nisi duo notatu digna reperio.

[e] Litteræ Borrom. ad Legat. 21. Octobris 1563.

4 Alterum est, Lotharingum postulasse, ne Decreta, sancita in conuocationibus Pauli ac Iulij, in Sessione legerentur, sed posteà; quod cuius gratiâ fieret, latebat: sed Legati existimarunt, id fuisse postulatum, quoniam si recitarentur simpliciter in Sessione, efficiebatur vt non denuò constituerentur sed potius vt pro certis ponerentur, adeoque vt pro certa pariter poneretur auctoritas illorum Conuentuum, à quibus fuerant constituta, à quorum altero, nimirum celebrato Iulij auctoritate, abfuerant Galli, eidemque contradixerant; atqui si legerentur posteà in consessu generali, videbatur nouum de illis examen haberi; & idcircò ibi confirmatam euadere tamquam Decreta præsentis Conuentus, efficaciâ illis impertitâ, etiamsi eam anteà non habuissent.

Alterum est, eumdem Lotharingum fuisse pollicitum, effecturum se, vt omnes Oratores subscriberent: in quo Legati varias difficultates præuiderunt; & vbi aliæ deessent, difficultatem loci superioris. Sed excogitarunt, rem confici posse, si suum quisque nomen signaret pro temporis ordine quo in Synodum peruenerat, sicuti fieri consueuerat in legendis litteris ac mandatis in Sessionibus. Quod obseruatum est posteà in enumerandis post Acta edita Oratoribus, qui Synodo interfuerant. [d]

[d] Acta Paleotti in fine Sessionis 24.

5 Interim ne declaratio à Lunensi postulata, esset offensionis lapis, tutius breuiusque consilium Romæ censebatur, prout Lusitanus Orator suadebat, vt Pontifex ipse eam vulgaret. Idcircò variæ formulæ confectæ sunt, quæ omnes tandem in eam priorem recidebant, quam etiam Cæsar excogitarat, vt declararetur, ex vi huiusmodi verborum nihil cuiquam iuris additum aut detractum peten-

1563. di, agendi, aut dicendi (numquàm tamen vsurpato verbo *proponendi*) ea, quæ secundùm vetera Concilia & Canones erant in ipsius potestate. Hac de re iussit Pontifex [e] sex diplomatum exempla dictari, eaque ad Legatos mitti, quò pro ipsorum arbitratu maximè opportunum seligerent: ipsi verò, vt fieri solet in rebus suspicioni obnoxijs, breuissimum seligerunt [f], & per Oratorem Lusitanum, virum cordatum, & amantem concordiæ, ad Lunensem tulerunt. Sed is expressum non conspicatus id quod optabat, tametsi formæ essent amplissimæ, se difficilem ostendebat. Contrà verò Lusitanus ac Cæsariani fassi sunt, diploma sibi probari. Denique post multa conuenere, vt declaratio non à Pontifice, sed ab ipso Concilio fieret, cuius Decreto ea verba fuerant adiecta.

[e] 15. Octobris 1563.

[f] Litteræ Legat. ad Borrom. 28. Oct. & 11. Nouemb. 1563.

Neque in hoc solùm cum Hispano decertandum fuit, sed in 6
capite de primis causarum delationibus, quod ipse postularat. Etenim ita conceptum illud cupiebat, vt quamuis esset excepta auctoritas Pontificia, numquam tamen liceret Pontifici causam vllam primò delatam ex iure ordinario cognoscere, sed solùm derogato disertè Synodi Decreto, vbi id vellet; qui agendi modus & minùs acceptus est, & non absque vituperatione cùm absque aperta necessitate vsurpatur. Quare ex vna parte Patrès ad formandum Decretum selecti, qui omnino erant sexdecim ex varijs nationibus, non assenserunt; & ex altera duo Hispani, hoc est, Episcopi Asturicensis & Ciuitatensis, in eo tam firmi perstitere, vt in illo capite, quippe dissentientes appositis exceptionibus, subscribere recusauerint formæ à collegis confectæ, de qua in reliquo argumento ipsi plenè concordarunt. Lunensis verò cum Legatis de eo tam acriter collocutus est, vt denuntiauerit, vbi Decretum illud ex voto suo non procederet, nolle se adesse Sessioni, nec permissurum, vt quisquam ex Patribus Hispano Regi subiectis interesset. Sed æquè acriter illi responsum est, hanc agendi rationem minimè decere Catholici pijque Regis Oratorem, qui Concilij libertatem amaret; ne sibi in animum induceret, eo pacto Sessionem impedire. Id si accideret, Synodum non prolatam, sed abruptam iri, cùm Legati potiùs abituri statim essent, quàm ibi manentes tantam indignitatem violentiamque toleraturi.

Dum Tridenti hæc feruescebant cum Hispanis dissidia, Ponti- 7
fex in Senatu vigesimâ Octobris, secundùm relationem Cardinalis Alexandrini, Inquisitorum principis, postulante Fisci Procuratore, & ex sententia illic prolata à eunctis Patribus Purpuratis, sententiam tulerat in septem Episcopos, in ius vocatos, & contuma-

ces,

ces, propter hæresis indicia, in Gallia; ac præcipuè in Ioannem Monlucium Episcopum Valentiæ in Gallia, de quo alibi scriptum est. Sed Suauis semper in numeris infelix, eos tamquam quinque connumerat, & sententiam decimo tertio mensis adscribit. 1563.

8 Significandum quoque Legatis curauit [g] Pontifex, se decreuisse in eodem Senatu, vt in ius vocaretur Ioanna Regina Nauarræ, quæ acriter insectabatur Catholicam Religionem, & vt in eam iudicium ageretur: sed illum Præsides dehortati sunt (scripsit etiam Pontifex, id sibi fuisse dissuasum à Lotharingo) [h] admonentes, posse inde graues motus exciri [i] in Regina Britanniæ, & in Germaniæ Principibus Protestantibus, quibus communis causa ac periculum intercedebat. Cùm autem rursus audijsset Lotharingus, fuisse à Pio peracta in Senatu ea quæ diximus, & quæ se profiscente ille apud se meditabatur, ad eum scripsit [k], atque ob oculos illi posuit & detrimentum quod inferri videbatur pactionibus cum Gallia, ex eo quòd extra Regnum actum fuerit tum in eos Episcopos, tum in Castilioneum Cardinalem, anteà priuatum, & perturbationes, quas in Republica Christiana excitaret iudicium in Reginam Nauarream promotum. Ad hæc rescripsit Pontifex eo plane die, quo alteris litteris grates eidem peramanter egit ob celebratam Sessionem, vt videbimus; adeoque perquàm honorificis humanisque formis vsus, illi exposuit, Romam se redijsse Centumcellis, vt consilium de ipsius litteris haberet, eique maturè responderet. Quod ad Reginam spectabat, iam à se illam fuisse in ius vocatam, sex mensibus illi constitutis, ex quibus singula bimestria spatia perinde se haberent ac vnus ex tribus terminis iudicialibus: factum infectum fieri non posse. Si illa resipisceret, filioque permitteret Sacro interesse, cuncta sedatum iri; sin minùs, Deum rebus prospecturum. Ita ad illud caput responsum est; adeoque non declarabat Pontifex, sed integrum sibi retinebat vltrà progredi nec ne, pro temporis consilio. De altero dicebat, In damnando Castilioneo Cardinali, & Episcopis memoratis, nihil fuisse derogatum pactionibus Galliæ: nam ibidem huiusmodi causæ maiores & graues Sedi Apostolicæ reseruantur. Si Castilioneus Romæ se sisteret, cum ipso actum iri, quâ par erat cum tanto viro, vrbanitate & comitate, eumque in ea conditione futurum, in qua erat antequam in ius vocaretur; tum si de illius innocentia constaret, absolutum iri: & quamquam sons deprehenderetur, vbi resipisceret, misericordiam consecuturum. Idem respondebat de septem Episcopis, quorum alios esse notorios hæreticos, alios validissimis hæreseos indi-

[g] Litteræ Borrom. ad Legat. 23. Oct. 1563.

[h] Apparet ex epistola Ferrerij ad Reginã, 5. Nouemb. 1563. Venetijs.

[i] Litteræ Legat. ad Borrom. 28. Oct. 1563.

[k] 2. Nouembris, vt cõstat ex responso Pontificis 20 Nouembris 1563.

1563. indicijs prægrauatos, & cunctos legitimæ monitionis pœnis obnoxios. Se in eos pronuntiasse, *vt in schedula*; & ex beneuolentia in Lotharingum velle se differre illius subscriptionem vsque ad Cardinalis responsum. Interim secum ille perpenderet, quâ ratione fas esset Pontifici, animarum & Ecclesiæ regimen relinquere penes homines corruptos, adeoque corruptores.

Sed hæ litteræ Lotharingi ac Pontificis post dies aliquot vtrimque missæ sunt. Interim ille Româ discesserat, animo, sicuti diximus, percupido Synodi absoluendæ; cuius rei gratiâ Pius diploma ad Legatos misit, die decimoquarto Octobris subscriptum, in quo facultatem illis impertiebat Synodi terminandæ, vbi maior Patrum numerus consensisset. Lotharingus Venetijs transijt duplici de causa [l]: prior fuit, vt ostenderet illis Senatoribus, quantum bono Christianæ Reipublicæ conductura essent Concilij finis & vulgatio; in quo multum illi laborandum non fuit, cùm Veneti pariter idem sentirent. Altera fuit, vt suaderet Oratoribus Gallis reditum interuentumque cum reliquis Sessionum celebrationi: sed irritus in eo cessit labor. Studuerat per suas litteras Ferrerius Lotharingum pertrahere ad contestationem comprobandam: cumque hic respondisset, Nolle se illam, quippe iam peractam, improbare; alter tacitâ reprehensione intellectâ rescripsit, Vbi adhuc res integra esset, Regis vtilitatem & iussa sibi suasura fuisse, quin & ipsum coactura vt id ageret; multasque ad hoc rationes protulit. Anteà verò in litteris, ad Burdesium Cardinalem scriptis, confutarat acribus [m] verbis ea quæ dicta fuerant à Pelueo, ipsum eâ contestatione voluisse Galliæ Regem alterum Britanniæ Regem reddere. Et, prout mos est lædentis læsum odio prosequi, tantoque magis quanto maior is est, & ostendit impensius acceptam à se iniuriam cognosci, omnes quas diximus litteræ, aliæque ab eodem ad Regem scriptæ [n], liuore ac bili aduersus Concilium aspergebantur. Quapropter etiam postquam Lotharingus Venetijs transierat, alteram ad Regem epistolam addidit [o], artificij plenam, conatus vtique illi persuadere, Romæ ac Vicecomitis criminationes, quibus ipse insimulabatur, non à cortice, sed à medulla orationis suæ fuisse profectas, quâ ipse studuerat illæsa Regis iura seruare à detrimentis intentatis.

Iam verò in hoc Lotharingi transitu, ab ipso & ab Oratoribus Gallis [p] circumspectè ac dissimulanter actum est: etenim noluerunt, alter se parum sollicitum ostendere in regijs priuilegijs tuendis, vituperatâ Ferrerij ad ea custodienda denuntiatione; alteri verò

se

[l] Constat ex litteris Pontif. ad Lotharing. 20. Nouemb. 1563.

[m] 19. Octob. 1563.

[n] 25. Septembris 1563.

[o] 5. Nouembris 1563.

[p] Colligitur ex litt. Ferrerij, & vtriusque Oratoris ad Regem ac Reginam 5. Nouembr. 1563.

se nimis auersos à Concilio. Quare se cohibuit Lotharingus, ne damnaret res ab illis gestas: & Oratores, proposito ipsis reditu, simpliciter dixerunt, oportere priùs à se regia mandata expectari. Regi posteà exposuere [q], ipsorum reuersionē opportunam non esse: adhuc rationem persistere, ob quam arbitrabantur se à Rege iussos secedere; eam autem esse controuersiam de loco cum Oratore Hispano, ne in futura Sessione decertandum esset, vbi necesse erat aut ipsis functioni interesse, atque ita campo decedere, aut illic iterum adesse cum dubitatione prærogatiuæ; vnde fuisset euenturum, vt eà duplici solemni actione Regis antiquissima possessio turbaretur. Vbi tamen occulta aliqua ex causa consentiret Rex, vt Oratores sui degentes Tridenti functionem non adirent, satius esse nouos mittere, quàm eosdem ipsos qui semper adesse consueuerant, quique alioqui defessi erant, nec amplius idonei ad Regi seruiendum; sed tutius sibi videri, nullum mitti: nihil inde detrimenti Synodum pati, quemadmodum nec passa fuerat ob diuturnam absentiam primi Oratoris Hispanici, qui ad ipsorum aduentum discesserat: quin antiquissimis Synodis minimè consueuisse Oratores interesse. Ex altera parte, detrimenti non parum inferri posse Regiæ Maiestati à præsentibus illic Oratoribus suis, idque ex multiplici capite: Vnum erat id quod exposuerant; siquidem se nec Tridentum, nec illam Synodum expertos esse bono cælo præditam ad sanam integramque conseruandam ipsius prærogatiuam; alterum, quod audiebatur, in fine Concilij subscribendum illud esse à cunctis Oratoribus, quò Principes, eorumque arma compellerentur hoc pacto ad ipsum exequendum: tum aiebant, per id non modò periclitaturam fuisse Galli, respectu Hispani, prærogatiuam, cùm in eo temperamentum loci extra ordinem reperiri non possit; sed Regis potentiam tricis ac periculis cum sua suique regni perturbatione obstrictum iri. Præterea, velle Patres in ea terminatione declarare, hanc Synodum esse duarum præteritarum continuationem, aduersùs quàm semper à Rege fuerat postulatum; præsertim ne comprobaretur tamquam legitima Iulij Synodus, cui Gallia & ipsius parens obstiterant. 1563.

[q] In epistola communi ad Regē, 5. Nouemb. 1563.

11 His rationibus conati sunt Oratores Gallici Regem à Concilio seiungere: nec difficile id accidit, cùm administrarent Galliam, seu potiùs in eam dominarentur Consiliarij malè affecti. Præterquam quòd in quauis administratione debili, (cuiusmodi erat Regis pueri, & Reginæ, exteræ feminæ, administratio) ministrorum offensio tamquam ineuitabilem effectum secum etiam trahit offen-

1563. sionem Principis; cùm Regi, ne se à ministris trahi sinat, mens æqualis potestati opus sit. Lotharingus igitur neque tunc neque posteà potuit ad Concilium Oratores reducere.

[r] Litteræ Legat. ad Borrom. & Acta Palcotti.

Tridentum ille peruenit quinto Nouembris [r], & adhuc contendentes offendit Præsides cum Oratore Hispano de peculiaribus emendationis articulis. Sed ardentior controuersia futura timebatur, alia ab ea quæ id temporis minùs feruescere videbatur, videlicet, de Synodi conclusione. Die tertio postquam peruenit Lotharingus [s], Legatos adijt Lunensis, delataque ipsis Regis epistolâ, sibi fidem conciliante, exposuit, à se accepta mandata, vt regio nomine responderet super litteris, quas ipli ad Regem scripserant vigesimo Iulij. Conquestos eos fuisse, quòd regij ministri ad Synodum protrahendam incumberent, quam prolationem aiebant esse noxiam, ob Ecclesiarum damna ex absentia Episcoporum, & periculosam, spectatis ijs quæ possent accidere inter rerum mortalium vicissitudines; idcircò rogatum ab ipsis Regem fuisse, vt suos iuberet exitum Synodi facilem reddere. Quod ad hoc spectabat, fateri quidem Regem, se initio Synodi conuocationi obstitisse, omni studio adhibito ne res conficeretur; vt qui nec arbitrabatur eam suis populis necessariam, nec animaduerteret Christianam Rempublicam ita se habentem, vt hac ratione mala publica sanari possent: sed postquam Pontificis prudentiæ cesserat consentiendo, non solùm per suos Oratores ac Præsules suam illi operam contulisse, verùm etiam nulli peperciisse officio apud Cæsarem patruum suum, & apud Reginam Galliæ socrum suam, quò omnes conspirarent ad efficaciam illi æstimationemque conciliandam: neque quidquam à se diligentiæ prætermissum, quò sanctæ fortunatæque Synodi fructus colligerentur. Se celeri terminationi non aduersari, dummodò consuetis honestisque rationibus id præstaretur, cunctis dogmatibus eâ quâ par est curâ perpensis, admotoque cunctis corruptelis remedio; ad quæ decidenda & corrigenda coactus erat conuentus, quò venerabilis illius æstimatio ac memoria tum apud præsentes homines, tum apud futuros permaneret. Quod dicebatur de incommodo peculiarium Ecclesiarum, æstimandum non esse præ commodo vniuersali; pericula verò fortuitorum euentuum cunctis magnis ac diuturnis operibus esse communia: quamobrem vbi propinqua non discernantur, amouendam non esse manum ab operibus salutaribus, sed ea Diuinæ prouidentiæ commendanda. Se Lunensi demandasse, vt pro ea quæ exposita est ratione, operam nauaret neruis omnibus ad sanctum illud

[s] Litteræ Legat. ad Borrom. 8. Nouemb. 1563.

illud opus celeriter ac fructuosè conficiendum. Concluſit Lunenſis, Regem omnino cupere, vt in expendendis dogmatibus debita & conſueta trutina vſurparetur, ne obloquendi occaſio aduerſarijs ſuppeteret: in legibus verò ſanciendis opportuna animorum attentio adhiberetur; ſiquidem ab illis quies & vniuerſalis reparatio Chriſtianæ Reipublicæ pendebant. 1563.

13 Tum verò Legati: A ſe litteras illas non niſi firmo fundamento niſis fuiſſe conſcriptas, cùm è narrationibus, tum à Nuntio tum Româ delatis, audiretur, dictum à Rege, Synodum eſſe frenum, quo hæretici coërcebantur, ne auderent peiora; cumque tam crebrò difficultates à Regijs miniſtris, eiuſque Præſulibus exciperentur obiectæ, vt viderentur huic planè rhythmo paſſus ſuos illi conformare, oſtenderentque in hoc ipſum à Rege animum intendi, id à ſe pernicioſiſſimum putari ob allatas rationes, nec ſibi per reſponſa ſatisfieri. Quod ſpectabat ad abſentiam Epiſcoporum ab Eccleſijs, commune bonum peculiari damno anteferendum eſſe; ſed omnium peculiarium damnum re ipſa damnum eſſe commune; præſertim cùm hoc damnum non eſſet ex morbis ordinarijs, ſed ex tabificis ac peſtilentibus, qui cùm peculiari ſtatui noceant, cladem quoque minantur communi. Etenim recentes hæreſes, diffuſis plus minúſve venenatis vaporibus, vndique facilè poterant quamcumque diœceſim contaminare, cui procurandæ non aſſiſteret Præſul. Ingens hoc detrimentum nominis Chriſtiani nequaquam compenſari lucro, quod ex Concilij diuturnitate ſperandum eſſet.

14 De malo imminenti ex alijs rerum vicibus, quæ poſſent accidere, concedi à ſe, incertum illud eſſe; ſed tam malum quàm bonum, quamuis incertum, eſſe id, in quo humana prudentia verſatur, quæ tota pariter eſt incerta, vt dicit Scriptura; & tamen eâ fuiſſe præditos à Deo mortales, quò per ipſam ſibi conſulant, nec inconſulto agentes, neque fortuitò: palàm eſſe, incertum quoque frequenter euenire & inter copioſam poſſibilium viciſſitudinum ſeriem: contingens quidem eſſe, parumque veriſimile, ſingulas per ſe acceptas accidere, ſed naturale ac probabile, aliquam ex illis per diſiunctionem occurrere; adeoque prudentis eſſe conſilij ea opera celeriter abſoluere, quibus extantibus, quicumque ex ſimilibus euentibus contingeret, res publicas præcipites ageret.

15 Quod ad poſtremum caput ſpectabat, omnino licere res plus minúſve perpendere pro temporis & conditionum opportunitate; nec reprehendi poſſe trutinam illam, quamuis breuem, tamquam vitio-

1563. vitiosam, quoniam recentes hæreses multis iam abhinc annis studium de noua doctrina in cunctis Prouincijs & in cunctis Academijs excitarant; & affirmarunt, cùm ibi collectum esset ex quauis parte Reipublicæ Christianæ quod in Theologis excellebat, periculum non esse, ne ipsi imparati aut peregrini ad præcipuas quæstiones accederent. Quædam subtiliora, minùs certa ac minoris momenti, opus non esse vt definirentur; idemque de morum emendationibus dici. Diuturnitas enim antegressa Concilij, tam multa Principum consilia, postulata quæ ab eorum Oratoribus proponebantur, meditationes, ratiocinationesque Patrum, perpetuum ac minutissimum examen fuerant eorum quibus id temporis indigebat Ecclesia. Non tamen à se negari, humanam mentem, quò res ampliùs cogitat, eò ampliùs discernere, & acutiori acie eas intueri, cùm ferendæ sententiæ tempus vrget; sed à Deo, qui Synodos regit, suoque lumine ea supplet quæ deficiunt humanæ menti, non postulari diligentiam in Patribus exactiorem eâ quam præsentes rerum conditiones permittunt; has verò ad summam breuitatem cogere. Gallos,& Lotharingum Cardinalem liberè dixisse, vbi Synodus non absolueretur, Episcopos illius Regni paratos, quin & coactos ad profectionem esse; tum quia sufficere sumptibus ampliùs non poterant, tum quia in ipsorum Ecclesijs indies magis hæresis pullulabat cum irreparabili regni dissidio. Vbi reipsa hi discederent, perpenderet Orator pro sua prudentia, quodnam subiretur discrimen, ne respueretur hæc Synodus tamquam non Oecumenica, imò ne Galli sibi consulerent per propriam suæ nationis Synodum, cuius detrimenta Rex Catholicus supra ceteros prudentiâ suâ præuiderat, suoque religionis studio præpedierat. Flammam Galliæ incendium minitari Belgio, Hispaniæ, & Italiæ, sibi finitimis. Si Philippo Regi licuisset præsentem Concilij statum oculis cernere, ipsum sine dubio non modò consensurum, sed stimulaturum fuisse, vt illud breui absolueretur. Munus esse Lunensis, tamquam ministri præcipui, non præstolari de singulis diserta mandata, quæ tam serò delata videbantur, vt epistolæ, mense Iulio ab ipsis datæ, responsio mense Nouembri reddita fuerit; sed eâ ratione se gerere, quâ Regi de rebus edocto probatum iri sciebat: cumque comperta ipsi essent vniuersalia Regis vota, admouere ea instrumenta, quæ ipse operi præsens ad illud idonea cognouisset.

Lunensis ab ijs quæ Rex significarat, ad se ipsum purgandum 16
progressus est. Et præter iam productam Regis epistolam, dixit, alte-

ram

ram recentiorem, decimoquinto Octobris scriptam, habere apud se, in qua certior à Rege fiebat, ipsum accusari, quòd se immoderatè gessisset in impediendis cœtibus peculiaribus, & Principum emendatione, de qua ipse dixisset, Vbi ea conficienda esset, velle vt Pontifex præcipuè reformaretur. Sed Lunensis, purgatis de more reliquis à se gestis, petiit à Legatis, vt fidem facerent, an vnquam ea verba sibi obiecta protulerit, cùm ipse is esset, vt taciturnitate potiùs quàm loquacitate peccaret. Responderunt, Nec se ad Regem ea scripsisse, nec à Lunensi audiuisse, sed ab aliorum narratione; neque se tantum modò ad Regem scribere: nec linguas, quippe quæ frænari non poterant, in pretio habendas esse. Et placidè finem colloquio imponentes, studuerunt ea negotia procudere, quæ supra incudem versabantur, quò celebrari posset Sessio, cuius dies præscriptus intra triduum imminebat. 1563.

17 Reuerà fuerat in Hispaniam scripta ea Lunensis criminatio; sed à maiori calamo, nimirum à Pontifice ad Nuntium: cui Rex de rebus omnibus, quæ tunc agebantur, respondit scripto, decimâ tertiâ Octobris signato [t], causamque accusati ministri concinnis modis pro suo more defendit: Se nihil à Lunensi accepisse de ijs de quibus Pontifex querebatur, adeoque nihil certi responderi à se posse: certum esse, demandatum à se illi fuisse summum studium obsequendi Pontifici, Sedemque Apostolicam tutandi. Quare cùm ipse Lunensem agnosceret virum apprimè moderatum ac modestum, non posse sibi in animum inducere, eas criminationes aliunde profectas esse, quàm ab hominibus cupidis obturbandæ summæ beneuolentiæ, quæ Pontificis & suum animum coniunctos tenebat. De Protestantibus inuitandis, se ad Lunensem iam scribere, vt huiusce rei cura Cæsari relinqueretur. De Synodi diuturnitate aliud non imperasse Lunensi, nisi vt consueta seruanda curaret; & difficulter se credere, Oratorem hos fines fuisse prætergressum. De Patribus per Nationes destinandis nihil à se Lunensi commissum; nec par esse, de hoc à se ferri iudicium, donec de re doceretur. Profectò cùm Rex longè distaret, fieri non posse, quin interdum ministri aliquod negotium promouerent ex proprio ipsorum consilio, & ex sola norma generalium mandatorum, quantum Deo suoque Principi conducibile id putarent. Quod ad emendationem Principum attinebat, iam se præuertisse, redigendo in mentem Pontificis aliis litteris, quàm esset importunum præsenti rerum statui, res hasce nouas excitari: idque à Rege non dici quòd ad ipsum spectabat; sua enim iura eiusmodi fundamento

[t] Inter monumēta Moroni Cardinalis.

1563. nitebantur, vt nihil sibi à Synodo timere posset. Quòd Orator obstitisset, ne hoc negotium inceptaretur, nisi priùs acceptis à se sui Principis iussis, laudem illi, non reprehensionem deberi. Quòd autem in eo modum ac verba ille vsurpasset, quæ referebantur, velle se diligenter de his inquirere, & vbi ea vera essent, rebus, vt oportebat, consulere. Denique ad id, quod Pontifex proponebat de celeri Concilij fine, ad euitanda discrimina aut suspensionis aut dissolutionis, alio responso opus non esse, cùm Rex iam per suos Oratores Romæ Pontifici exposuisset quæ ipse censebat de ratione absoluendi Concilij; sed nihil Regem formidare de duobus obiectis periculis: nam ipse profectò ex vna parte huiusmodi rebus minimè consensisset: ex altera fieri non poterat vt ea contingerent nisi ex auctoritate Pontificis; qui cùm grauissima damna prænosceret, credibile non erat vt vmquam eò se flecteret.

Enimuerò tela sine cuspide, esse solent minæ vel expressæ vel tacitæ illorum malorum, quæ pariter nocerent minitanti, nisi idem aut mentis leuitate, aut perturbationis grauitate insanire crederetur.

CAPVT VII.

Postremi cœtus de Decretis, in Sessione vndecimo Nouembris firmandis. Variæ discrepantiæ, præsertim de primis causarum delationibus, ac de immunitate Ecclesiasticorum Collegiorum. Cur leuiter agitaretur emendatio Cardinalium: & suspiciones inter Farnesium & Moronum Cardinales. Dissertatio Româ missa, & à Lotharingo comprobata, de celeri Synodi conclusione.

a Litteræ Legatorum ad Borrom. 4. Nouembris 1563.

SEnsus Principum de Concilio ita se habebant: inter quos Veneti[a] & apud Pontificem Romæ, & apud Legatos Tridenti celeritatis studium, promptumque ad opem ferendam animum egregiè præ se tulerunt. Dies tandem imminens Sessionis Præsides ad curas maximè sollicitas stimulabat. Assidui cœtus habebantur, ad quos Decreta postremò correcta referebantur. Ea correctio confecta erat, eiusmodi ordine desumpto, sicuti diximus, è generali Conuentu, vt dirigeretur sententijs scriptis, quas singuli Patres detulissent, non autem adnotationibus multis ac fallacibus eorum qui erant à secretis.

Id

Id verò postmodum argumentum præbuerat tum accusationibus, perinde ac si noua Decreta prolatis sententiis non responderent; quod purgatum est [b]: tum suspicionibus, perinde quasi alios alij ad ea varianda pertraxissent, affectiones animorum magis quàm mentes commouendo; quod in ancipiti remanebat, vti consueuit: tum etiam litibus, quasi iudicia, posteà scripto mutata, vim non haberent ea reuocandi quæ anteà in confessu pronuntiata fuerant; quod cogens argumentum non est habitum, cùm semper vsque ad Sessionem fas sit sententiam mutare. 1563.

[b] Acta Paleotti.

Iam verò quoniam in multis articulis comperiebatur, plures sententias vni parti fauere, sed simul ingentem numerum fauere alteri; selecti Patres, vt id innotesceret cunctis Patribus quibus nouum exemplar exhibebatur ad postremum iudicium [c] in Conuentu ferendum, in margine adnotabant quot & in quo dissentirent.

[c] Acta Paleotti, & Arcis Æliæ tom. vltimo pag. 271. à tergo.

Exemplo sit: Cupiebant complures in primo capite, vt forma eligendorum Episcoporum Pontifici remitteretur.

In secundo, vt auferretur Episcopis obligatio, de qua diximus, obedientiæ Archiepiscopis exhibendæ.

In quarto, quod nunc obtinet quintum locum, vt causæ minores Episcoporum, ob delictum cui abrogatio aut suspensio non debeatur, à Prouinciali Synodo cognoscerentur.

In nono (numerantur hîc, vt indicaui, eo ordine quem tunc habebant, non eo in quem postremò redacta sunt, vno addito, quod anteà sublatum fuerat) vt in Episcopis facultas inuisendi, non intelligeretur de Ecclesijs, quæ Conuentibus generalibus subduntur.

In decimo septimo, vt qui examen exercebant, non eligerentur à Synodo Prouinciali, sed ab ipso Ordinario, cuius erat sacerdotia conferre.

In decimonono, vt mandata, per bona Ecclesiastica viris pauperibus ac doctis consulendi, in more seruarentur.

Sed in quinto potissimùm, quod sextum nunc est, maximoperè litigatum. Etenim aliqui suadebant, vt retinerentur immunitates illorum Collegiorum, quæ Academijs subiacebant, idque Complutensis Academiæ gratiâ, vt vidimus. Præcipuus huius partis fautor erat Andreas de Cuesta, Antistes Legionensis, ad quem accedebat Mendoza, alijque complures. At verò qui Academiæ æmulæ, hoc est Salmanticensi, fauebant, obstiterunt, ac præcipuè Granatensis, qui dixit, Se loqui, ne detrimentum paterentur Archiepiscopi Toletanus

1563. letanus & Hispalensis, vt qui generalia studiorum Gymnasia in suis diœcesibus obtinebant: connumerauitque cuncta incommoda ex huiusmodi immunitatibus. Quod multos peruertit, multoque plures peruertisset, nisi modicus Italorum amor in Guerrerum vim eius adhortationum apud ipsos non hebetasset; cùm documentum illud Rhetorum, vt Orator beneuolentiam sibi conciliet, non tendat ad voluntates solùm, sed ad intelligentias alliciendas.

[d] Acta Paleotti.

Cùm denuò sententias dicere redordirentur, Hydruntinus tam- 3
quam æquum proposuit [d], vt insularum Antistites, quippe maris difficultatibus obnoxij, priuilegio fruerentur, quo liceret ipsis Synodos Prouinciales per procuratorem adire. Madruccius non comprobauit exceptiones quæ ponebantur de primis causarum iudicijs Ordinario reseruatis: fateri se quidem, potestatem inesse summo Pontifici eas cognoscendi, sed graui de causa, & parcè: affirmauitque, si Cæsar, qui summus erat inter laicos, voluisset primum alicuius causæ iudicium ad se ab alijs reuocare, forsitan illi haud permissum iri.

[e] Extat in narratione Moroni de sua legatione ad Concilii.

Maiori parti placuerat, quemadmodum notauimus, vt leges ad 4
Cardinales reformandos seorsim sancirentur [e]: & quamquam non facultates modò, sed mandata à Pontifice tradita ad id propenderent, tamen visum est Legatis, hoc si tentaretur, Synodum ingressuram nouum vastumque pelagus, cuius notitiam perpauci ex Patribus habebant; adeoque tum ex huius notitiæ penuria, tum ex aliqua æmulatione Præsulum Transalpinorum erga illius Collegij prærogatiuas, absurdissima propositum iri, vnde non modica discordia & prolixitas oriretur. Quapropter conati sunt prudenter, quod ipsis euenit, maiorem partem ab hoc remouere, vt proinde Cardinalium emendatio cum vniuersali consociaretur, & ita minorem temporis consiliorumque portionem sibi deposceret. Ad quod motus etiam fortasse fuit Moronus [f] ab epistolis duorum Farnesiorum Cardinalium, qui ex sensu quasi communi Romanæ Aulæ conquesti sunt, quòd ipse sineret Romam & Collegium emendationibus onerari, emendationem verò Principum omitteret, nimium illorum votis indulgendo. Qui sensus Purpuratorum adeò præcellentium, comperti à compluribus Italicorum Patrum, studiosis Farnesiorum, potissimùm in causa fuere, vt tam multi conspirantes negarent se de reliquis articulis locuturos, nisi articulus de Principibus reponeretur. Fueratque firma Pauli III. [g] voluntas, vt vtriusque partis correctio æquè procederet, cùm existimaret, hac ratione Principes æquiores in aliena, & faciliores in sua futuros. Sed

[f] Constat ex epistola Philippi Geri Episcopi Inarimensis ad Carolum Gualfreducium, qui Farnesio à secretis erat, 8. Nouembris 1563.

[g] Vide finem cap. 2. lib. 3. & apparet ex epistola Iulij III. ad Legatum 16. Ianuarij 1552.

posteà

postea Iulius, quò calumniam disijceret, quòd Roma hoc excusationis obtentu reformare se nollet, ad suum Legatum scripsit, se consentire vt præcipuus reformator primo loco reformaretur, & de hoc etiam Pius conuenerat. 1563.

5 Iam verò ad nostrum argumentum regrediamur: Moronus, qui, vtpote à Farnesijs in Senatum adlectus, plurimâ eos obseruantiâ prosequebatur, epistolam ad Alexandrum rescripsit, in qua statum Concilij, & necessitatem sic agendi per magnam libertatem exponebat. Et quoniam mutuarum huiusmodi litterarum non modò notitia, sed etiam exempla transuolarant, suspiciones admodum graues inter eos Cardinales coortæ sunt; adeò vt Moronus, id temporis animaduertens innumerabiles insimulationes, quibus ipse obnoxius erat apud Principes, Oratores, Præsules, Pontificem & Cardinales, eò progressus est, vt diceret, Maiorem calumniarum copiam contra se Tridenti scaturire, quàm aquarum ex illis montibus; sed securæ conscientiæ aggeres efficere, ne totam illam eluuionem timeret. Quocircà dissimile vero non est, ipsum, quò minùs exasperaret Collegium, cuius querimonias accipiebat, sedulò studuisse, vt illius ordinis emendatio euaderet moderata ac temperata. Non tamen illi satis fuere hæc adhibita studia ad tranquillandum Farnesij animum, cùm hic ad Moronum responderit [h], effeceritque vt responderetur à Gualfreduccio, qui sibi à secretis erat, ad Philippum Gerium Episcopum Inarimensem, eidem intimum, Velle quidem à se factum credi eo pacto quo Legatus pro certo ponebat; sed non deesse qui affirmaret, visum à se fuisse in manu Pontificis exemplum litterarum, quas ipse ad Legatum scripserat. Et mihi quidem in comperto non est, hoc verum esse: solùm in arcanis litterarum notis, per quas Borromæus rescribit [i] epistolæ Moroni, datæ Kalend. Septembris, reperio, laudari à Borromæo propositum quod in ea Legatus patefecit; se videlicet ad cuiusuis litteras minimè respecturum, nec vllius habiturum rationem in reparandæ disciplinæ negotio. Et hæc verba subiicit: *Istis valde dolet hæc disciplinæ restitutio; & non modò si ad ipsos spectaretur, numquam ea fieret, sed omni quâ poterunt ratione illam impedire studebunt. Propterea nos, qui rationem Deo reddituri sumus etiam de rebus omissis in hac Synodo, par est, vt eos nihil moremur, sed vt id quod expedit, nullo habito respectu, semper prosequamur.* Et in aliis scribit [k], permolestum accidisse Pontifici, rectam ipsius mentem fuisse retardatam ab eo à quo minimè debuisset; sed quamprimùm conquesturum Pium cum quibusdam Cardinalibus: quod certè profuisset ad illos in posterum

b Litteræ Originariæ Farnesij ad Moronum, & Gualfreduccij ad Gerium, sunt penes me, scriptæ 20. Nouembris 1563.

i Arcanæ notæ Borrom. ad Moronũ 11. Septembris.

k 25. Septembris.

1563. rum coërcendos ne similia tentarent, sed liberè progredi sinerent morum correctionem, eo modo quem Spiritus sanctus optimum ostendisset. Vtcumque res se habuerit, certum est, Farnesium purgationibus Legati respondisse per formulas reuerentis potiùs hominis quàm acquiescentis: de quo inter reliqua hoc argumentum dedit. Scripserat ad eum Moronus, Sperare se illum deceptum iri in aduersis de Concilio præsagitionibus, perinde atque semper falleretur de ipsius voluntate, quoties ille quidquam crederet quod sibi officeret. Et ab homine, qui Farnesio à secretis erat, in responsione repositum fuit, Farnesium pariter ita sperare, & iam expertum esse successus prosperos in priori parte, quoniam habitæ Sessionis Decreta longè diuersa visa fuerant ab infausta expectatione; idque se gratulari Legato, tamquam præcipuo illorum auctori: sed herus, antequam litteras subscriberet, hanc ad calcem vehementem appendiculam addi iussit: *Haud tamen omittam tibi dicere, hîc homines rerum peritos affirmare, in ea Sessione quædam contineri, quæ huic miseræ Aulæ summum detrimentum inferunt.* Nec fortassis hæ suspicionis vmbræ (quas diximus in Farnesio de Morono, tamquam de homine, qui suo munere non coactus, effecerit vt Pontificis gratia erga Farnesium minueretur) minimæ fuerunt inter causas, cur hic posteà Moronum, à se purpurâ cohonestatum, ad supremum gradum prouehendum minimè curauerit.

Sed eò vnde digressi sumus redeamus. Granatensis reproba- 6
uit[1] eam mutationem in Cardinalibus, potiùs casu quàm datâ operâ, reformandis: dixitque: Si illi meri Consiliarij Pontificis essent, in Pontificis iudicio eorum electionem repositum iri; sed cùm etiam essent illius electores, adeoque eorumdem auctoritas ad vniuersam Ecclesiam pertineret, vniuersæ pariter Ecclesiæ munus esse, ipsorum ætates, promerita, dotes ac patrias ex professo, non in transitu præscribere.

[1] Cuncta quæ in hoc capite sunt, extant in Actis Paleotti, aut Salmanticensis, aut Arcis Romanæ.

Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracarensis, paulò 7
anteà reuersus Româ, miris modis commendauit Pontificem, eiusque summum studium reparandæ disciplinæ, ac præsertim quod spectabat ad Cardinales; nec in eo se falli potuisse, propterea quòd Pontificis sensus vel maximè intimos penetrarat. Posteà illustri præconio in cælum extulit integritatem probitatemque Caroli Cardinalis Borromæi, qui sororis Pij filius erat, adeò vt dixerit; *Obstacula salutari emendationi non à Pontifice, nec ab eius sororis filio, sed à nobis iniyci.* Et adiecit; Hinc sibi animum accessisse, quò maiori studio ac feruore suam impenderet operam ad ea cogitanda, & in

Concilio

Concilio exponenda, quæ tantum opus promouerent. Id quod in dicenda sententia maximè notabile auditum est, acris reprehensio fuit, quâ inuectus est in *mandata prouidendi in formâ pauperis*, sicuti dicebantur. In prouentibus Ecclesiasticis distribuendis spectandam esse doctrinam & virtutem, non paupertatem; cùm oporteat consulere muneribus, non hominibus: egentibus subueniendum esse per eleëmosynas, non per sacerdotia. 1563.

8 Aiala Segouiensis Antistes pro more suo accedere visus est ore adeò stomachante, vt cibum omnem auersaretur; & hos animi sensus protulit formulis vel maximè odiosis. Reijci à se totam illam disciplinæ correctionem, tamquam pluribus in locis vitiosam. Adductas iam à se fuisse rationes, cùm anteà verba fecerat; sed in eo Conuentu numerari sententias, non ponderari. Postquam autem acerbè varia notauit in pluribus ex articulis propositis, concluſit, se minimè assentiri Decretis illis, quia Patrum delectus ad ea conficienda, æqualiter ex cunctis Nationibus non fuerat habitus; quia multum illis additum subtractumque fuerat contra Patrum sententias, & quia suffragia, prout mos est in Synodis, collecta non fuerant, sed priuatim tradita: quocircà de ipsis rationem habendam non esse, eademque alia esse, atque ij qui erant à secretis notarant. Proinde si fortè sibi ex morbo laboranti non liceret interesse Sessioni, iam tunc contestabatur, nullius efficaciæ illam esse; & à Concilij scribis expetebat, vt suam hanc contestationem ([m] quam scripto tradidit) referrent in Acta. Hic hominis sermo visus est vniuersè non ab eius doctrina, sed ab animi perturbatione profectus. Etenim etiamsi quæ ille opposuit, vera omnino fuissent, reipsa nihil conficiebant; cùm esset liberum Conuentui tum Patres pro suo arbitratu deligere, tum etiam aut posteà semper improbare id quod Patrum delectus legitimè confecisset, aut è contrario comprobare id quod ab ijsdem haud legitimè compactum esset. Acerbitate Aialæ primus Legatorum commotus, in cœtu subsecuto Patres commonuit [n], vt abstinerent à sermonibus obiurgatorijs: etenim qui secùs fecerit, eum à Conuentu depulsum iri.

[m] Est in vltimo tom. Actorum Arcis Æliç pag. 180. & sequentibus.

[n] In Actis Arcis Æliæ, 5. Nouembris 1563.

9 Lotharingus, qui iam inceptâ hac nouâ suffragatione redierat, ferè omnium postremus dixit, & hoc sermonis initio vsus est: Tria se à principio optauisse in Concilio, plenam auctoritatem ex parte Pontificis, summam fidelitatem in Legatis, perfectam charitatem, pietatem, ac rerum notitiam in Patribus. Duo priora non deesse; adeoque reliquum fieri, vt Patres pro virili in tertium incumberent. Hîc verò luculentam laudationem habuit de Pio IV. religionis,

1563. nis,disciplinę,ac boni publici studiosissimo;eodemque parato se cõferre in Galliam, in Hispaniam, & quocumque salus & vtilitas Ecclesiæ ipsum vocasset. Si Pontifex in his virtutibus tantæ fuerat admirationi Archiepiscopo Bracarensi, qui religionis studio totus ardebat,cogitarent,qualisnam tepori suo visus fuisset. Nullum sibi ex itineribus suis hoc felicius euenisse. Nihil excusationis Patribus superesse,ne omnibus absolutam numeris emendationem prosequantur,quando Pontifex contestatus fuerat in Senatu,se illam velle,& grauiter oblocutus in eos Aulicos, qui propriæ vtilitatis causâ illi videbantur obsistere. Deo preces esse fundendas pro diuturna Pastoris huiusmodi vita, vnoque animo ad Concilij confectionem submotis contentionibus incumbendum. Italiam à se magnoperè diligi, tum ob reuerentiam Apostolicæ Sedis, tum quia ipse genus trahebat à maioribus Siculis. Magnoperè Hispaniam diligi, quæ Fidei propugnaculum id temporis erat: magnoperè Galliam patriam suam. Quapropter illos hortari, vt sine vlla ad partes adhæsione, aut animorum discordia, opus perficerent, & ad Ecclesias reuerterentur. Plurimum quoque Legatos commendauit. Quàm ipsis cordi esset sancta disciplinæ renouatio, ex capitibus, quę proposuerant, agnosci. Complura posteà fuisse mutata, sed ab alijs, non ab ipsis, & fortasse non in melius. Per Canones, de quibus tunc sententiæ promebantur, potiùs relaxari veteres, quàm nouis vinculis restringi: eos tamen admittendos esse ob imbecillam temporum conditionem, per quos tamquam per gradus ascenderetur ad primæuam disciplinam, secundùm antiquiorum Synodorum Decreta.

Sed ad peculiaria progressus, affirmauit, Optari à se auctoritatem Apostolicam non modò solutam, sed summoperè auctam; tamen hîc locum non esse apponendi particulam, *salua Sedis Apostolicæ auctoritate*: siquidem disciplinæ reformatæ legibus legum relaxationes aduersantur; & occasio Principibus fuisset præbita,Pontificis illarum postulationibus quotidie grauandi. Iterum censuit, proprium de Cardinalibus caput esse conflandum: ita Pontificem sentire, qui etiam ipsum obstrinxerat, vt hac de re ponderosum aliquod & conspicuum decernendum curaret. 10

Vnum ex viginti & vno capitibus ablatum fuerat, sicuti dictum est, in quo agebatur de obligatione concionandi, quâ pastores tenentur; & cuilibet etiam ex Regularibus id agere in Diœcesibus, Episcopis inuitis, prohibebatur. Ablatum hoc fuerat, quòd sufficere censerentur sanctiones habitæ Paulo III. sedente. Sed 11

Lotha-

Lotharingus petijt vt caput illud reponeretur; & cùm multi consentirent, repositum est. 1563.

In quinto, vbi lex habetur de committendis Episcoporum causis, opinabatur, aut caput illud omnino delendum, aut restringendum, adiectâ particulâ, *saluis Prouinciarum priuilegijs:* aliter necesse fore vt Galli repugnarent, cùm Decretum illud opponeretur priuilegijs Ecclesiæ Gallicanæ. Improbauit etiam mandata prouidendi; narrauitque, mentem esse Pontificis vt ea tollerentur.

12 In hanc sententiam iuit Didacus Couarruuias Episcopus Ciuitatensis; monuitque, huiusmodi mandatorum vsum fuisse inductum, cùm Episcopi cuncta sacerdotia distribuebant, nec tam multa reseruabantur, ex quibus nunc Romanus Pontifex abundè habet vt per seipsum ea conferat.

13 Salmanticensis, de controuersia, Num apponenda esset in fine particula, *Saluâ semper Apostolicæ Sedis auctoritate*, perpendit, quamquam Summus Pontifex sit Caput & Princeps totius Ecclesiæ vniuersalis, nec vllius auctoritati iudicióve subiectus, adeoque eius potestas illæsa perstaret in quouis Concilij Decreto; tamen eam esse temporum nequitiam, vt oporteret id exprimere, & iterum atque iterum repetere, ad honestum Catholicorum exemplum, & ad hæreticorum abiectionem.

14 Auditis singulorum iudicijs, opus incudi redditum est, dato selectis Patribus negotio, vt omni conatu in eam formam illud redigerent, quæ communiter placeret. Ægro erant animo Hispani °, quoniam Decreta reuocandi Collegiorum immunitates, ac restituendi Episcopis primas causarum delationes, videbantur ipsis mutilata tot exceptionibus, vt alterum litigiorum seminarium euaderet, alterum, lucrum spe longè inferius conferret. Quare ad deliberandum inter se conuenientes, in tres classes diuisi sunt. Aliqui vehementiores contestationem suadebant; alij, difficiliores quàm ardentes, auctores erant, vt vtrumque Decretum secundùm præsentem formam reijceretur, eorumque sanctio ad futuram Sessionem transferretur, compendia temporis sperantes: alij, temperatiores quàm primi, & cautiores quàm secundi, aduersum hos aiebant, satius esse minus sed certum accipere, quàm illud recusare propter spem amplioris sed incerti; posse quidem fauore temporis aliquid lucrifieri, sed non minùs posse temporis iniquitate iacturam fieri totius. Aduersus id quod cupiebant priores, considerabant, contestationem diffidium, non lucrum parituram; vniuersique Concilij dignitati sine vllo suorum auctorum commodo no-

° Acta Salmanticensis.

1563. cituram. In hac sententia perstitit Salmanticensis, qui tam vehementi studio efferbuit in turbulentis illorum consilijs reprobandis, vt denuntiaret, paratum à se animum geri ad prius contestandum aduersus eos qui contestationem molirentur. Hic vocis sonus nimis elatior visus est Iacobo Giberto de Noguera Episcopo Alifano: quare formulas parum reuerentes in eum iecit. Sed ille, vt qui & causâ & familiâ se validum sentiebat, responsa acerbè mordacia homini reddidit: posteà tamen facti pœnitens, quippe qui pietate atque humanitate pollebat, Alifanum inuitauit ad mensam; cuius iucundi liquores sæpè succensas discordias extinguere consuerunt, eumque in gratiam reduxit; ratus, viri cordati, nedum Ecclesiastici, dignitatem post contentiones sitam non esse in honoris prærogatiua sibi seruanda, sed in æqualitate sponte reponenda.

Conclusum tandem est, de primis causarum delationibus recipiendum esse Decretum sicuti digestum fuerat: etenim cùm in eo solùm ageretur de Aulæ Romanæ detrimento, Pontifex Legatique vsque adeò ibi potuerant indulgere, vt numquam alias Episcoporum auctoritati tantum accesserit. Sed de Capitulorum immunitate, quoniam tertiæ personæ detrimentum inuoluebatur, Hispanis eius reuocationem nonnisi circumspectam ac limitatam obtinere licuerat; & odium contractum ob expulsionem Procuratoris Collegiorum, quidam contra illos procurator euaserat, longè validior quàm alter fuisset. Quamobrem opportunius existimarunt, vt Decretum illud futuræ Sessioni reseruaretur. 15

Dum hæc agebantur, die nono Nouembris Romanus tabellarius Tridentum peruenit [p], qui detulit ad Legatos commentarium ad Synodum contrahendam, in quo etiam ratio habebatur, quâ id Patribus persuaderetur: Commentarij, reuerà à Morono profecti [q], hæc erat summa: Cùm hinc necesse esset celeriter finem imponere; hinc verò argumenta iam proposita nec statim concoqui, nec decorè prætermitti possent; id quod vnicè expediebat, esse, vt in Pontifice reponerentur: id autem nec honestè nec vtiliter à Legatis proponi posse; adeoque rationem tum facillimam tum honestissimam fore, vt illius auctor fieret Lotharingus; qui vbi consilium probasset, suopte ingenio ad illud prosequendum pronus fuisset. Vt cum eo Cæsariani sociarentur; ita alteri Galliæ, alteri Germaniæ necessitatem ad rem obtinendam exponerent. Id si fieret, verisimile videri Italos consensuros, repugnaturos Hispanos: sed posse animosè despici nationis vnius repugnantiam, quò satisfieret postulatis votisque aliarum complurium prægrandium, & multo magis 16

[p] Litteræ Borom. ad Legatos 6. Nouemb. & Legatorum ad ipsũ 10. Nouemb. 1563.

[q] Apparet ex Monumentis Moroni.

gis Hispaniâ indigentium. Hæc erat rei summa ; ita tamen , vt semper significarit Pontifex Legatis [r], tum vniuersè in argumentis quæ supererant, tum in vno alteróve Decreto peculiari, curandum esse vt decerneretur in Synodo viâ consuetâ, ne res in Pontifice nisi ex mera necessitate reponerentur. 1563.

[r] Constat ex litteris antecedentibus & subsequentibus, præsertim 18.Nouemb.1563.

17 Legati acceptis litteris confestim negotium aperuerunt Lotharingo ; is verò exemplum suorum consiliorum, quæ Pontifici voce descripserat, idipsum agnouit : tamen suasit, vt die postero, qui postremo consessui præscriptus fuerat, nihil ea de re proponeretur, ne difficultates vnius cum alterius operis difficultatibus coniungerentur, & ita fortasse insuperabiles redderentur : id sanè cum ipsis, quod cum hostibus, agendum esse ; vt cuncti superentur, singulos aggredi opus est. Idem Legatis visum, inter quos Osio postremum cœtum adire non licuit, quòd febri laborabat, quæ à Sessione pariter eum longè detinuit, eidemque timorem incussit, sicut ipse scripsit ad Borromæum, ne per integram illam hiemem ab ea diuexaretur. Quare alicuius audacis fabulatoris somnium fuit, affirmatum posteà tamquam verum per summam confidentiam à Suaui, morbum ab Osio simulatum fuisse, quòd sibi nefas duceret assentiri Decreto de matrimonio clandestino, atque id ipsum etiam verbis ab illo declaratum. Missum faciamus, quòd cùm Acta tum Paleotti tum Salmanticensis magnâ libertate scripta fuerint, in his ne verbum quidem, in illis omninò contrarium habeatur. Verùm, sicut idem Legatus in Sessione vigesima tertia Decretis de Sacrificio aliqua ex parte repugnauit, & etiam in hac vigesima quarta sententiam oppositam posteà scripto misit ; perinde potuisset idem ipse interesse, vnaque cum alijs compluribus, & cum Legato Simonetta repugnare ; præsertim cùm in scripta sui iudicij schedula conscientiæ stimulos non senserit, in ea re Pontificis iudicio remittenda. Sed quid coniecturâ opus est ? Morbus ille Osij Legati tunc adeò manifestus adeoque diuturnus fuit, vt non modò illum vetuerit per eos dies interesse Conuentui & Sessioni, sed etiam posteà tam imbecillum reddiderit, vt ipsi minimè licuerit [f] subire partem laborum, quos eius collegæ assiduè tolerarunt : quod idem graui doloris sensu apud Pontificem excusauit ; & tantùm adesse potuit functionibus solemnioribus. Proprium est quorumdam ingeniorum, res toruè spectantium, hoc solum verum existimare, quod quidquid fit ac dicitur, fictum sit : & è conuerso ipsis accidit quod luscis illis Platoniani specus accidebat, vt fictum pro vero ab ipsorum oculis habeatur.

[f] Litteræ Legat. ad Borrom. ....Nouemb.1563.

1563.

CAPVT VIII.

Generalis congregatio decimo Nouembris. Canones ac Decreta comprobata cum aliqua repugnantia. Quid statutum fuerit de particulâ, saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, *ac de verbis*, proponentibus Legatis. *Turbatio propter controuersiam inter Episcopos & Archiepiscopos. Sessio vndecimo Nouembris. Canones & Decreta proposita tùm de dogmate tum de abusibus matrimonij. Disceptatur de obseruatione aut transgressione Decreti*, legum relaxationes in matrimonijs rarò, ex causa, & gratis esse concedendas.

1 NOno die Nouembris duo cœtus habiti sunt à selectis Patribus [a], ad componendos ita Canones, vt cunctis partibus, quantum posset, fieret satis. Postridie conuentus vniuersalis coactus est, ad Sessionem die sequenti celebrandam. Ab eo cœtu amplioris libertatis gratiâ ij omnes excluſi sunt, qui nec suffragij ius obtinebant, nec aderant tamquam eorum procuratores quibus suffragari fas erat; cùm ad alios conuentus multi ex primarijs Theologis, sicuti dictum est, admitterentur.

[a] Quidquid hîc & sequẽti capite narratur, extat in Actis Romanis, Paleotti, & Salmanticensis Epis.

2 Proposita sunt primo loco Canones & Decreta de Matrimonio. Non placuit Lotharingo, vt anathema poneretur in sexto aduersus negantem, matrimonium non consummatum per professionem religiosam dissolui: nec vt similiter in nono vibraretur anathema in eum, qui affirmat, posse contrahi matrimonium à persona in sacris Ordinibus constituta, aut à Religiosis professis, non obstante seu lege Ecclesiasticâ, seu voto; cùm ipse postularet, vt vice *legis Ecclesiasticæ* scriberetur, *legis*, simpliciter.

Madruccius idem reprobauit. Nec minùs reiecit impedimentum; quod inducebatur, seu potiùs renouabatur inter raptorem & raptam antequam illa libertati fuisset restituta; & efficaciam clandestinis sublatam. In his omnibus sententijs complures illum secuti sunt; ac præcipuè in postrema, de qua quadraginta sex conuenere, & septem animi sui declarationem Sessioni reseruarunt.

4 Antequam ad Decreta disciplinæ deueniretur, primus Legatorum dixit, Complures sensisse præponendam illis esse hanc particulam, *saluâ semper Apostolicæ Sedis auctoritate*; alios tamen prudenter cogitasse, opportunius esse post emendationis totius leges eam apponi: cùm enim ætate Pauli III. in principio collocata fuisset,

fuisset, videri consentaneum rationi, vt eadem in fine respon- 1563.
deret: atqui si hinc & illinc spargeretur, occasio calumniarum hæreticis præberetur. Collectis super eo sententijs, tres supra centum de hoc consensere. Posteà verò in Sessione denuò rogati sunt Patres sententias, quo decerneretur, memoratam particulam absque noua suffragatione suo tempore ad calcem totius emendationis addendam esse: quod concorditer acceptum est. Post hæc proposita fuere Decreta: & Arrius Cagliegus Episcopus Gironensis animum præ se tulit contestandi; sed Moronus aspectu ac sermone grauissimo illum præueniens, dixit: Quicumque auderet pronuntiare, à se pro vano haberi id quod ab ea sacrosancta Synodo comprobandum erat, eum inde meritò expulsum iri. Hæ voces tonitrui vim habuere, quod Cagliegum atque alium quempiam, fortasse pariter affectum, deterruit: & communi plausu exceptæ sunt, quippe libertatem in rebus deliberandis minimè restringentes, sed proteruiam in deliberatis retundentes.

5 Cùm itaque ad dicendas sententias veniretur, prospero cursu, paucis contradicentibus, pauciscque mutatis, sunt confecta Decreta. Solùm in quinto, vbi agitur de cognoscendis committendisque causis Episcoporum, sublata fuerunt in gratiam Lotharingi amplissimæ derogationes cuicumque priuilegio iam appositæ; idque ne apertum detrimentum prærogatiuis Ecclesiæ Gallicanæ in eo contineretur, quandoquidem ille non impetrauerat, sicut petierat in antegresso examine, vt Prouinciarum priuilegia disertè illæsa seruarentur: in quo necesse habuit vt [b] ardenter se gereret, quoniam super hoc articulo Venetijs conquesti fuerant de Synodo Gallici Oratores.

[b] Ex litteris productis Oratorum ad Regem, 5. Nouemb.

Postremò propositum est Decretum de memoratæ declaratione particulæ, *proponentibus Legatis*: atque id pariter vno quasi animo receptum est.

6 Absoluto consessu, cùm videbantur cuncta frui securâ tranquillitate, noua perturbatio orta est. Legati neque per se neque per sequestros potuerant dissensionem, de qua diximus, inter Episcopos & Archiepiscopos componere; cùm alteri conquererentur, accitus illos, vsurpatos præcipuè in Regno Neapolitano, ad obedientiam profitendam, moremque pro arbitratu visitandi, onera quædam esse propter meram prærogatiuæ iactationem; alteri verò contrà proferrent pro se possessionem omni memoriâ vetustiorem, priuilegia, & ordinem Hierarchiæ, postulantem, sicut aiebant, vt per gradus superioribus inferiores subijcerentur, donec ad

1563. supremum ascenderetur, videlicet summum Pontificem. Itaque concordiâ non succedente, his decisioni commissa est: & Mutius Callinus Archiepiscopus Iadrensis, non ordinis sui, sed aduersariorum causam suscepit, siue simpliciter, quòd illa videretur ipsi æquior, siue (vt insimulatus est ab ijs, qui quidquid ab alijs agitur, vtilitatis causâ fieri putant) quòd intenderet Veneto Patriarchæ se subtrahere. Is itaque censuit, Episcopos compellendos non esse vt ad Metropolitarum Ecclesias irent, nisi ad Prouincialem Synodum celebrandam; & solùm propter causas in huiusmodi Synodo statutas liceret Episcopis Ecclesias suffraganeorum inuisere: & alia subiecit, Episcopis fauentia, quæ in Sessione recensebimus. Et quidem complures pro hac sententia differüerant; adeoque communis erat opinio, etiam Legatorum, illam numero prævaluisse: sed reuerà sicut magnitudo par multitudini apparet, ita quorundam prolixitas in dicenda sententia pro hac parte, effecerat vt pauci pro multis haberentur. Quamobrem absoluto conuentu, qui horâ decimâ octauâ inceperat, & octo continentes horas insumpserat, cum posteà suffragia reipsa connumerata sunt, & non animo solùm dimensa, oppositum compertum est per summam ægrimoniam Episcoporum; qui loquentium festinationi id tribuebant, quasi eâ impedimento fuerit, ne ab ijs, qui erant à secretis, multorum sententiæ notari potuissent. Idcircò tametsi quarta noctis hora iam flueret, & statim manè functio inchoanda esset, nihil diligentiæ omiserunt, quò suffragia hîc talia audirentur, qualia & ipsi & alij in congregatione crediderant.

[c] Acta Paleotti, & Arcis Æliæ.

Horâ decimâ quintâ [c] acta solemnia cœpta sunt, quæ admirabili diuturnitate vltra secundam noctis horam perpetuò producta sunt. Sacrificium Missæ de Spiritu sancto celebrauit Georgius Cornelius Episcopus Teruisinus: Latinè perorauit Franciscus Richardotus, Episcopus Atrebatensis, super Euangelio posteà recitando, quod incipit, *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ*: selectum enim est tamquam agitato dogmati accommodatum. Lectæ sunt litteræ Margaritæ Austriacæ, quæ Belgium administrabat, & mandata Oratoribus Florentino & Melitensi tradita, seruato aduentus ordine.

Dein Canones & Decretum de matrimonio proposita sunt, cum breui procœmio huius sententiæ: *Matrimonij perpetuum indissolubilemq; nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronuntiauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

Hæc

Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari & coniungi, Christus 1563.
Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba, tamquam à Deo prolata, referens dixit: Itaque iam non sunt duo, sed vna caro: statimq; eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tantò antè pronuntiatam, his verbis confirmauit. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugesq; sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Cùm igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Christum gratiâ præstet, meritò inter nouæ legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt: aduersus quam impij homines huius sæculi insanientes, non solùm perperàm de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo, pratextu Euangelij, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto & verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium iactura: quorum temeritati sæcta & vniuersalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum schismaticorum hæreses, & errores, ne plures ad se trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorumq; errores decernens anathematismos.

Sequuntur duodecim Canones huiusmodi.

I. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum; neque gratiam conferre; anathema sit.*

II. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nullâ lege Diuinâ esse prohibitum; anathema sit.*

III. *Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant; anathema sit.*

IV. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse; anathema sit.*

V. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonij vinculum; anathema sit.*

VI. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi; anathema sit.*

VII. *Si*

1563. VII. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui; & vtrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere; mœchariq; eum, qui dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alij nupserit; anathema sit.*

VIII. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit; anathema sit.*

IX. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto; & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam vouerint, habere donum; anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.*

X. *Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quàm iungi matrimonio; anathema sit.*

XI. *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis vtitur, damnauerit; anathema sit.*

XII. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos; anathema sit.*

Subsequebatur Decretum emendationis, in decem capita di- 10
stinctum.

I. *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea non irrita fecit;* (per hanc loquendi formulam illæsa in se relicta est vtraque opinio, an ea irrita fecerit nec ne Euaristus) *& proinde iure damnandi sint illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quiq; falsò affirmant, matrimonia, à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominùs sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verùm cùm sancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse; & grauia peccata perpendat, quæ ex ijsdem clandestinis coniugijs ortum habent, præsertim verò eorum qui in statu damnationis permanent, dum, priore vxore, cum qua clàm contraxerant, relictâ, cum alia palàm contrahunt, &*

cum

cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcircò sacri Lateranensis Concilij, sub Innocentio III. celebrati, vestigijs inhærendo præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur; vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque Prouinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; vt, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitq; benedictionem à proprio Parocho fieri; neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse; quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda est, vel priuilegio, non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit; ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemq; & locum contracti matrimonij discribat; quem diligen- 1563.

1563. *diligenter apud se custodiat. Postremò sancta Synodus coniuges hortatur, vt, antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ prouinciæ alijs, vltra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & cæremonijs hac in re vtuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinarijs omnibus præcipit, vt cùm primùm potuerint, curent hoc Decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus Ecclesiis, idq; in primo anno quàm sæpissimè fiat; deinde verò quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi Decretum in vnaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.*

II. *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseueratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo prouidere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, vt vnus tantùm, siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, scisciteur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat; doceatq; eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ vllâ excusari valeant. Quod si alij, vltra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpâ vel negligentiâ secùs factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

III. *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in vlterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio obseruari.*

IV. *Præterea sancta Synodus, eisdem & alijs grauissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam induci-*

inducitur, & matrimonium posteà factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restringit: in vlterioribus verò gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium posteà contractum non dirimere. 1563.

V. *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idq; in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod posteà subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimonijs vel nulla omnino detur dispensatio vel rarò: idq; ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

11 Quod spectat ad hoc postremum Decretum, vnde captatur occasio frequentium querelarum de Romanis Pontificibus, quasi in vtraque parte sæpiùs negligatur, libet mihi narrare quod audire mihi contigit ab ore Alexandri VII. Pont. Max. paucis post suam creationem diebus. Is itaque mihi dixit, vtpote omnino animatus ad disciplinam reparandam, corruptelasque delendas, se statim fuisse percontatum viros integerrimos, maximeque peritos Pontificiæ Datariæ, quonam pacto id Romæ perageretur aduersus Tridentinum Decretum: etenim tametsi ab illo Pontifex non obstringatur, & tum in principio tum in fine Concilij eius auctoritas integra reseruetur disertis verbis; minùs tamen laudabile videbatur, tam frequenter iudicium tam venerabilis Conuentus negligi. Responsum sibi fuisse, Iure quidem obseruari, vt relaxationes ad Matrimonium spectantes gratis concedantur, hoc est, sine lucro eas concedentis: nam præter iura superiorum Pontificum, imperantium vt tota pecuniæ solutio pios in vsus impenderetur [a], Innocentius X. adiecerat, ne pecunia ex huiusmodi relaxationibus collecta confunderetur cum reliqua pecunia, Quæstoris generalis curæ commissa; sed vt deponeretur in Monte Pietatis, & illinc abstrahi non posset, nisi mandato Pontificis, per quod illa reipsa in pia opera distribueretur. Quare non modò in hac parte decretum impleri, sed laruam omnem contrariæ suspicionis auferri. Quod verò ad alteram partem attinebat, nimirum, nonnisi rarò has relaxationes esse concedendas; constare, à Pio V. Pontifice, præclaræ seueræ-

[a] In Chirographo 8. Nouembris 1644. directo ad Dominicũ Cecchinum Datarium, qui fuit posteà Cardinalis.

1563. que probitatis, & qui obseruabat religiosè Concilium, post cuius exitum ferè illicò ad clauum sederat, contrarium actum fuisse, atque ipsius exemplo eàdem viâ eius successores incessisse. Causam autem, cur sanctus ille Pontifex ab eo Concilij Decreto recesserat, experimentum facti fuisse. Etenim cùm obstacula, quibus irritum reddebatur matrimonium, essent multa, compertum erat, sæpè contingere inter personas illorum aliquo præpeditas, immoderatæ appetentiæ violentiâ duorum animos adeò inflammari, vt nisi lex ipsis relaxaretur, ambo in graue delictum corruerent, aut aliàs inirent nuptias cum animi repugnantia, vitæque infelicitate: & sæpè etiam simularent, & fuco tegerent causas falsas, surripientes hac fraude cõcessiones velut inanimatas ac depictas, ac posteà in sacrilegis matrimonijs ad mortem vsque perſistentes. Contrà verò alios delicatiore conscientiâ, quamquam veras magnique ponderis ipsi causas habeant ad relaxamenta obtinenda, tamen animo non quiescere, si ex earum efficacia fiat relaxatio; variis semper religionis aculeis ipsos vexantibus de veritate causarum, quas attulerunt vel in se ipsis, vel in earum conditionibus, adeoque semper vereri, ne coniugium, in quo viuunt, ratum sit; quod in perpetuo cruciatu illos detinet, sine remedio, & cum periculo ne per errorem conscientiæ multa peccent, & tandem incidant in desperationem salutis. Quocirca malle ipsos relaxationem sibi concedi nullâ expositâ causâ, & largiori eleëmosynâ persolutâ, quo animi quietem securitatemque sibi comparent. Et ex altera parte grauis causæ argumentum esse, quin reuerà grauem causam ad relaxandum, esse pinguem illam muctam, quæ ab impetrante prompto animo soluitur in pauperum piorumque operum subsidium.

Hæc referre volui, quæ mihi dicta sunt à Pontifice eiusmodi prudentiâ ac religionis studio, cuiusmodi vel fatentibus hæreticis est Alexander VII. quò intelligatur, quantâ cautione opus sit antequam Principum, eorumque Tribunalium consuetudines damnentur, præsertim cùm illæ sub optimis curaque solertissimæ Principibus perseuerant. 12

Quod si quis vulgare illud obijceret, Hac ratione, quâ vtuntur Pontifices, per eam prohibitionem non nisi pauperibus ligamen inijci, cùm diuites eius relaxationem vi pecuniæ consequantur; respondetur primo loco, simile quiddam obijci posse Concilio, præcipienti, vt in secundo gradu lex Principibus, & non alijs relaxetur. Secundo, neque hanc peculiarem indulgentiam concedi Optimatibus ac diuitibus in cunctis prohibitionibus; nec omitti debi- 13

debitam inter diuitem ac pauperem proportionem in imperanda e- 1563.
leëmosyna. Sed de cetero quòd diues multis fruatur supra pauperem prærogatiuis, Naturæ sanctio fuit, quò excitarentur homines ad industriam ac frugalitatem, ijdemque ab ignauia bonorumque dissipatione remouerentur. Atque inhoc sita est iniuria, quam inferunt ij qui furantur, in aliis scilicet præpediendis, ne per pecuniam suam ea sibi bona comparent quæ honestè possent: quemadmodum è cõtrario in hoc situm est meritum voluntariæ paupertatis, nimirum, in remouendis à se commodis, quæ ex vsu bonorum proueniunt. Atque ita videmus, in quacumque publicarum rerum administratione multas prærogatiuas rependi subsidiis, quæ Reipublicæ confert voluntaria pecuniæ collatio ciuium locupletum, quod reprehensionem nec accipit nec meretur, dummodò id fiat moderatè; idque supra ingentes diuitias ingentem virtutem æstimari, ac præmijs affici: in quo si quando Romæ peccaretur, noxa hominibus, non institutionibus, nec Principatui tribuenda.

14 Iam verò Decretorum narrationem posequamur.

VI. *Decernit sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat; & nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam in vxorem duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.*

VII. *Multi sunt qui vagantur, & incertas habent sedes, & vt improbi sunt ingenij, primâ vxore relictâ, aliam, & plerumque plures, illâ viuente, diuersis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facilè recipiant: Magistratus etiam sæculares hortatur, vt eos seuerè coërceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimonijs interfint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

VIII. *Graue peccatum est, homines solutos concubinas habere; grauissimum verò, & in huius magni Sacramenti singularem contemptum admissum, vxoratos quoque in hoc damnationis statu viuere, ac audere eas quandoque domi etiam cum vxoribus alere & retinere. Quare, vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remedijs prouideat; statuit huiusmodi concubinarios, tam solutos quàm vxoratos, cuiuscumque status, dignitatis & condi-*

1563. *conditionis existant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seq; ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse; à qua non absoluantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quòd si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint; contra eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, siue coniugatæ, siue solutæ, quæ cum adulteris seu concubinarijs publicè viuunt, si ter admonitæ non paruerint; ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur; & extra oppidum, vel diœcesim, si id eisdem Ordinarijs videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur: aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.*

IX. *Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus, atque cupiditates excæcant, vt viros & mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maximè diuites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum ijs matrimonium inuitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. Quare cùm maximè nefarium sit matrimonij libertatem violare, & ab eis iniurias nasci, à quibus iura expectantur; præcipit sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quò minùs liberè matrimonia contrahant.*

X. *Ab aduentu Domini nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari sancta Synodus præcipit; in alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, vt eâ quâ decet modestiâ & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.*

Sicut in homine, tametsi pars exterior brutum quiddam sit, interior forma cælestis est; ita quò ipsius natura seruetur, quamuis exteriora opera sint brutum quiddam, principium interius oportet vt cæleste quiddam sit.

CAPVT

CAPVT IX. 1563.

Contrariæ sententiæ de allatis Decretis, ac præsertim de matrimonio clandestino. Errata Suauis; &, quæ ille obijcit, expensa.

1 MAior pars his Decretis assensa est: sed varia & grauia fuerunt illis obiecta. Moronus dixit, in Canone duodecimo, vbi definitum erat, causas ad Matrimonium spectantes ad Ecclesiasticum iudicem pertinere, sibi non probari anathema: in quo nonnullos assecias habuit. De clandestino schedulam huiusmodi tradidit: *Quod spectat ad irrita efficienda matrimonia clandestina, sequar id quod approbauerit aut improbauerit Sanctissimus Dominus noster; cùm de hoc sententias contrarias doctissimorum virorum audierim, & simul nouerim, dictum fuisse sancto Petro eiusq; successoribus: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

2 Osius Legatus misit postridie ad Synodi scribas huiusmodi scriptum: *De matrimonijs clandestinis sentire se id quod hactenus Ecclesia senserat, à qua illicita, non irrita existimata sunt. Eam igitur nouitatem sibi non placere, aduersantem doctrinæ quam ad id vsque temporis acceperat ab Ecclesia; nec nouam causam conspici. Si aliter visum fuisset Pontifici, cui petebat vt ea causa committeretur, suum à se iudicium subijci Pontificis iudicio, & quâ par erat obedientiâ, reuerentiâ, ac submissione. Præterea nonum Canonem à se comprobari, modò intelligeretur secundùm Synodi mentem; quæ non fuerat vt definiretur, legem cælibatus esse legem Ecclesiasticam, de quo ne disputatum quidam fuerat, sed solùm vt damnaretur error Lutheri cum ijsdem ipsius verbis, quæ erant:* Non obstantibus lege Ecclesiasticâ, & voto.

3 Simonetta dixit, à se cuncta comprobari, excepto Decreto de irritis reddendis matrimonijs clandestinis, cui ex sua conscientia non poterat acquiescere, nisi aliter videretur Pontifici, cui se remittebat.

Nauagerus omnia approbauit.

Lotharingo displicuit anathema sexti Canonis, vbi dicitur, per solemnem professionem solui matrimonium non consummatum. Similiter in nono eidem displicuerunt illa verba, *Lege Ecclesiasticâ*; ea tamen comprobauit, vbi maiori parti probarentur, sed secundùm veram Concilij mentem. Et hic idem planè adiecit quod diximus de Osio; atque in hoc vtroque capite complures eius sententiam complexi sunt.

Madruccius Canoni quarto ac sexto dissensit. De nono conuenit cum Lotharingo. Noluit vt irrita fierent clandestina; nec minùs Decretum raptus improbauit.

Hiero-

1563. Hierosolymitanus Patriarcha impugnauit acriter quòd irrita redderentur matrimonia clandestina, affirmauitque, propter aliquorum Legatorum & complurium Patrum repugnantiam, & propter oppositas scripturas, & propter rationum euidentiam se credere, id definiri non posse; ac velle vt ea omnia referrentur in Acta: se tamen Sedis Apostolicæ iudicio remittere.

Quantæ foret, vt opinor, molestiæ prolixus catalogus omnium 4
repugnantium, tantæ fortasse voluptati erit, descriptos videre magis conspicuos, quorum tantummodò sententiæ homines & æstimatores sunt & curiosi. Hi verò, præter eos quos attulimus, fuerunt Venetus Patriarcha, Hydruntinus Archiepiscopus, Verallus, Castanea, Sigismundus Sarracenus Archiepiscopus Materanus, Philippus Mocenigus Archiepiscopus Nicosiensis, & Primas Cypri, qui simul, nequa posset esse dubitatio de recta fide suorum Græcorum, produxit authenticam Fidei professionem (quæ vt referretur in Acta Concilij petijt) habitam tum ab Episcopis illius regni, tum etiam ab Armenis, & à Maronitis, in quadam Synodo Prouinciali in Cypro, celebrata sub Elia Patriarcha anno millesimo ducentesimo quadragesimo, Benedicto XII. Pontifice Maximo, ac posteà confirmata in aliis eorum Synodis, etiam eo tempore quo ipse præerat, in qua recipiebant integrè doctrinam Ecclesiæ Romanæ, tum in dogmatibus Sacramentorum, tum in reliquis, & Romani Pontificis auctoritatem amplissimis verbis fatebantur. Ceteri clariores in cohorte contradicentium fuere Gaspar à Fossò Archiepiscopus Rhegiensis, Octauius Præconius Franciscanus Panormitanus Archiepiscopus, ita tamen vt Pontifici se remiserit; sicut etiam Sanfelicius, & Caselius, Ioannes Zuares Augustinianus Episcopus Conimbricensis, Carolus Grassius Episcopus Montis Falisci, qui multas rationes in quadam schedula congessit, Constantinus Bonellus Episcopus Tifernatium, qui similiter in longa schedula varia produxit argumenta, Herbutus Orator Poloniæ, & Episcopus Primisiliensis, Vanzius Vrbeuetanus, Sighicellus Faentinus, & Lainius Societatis Iesu Generalis moderator, cui, & alijs compluribus, similiter Decretum de raptoribus minimè placuit. Boncompagnus, Sfortia, & non pauci cum ipsis, dixere, Approbari à se partem illam quæ comprobaretur à Pontifice.

Collectis suffragijs, Princeps Legatorum elatâ voce pronuntiauit: 5
Doctrina & Canones de Sacramento Matrimonij comprobati sunt ab omnibus; sed quidam optarent vt aliquid adderetur aut demeretur. Decretum de clandestinis placuit maiori parti Patrum, displicuit plusquam quinquaginta Patribus,

Patribus, inter quos Illustrissimus Cardinalis Simonetta, Sedis Apostolicæ Legatus, Decretum non approbat, se tamen remittens sanctissimo Domino nostro. Ego etiam Sedis Apostolicæ Legatus Decretum approbo, si à sanctissimo Domino nostro comprobabitur. De Osio non est facta mentio, propterea quòd cùm æger decumberet, non nisi die postero suam sententiam misit, sicuti dictum est. Præterea de hoc Decreto non dixit simpliciter, illud esse comprobatum, sicuti de alijs dici consueuerat, cùm à maiori numero accipiebantur. Etenim credebatur, non licere stabiliri in Sessione id cui repugnabat sententia duorum ex quatuor Legatis, quippe qui personam gerebant, exercebantque auctoritatem Pontificis. Quapropter Moronus, nullâ de iure declaratione habitâ, merè factum narrauit. Sed subsecuta comprobatio Romani Pontificis, cui omnes Legati, & complures ex Patribus aduersantibus se remiserant, dubitationem omnem sustulit.

6 Antequam progrediamur, & dum adhuc memoria recens est, expendamus id quod Suauis in hoc negotio dicit.

In narratione bis grauiter lapsus, palàm facit, se in tenebris ambulare. Primò refert, *anathemata matrimonij fuisse à cunctis admissa.* Quod nimium sanè falsum est: nam duodecimo repugnarunt Moronus & alij, sexto Lotharingus cum alijs pluribus; & sparsim fuerunt varij qui dissenserunt. Deinde narrat, quinquaginta sex, præter Legatos, dixisse absolutè, sibi non placere Decretum de matrimonijs clandestinis; à reliquis verò illud comprobatum. Et hoc pariter longè abest à vero: siquidem nec ij qui reprobarunt, numerum quinquagesimum sextum attigerunt præter Legatos; neque classes duæ solùm fuere, scilicet improbantium & comprobantium: sed præterea fuit eorum classis, qui simpliciter se Pontifici remiserunt; adeò vt ex his, & ex improbantibus, Legatis etiam comprehensis, numerus quinquaginta sex Patrum conflatus fuerit [a]: postridie verò adiecta est Osij Legati sententia, quicum quinquaginta septem euasere.

a Litteræ Legat. ad Borrom. 11. Nouemb. & constat ex Actis Paleotti, & Arcis Æliæ.

7 Dein ad oppugnationes accedit, quæ à nobis distinctè afferentur & perpendentur; qui enim sibi sociam veritatem habet, claritatem quærit; hæc verò socia distinctionis esse consueuit.

Affirmat in primis, mirum compluribus accidisse, quòd tamquam articulus Fidei poneretur, matrimonium non consummatum dissolui solemnis professionis causâ, quæ solemnitas est ex lege Ecclesiastica secundùm Bonifacium Octauum. Iam verò qui mediocrem obtinet peritiam in doctrinis Theologicis, non ignorat, tripartito hac de re sententias diuidi. Vna est, voti

1563. voti solemnitatem esse quidem ex iure Ecclesiastico, quod spectat ad ritus, cùm liceat Ecclesiæ has illásve cæremonias statuere, vt actionis efficacitas habeatur; sed non quod attinet ad effectum [b], qui sit, reddere hominem ita Deo consecratum vt mutari non possit; quo effectu posito non possit posteà solemne votum ab Ecclesia relaxari; atque ita sunt opinati sanctus Thomas, alijque grauissimi Theologi: ex qua sententia obiectum à Suaui (ita nomino quæcumque ille alijs apponit) euanescit. Alia sententia, hodie communior, vult, effectus etiam præcipuos huiusmodi solemnitatis, quatenus distinguuntur à voti simplicis effectibus, esse iuris Ecclesiastici; adeoque summum Pontificem posse votum etiam solemne relaxare: atque inter propugnatores huiusce sententiæ complures pariter sunt [c], qui voto adscribunt vniuersalem virtutem soluendi matrimonij non consummati, ex sanctione non Ecclesiæ, sed Christi, qui tradiderit Ecclesiæ facultatem instituendi hæc vota solemnia, & ipsis votis, vbi essent ab Ecclesia instituta, vim ad soluenda huiusmodi matrimonia nondum consummata; in quibus disiunctio durior accideret alteri coniugum, cùm existiment hi Doctores, Ecclesiæ per seipsam non licuisse sancire legem vniuersalem soluendi matrimonij vinculum, quamuis censeant, licere ipsi illud soluere in his illísve peculiaribus conditionibus. Porrò nec minùs secundùm hanc opinionem corruit argumentum Suauis. Alij denique putant [d], hunc etiam effectum soluendi vinculum matrimonij non consummati spectare ad votum solemne, ex mera Ecclesiæ lege: & qui hoc verum censet, censet similiter, posse quoque sólui ab Ecclesia per vniuersales Constitutiones vinculum matrimonij. Friuolum profectò est quod aduersus hæc obiectat Suauis, matrimonium, antequam consummetur, esse Sacramentum. Quid hoc refert? essentiæ Sacramenti sufficit vt sit signum gratiæ; adeoque matrimonium potest esse Sacramentum, etiamsi nondum secuta fuerit ea coniunctio omnino indissolubilis: & tale est matrimonium nondum consummatum, cùm ipsi desit significatio huiusmodi prorsus indissolubilis coniunctionis, sicuti habetur in sententijs quas alibi recitauimus, & in scholis notissimum est. Verùm tametsi quælibet ex allatis sententijs inter limites incerti persistat, est tamen per disiunctionem certum, aut ex hoc aut ex illo capite à solemni professione dissolui matrimonium non consummatum, prout docet Ecclesiæ traditio, cùm id definierint Eusebius [e] Pontifex, Gregorius Magnus, Alexander III. Innocentius III. & Ioannes XXII. præter ea quæ habentur

[b] Vide Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 15. præsertim num. 16.

[c] Sanchez l. 2 disp. 19 cum alijs multis, quos affert in fine.

[d] Vide allatos à Sanchez dictâ disput. num. 2.

[e] Vide Sanchez de Matrimonio, l. 2 disput. 18.

bentur ex sanctis Patribus, & ex historia Ecclesiastica. Et planè innumerabiles casus sunt, in quibus de rebus siue ad fidem, siue ad speculatricem facultatem, siue ad deliberationem spectantibus, quædam veritas per disiunctionem indubitata est, quamquam disiunctionis partes valdè dubiæ remaneant; quemadmodum sine meorum exemplorum ope per se quilibet lector mediocris intelligentiæ pernoscet. 1563.

8 Contra septimum Canonem, vbi agitur de adulterio, commisso post coniugium consummatum, quod attinet ad dissolutionem, narrat Suauis, captiosæ locutionis damnatum fuisse. Sed in hoc contumeliam infert Reipublicæ Venetæ, quæ hoc pacto Canonem postulauit. Quòd autem captiosus non fuerit, sed ponderatus ac circumspectus, suo loco demonstrauimus. Celebratur versus, quo dixerat Poggius, se nec malum ciuem esse, & bonum historicum: sed de Suaui affirmare licet, nec bonum esse ciuem, nec bonum historicum.

9 Refert de nono, multa fuisse iactata in id quod ibi affirmatur, *Non negari à Deo donum castitatis illud rectè petenti*; cùm doceamur ab Euangelio, à Deo cunctis non concedi: & sanctus Paulus cohortetur quosdam, qui eo carebant, non ad ipsum petendum (quod facilius fuisset, si rectam petitionem impetratio procul dubio subsequeretur) sed ad sibi consulendum per coniugium.

10 Quicumque hoc pacto disserebat, aut sophisticam exercebat, aut ignorantiâ laborabat. Synodus ibi non loquitur de dono quod conceditur in effectu, & per gratiam efficacem, quam Deus ex doctrina tum Euangelij tum Apostoli cunctis non elargitur; sed de dono quod conceditur in potentia proxima, hoc est in gratia, quæ proximè satis est ad votum custodiendum. Etenim Concilium de ijs agit, qui tametsi eiusmodi voto adstringerentur, tamen ex opinatione Lutheri excusabantur, quòd in se tale donum non sentiebant. Id autem non poterat à Luthero intelligi de ijs qui hoc dono carebant, eò quòd ipsum nollent, quamuis obtinerent potentiam illius habendi, quoniam in his apertè vana fuisset excusatio: sed hoc ille de ijs intelligebat, quibus deessent vires sufficientes ad donum consequendum, adeoque ad votum explendum, perinde quasi hic virium defectus ex actus defectu argui posset, cùm ipsi experirentur, à se reipsa castitatem non haberi. Idcircò dicit Concilium, vt eas vires homines à Deo rectè petant, & ita illas impetraturos. Hanc verò esse Concilij mentem, perspicuum est ex ratione quam adducit: *Quoniam Deus non sinet nos tentari supra id*

1563. *quod possumus*; quod tum ex illo verbo *possumus*, quod potentiam sonat, non item actum, tum ex innumerabilium hominum experimento, quos tentatio superat, patet fuisse intellectum de gratia, quam moraliter sufficientem vocant, non de efficaci, nec de victoria cunctarum tentationum. Et hæc Synodi ratiocinatio similis est ijs, quæ Sessione sextâ pronuntiarat: *Deus non iubet impossibilia, sed iubendo monet & facere id quod possis, & petere quod non possis.* Sed quoniam gratia, proximè ac moraliter sufficiens concessa, non semper re ipsa efficax est, non omnes re ipsa donum habent, sicuti dicitur in Euangelio: illi verò, qui experitur se hoc dono carere, & impetum contrarium sentiens aut ex temperamento, aut ex praua consuetudine, præuidet nouos lapsus, nec se voto ligauit, Apostolus consilium dat, vt ad remedium à lege naturæ institutum confugiat.

In duodecimo narrat, absurdum fuisse visum Politicis, constitui articulum Fidei, causas ad matrimonia spectantes pertinere ad iudicem Ecclesiasticum, cùm hæc definitio appareat contraria ijs quæ leguntur in codice tum Iustiniani tum Theodosij, & in alijs antiquitatis monumentis; vbi patet; à Principibus laicis præscribi coniugiorum impedimenta, & ab ijsdem arbitratu suo relaxari; & cùm Ecclesiastici accesserint ad huiusmodi causas iudicandas quà ex commissione, quà ex negligentia Principum ac Magistratuum. 11

Cur potiùs istis absurdum non videbatur, dum illic Principes & Principum Oratores tam vigilanter studebant procul arcere quodcumque creditum ab ipsis detrimentum suæ iurisdictionis, nihil eosdem huic Canoni repugnasse, quin potiùs primum Legatum repugnasse vt ibi apponeretur *anathema*? Quod si velimus vtique tamquam debitum laicis Principibus adiudicare quidquid habetur in Codicibus, & cui in Ecclesiæ infantia ob minus malum oportebat interdum vt Pontifices palpebras submitterent, eisdem etiam arrogare fas erit auctoritatem ad ipsos summos Pontifices confirmandos. Neque hîc necesse nobis est quæstionem agitare, an legitima potestas ponendi impedimenta matrimonio, adeóque ea relaxandi, ablata fuerit Principibus ab Euangelij lege, dum contractum illum extulit ad conditionem Sacramenti, naturæ limites excedentem, an posteà ab Ecclesiæ lege. Ad id quod agimus, nobis sufficit, rem ipsam ita se habere, & à quacumque lege prouenerit, rectè se habere. Proculdubio, si à suo quisque animo æmulationem aut inuidentiam erga Ecclesiasticos amouerit, intelliget, quantæ sit vtilitatis, vt contractus, cuius libertas 12 13

&

& certa efficacitas adeò neceſſariæ ſunt ad ſalutem & quietem animarum, pendeat in omnibus Chriſti fidelibus ab Eccleſiæ Conſtitutionibus, vniformibus, & à charitate profectis, quæ tendunt ad ſempiternam ſubditorum ſalutem; non autem à diſcrepantibus, & ſæpè minùs tolerabilibus Principum laicorum, qui temporarium bonum intendunt. Quòd ſi hæc Eccleſiæ iuriſdictio bona ac legitima non eſſet, ſed arrogata & ſurrepta, quo pacto eam Suauis deſcribit, affirmare oporteret, ſicut aliàs in ipſum argumentatus ſum, orbem terrarum ante nos diu plenum cæcorum fuiſſe, dum per immenſum temporis ſpatium Principes & Magiſtratus in cunctis Chriſtiani orbis partibus tanti ponderis poteſtatem Eccleſiæ reliquerunt; quod neque ex conceſſione, neque ex negligentia contigiſſe videtur in rebus merè ciuilibus. Sed hæc omnia dicta ſint ad confutationem eorum, quæ Suauis aſſumit & obijcit, non ad neceſſariam huius Tridentini Canonis defenſionem, quæ his non indigebat, cùm in illo non de conſtituendis impedimentis agatur, ſed de cognoſcendis cauſis ad Matrimonium ſpectantibus. Enimuerò ſtatim ac matrimonio adiungatur dignitas Sacramenti, euidenter conficitur, ad Eccleſiam pertinere poteſtatem eius efficaciam iudicandi, adeoque poteſtatem decernendi quidnam neceſſarium ſit ad ipſius efficaciam iudicandam, ſicuti conſpicitur in reliquis omnibus Sacramentis. 1563.

13 De matrimonijs clandeſtinis ſcribit, complures non ſapere quînam definiretur, ea fuiſſe vera Sacramenta, & tamen Eccleſiam eadem ſemper fuiſſe deteſtatam, cùm fieri non poſſit, vt Eccleſia Sacramenta deteſtetur. Omitto, numquam declaraſſe Concilium, ea fuiſſe Sacramenta, adeò vt graues quidam Theologi [f] id negent. Sed concedatur: quales obiectantur ineptiæ? Matrimonium contractum ab homine, qui ſiue ſimplici voto caſtitatis, ſiue legitimis cum altera ſponſalibus obſtringitur, nónne verum Sacramentum eſt? Ita profectò. Nónne illud pariter peccatum eſt, Eccleſiæ deteſtabile, quæ cuncta peccata deteſtatur? ita profectò. Innumera huiuſce rei exempla ſuppetunt: veluti ſi quis ſacros Ordines conferret manifeſto irregulari, aut baptiſmo luſtraret peccatorem nondum pœnitentem, aut Euchariſtiam conſecraret extra altare, & ſine ritibus ab Eccleſia præſcriptis; in quibus conditionibus conficeretur verum Sacramentum, & tamen facinus deteſtabile patraretur. Non poteſt quidem Sacramentum vllum eſſe naturâ ſuâ deteſtabile, ſed ex illicitis conditionibus, quæ tamen ipſius naturam illi non auferunt.

[f] Sanchez l. 2 de Matrim. diſp. 6. & Vaſquez diſputat. 3. de Matrim. qui eos afferunt.

1563. Objicit posteà notissimas difficultates: Matrimonij contractum 14
non distingui à Sacramento; & fuisse Sacramentum ante Euangelium, sicuti fuit in terrestri Paradiso; & idcircò si Ecclesiæ facultas non est mutandi Sacramenti, neque pariter facultas erit mutandi contractus; aut certè eam mutationem spectaturam ad Principem laicum, cui subijcitur contractus quatenus contractus.

In hoc argumento ille in primis, siue ex ignorantia, siue ex temeritate, tamquam certum ponit id quod à Scriptoribus minus receptum est [g]; quin à Vasquez [h] notatur tamquam Fidei contrarium, matrimonium, inquam, ante Christi legem fuisse Sacramentum. Sed hoc, qualecumque illud sit, aberrat à re proposita. Certum sanè est, contractum coniugalem naturâ suâ, & sine institutione Diuinâ Sacramentum non esse, adeoque quòd illud Sacramentum sit, & quòd sit contractus, esse duas naturas distinctas, quarum posterior sine priori persistere poterat; quamuis nunc ex diuino Decreto separari non possit (saltem extra casum fortuitum) inter homines, susceptо baptismo. Quemadmodum igitur quia species consecratæ separari quidem nequeunt à corpore Christi, sed sunt ab ipso distinctæ, naturalis potentia, quamquam mutare non possit Christi corpus, potest tamen species mutare, & hoc pacto efficere potest, ne Christi corpus ibi permaneat: ita pari ratione potestas Ecclesiastica potest contractum mutare, tametsi nequeat mutare Sacramentum; & hac viâ licet ipsi impedire, ne certa quædam contrahendi forma Sacramentum remaneat, sicut erat priùs. Quod si rem sinceris purgatisque oculis inspiciamus, deprehendemus, id vsu venire in cunctis impedimentis, matrimonio ab Ecclesia iniectis: nec propterea bene inferri, spectare ad Principem laicum, leges de huiusmodi contractibus sancire, tum propter rationes à nobis suprà recensitas, tum quia cùm is contractus iam fuerit destinatus à Deo pro materia proxima huic Sacramento, à quo seiungi nequeat, plusquam sanctum Chrisma Confirmationi, eius cura vniuersè spectat ad eam potestatem, cui demandata fuit à Deo cura Sacramentorum.

Affirmat, derisas fuisse voces illas Parocho præscriptas, *Ego vos coniungo, &c.* eas verò *non aliò tendere, nisi vt breuì dogma Fidei conficiatur, eas esse formam Sacramenti.* Verba Sacerdotis, siue quæ allata sunt, siue alia sint, formam esse Sacramenti, non quatenus est contractus, sed quatenus Sacramentum, recens opinio non est, nec originem traxit ab interpretatione huius Decreti, cùm anteà illam tradiderit Guilielmus insignis Episcopus Parisiensis, quem secutus 15

[g] Vide Bellarminum l. 1 de Matrimonio cap. 5. & Sanchez l. 2. disp. 7.
[h] De Matrim. disp. 2 c. 3. & sequentibus.

cutus est in Concilio, sicuti narrauimus, vnus ex primarijs Sorbonæ Doctoribus, & recens Synodus Prouincialis Colonienſis, ac tandem paulò ante annum, quo Decretum illud confectum est, Melchior Canus Episcopus Cananienſis in ſuis locis Theologicis [i]; vbi à ſe probari putat, eam à multis grauibuſque Scriptoribus defendi, quamquam contrarium accurato examine pro more ſuo Gabriel Vaſquez [k] oſtendat de reliquis omnibus, exceptis illis, quos nominauimus. Verùm Eccleſia non eò tendit, vt id tamquam Fidei articulus declaretur ſecundùm opinionem quam refert Suauis, quando plures ac præſtantiores ex Doctoribus in oppoſitâ partem [l] concurrunt: & illa ſententia ægrè toleratur, & à compluribus caſtigatione cenſoriâ reprehenditur, præſertim poſt hoc Tridentinum Decretum, ex quo nouas oppugnationes in ipſam Theologi deducunt. Et ſanè quo pacto hi, de quibus loquitur Suauis, exiſtimabant Synodum eò ſpectare, dum ſimul cenſebant, id quod ille arbitrabatur, definitum ibi fuiſſe, clandeſtina, quæ certè formam huiuſmodi non habebant, fuiſſe Sacramenta, cùm tamen omnino ſit in comperto, Eccleſiam ſibi non tribuere poteſtatem mutandi formas Sacramentorum? Quin quò euidentius id pateat, obſeruetur, quo pacto Synodus non præcipiat Parochis, vt allatis vtantur vocibus, ſed aut illis, aut alijs, pro ritu cuiuſcumque Prouinciæ; quod ipſi fas non fuiſſet, ſi formam Sacramenti eas putaſſet: atque idcircò Synodus Florentina in materia & in forma cunctis nationibus æquabilitatem præſcripſit; at verò in ritibus Sacramentum non conſtituentibus ſuos cuique permiſit. Quod ſi Parochus dicit, *Ego vos coniungo*, benè colligitur ex conditionibus quas conſideraſſimus, & ex omnibus reliquis, tempus illud præſens, *coniungo*, eſſe quoddam præſens morale, prout ſcholæ loquuntur, perinde ac ſi Parochus diceret: *In hac tota actione, quæ nunc auctoritate meâ peracta eſt, ego vos coniunxi.* Verùm ijs etiam, qui rationes huiuſmodi minimè percipiebant, ſatis erat, ne Concilij Decreta deriderent (hoc enim verbum Suauis vſurpat) oculos vertere ad id quod Nicolaus de Ponte Orator Venetus in exactiſſima narratione ſua notauit, fuiſſe hîc maiorem frequentiam doctorum hominum, quàm forſitan in quauis alia Synodo, etiam in prima Nicæna. 1563.

[i] Lib.8.cap.5 in ſolut. ad Tertium.
[k] De Matrim. diſp. 3 dub.3 & ſequentibus.
[l] Vide Sanchez lib.2.de Matrimonio diſp.5. & 6. & Vaſquez vbi ſuprà.

16 Dicit, ex ratione à Concilio allata ad minuenda coniugalia impedimenta, concludi, maiorem eorum numerum eſſe tollendum. Primo loco ſciatur oportet, id per Pontificem non ſtetiſſe quaſi perauidum illius prouentus ac prærogatiuæ, quæ ipſi ex relaxationibus

1563. tionibus redundant; quin illum, quod ad se spectabat, permisisse vt auferretur impedimentum quarti gradus, quod vt ad plures extenditur, perinde frequentiori relaxatione indigere solet: Patres tamen aliter iudicarunt. Profectò qui benè perciperet cuiusuis articuli rationes, sæpè commendaret plurimum leges illas, quas ex insciția damnat. Sit mihi exemplum vnicum loco multorum. Differebatur de impedimento *cognationis spiritualis* omnino tollendo [m]. Obstitit Donaldus Mogonail Episcopus Rathbogensis in Hibernia, & ob oculos posuit, nodum in eo regno aptiorem non esse ad reconciliandas inimicitias, qui tanta illic in veneratione habebatur, vt quicumque cognatum spiritualem percuteret, anathemate puniretur, nec nisi in articulo mortis absolutionem obtineret.

[m] Acta Paleotti 20. Augusti.

17 Iam verò de maligna quæstione, quam idem excitatam refert; Maiúsne lucrum an damnum fecerit Romanus Pontificatus, assumptis sibi cunctis relaxationibus ad matrimonium spectantibus, habità hinc ratione vtilitatis atque auctoritatis, hinc verò deperditæ Britanniæ, negari non potest, in huiusmodi ratiocinatione plurimum insciție patefieri. Britanniæ iactura non ex eo contigit, quòd Pontifex relaxationes sibi reseruarat, sed quòd auocauerit ad se causam coniugij inter Henricum & Catharinam: quas causas certum est non fuisse vniuersè reuocatas ad Romanos Pontifices, cùm sæpissimè de his Episcopi iudicium ferant. Sed in ea causa, propter excellsitatem duarum partium, maluit Pontifex odium atque iniurias illius Principis, sui alioquin amantissimi, subire, quàm eo pondere exoneratus Reginam innocentem deserere, iniustitiæ priuati ac deterriti Præsulis expositam. Equidem responsionem hîc repetam aliàs redditam Suauianis huiusmodi incusationibus, in Apostolicam Sedem coniectis, ob regnum illud deperditum; licere cuiuis homini cordato perspicere, cuinam maior obuenerit iactura, etiam temporalis, an Romæ, an Britanniæ. Cur autem Summi Pontifices sibi postea reseruarint has quas diximus relaxationes, explicari sinam à docto iudicio, quod Synodus amplexata est, Marci Antonij Bobbæ [n] Augustensis Episcopi, qui Ducis Sabaudiæ Orator erat. Is, cùm illic proponeretur, vt saltem potestas relaxandæ legis in quarto gradu, fieret etiam communis cum Episcopis, perpendit, id valdè aduersari voto proposito, vt rarior esset relaxationis vsus. Etenim si singulæ à singulis Episcopis concederentur, longè frequentiores illæ fuissent quàm quotquot quilibet profusus Pontifex esset elargiturus: præterquam quòd habito etiam respectu inter eos, qui possunt vnus vni relaxamenta indulge-

[n] 17. Augusti 1563. vt in Actis Paleotti.

dulgere, quò poma altiori arboris ramo adhærent, eò minùs de- 1563.
cerpuntur.

Narrat denique, improbatum à Gallis fuisse Decretum in raptores, quippe quòd occupatio quædam esset laicæ potestatis: nec minùs etiam Decretum in concubinarios & adulteros; quandoquidem non licet Ecclesiæ vltra anathemata pœnas irrogare. Atqui si Galli ita senserunt, quare ferè omnes simul his Decretis assenserunt?

Quòd si non licet Ecclesiæ in delicta, quæ offensionem ac detrimentum inferunt publico animarum bono, pœnas vltra Sacrorum ademptionem constituere; cur Ecclesiastici Inquisitores tot in regnis, laicæ iurisdictionis studiosissimis, fontes puniunt & vinculis, & exilijs, & infamiâ, & triremibus, & proscriptionibus, nec in eo impediuntur? Inter homines probatio nulla magis legitima suppetit probatione factorum, quæ idioma quoddam est, ab omni suspicione ac mendacio immune.

CAPVT X.

Sex priora Decreta in Sessione vigesimaquarta confirmata. Quatuor ibi mutationes ab ijs quæ forma proposita continebat; tum de subiectione, quâ Episcopi Archiepiscopis subduntur; tum de itione ad Metropolitarum Ecclesias, præterquam ad Synodos celebrandas; tum de visitatione, quâ inuisuntur ab illis præterquam ex causis à Prouinciali Synodo comprobatis; tum de minoribus ipsorum causis cognoscendis, & de concedenda Episcopis facultate absoluendi delicta hæresis in foro conscientiæ, etiam vbi S. Inquisitionis Tribunal est. Multa Suauis errata in facto expenduntur; & quæ idem obijcit ob monita Concilij in Pontificem, & ob causas maiores Episcoporum, ipsi reseruatas.

1 ABsolutis peculiaribus Decretis Matrimonij, ventum est ad sanctiones generalis emendationis [a]: quibus quiddam aliud præter morem in ea Sessione contigit, quòd videlicet ex Patrum sententia multa fuerint mutata in ijs quæ à cœtibus stabilita fuerant, & ab Episcopo celebrante clarâ voce proposita. Ingens excitus est rumor, sicut indicauimus, tum vesperi præcedenti, tum

[a] Acta Paleotti, & Arcis Romanę, & litteræ Legatorum ad Borrom. 21. Nouemb. 1563.

1563. posteà eodem ipso manè; siquidem Episcopi, vbi intellexerunt, ipsorum postulato suffragia quantum satis erat non fauisse, perinde ac in cœtu creditum fuerat, omnem adhibuerunt industriam (ardore minùs fortasse temperato quàm ratio decori postulasset) ad obtinendum in Sessione id quod optabant. Et sanè colligo ex verbis sententiarum, quas ibi pronuntiarunt ij, qui post habitum conuentum seu verbo seu scripto declararant sensum propitium ipsorum parti, eius numerum augentes, à Legatis & Patrum delectu fuisse aliquid variatum in Decretis Conuentui lectis, & ab ipso comprobatis, adiecto generatim mandato, vt quædam ex plurium voto componerentur. Verùm mutationes illæ, sicut vsuuenit in consilijs mediis, non excultæ priùs tractatione, neque concordiâ maturatæ, saporis parum grati fuerunt. Quocircà magnum extitit in Sessione certamen. Et quoniam primum suffragium, Episcopis propitium, illic prodijt ab Archiepiscopo Iadrensi, eidem bona pars Episcoporum per simplices voces adhæsit. Vnde posteà contigit, vt Legati, cùm ad vesperam Sessionis de eius exitu Romam scriberent [b], fassi fuerint, & crediderint, sufficientem assecla rum numerum à Iadrensi fuisse pertractum in cunctis articulis controuersiæ, hoc est, non modò quatenus postulauit vt Episcopi suffraganei soluerentur obligatione adeundi Metropolitarum sedes, exceptâ Synodi conuocatione, quod euictum est; sed quatenus intendebat, Episcopos insulanos & transalpinos non adstringi ad Synodos Prouinciales adeundas per se ipsos, quandoquidem in hoc non nisi viginti quinque illi fauerunt.

[b] Litteræ Legatorum ad Borrom. 11 Nouembris. 1563.

At verò centum viginti duo cum eo consenserunt [c] de appendice 2 ab ipso quæsita in capite tertio; videlicet, ne Ecclesiæ, in quibus residents suffraganei, nec ipsorum diœceses, à Metropolitis visitarentur, nisi cognitâ causâ, & à Synodo Prouinciali comprobatâ: in quo dignum fuit animaduersione, quòd Iadrensis, cùm [d] in dicenda sententia solos Metropolitas nominaret, oblitus omnes superiores Primates exprimere, nihil sibi ipsi profuit. Cùm enim reliqui dixissent, sibi illius sententiam probari, confectum est Decretum de solis Archiepiscopis, non item de Patriarchis.

[c] Acta Palcotti 12. Nouembris. 1563.

[d] Acta Palcotti.

In quinto capite nouemdecim vnà cum eo volüere, vt causæ 3 criminosæ minores Episcoporum solùm cognoscerentur ac iudicarentur in Synodo prouinciali, aut per iudices ab illa destinatos.

In sexto, vbi nunc conceditur Episcopis facultas absoluendi sub- 4 iectos ipsis à quauis occulta noxa, etiam hæreseos, in foro interiori; id priùs secundùm formam propositam coarctabatur duobus modis:

dis: alter erat, vt id agere ipsis liceret tantummodò in propria diœ- 1563.
cesi; & hanc limitationem pariter crediderunt, scripseruntque eo vesperi Legati fuisse sublatam secundùm eiusdem Iadrensis sententiam, quod manè postmodum, collatis inter se suffragijs, haud verum compertum est: altera restrictio, quæ Oratoribus Hispano & Lusitano petentibus apposita fuerat, dicebat, *Exceptis ijs regnis, vbi sunt Inquisitiones*: & hæc Iadrensis, cum decem & octo suffragiis supra centum, effecit vt tolleretur. In quo Suauis multum fallitur, narrans, hanc exceptionem haberi in quinto capite, vbi agitur, à quonam causæ criminosæ Episcoporum sint cognoscendæ. Et similiter in alijs mutationibus, quamuis adeò publicæ ac celebres essent, ignorantiam prodit: non refert innumeras difficultates, quæ à Patribus obiectæ sunt: errat etiam in numero Decretorum, quæ typis vulgata fuerunt, cùm tantummodò nouemdecim super morum emendatione connumeret, & vigesimum, ad declarandam particulam, *proponentibus Legatis*; & tamen qui legere didicit, comperit, priora esse viginti. Neque hic error calami transcursui potest tribui, *nouemdecim* loco *viginti* scribentis: cùm enim singulatim ea Decreta recenset in summa, prætermittit decimumnonum, quod fortassis vnum est ex præcipuis, & ex prævalidis ad ostendendam Pontificis mentem pronam ad vtilitatem disciplinæ, & ad reparationem auctoritatis Episcoporum, etiam cum palmari detrimento Aulæ Romanæ, sicuti palàm fiet. Sed is qui volens in plurimis falsum enuntiat, nihil laborat ne in reliquis ex allucinatione illud proferat.

§ Nos afferemus ea Decreta, non secundùm formam propositam, sed secundùm constitutam in Sessione; & simul expendemus quæ obiectat aduersarius, quò viuidior sit memoria rerum quæ oppugnantur.

I. *Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter scienterq; curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilq; præposterum; multò magis elaborandum est, vt in electione eius qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiæ domini status & ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vnde, etsi aliàs sancta Synodus de promouendis ad cathedrales & superiores Ecclesias nonnulla vtiliter decreuit; hoc tamen munus huiusmodi esse censet, vt, si pro rei magnitudine expendatur, numquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, vt, cùm primùm Ecclesia vacauerit, supplicationes ac preces publicè priuatimq; habeantur, atque à Capitulo per ciuitatem & diœcesim indicantur; quibus Clerus populusq; bonum à Deo pastorem valeat impetra-*

1563. petrare. Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in ijs pro præsenti temporum ratione innouando, hortatur & monet, vt in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant; eosq; alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ, ætate, doctrinâ, atque alijs omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ iuxta sacros Canones, & Tridentinæ huius Synodi Decreta requiruntur. Quoniam verò in sumendo de prædictis omnibus qualitatibus graui, idoneoq; bonorum & doctorum virorum testimonio, non vniformis ratio vbique ex nationum, populorum ac morum varietate potest adhiberi; mandat sancta Synodus, vt in prouinciali Synodo, per Metropolitanum habenda, præscribatur quibusque locis & prouincijs propria examinis, seu inquisitionis aut instructionis faciendæ forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis vtilis atque opportuna esse videbitur; ita tamen, vt, cùm deinde hoc examen, seu inquisitio de persona promouenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta, quamprimùm ad Sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur: vt ipse summus Pontifex plenâ totius negotij, ac personarum notitiâ habitâ, pro gregis Dominici commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit vtilius prouidere. Omnes verò inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes, quæcumque de promouendi qualitatibus, & Ecclesiæ statu, à quibuscumque, etiam in Romana Curia, habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Consistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur; ac relatio ipsa Cardinalis relatoris, & trium Cardinalium subscriptione roboretur: in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se, adhibitâ accuratâ diligentiâ, inuenisse promouendos qualitatibus à iure, & ab hac sancta Synodo requisitis, præditos; ac certò existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, qui Ecclesiis præficiantur: ita vt relatione in vno Consistorio factâ, quò maturiùs intereà de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium iudicium differatur; nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire. Ea verò omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & ceteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem, etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda; quos Sanctissimus

Romanus

Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremò eadem sancta Synodus, tot grauissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium quàm vt Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem vniuersæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hîc potissimùm impendat, vt lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat; & bonos maximè atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat; idq; eò magis, quòd ouium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium & sui officij immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eius sit requisiturus. 1563.

6 Hoc Decretum, scribit Suauis, reprehensum fuisse aut tamquam deficiens, si pertinet ad Synodum Romano Pontifici leges præscribere, cùm in negotiis tanti momenti vsà fuerit formulis solùm narrantibus & obliquis; aut tamquam temerarium, si Pontifici Synodus subijcitur, cùm acriter, quamuis tacitè, castigauerit actiones tum præsentis tum superiorum Pontificum. Mira sanè oppositio, & præter expectationem, vt opinor, cuiusuis intelligentis! Certum est, Synodum agere cum Romano Pontifice tamquam cum superiore, non tamquam cum subiecto; num idcircò temeraria fuit? Nullus igitur supremus Princeps admonendus est ac reprehendendus; & impudentiæ arguemus S. Bernardum, qui Romanos Pontifices scriptis suis longè liberiùs reprehendit, & tamen ille simplex Abbas erat, & non Synodus Oecumenica? Sed quid multa, si Romæ, quod alibi monuimus, ipsi Pontifices destinant ac sustentant religiosum hominem, qui singulis annis per plures vices vtatur hac, quam Suauis appellat temeritatem, in sacelli Pontificij concionibus, quæ vel typis vulgatæ passim leguntur?

II. Dicebatur in secundo. *Prouincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersiis componendis, aliisq; ex sacris Canonibus permissis renouentur. Quare Metropolitani per se ipsos, seu illis legitimè impeditis, Coepiscopus antiquior intra annum ad minus à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet saltem triennio post Octauam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more prouinciæ, non prætermittat Synodum in prouincia sua cogere: quò Episcopi omnes, & alij, qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis ijs, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, conuenire omnino teneantur. Nec Episcopi comprouinciales prætextu cuiuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inuiti compellantur. Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subijciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant; in cuius Synodo prouinciali*

1563. ciali cum alijs interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obseruent, ac obseruari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio, & priuilegia salua atque integra maneant. Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani quàm Episcopi, & alij suprascripti negligentes fuerint; pœnas, sacris Canonibus sancitas, incurrant.

III. Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem; ita tamen, vt tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque diœceses suorum Comprouincialium, nisi causâ cognitâ & probatâ in Concilio prouinciali: Archidiaconi autem, Decani, & alij inferiores in ijs Ecclesiis, vbi hactenus visitationem exercere legitimè consueuerunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu Episcopi deinceps per seipsos tantùm ibidem visitare. Visitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur; sed non ideò Episcopus, vel, eo impedito, eius Visitator eadem Ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur; cui ipsi Archidiaconi, vel alij inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur: non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & priuilegijs quibuscumque. Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamq; doctrinam, expulsis hæresibus, inducere; bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamq; accendere; cetera, prout locus, tempus & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ vt facilius feliciusq; succedant, monentur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, vt paternâ charitate Christianoq; zelo omnes amplectantur; ideoq; modesto contenti equitatu famulatuq;, studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere. Interimq; caueant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graues onerosíve sint; néve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id quod ex relictis pijs iure debetur, aut alio quouis modo, nec pecuniam, nec mu-

nus,

nus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non ob- 1563.
stante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateq; pro temporis tantùm necessitate, & non vltrà, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum qui visitantur, si malint soluere id quod erat ab ipsis anteà solui, certa pecunia taxata, consuetum; an verò prædicta victualia subministrare: saluo item iure conuentionum antiquarum cum monasterijs, aliisve pijs locis, aut Ecclesijs non parochialibus inito, quod illæsum permaneat. In ijs verò locis seu prouincijs, vbi consuetudo est, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id obseruetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit; is, præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, alijs etiam pœnis iuxta Constitutionem Concilij generalis Lugdunensis, quæ incipit, Exigit; nec non & alijs pœnis in Synodo prouinciali arbitrio Synodi, absque vlla spe veniæ, multetur. Patroni verò in ijs quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum prouentibus immisceant; nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi hæc faciant, & fabricarum redditus in vsus Ecclesiæ necessarios & vtiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

IV. Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta Synodus, quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, Canones aliàs super hoc editos, sub fel. rec. Paulo III. aptius præsentium temporum vsui accommodando, mandat, vt in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, in alijs autem Ecclesijs per Parochos, siue, ijs impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in ciuitate, aut in quacumque parte diœcesis, censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis; tempore autem Ieiuniorum, Quadragesimæ & Aduentus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas diuinamq; legem annuntient; & aliàs, quotiescumque id opportunè fieri posse iudicauerint. Moneatq; Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem sæcularis, siue regularis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Iidem etiam saltem Dominicis & alijs festiuis diebus pueros in singulis parochijs fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab ijs, ad quos spectabit, doceri curabunt, &, si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent:

non

1563. *non obstantibus priuilegijs & consuetudinibus. In reliquis, ea, quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III. decreta fuerunt, suum robur obtineant.*

V. *Causæ criminales grauiores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut priuatione dignæ sunt; ab ipso tantùm Summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quòd si eiusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec vnquam plus his tribuat, quàm vt solam facti instructionem sumant, processumq; conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reseruatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitiuâ. Cetera aliàs sub felicis rec. Iulio III. super his decreta; nec non & constitutio sub Innocentio III. in Concilio generali, quæ incipit, Qualiter & quando; quam sancta Synodus in præsenti innouat; ab omnibus obseruetur. Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantùm prouinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium prouinciale.*

De hoc Decreto ita narrat Suauis: *Ecclesiasticæ Historiæ periti aiebant: Quòd Romam aduocarentur omnes Episcoporum causæ, nouam esse politicam calliditatem, ad Aulam semper augendam; nam omnia vetusti temporis exempla, & Canones veterum Conciliorum palàm faciunt, causas Episcoporum, etiam ad eos deponendos, in singulorum regionibus agitari.* Sed quî fieri potest, vt in eo vlla Romana calliditas politica locum habuerit, si ipsi Episcopi hoc Decretum concorditer voluerunt, & si parum illud iurisdictionis, quod relictum fuerat Archiepiscopis ad causas minores suffraganeorum cognoscendas, necesse fuit vt suffragiorum vi tolleretur? Nemo inficiatur, antiquitus Episcoporum causas in prouincijs cognosci; sed præterquam quòd alios alia sæcula mores postulant, magnæ dementiæ est, arbitrari cuncta vetustiora præstare recentibus; siquidem vetustiora excogitabantur ac fiebant ab humano genere adhuc recente; & è contrario, recentiora pro se obtinent iudicium humani generis quod iam vetus euasit. Quicumque sine animi perturbatione rem dispicit, satis intelligit, exerceri vniuersè iudicia non posse neruosè ac sincerè, nisi vbi celsitudo superioris ita statum inferioris excedat, vt in illum nec timor nec æmulatio cadere possint.

VI. Sanciebatur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispen-*

dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs, sit permissum. 1563.

Vlcerum maximè putrescentium curatio, quantò inferioris manus labor est cùm in corporibus fit, tantò superioris est, cùm in animis exercetur.

CAPVT XI.

Vndecim alia emendationis Decreta vsque ad decimum septimum. Oppugnationes Suauis reiectæ de Pensionibus, & de pluribus Sacerdotijs vni collatis.

1 VII. *VT fidelis populus ad suscipienda Sacramenta maiori cum reuerentia atque animi deuotione accedat; præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, vt non solùm, cùm hæc per seipsos erunt populo administranda, priùs illorum vim & vsum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem à singulis Parochis piè prudenterq;, etiam linguâ vernaculâ, si opus sit, & commodè fieri poterit, seruari studeant, iuxta formam à sancta Synodo in Cathechesi singulis Sacramentis præscribendam; quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt: nec non vt inter Missarum solemnia, aut diuinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita, eâdem vernaculâ linguâ singulis diebus festis vel solemnibus explanent; eademq; in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.*

VIII. *Apostolus monet, publicè peccantes palàm esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos commotosq; fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet; vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire. In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ, proximè vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia vel Iure Canonico, & annorum quadraginta, seu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.*

1563. IX. *Quæ aliàs sub fel. rec. Paulo III. & nuper sub Beatißimo Domino nostro Pio IV. in hac eadem Concilio de adhibenda ab Ordinarijs diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt; eadem etiam in ijs Ecclesiis sæcularibus obseruentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur; vt ab Episcopo, cuius Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo qui semel in Concilio Prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, visitentur: non obstantibus priuilegijs & consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus.*

X. *Episcopi, vt aptius, quem regunt, populum possint in officio atque obedientia continere, in omnibus ijs quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, ius & potestatem habeant, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, iuxta Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur. Nec in his, vbi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam, interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.*

XI. *Quoniam priuilegia & exemptiones, quæ varijs titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur; decernit sancta Synodus, vt, si quando iustis, grauibus, & ferè necessarijs suadentibus causis aliquos honorarijs titulis Protonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Capellani Regij, aut alijs huiusmodi in Romana Curia, vel extra, insignibus decorandos esse placuerit; nec non alios, cuicumque monasterio oblatos, vel quomodocumque addictos, aut sub nomine seruientium militijs, seu monasterijs, hospitalibus, collegijs, aut quocumque alio titulo assumi, nihil ex ijs priuilegijs detractum esse Ordinarijs intelligatur, quò minus ij, quibus ea iam concessa sunt vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinarijs tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, plenè in omnibus, & quo ad Capellanos Regios, iuxta Constitutionem Innocentij III. quæ incipit: Cùm Capella, subiecti existant: exceptis tamen ijs, qui prædictis locis aut militijs actu seruiunt, & intra eorum septa ac domos residunt, subij eorum obedientiæ viuunt, siue ijs, qui legitimè & secundùm regulam earumdem militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat: non obstantibus priuilegijs quibuscumque, etiam Religionis sancti Ioannis Ierosolymitani, & aliarum militiarum. Quæ verò priuilegia residentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere solent; ea in ijs qui beneficia Ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum beneſi-*

beneficiorum minimè intelligantur; sed Ordinarij iurisdictioni subiecti permaneant: non obstantibus quibuscumque inhibitionibus. 1563.

XII. *Cùm dignitates in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conseruandam augendamq; Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, vt, qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisq; exemplo essent, atque Episcopos operâ & officio iuuarent: meritò, qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem XXV. suæ ætatis annum attigerit; & in Clericali ordine versatus, doctrinâ ad suum munus exequendum necessariâ, ac morum integritate commendetur, iuxta Constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, Cùm in cunctis. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, vbi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores aut Licentiati in Iure Canonico. Ad ceteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & XXII. annis non minores, adsciscantur. Prouisi etiam de beneficijs quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac iurent. Prouisi autem de canonicatibus & dignitatibus, in Ecclesiis Cathedralibus, non solùm coram Episcopo seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur; alioquin prædicti omnes prouisi, vt suprà, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda aut portio requirit; aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat. In omnibus verò Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem Presbyterij, Diaconatus vel Subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet, ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita tamen, vt dimidia saltem pars Presbyteri sint, ceteri verò Diaconi, aut Subdiaconi: vbi verò consuetudo laudabilior habet, vt plures vel omnes sint Presbyteri, omnino obseruetur. Hortatur etiam sancta Synodus, vt in prouincijs, vbi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars canonicatuum, in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus, conferantur tantùm Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure canonico. Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigo-*

1563. re cuiuslibet statuti aut consuetudinis, vltra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: saluis nihilominùs earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt; alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quòd si iterum eâdem fuerit vsus negligentiâ, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente verò contumaciâ, contra eos, iuxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. Distributiones verò; qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quauis collusione aut remissione exclusâ, his careant, iuxta Bonifacij VIII. Decretum, quod incipit, Consuetudinem: quod sancta Synodus in vsum reuocat: non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus. Omnes verò diuina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia; & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, adsistere, & inseruire, atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèq; laudare. Vestitu insuper decenti tam in Ecclesia quàm extra assiduè vtantur; ab illicitisq; venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, lusibusq; abstineant; atque eâ morum integritate polleant, vt meritò Ecclesiæ Senatus dici possit. Cætera, quæ ad debitum in Diuinis officijs regimen spectant, deq; congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conueniendi, & permanendi, simulq; de omnibus Ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, & si qua huiusmodi; Synodus prouincialis, pro cuiusque prouinciæ vtilitate & moribus certam cuique formulam præscribet. Intereà verò Episcopus non minùs quàm cum duobus Canonicis, quorum vnus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, in ijs, quæ expedire videbuntur, poterit prouidere.

XIII. Quoniam pleræque Cathedrales Ecclesiæ tam tenuis redditus sunt & angustæ, vt Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant, examinet Concilium prouinciale, vocatis ijs quorum interest, & diligenter expendat, quas propter angustias tenuitatemq; vicinis vnire, vel nouis prouentibus augere expediat; confectaq; de præmissis instrumenta ad summum Romanum Pontificem mittat; quibus instructus summus Pontifex, ex prudentia sua, prout expedire iudicauerit, aut tenues inuicem vniat, aut aliquâ acceßione ex fructibus augeat. Interim verò donec prædicta effectum sortiantur, huiusmodi Episcopis, qui fructuum subuentione pro diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit de beneficijs aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus, & præbendæ, nec monasteria, in quibus viget regularis obseruantia, vel quæ Capitulis generalibus, & certis Visitatoribus subduntur, à summo Romano Pontifice prouideri. In Parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus æquè adeò exigui sunt, vt debitis nequeant oneribus

ribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum vnionem, non tamen regularium, id fieri non possit, vt primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut quâ commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat. In vnionibus verò quibuslibet, seu ex supradictis, seu alijs causis faciendis, Ecclesiæ parochiales monasterijs quibuscumque, aut Abbatijs, seu dignitatibus, siue præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, siue alijs beneficijs simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non vniantur; & quæ vnitæ sunt, reuideantur ab Ordinarijs, iuxta alias Decretum in eadem Synodo sub fel. rec. Paulo III. quod etiam in vnitis ab eo tempore citrà æquè obseruetur: non obstantibus in ijs quibuscumque verborum formis, quæ hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad hæc in posterum, omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundùm verum annuum valorem, non excedunt, nullis pensionibus, aut reseruationibus fructuum grauentur. In ijs quoque ciuitatibus, ac locis, vbi parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrant; mandat sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, vt, distincto populo in certas propriasq; parochias, vnicuique suum perpetuum peculiaremq; Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant; aut alio vtiliori modo, prout loci qualitas exegerit, prouideant. Idemq; in ijs ciuitatibus, ac locis, vbi nullæ sunt Parochiales, quamprimùm fieri curent: non obstantibus quibuscumque priuilegijs & consuetudinibus, etiam immemorabilibus. 1563.

2 Opponit huic Decreto Suauis: Longè maius expectatum fuisse remedium deterrimo pensionum abusui. Consistamus. Aut loquimur de illarum distributione, quæ nunc vsurpatur; aut de institutione in vniuersum. Quod ad priorem spectat, remedium expectari non poterat ex Concilio, nec ex vlla humanarum legum: semper enim distributio præmiorum, eorumque bonorum omnium, quæ non ex hereditate, sed ex electione obtinentur, hominibus committatur oportet; qui possunt eam perperàm exercere, aut intelligentiæ aut voluntatis vitio. Si verò loquamur de institutione præmiorum in genere; in primis non erat in potestate Episcoporum Romanive Pontificis, eam auferre sine graui offensione Principum, qui præcipuè pensionibus, quæ imponuntur sacerdotijs, ipsorum nominatione conferendis, magnam partem hominum de se benemerentium remunerantur. Præterea, sine pensionum subsidio sustentari Cardinales non possent, non rependi præmia tot ministris, qui per

1563. inæstimabilem laborem vniuersali Ecclesiæ seruiunt; non consuli tot hominibus litteratis, qui eidem Ecclesiæ & semper ornamento sunt, & vbi opus est, præsidio. Hac de re complures peculiarium Ecclesiarum possessores, ægro animo aliquid è suis prouentibus Romæ pendentes, plurima blaterant, rationesque populares ac speciosas congerunt: sed opus esset vt sæpiùs in memoriam reuocarent celebrem apologum Menenij Agrippæ: reuoluant historias, obseruentque, an quo tempore Ecclesia Romana minus abundabat auctoritate ac prouentibus, Ecclesiastici alijs in locis tantum abundarent, quantum in præsentia, etiam detractis ijs quæ Romæ conferunt.

XIV. Pergebant Decreta Synodi: *In pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus quàm Collegiatis & Parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligitur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficy, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem prouentuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationésve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur: hæc cùm sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, vt, quæcumque huiusmodi in vsus pios non conuertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis aut sordidæ auaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant: ipsíq; diligenter de eorum constitutionibus siue consuetudinibus super prædictis cognoscant; & illis tantùm, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas, vt prauas ac scandalosas, reijciant, & aboleant. Eos verò, qui aduersùs hæc, in præsenti Decreto comprehensa, quauis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis, sacris Canonibus, & varijs summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innouat, teneri decernit: non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostolicâ auctoritate confirmatis: de quarum surreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis delegatus, cognoscere possit.* 3

Super hoc Canone fingit Suauis per subdolam fictionem, homines in spem venisse, sublatum iri solutiones annuorum fructuum, quas dicunt Annatas, & sumptus ad obtinenda diplomata; sed eam spem, ait ille, posteà ab effectis fuisse delusam. Spes huiusmodi concipi non poterat ab ijs, qui sciebant, semper in eo firmum stetisse Concilium, ne Pontifici sua iura tolleret, & ibi præ ceteris Lotharingum. Quòd si quis ex Episcopis illa attigit, creditus est 4

loqui

loqui aut ex affectu vindictæ, aut ex defectu peritiæ. Sed hac de re alibi tam multa dicta sunt, vt superuacaneum sit quidquam addere. Parcatur Suaui, si sæpiùs eadem repetit; id enim animi perturbati proprium est. Atque hinc fit, vt Poëtæ, perturbatorum hominum personas agentes, id præstent cum imitationis laude, quod alibi morositatis vitio ipsis verteretur. 1563.

XV. Statuebatur deinde: *In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, vbi frequentes, adeoq; tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, vt sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, ijs vnire; vel, si hac ratione prouideri non possit, aliquibus ex ys suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus & prouentus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, vt tot supersint, quæ diuino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus & priuilegijs, aut quacumque reseruatione generali, vel speciali, aut affectione: neque prædictæ vniones aut suppressiones tolli seu impediri possint ex quibuscumque prouisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusuis alijs derogationibus vel suspensionibus.*

XVI. *Capitulum, Sede vacante, vbi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum vnum, vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum & prouentuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Iure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs, quantum fieri poterit, idoneus: si secùs factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi deuoluatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumq;, vt præfertur, negligens fuerit; tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum & Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus verò ad eamdem Ecclesiam vacantem promotus, ex ijs quæ ad eum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario, & alijs quibuscumque officialibus, & administratoribus, qui, Sede vacante, fuerunt à Capitulo, vel ab alijs in eius locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, iurisdictionis, administrationis, aut cuiuscumque eorum muneris; possitq; eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint: etiamsi prædicti officiales, redditis rationibus, à Capitulo, vel à deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo*

teneatur

1563. *teneatur Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum peruenerunt, rationem reddere.*

XVII. *Cùm Ecclesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum; sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea quæ benè constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti Decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obseruari; statuit vt in posterum vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcq; non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia quàm regularia, quæcumque, etiam commendata, pertineant, cuiuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi verò qui in præsenti plures parochiales Ecclesias, aut vnam Cathedralem, & aliam parochialem obtinent, cogantur omninò, quibuscumque dispensationibus ac vnionibus ad vitam non obstantibus, vnâ tantum Parochiali, vel solâ Cathedrali retentâ, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam Parochiales, quàm beneficia omnia, quæ obtinent, ipso iure vacare censeantur; ac tamquam vacantia liberè alijs idoneis conferantur; nec ipsi anteà illa obtinentes, tutâ conscientiâ, fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus, vt resignantium necessitatibus commodâ aliquâ ratione, prout summo Pontifici videbitur, prouideatur.*

De hoc Decreto Suauis dicit, prudentes homines præsagire, nul- 6
lum inde futurum effectum, adijcientes, hoc sæculum eo dignum non esse. Equidem fateor, à me putari, iniquius me gerere cum hoc homine, capaci atque erudito negotijs ciuilibus, si crederem illum ex animo hæc locutum, & non potiùs ad seruiendum prudenter causæ, arrepto contra suos aduersarios loco specioso, quamuis falso, prout oratoribus & causarum patronis mos est. Tam imbecillæ mentis ille non erat, quin cognosceret id quod iam tum cognouere quidam peritiores, quódque postmodum ab experientia omnes edocti sunt. Relegatur sententia, paulò antè à nobis allata, Archiepiscopi Hydruntini, qui paucis ob oculos posuit absurda, quæ vniuersalis illius Decreti obseruatio intulisset. Nec propterea reprehendendi sunt Patres Tridentini: etenim eorum mens non erat, vt per Decretum ligarentur manus illæ supremæ, quas Concilium tum in principio tum in fine suarum legum declarauit à se liberas

relin-

relinqui. Quare hoc Decretum persistit in suo robore apud eos quibus præscriptum est, nimirum, apud inferiores Præsules, quorum iudicio, & quorum voluntati fortasse non oportebat libertatem vniuersè permitti accumulandi in vno solo capite plura sacerdotia, quæ possunt vtiliùs distribui, ad complures eorum clericos indigentes sustentandos. Sed ponamus, Synodum optasse, vt Decretum illud etiam ab Apostolica Sede seruaretur: nullus vmquam extitit in orbe terrarum Senatus, siue ecclesiasticus siue profanus, cuius leges aliqua ex parte se corrigi ab experientia non senserint; quemadmodum nullus Vitruuius exempla sua tam accuratè formauit, vt semper egregiè in opus deuenerint. Nonnumquam prudentiæ est, vel cum dubitatione successus tentare id, quod, si succederet, communitati placeret, saltem quò palàm fiat, si illud non fit, in causa esse non voluntatis sed virium defectum. Eapropter vltra modum necessaria est Pontificis auctoritas, à multis adeò impugnata, relaxandi Concilij sanctiones, eisque derogandi. Væ principatui vasto, & ex varijs nationibus conflato, si quamplurimas leges ederet, dein verò, antequam ab vsu tamquam bonæ comprobarentur, adempta fuisset potestas illas mitigandi omni magistratui, vno excepto, qui perdifficiliter & perrarò conuocaretur. Dei, non hominum prouidentia constitutiones edere potest, quæ tutæ sint à detrimento, antequam ab experimento confirmatæ. Ceterùm si quis mihi dixerit, superfluos redditus ecclesiasticos in vno eodemque capite vituperandos esse, in hoc nihil ego contendam; quamquam etiam in hac parte, vbi fiat distributio pro meritis ac virtute, non pro animorum affectionibus, comperiatur, ex opibus ecclesiasticis, in vno possessore congestis, ortum trahere plurima bona & in egestatis leuamine, & in virtutum incitamento, & in structura ingentium priorum operum, quibus abundat Christiana Respublica, quorum pleraque ab huiusmodi opulentia constructa sunt. Sed quia sæpè animi propensio causa est, ne amplæ diuitiæ ecclesiasticæ tradantur religiosissimis distributoribus, nolo hîc inire controuersiam, an satius foret vniuersè obseruare, ne tam multæ in vno coniungerentur. Duo fidenter dicam. 1563.

7 Primum est: Hanc emendationem difficiliùs præstituros Principes laicos, quàm summum Pontificem. Quare optimè respondit Episcopus ille Gallorum querimonijs, ipsos id temporis in Gallia auctores esse præcipuarum corruptelarum, de quibus conquerebantur. Quamuis autem posteà Regum pietas variis malis medelam admouerit; tamen nec ibi, nec in Hispania aut Germania,

1563. vmquam obtineretur, ne redditus ecclesiastici vlli darentur nisi ad congruentem ipsius sustentationem. Quare iniuriâ huiusmodi odio Roma oneratur.

Alterum, quod euidens est: Etiamsi vtilis esset inuiolabilis obser- 8
uatio, ne redditus ecclesiastici in vno eodemque possessore congererentur, præter quosdam limites moderatos; nec fieri posse, neque par esse, vt hæc lex custodiretur ne in eodem homine duo ac plura sacerdotia coniungerentur. Huiusmodi lex in sacerdotijs, ad mansionem cogentibus, fuit præstantissima; nec Suauis affirmare ausus est, obseruationem in ea desiderari. Sed in sacerdotijs simplicibus parum refert, si vnus è Clericis plura possideat, dummodò inter omnes prouentibus non excellat; & ex altera parte sacerdotia simplicia tot sunt numero, & eorum pleraque tam leui pondere, vt rarissimè possit per vnum aut alterum satis prospici possessori ad honestam sustentationem; præsertim cùm in manu Pontificis non sit, efficere vt ea vacent, quæ congruentes huic aut illi homini prouentus afferrent. Hîc autem argumentum resumens, quo anteà vsus fui, percontor, An Principibus laicis suppetat ratio huius legis obseruandæ, tametsi ex sacerdotijs, quæ ipsis nominantibus conceduntur, plura sint pinguia; ex ijs verò quorum concessio libera est Romano Pontifici, plura sint exilia.

In locis Rhetorum nullus est acceptior, adeoque ad persuadendum aptior quàm aduersum diuites, cùm illi ferè singuli faueant, hoc est ij omnes, qui diuites aut non sunt, aut non esse censentur; rem siquidem metiuntur alij ex merito quod in se credunt, alij ex luxu quem in se vellent, alij ex appetentia quam in se sentiunt: & tamen quilibet hominum miserior foret quàm quilibet pauperum nunc non est, nisi essent innumeri pauperes: nemo siquidem esset qui exerceret artes magis laboriosas ac fœdas, quarum, ex doctrina Philosophi, humana vita maximè indiget.

CAPVT

CAPVT XII.

1563.

Quatuor alia Decreta. Vnum potißimum omißum à Suaui in eorum compendio : alia ab eodem calumnijs perſtricta, tum de ſacerdotiorum animas procurantium collatione, tum de primis cauſarum iudicijs, tum de declaratione particulæ, proponentibus Legatis. *Patrum ſententiæ de his omnibus Decretis. Futuræ Seßionis denuntiatio.*

XVIII. *EXpedit maximè animarum ſaluti, à dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id vt diligentius ac rectius perficiatur, ſtatuit ſancta Synodus, vt, cùm parochialis Eccleſiæ vacatio, etiamſi cura Eccleſiæ vel Epiſcopo incumbere dicatur, & per vnum vel plures adminiſtretur, etiam in Eccleſijs patrimonialibus, ſeu receptiuis nuncupatis, in quibus conſueuit Epiſcopus vni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infraſcriptum examen teneri mandat, per obitum, vel reſignationem, etiam in Curia, ſeu aliter quomodocumq; contigerit, etiamſi ipſa parochialis Eccleſia reſeruata vel affecta fuerit generaliter vel ſpecialiter, etiam vigore indulti, ſeu priuilegij in fauorem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſeu Abbatum, vel Capitulorum: debeat Epiſcopus ſtatim, habitâ notitiâ vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis aßignatione, conſtituere; qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur. Porrò Epiſcopus, & qui ius patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum ſit tamen etiam alijs, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorum nomina deferre, vt poßit poſteà de cuiuſlibet ætate, moribus & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Et ſi Epiſcopo aut Synodo prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Tranſacto conſtituto tempore, omnes, qui deſcripti fuerint, examinentur ab Epiſcopo, ſiue, eo impedito, ab eius Vicario generali, atque ab alijs examinatoribus, non paucioribus quàm tribus; quorum votis, ſi pares aut ſingulares fuerint, accedere poßit Epiſcopus vel Vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem ſingulis annis in diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel eius Vicario, ad minus ſex proponantur; qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur. Aduenienteq; vacatione cuiuſlibet Eccleſiæ, tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum eo examen perficiant; indeq; ſuccedente aliâ vacatione, aut eoſdem aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat.*

1563. eligat. Sint verò hi examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Iure Canonico, vel alij Clerici, seu Regulares etiam ex Ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei; iurentq; omnes ad sancta Dei Euangelia, se, quacumque humanâ affectione postpositâ, fideliter munus executuros. Caueantq;, ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec antè nec pòst accipiant: alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quàm alij dantes incurrant; à qua absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, quæ quomodocumque etiam anteà obtinebant; & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solùm coram Deo, sed etiam in Synodo prouinciali, si opus fuerit, rationem reddere teneantur; à qua, si quid contra officium eos feciſſe compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine renuntientur, quotcumque ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis. Ex hisq; Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicauerit; atque illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si verò iuris patronatus ecclesiastici erit; ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio quàm ab Episcopo erit facienda; tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quòd si ius patronatus laicorum fuerit; debeat qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt suprà, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibusq; supradictis casibus non cuiquam alteri, quàm vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, iuxta supradictam regulam, de Ecclesia prouideatur; nec prædictorum examinatorum relationem, quò minùs executionem habeat, vlla deuolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, siue eiusdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interposita, impediat aut suspendat; alioquin Vicarius, quem Ecclesiæ vacanti anteà Episcopus arbitrio suo ad tempus deputauit, vel forsan posteà deputabit, ab eius Ecclesiæ custodia & administratione non amoueatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus & electus fuerit, vt suprà, sit prouisum: aliàs prouisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ, surreptitiæ esse censeantur: non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, priuilegijs, præuentionibus, affectionibus, nouis prouisionibus, indultis concessis quibuscumque Vniuersitatibus, etiam ad certam summam, & alijs impedimentis quibuscumque. Si tamen adeò exigui redditus dictæ parochiales fuerint, vt totius huius examinationis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere; aut ob

apertas

apertas factiones, seu diſsidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè 1563.
grauiores rixæ ac tumultus poſsint excitari: poterit Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire arbitrabitur, hac formâ omiſsâ, priuatum aliud examen, ceteris tamen, vt ſuprà, ſeruatis, adhibere. Licebit etiam Synodo prouinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formam addenda remittendáve eſſe cenſuerit, prouidere.

2 Suauiana expoſitio huius Decreti ſic ſe habet: Illud maiori ex parte deletum fuiſſe ſiniſtrâ Romæ interpretatione; nimirum, concurſui locum dandum non eſſe in vacationibus ex reſignatione occurrentibus, & idcircò ſolùm obſeruari in ijs quæ fortuitò contingunt. Perſpiciamus, vtra ex his, an Suauis expoſitio, an Romæ conſuetudo, magis repugnet Decreto Tridentino ac rationi.

Indubitatum eſt, ſi non prohibetur ne interdum admittatur reſignatio pro certa perſona, Decretum ad huiuſmodi generis vacationes extendi non poſſe. Quòd autem Synodus hoc non prohibeat, perſpicuum eſt, cùm verbum de eo nullum faciat: at verò quod ſpectat ad conſecutionem, quæ Suauis voce concrepat, Decretum videlicet non niſi in vacationibus fortuitis ad opus deduci, obſeruetur, quæſo, in ſingulis diœceſibus, num maior Paræciarum numerus obtineatur ab ijs qui ex renuntiatione illas conſecuti fuerint, an potiùs ex obitu deceſſorum. Et ſanè magis fortuitum eſt prius quàm poſterius. Etenim cùm oporteat, tum vt Parochus ante reſignationem tres annos Paræciæ ſeruiat, tum vt tunc nominet non quemcumque ſibi acceptum, ſed eum, qui ſi non tamquam ſummè dignus, certè tamquam dignus approbandus eſt, tum etiam vt ſe ſpoliet ſacerdotio; longè frequentius, adeoque minùs fortuitum eſt vacare Paræcias causâ mortis, quæ cunctis accidit, hominumque voluntatem non præſtolatur. In reliquum ſatis conſpicor, ætate præſentis Pontificis Alexandri VII. præter examina publica, quæ in quauis electione docet experientia vtilia eſſe, non ſufficientia, clàm inquiri de conditionibus clerici, cui ſacerdotium renuntiatur; & vbi huic exquiſitiori probationi metallum eſt impar, reijci. Enimuerò cùm reſignatio tantummodò moderatè, & productis anteà cauſis, permittitur, varia confert commoda. Complures iuuenes in litterarum ac virtutum ſtudijs educantur, propter ſpem obtinendi huiuſmodi reſignationes ab aliquo ſacerdote ſene eiuſdem familiæ. Ij qui poſſident ſacerdotia, maiori feruntur ſtudio ad reparandam & exornandam Eccleſiam, bonaque ſtabilia conſeruanda, confidentes, gratioſum ſibi hominem ſe ſubrogaturos. Ex eadem cauſa complures, vel ex ſenio vel ex morbo parum idonei, facilius

1563. inducunt animum ad deponendam non benè administratam animarum curam : & tandem id quasi præmium tribuitur laboribus, ab antiquo possessore toleratis. Porrò qui à rebus sacrosanctis amouere vellet quidquid terrenum est, speret hoc in cælo, non in terris perfectum iri ; & reminiscatur, ipsa Sacramenta, quæ diuinæ gratiæ fontes sunt, à Christo in materia, quæ sub sensum cadit, institituta fuisse.

XIX. *Decernit sancta Synodus, mandata de prouidendo, & gratias, quæ Expectatiuæ dicuntur, nemini amplius, etiam Collegijs, Vniuersitatibus, Senatibus, & alijs singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quouis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam vti licere. Sed nec reseruationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias, vel monasteria alicui, etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, concedantur, & hactenus concessa, abrogata esse censeantur.*

De hoc capite maximè vtili disciplinæ, maximeque noxio temporariæ vtilitati Aulæ Romanæ, nullam facit mentionem Suauis in catalogo, & in summa quam affert horùm Decretorum ; & idcircò ea tamquam viginti numerat, cùm fuerint vnum supra viginti. Si negligentia non fuit affectata, supina certè dicenda est.

XX. *Causæ omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino, saltem infra biennium à die motæ litis, terminentur : alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, iudices superiores, aliàs tamen competentes, adire ; qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimùm terminari curent ; nec anteà alijs committantur, nec auocentur : neque appellationes ab eisdem interpositæ, per superiores quoscumque recipiantur ; eorúmve commissio aut inhibitio fiat nisi à definitiua, vel à definitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationem à definitiua reparari nequeat. Ab his excipiantur causæ, quæ iuxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ ; vel quas ex vrgenti rationabiliq. causa iudicauerit summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum Signaturæ Sanctitatis suæ, manu propriâ subscribendum, committere, aut auocare. Ad hæc, causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & iurisdictioni relinquantur ; etiamsi in præsenti inter Episcopum & Decanum, seu Archidiaconum, aut aliòs inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia pendeat : coram quo, si pars verè paupertatem probauerit, non cogatur extra prouinciam nec in secunda nec in tertia instan-*

instantia in eadem causa matrimoniali litigare; nisi pars altera & alimenta & expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, Nuntij, Gubernatores Ecclesiastici, aut alij, quarumcumque facultatum vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem ijs præripere aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliásve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito, eóq; negligente, procedant: aliàs eorum processus ordinationésve nullius momenti sint: atque ad damni satisfactionem, partibus illati, teneantur. Præterea, si quis in casibus à iure permissis appellauerit, aut de aliquo grauamine conquestus fuerit; seu aliàs ob lapsum biennij, de quo suprà, ad alium iudicem recurrerit; teneantur acta omnia, coram Episcopo gesta, ad iudicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen Episcopo priùs admonito, vt, si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit iudici appellationis significare. Quòd si appellatus compareat; cogatur tunc is quoque actorum, quæ translata sunt, expensas pro portione sua, si illis vti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine seruetur, vt scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porrò ipsam actorum copiam teneatur notarius, congruâ mercede acceptâ, appellanti quanto citius, & ad minus intra mensem, exhibere. Qui notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officij administratione arbitrio Ordinarij suspendatur; & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem & pauperes loci distribuendam, compellatur. Iudex verò, si & ipse impedimenti huius conscius particépsve fuerit, alitérve obstiterit, ne appellanti integrè acta intra tempus traderentur; ad eamdem dupli pœnam, prout suprà, teneatur: non obstantibus, quo ad omnia suprascripta, priuilegijs, indultis, concordijs, quæ suos tantùm teneant auctores, & alijs quibuscumque consuetudinibus. 1563.

4 Affirmat Suauis, Decretum ab ipsa acceptione fuisse omnino destructum. Etenim priùs quoque causæ legitimis iudicibus non adimebantur, *nisi*, ait ille, *Pontifice eas committente.* & adijcit, *Nunc, seruatâ morbi causâ, symptomati dumtaxat remedium admoueri. Quapropter nec plures, nec pauciores causas, quàm vellet Pontifex, Episcopis ademptum iri.*

5 Vt initium ducamus ab hoc postremo illius corollario. Nemo vnquam in Synodo hac de re dubitauit: nâ etiamsi nulla peculiaris restrictio fuisset adiecta Decreto, satis erat vniuersalis exceptio, vnanimi ferè consensu ad initium & ad finem emendationum apposita, *Saluâ semper Apostolicæ Sedis auctoritate*; quo per expressam Synodi mentem liceret Pontifici, nullius habitâ ratione Decreti, in hoc & in reliquis pro arbitratu suo agere. Id autem quod à Synodo

1563. do intendebatur, erat, ne in posterum Romanis Pontificibus bonum videretur id agere, nisi rarò, & graui de causa: quod subsecutum nec ne sit, statim videbimus. Prætereà falsum est, anteà quoque non ademptas fuisse causas in prima ipsarum delatione legitimis iudicibus, hoc est Ordinarijs, de quibus agimus, nisi ex mandato Pontificio in cunctis euentibus. Etenim regulæ vniuersales erant de auocandis Romam causis sacerdotiorum, & Curialium, & virorum illustrium, & aliæ multiformes, quas suprà recensuimus in sententijs Patrum, eas excipere cupientium. Et prætereà *Signatura*, vt vocant, Iustitiæ, quæ aliunde Romam causas trahit, easque committit, quamquam nomine Pontificis; eo tamen neque conscio neque subscribente, facultatem obtinebat illas committendi, atque auocandi ab ordinarijs Tribunalibus. At verò hæc omnia ex ea noua sanctione cessarunt. Sed hæc argumenta parum referunt: effectum expendamus, eumque ferè digitis pertractemus. Digitis planè numeretur (quando quod rarum est, facilè numerari potest,) quot huius generis mandatis singulis annis subscribat Pontifex per vniuersum Christianum Orbem: si ter aut quater id accidat, abundans annus haberi potest.

XXI. *Cupiens sancta Synodus, vt ex Decretis ab ea editis nulla vmquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa, posita in Decreto publicato Sessione primâ, sub Beatissimo Domino nostro Pio Quarto, videlicet: Quæ proponentibus Legatis ac Præsidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, sedandas de religione controuersias, coërcendas linguas dolosas, deprauatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram & Christianam pacem conciliandam, apta & idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur: explicando declarat, mentis suæ non fuisse, vt ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus Concilijs vlla ex parte immutaretur; neque noui quidquam, præter id quod à sacris Canonibus, vel generalium Synodorum formâ, hactenus statutum est, cuiquam adderetur, vel detraheretur.* 6

Hîc in summa Suauis opponit: Quod spectabat ad præsentem Synodum, cùm illi iam instaret finis, Decretum nihil ampliùs ipsi conducere; Synodis verò futuris illud documento fore ad omnes initio violentias exercendas; posteà verò simili declaratione illas excusandas, ac tamquam legitimas sustinendas. Egregia sanè ratiocinatio! Si res ita se habebat, oportet modicâ fuisse intelligentiâ tot Oratores Principum, & Cæsarem cum illis, dum se tam cupidos illius inanis, imò noxiæ declarationis, eâque contentos sese ostenderunt. Sed rem perstringamus; ac primò quidem paucis 7

repeta-

repetamus quæ sparsim pluribus in locis de ea diximus. Cuiusmodi violentia poterat appellari id, quod Patres consultò atque concorditer, duobus tantummodò repugnantibus, & in Conuentu & in Sessione statuerant? An fortè nouum est, facultatem inesse Reipublicæ destinandi, & ab ea re ipsa destinari quosdam præstantioris notæ ac prudentiæ, qui res propositas seligant ad euitandam confusionem, fastidium, ac tumultum; quæ certè afferret hæc libera facultas, vniuersè concessa cuilibet homini imprudenti, aut immoderato, aut seditioso? Post hæc videamus, an re ipsa libertati debitæ id offecerit. Cuius rei propositio fuit optata, quæ ex illius Decreti vi censeretur excluſa? Oratores nónne quæ vellent, plenè proposuerunt? Patres dogmaticam quæstionem non induxerunt de mansione & institutione Episcoporum, tametsi Legatis id non placeret? Quòd si maior numerus illi parti adhæsisset quam Legati cauebant, definitio fuisset subsecuta. Iam verò ad inutilitatem pergamus huius nouæ declarationis, quam de futuris Synodis affirmat Suauis. Nónne tunc aderat Synodo facultas proponendi & constituendi quæcumque vellet? quin reuerà non id præstitit? Numerentur ac ponderentur sanctiones illic posteà confectæ, quæ sanè bonam partem exæquant eorum, quæ ad eam vsque diem post vltimam conuocationem firmata fuerant. Quod spectabat ad futura Concilia, maiórne inde vtilitas haberi poterat, quàm non modò subtrahi illis vocibus vim omnem ad inferendum detrimentum Patrum Oratorumque libertati; sed (quod reuocatio non præstitisset) efficere, vt, etiamsi illæ denuò Synodis fuissent appositæ, non propterea vlli sublatum intelligeretur ius, quod alioquin ipsi deberetur? 1563.

8 Iam verò harum accusationum confutatione expeditus, Patrum sententias referam. Lotharingus duplicem in hoc rationem habuit, & in idem vtraque redigebatur: ne Regis sensibus aduersaretur, adeoque nec se plenè contentum ostenderet illis emendationibus, quibus non omninò Rex acquiescere videbatur; nec ea comprobaret, quæ suspicionem vllam detrimenti regijs priuilegijs afferrent. Idcircò dixit, à se suo omniumque Gallicorum Episcoporum nomine renouari contestationem, quam ante biduum habuerat in Conuentu: nimirum, accipi à se emendationem illam non tamquam integram, & quæ sufficeret, sed tamquam principium, & quæ viam sterneret ad aliam perfectam; eamque siue à nouis Synodis, siue alio modo sperari Pontificum operâ, & maximè Pij IV. postquam harum leuiorum sanctionum auxilio Respublica Christiana,

1563. ſtiana, nimis tunc infirma & corrupta, redderetur idonea ad ſuſtinendas grauiores purgationes, antiquis Canonibus renouatis, præſertim primarum quatuor Synodorum. Addidit, caput quintum de criminoſis Epiſcoporum cauſis placere ſibi, ſi Patribus placuiſſet; eoque magis, quòd pridie in cœtu ipſis viſum fuerat, Principum priuilegijs per illud derogandum non eſſe. Vigeſimum quoque, de primis cauſarum delationibus, probari ſibi pro ijs prouincijs, quæ iam totum illud non poſſidebant iuribus amplioribus, ſicuti Gallia. Huius conteſtationis, à ſe, & à cunctis Gallicis Epiſcopis habitæ, petere ſe à publicis Concilij ſcribis, vt legitimum teſtimonium in Acta referrent ad perpetuam rei memoriam; idemque à ſe dici in duobus illis Decretis, ne quid detrimenti paterentur ſacri Imperij & Germaniæ iura. Poſtremò reiecit exceptionem, in ſexto capite appoſitam, Epiſcoporum facultati abſoluendi ab hæreſi occulta per eas prouincias, vbi erat Inquiſitionis Tribunal.

Madruccius in quinto, in vigeſimo, & in exceptione modò dicta, ad Lotharingum acceſſit. Tum ſubſecutæ ſunt reliquorum ſententiæ, cum plurima ſchedularum inter ſe diſſidentium varietate, præcipuè in articulis ſuprà allatis, & in Iadrenſis ſententia contentis. In vniuerſum, vbi in alijs Seſſionibus mirum videbatur [a], ſiqui pauci non omnino aſſentirentur tenori propoſitionum, quæ iam ſtabilitæ fuerant, in hac perpauci reperti ſunt qui aliquid non contradixerint. Magis conſpicua notabimus. 9

[a] Acta Paleotti.

Erant qui vellent vt retinerentur mandata proſpiciendi clericis pauperibus: alij, vt Decretum de primis cauſarum delationibus ampliaretur; alij verò, vt reſtringeretur varijs modis. Fuit qui nomen Penſionum reſpuerit, ne vniuersè nominarentur. Fuit qui noluit, vt auctoritas abſoluendi in Epiſcopis, ad caſus occultos reſtringeretur: nec defuerunt, qui cenſerent, prohibitionem ne duæ Paræciæ ab eodem haberentur, ad præteritum extendendam non eſſe, aut qui non probaret, in vno alteróve Decreto Cardinales nominari. 10

Poſtquam omnes verba fecêre, cùm inſtaret ſecunda noctis hora, & cuncti langueſcerent præ laſſitudine, adeoque non poſſet eo veſperi fieri prolixa & laborioſa collatio cuiuſuis articuli ſententiarum, primus Legatorum elatâ voce hæc protulit: *Decreta omnia ferè ab omnibus comprobantur; complures tamen in varijs Decretis appendices quaſdam declarationeſq; addidere, quæ rem ipſam non mutant. In ſecundo, in tertio, in quinto & in ſexto quædam adnotata ſunt, quæ pro maioris* 11

maioris numeri voluntate componentur, & æquè habebuntur, ac si fuissent in præsenti Sessione composita. 1563.

12 Denique ab Episcopo Sacris operato recitatum est Decretum de celebranda futura Sessione nono Decembris, cum potestate contrahendi temporis; in qua ageretur de sexto Decreto retardato de Ecclesiasticorum Collegiorum immunitate; ac de his omnes conuenere. Ex hoc successu cùm Synodus ad id vsque temporis non nisi mare, cælum & scopulos aspexisset, visa tunc est portum conspicari aurâ propitiâ; sed non sine metu, ne ab impetu Austri insurgentis abriperetur.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

ARGVMENTVM.

Documenta à Pontifice tradita Vicecomiti in Hispaniam missо, de Concilio, de colloquio Principum, à Galliæ Regina exoptato, de coniugio Reginæ Scotorum, & de bonis Ecclesiasticis alienandis. Res à Legatis & Lotharingo ad Synodum terminandam propositæ Patribus, & horum ad id propensio. Lunensis obstaculum, & conuentus ab ipso habitus Præsulum, Philippo Regi subiectorum. Nuntij eádem nocte allati de morbo Pontificis, sine spe salutis. Studia proinde Legatorum ad accelerandam Sessionem, simulque Synodum concludendam. Noui nuntij de meliori Pontificis statu, qui propositum non retardant. Sessio vigesima quinta tertio Decembris. Sanctiones de Purgatorio, de sacris Reliquijs, de Imaginibus, de inuocatione Sanctorum & quâ ratione formatæ. Viginti duo Decreta de Regularium emendatione, & viginti vnum de emendatione vniuersali Variæ de illis Patrum sententiæ, & præcipuè de ætate ad Professionem requisita; & manifesta Suauis calumnia de exceptione Societatis Iesu. Sessionis prorogatio ad diem posterum, & consilium post longam ac variam deliberationem susceptum, vt adderetur Decretum de Indulgentijs, sed quâ discordiâ de Cruciatis. *Alia Decreta ibi confecta de ciborum discrimine, de Ieiunijs, de Festis, de Cathechismo,*

chismo, de Indice, de Breuiario, de Missali, de reseruatione iurium pro Oratoribus super loco, de Concilij conclusione & obseruatione, de lectione & confirmatione Decretorum, quæ sub Paulo, Iulio, ac Pio confecta fuerant; ac tandem de ipso Concilij fine. Acclamationes titulusque Pontifici in his tributus. Subscriptiones quot & quorum capitum, & quæ ratio habita fuerit. Duo Legati Romam reuersi, & cur non reliqui. Solemnis ibi lætitia pro confectione Concilij. Pontificis solertia ad executionem curandam. Confirmatio absoluta, & varia super hoc diplomata. Gratulatio & acceptio Regis Lusitani. Difficultates in Gallia offensæ tunc & posteà, & quare. Obiecta Suauis diluta de illato laicorum potestati detrimento, de Iure patronatus, de Mendicantibus, & de Commendis. Philippi Regis acceptio absoluta in Hispania, in Italia, & in Belgio, quamquam obsisteret Senatus Belgicus, & locus superior Oratori Gallico à Pontifice concederetur. Synodus similiter accepta à Senatu Veneto, & à reliquis Italiæ Principibus. Postulationes Cæsaris ac Bauari ad impetrandum à Pontifice Calicis vsum, qui restrictè concessus est, magnâ spe, sed sine fructu & cum breui effectu. Animaduersiones de interdicto sacerdotibus matrimonio. Ferdinandi Cæsaris obitus. Singulares honores à Pontifice illi exhibiti, & ipsius laudes. Fortunata Commendoni studia, vt Synodus à Polono Senatu acciperetur. Confutatio quamplurium rerum, quas narrat ac disserit Suauis, ac præsertim in fine de quadam creatione Cardinalium, quindecim menses post Synodum habita. Collorarium ex vniuersa Historia collectum de libertate in Concilio exercita.

1563.

CAPVT PRIMVM.

Documenta, quibus instruitur Vicecomes, Nuntius in Hispaniam missus, de conclusione & executione Concilij, de colloquio inter Principes, de coniugio Reginæ Scotorum, de damnatione Reginæ Nauarræ, de ijs quæ à Pontifice petebant Galli & Hispani.

ANtequam Pontifex de grato celebratæ Sessionis exitu 1
fieret certior, nuntios parum gratos à Philippo Rege[a] per Auilam huius Oratorem acceperat. Hi erant: Cùm Synodus fuisset coacta ad definienda dogmata ad Ecclesiam reformandam, & ad aberrantes reducendos, nihil horum perfectum videri: proinde Regem à Pontifice petere, vt opus protraheretur, donec hæc tria maximè conducibilia bonorum genera perficerentur. His Pontifex respondens per formulas, magnam Regis existimationem sonantes, non tamen dissimularat contrariam in se mentem: Præter sumptus, aliaque Sedis Apostolicæ incommoda, quæ numquam ad vnam magis quàm ad alteram partem se impulissent aduersus Patrum voluntatem, non posse ampliùs eos protrahi tum ob cæli asperitatem, tum ob dispendij grauitatem; & quosdam sine venia iam abijsse. Ob Herbipolim, à Protestantibus anteà occupatam, metum incuti proximi belli, quod Synodum dissoluissel, sicuti ætate Caroli V. Nec minorem metum, minusque periculum repentinæ dissolutionis excitari à pestilentia, quæ dilatabatur admodum Oeniponti, paucorum dierum itinere Tridento distantis. Iisdem rationibus probè fuit instructus Vicecomes, missus pridie Kalendas Nouembris, quò Regis animo illas imprimeret, per modum non præstolantis responsum, sed Regis animum inclinantis ad boni faciendum quidquid interim de Concilio actum fuisset. Vicecomitis autem missionem retardarat Pontifex; quoniam cùm per eos dies Romam venisset Lotharingus, satius existimarat expectare quónam euaderet rerum tractatio, cuius causâ fieri posse considerabat, vt tradita nouo Nuntio mandata mutanda essent.

Iam verò Lotharingus progressus nequaquam fuerat ad beneficia 2
& laxamenta petenda nomine Regis aut Regni, sed solùm ardenter efflagitarat id, quod non minùs reliqui ministri Gallici flagrantissimè postulabant; nimirum, vt habenda curaret duo colloquia Caroli Regis & Reginæ parentis, alterum cum Philippo Rege, alterum cum ipso Pontifice, cùm Catharina & filius propensos animos

[a] Tres mandatorum series, vltimo Octob. signatæ, in quibus continentur res quæ sequuntur, extant inter Scripturas Burghesiorũ, & inter monumenta Gualterij.

animos præ se ferrent ad sequenda Pontificis consilia in ijs quæ Religioni regnoque consulerent. Quamobrem Pontifici in cogitationem venerat, ea duo colloquia in vnicum redigi posse, ad quod omnes conuenirent & cum ipsis etiam Cæsar, aut Rex Romanorum, sicuti pariter optabat Regina; ad quem Regem ea de causa Pius legarat [b] Philippum Gerium Episcopum Inarimensem [c], ad id à Legatis, ac præcipuè à Morono propositum. Demandabatur itaque Vicecomiti, vt Regem Catholicum cohortaretur, ne illud incommodum recusaret pro salute non modò Galliæ perichitantis, sed Reipublicæ Christianæ, quæ poterat ad Galliæ cladem vniuersa corruere; nec vereretur Rex, ne Pontifex illic indulturus esset rebus nouis, quas Philippus maximoperè detestabatur, in Religionis negotio; semper enim pro mensura suorum consiliorum habiturum se Dei obsequium & Ecclesiæ dignitatem. Posse difficultatem offendi à Cæsare adeundi hoc Principum colloquium, ne Protestantes irritarentur suspicione alicuius fœderis, ad ipsorum perniciem contexti: sed occurrendum esse huic suspicioni, datâ illis fide, hoc non agi ad perturbandam inter Germanos quietem, sed vtique ad eam conseruandam in alijs populis, vbi turbulenta quædam ingenia sub specie Religionis, tumultus moliebantur. Si Philippo Regi incideret dubitatio contentionis, in eo conuentu futuræ, de gradus prærogatiua; proponeret Nuntius, retineri posse Regem Galliæ adolescentulum in loco proximo conuentui, cui reliqui adessent, & pro filio Regina mater, quæ administrationem rerum obtinebat; adeoque inter duos Reges nullam futuram occasionem conueniendi, nisi ad mutuas visitationes, in quibus suæ quisque domi honorem hospiti exhibuisset. Locum huiusce conuentus eum Pontifici probatum iri, qui maiorem negotio facilitatem afferret; certamque sibi fiduciam esse, illos ætati ac dignitati suæ rationem habituros. Videri sibi, vrbes cunctis maximè opportunas esse Nicæam, aut Portum Herculis, aut Vercellas. 1563.

3 Sed quod ad Synodum spectabat, Regem ille per Nuntium monebat plurimum quod ipse passus erat, quò complurium Principum postulatis in eo genere satisfieret. Tempus iam adesse, vt ad rem perficiendam, fructumque colligendum animus intenderetur, non tam in hæreticorum conuersione, quod opus & diuturnum & arduum esset, quàm in reparatione Catholicarum prouinciarum, atque earum potissimè, quas tam multas ac vastas Rex possidebat. Gallos quoque significare, se finem Synodi præstolatos fuisse, quò Religioni, sicut oportebat, consulerent, postquam illic dogmata fuissent

[b] Constat ex arcanis notis Borrom. ad Moronum 19. Septemb. 1563.

[c] Apparet ex litteris Borrom. ad Legat. 21. Oct. 1564.

1563. fuissent sancita; & ad hanc expectationem tetendisse postremam cum hugonottis concordiam.

Iniunxit pariter Nuntio, vt Regem doceret de affixo libello, quo Regina Nauarræ in ius vocabatur, sex mensium spatio ad se purgandam concesso; quo elapso, ad eam regno priuandam procederetur, quod in occupantis potestatem deueniret. Se ad id coactum à Ioanna, ob intolerabilem agendi rationem. Verùm ab eo posteà se abstinuit Pontifex, vti narrauimus. 4

Lotharingum Cardinalem fuisse quoque locutum de danda in matrimonium Scotiæ Regina sui fratris filia; & ostendisse, virum maximè aptum futurum Carolum Archiducem Austriæ, secundum Cæsaris filium. Siquidem Scotos, qui ardentissimè Reginam suam amabant, numquam consensuros fuisse, vt illa ab ipsorum regione discederet: quod si discessisset, se ab eius obedientia subtracturos (hinc verò excludebatur eius coniugium, aliàs indicatum, cum Hispaniæ Principe) adeoque nullum illi adminiculum admoueri posse validius & honestius Archiduce, tum ad retundendos propinquos Angliæ impetus, tum ad sustinendos illius regni Catholicos, in quos Elisabetha sæuire atrociter non cessabat. Pontifex verò indicabat, se tandem cohiberi non posse, quin arma suæ sacræ potestatis in illam vibraret, cùm ad id vsque temporis ipsum præcipuè retinuisset ratio quam habebat de Rege Catholico, cui motus ille ob Belgij propinquitatem grauis accidisset. 5

Si Rex vereretur ne Pontifex assensurus esset postulato Gallorum de bonis Ecclesiasticis abalienandis, sciret, velle Clerum per decimas Regi Christianissimo satisfacere aliâ ratione, absque ea perpetua iactura: eoque quasi clypeo se Nuntius tutaretur, si fortè Philippus Rex ageret de alienandis à se pariter prædijs Hispaniensium Ecclesiarum, ex aduerso respondens, huiusmodi exemplum, Gallorum petitionibus validissimum telum futurum. 6

Vbi sermo fieret Nuntio de sacra Inquisitione Mediolanensi, diceret; Nulla sibi super ea adesse mandata: quâ ratione, concessionis detrimenta sine asperitate repulsæ declinarentur. 7

Cum his præsertim mandatis missus fuerat Vicecomes, quò fœtus Concilij iam maturus, & cum periculo in vtero pereundi, ederetur in lucem, & editus, vlnis beneuolentibus ad diuturnam ac prosperam vitam exciperetur.

CAPVT

CAPVT II. 1563.

Lætitia sensusque Pontificis ad celebratæ Sessionis nuntium. Cœtus habitus postridie à Legatis, & proposita à Lotharingo ad Synodum absoluendam cum Patrum propensione.

1 LAturum Sessionis nuntios eâdem nocte [a] miserunt Legati Ioannem Baptistam Victorium, petente Lotharingo, apud quem degebat, qui iam præstò erat vt Romam pergeret, ob quoddam sibi collatum à Pontifice beneficium. Per dispositos equos cucurrit Victorius; & cùm peruenisset Viterbium, cognouit, Pontificem relaxandi animi gratiâ se ad Centumcellas contulisse; quamquam ea relaxatio dein propè fuit vt ipsi perniciem inferret, ob palustrem illum aërem, nondum per frigora purgatum. Eò igitur nuntius iter conuertit, & de rebus gestis Pontificem certiorem fecit, qui incredibili planè gaudio inde affectus est. Resciuerat priùs ille à Legatis ea [b] quæ cum Lunensi acta fuerant de particula sæpiùs memorata, & valdè ipsi placuerat quòd illa declaratio à Synodo, non à suo diplomate procederet. Similiter eidem probabantur parata iam Decreta tum de matrimonio clandestino, tum de morum correctionibus, tametsi illa posteà diebus postremis in quibusdam fuerint mutata: sed non ita sibi probabatur responsum ac propositum Legatorum, vbi Patres Hispanienses secessissent, sicuti Comes minabatur; cùm sibi videretur Concilium eo casu minimè deserendum ab ipsis ducibus, sed aliorum contumaciam accusandam, & in deliberationibus functionibusque audacter progrediendum. Cognito deinde prospero euentu, significauit, id per immensam & suam & Aulæ voluptatem accidisse, cunctis Decretis plurimum collaudatis, eoque successu tamquam arrhâ proximi exitus accepto; ad quem exitum stimulauit præcipuos actores suauissimo, eodemque validissimò stimulo, hoc est gratijs actis per suas peculiares litteras Lunensi, Lotharingo, & Legatis. Ad Lunensem formâ quâdam magis sobriâ illæ scriptæ sunt [c], quò visæ gratiam æstimationemque reliquis non minuerent; cùm honorum pondus ac leuitas, perinde ac mixtorum, solùm comparatè se habeant. Ad Lotharingum scripsit, professus illi acceptum referre [d] quidquid boni præteriti confectum fuerat, & in eo spem à se poni boni futuri; eumdemque commendauit ob adhibita ab ipso studia Reipublicæ Venetæ, cùm illac iter faceret. Quoniam autem

[a] Litteræ Legat. ad Borrom. 11. Nouembris, & responsio ad illas 18. Nouemb. 1563.

[b] Litteræ Borrom. ad Legatos 6. & 10. Nouembris.

[c] 21. Nouembris. 1563.

[d] 20. Nouembris. 1563.

1563. eodem tempore Lotharingus Pio commendauerat negotia Estensis Cardinalis, affinis sui, cui per eos dies adscribebatur, tamquam auctori, graue facinus, ab eius familiaribus patratum; pollicebatur Pontifex, causam per omnem reuerentiam & vrbanitatem actum iri: cupere se, ne Aloysius Cardinalis reus compereretur; sed vbi quoque aliter appareret, nolle se in eo quidquam agere non communicatâ re priùs cum Lotharingo, & ita solùm, vt alteri prodesset medicinæ modo, quo sibi in posterum moderaretur.

Formulas, laudem amoremque abundè spirantes, cum Legatis [e] adhibuit ob tam graues ac tam felices labores; sed simul inflammatis cohortationibus ad magnum opus perficiendum eos stimulauit, vnde decus ac pretium erant acceptura cuncta quæ ipsi gesserant: ita tamen, vt Synodus per consuetam rationem ex se argumenta omnia expediret, nec in ipso reponeret, nisi aliquod emendationis caput, idque eo solùm casu, quo ibi confici non posset.

e Litteræ nominatæ Borrom. ad Legatos 18. Nouembris.

Sed Legati stimulis non indigebant; nec opportunitatem neglexere, quando Hispani Episcopi [f] formâ sincerâ magis quàm callidâ se gerentes aduersùs quàm dubitatum fuerat, quasi querimoniæ de præteritis adhibendæ essent ad promouenda futura, significabant liberè, non mediocrem à se acceptam satisfactionem ex euulgatis Decretis; in quibus, ac præsertim in Decreto de primis causarum delationibus, opus fuerat Legatis operâ vti plurimâ vt ipsis gratificarentur, & non modicâ solertiâ, quâ Patres, addicti Aulæ Romanæ, adducerentur ad amouendas tot exceptiones, vnde prior forma [g] adeò Hispanis displicuerat. Ex altera parte Cæsariani nihilo segnius sollicitabant. Etenim Cæsar in cunctis Germaniæ negotijs difficultates offendebat, ob suspiciones quibus Concilium Protestantes obuoluerat; tametsi in hac festinatione vltra Cæsaris voluntatem progressi fuerint, sicut posteà patebit. Itaque Legati, cùm reliquos omnes propitios cernerent, Hispanos verò ipsorum voto non aduersantes, proximo Sessioni die ad se conuocarunt [h] duos Cardinales, ac viginti quinque Patres ex præcipuis cuiusuis nationis. Illis proposuerunt postulata Lotharingi pro Gallia, vt Synodus absolueretur in Sessione, nono Decembris indicta: id pariter ab Cæsareis Oratoribus peti nomine Cæsaris & Regis Romanorum, qui arbitrabantur, diuturniorem Concilij continuationem conferre non posse, quin potiùs nocere Germaniæ: in eadem vota venire Pontificem, ne Synodus, ad animarum salutem coacta, magnæ illorum parti per longiorem moram perniciem afferret: idem placere Veneto Senatui, ac reliquis Italiæ Principibus; idem Oratoribus Lusi-

f Ex litteris Gerij Episcopi Isclanensis ad Manriquez 14. Nouemb. 1563.

g In eadem Epistola.

h Litteræ Legat. ad Borrom. 13. Nouembris, & Iadrensis 15. Nouemb. & Acta Salmanticensis.

Lusitaniæ ac Poloniæ, & cum his connumerari posse etiam Hispa- 1563.
num; qui etsi peculiaria ad id mandata à suo Principe non accepis-
set, ea tamen generatim habebat, vt processui & absolutioni Con-
cilij opem ferret, & iam ita se gerebat, vt liceret Legatis quieto esse
animo. Et sanè si Rex Hispaniæ Concilio fauerat, illi assistendo
in gratiam Cæsaris patrui sui, & Regis Galliæ vxoris fratris, ratione
habitâ de illorum prouincijs; nunc vbi cognosceret idem Rex, ab
vtroque illius finem optari, iure tam optimo dubitari non posse
ne id ipsum comprobaret. Quamobrem à se præsentes Patres ro-
gari, vt consilio simul & operâ rem perficerent.

4 Hîc denuò Lotharingus monuit, neque Cæsarem neque Re-
gem Catholicum voluisse initio ipsorum causâ Concilio consenti-
re, sed validis cohortationibus, & euidenti Galliæ necessitate com-
motos, quæ versabatur in discrimine secedendi, seque per propriam
nationis Synodum corrumpendi, cessisse voluntati Pontificis tam-
quam filios obsequentes. Ægerrimè retentos fuisse Clerum & Or-
dines Galliæ, qui Possiacum conuenerant, ne aliter sibi consule-
rent, donec Concilium terminaretur; & longè difficilius opus fu-
turum eos in posterum retinere, vbi Synodus vltrà protraheretur.
Idem fore Synodum præcidi aut suspendi, ac propriam nationis
illius cum eiusdem clade aperiri. Si longius procederet, non mo-
dò spatium temporis porrectum iri hæreticis concionatoribus ad
inferendam populis prauam doctrinam tam altè, vt ad ipsam post-
modum euellendam satis non essent ne ipsa quidem Concilij De-
creta: sed Gallicos Præsules adactum iri ad discessum ante Synodi
finem, partim dispendij grauitate, partim ob alias priuatas publi-
casque necessitates, quod à compluribus peractum videbatur, &
breuî à cunctis peractum iri, si res ampliùs protraheretur; se verò
ab vtraque necessitate ad profectionem compelli: quamquam vbi
Synodus die præstituto esset absoluenda, effecturum se, vt quæcum-
que alia ratio cederet per eos paucos dies voto suo secum deferendi
solatium illud, eaque salutaria medicamenta. Comperio, tam
efficaci specie fuisse propositam à Lotharingo[i] Galliæ necessitatem, [i] Acta Sal-
vt lacrymas exciuerit; vnde commune votum fuit, vt ad conclusio- manticensis.
nem procederetur. Solùm Episcopi Leridensis & Legionensis pe-
tierunt, vt anteà Philippus Rex assentiretur; sed Granatensis hanc
conditionem omisit. Quare Suauis duplicem in errorem impingit,
priùs, dum tribuit Granatensi, illum per suam sententiam se Ora-
tori Hispano remisisse; deinde affirmans, reliquos omnes præter
Granatensem consensisse.

1563. Ad agendum de modo ventum est; & inter eos conuenit, oportere operam nauari ad stabiliendas reliquas disciplinæ leges, & in ijs quæ spectabant ad Principes, suauiter procedendum, quandoquidem illorum brachio statim futurum opus erat, quo insculperentur in opere ea quæ à Synodi stylo in scripto fuerant designata. Quamobrem summoperè placuit exemplum Decreti, missum à Pontifice, in quo renouabantur super his iussa Conciliorum Canonumque antiquorum, & adhibebantur paternæ admonitiones odiosorum anathematum loco. 5

De dogmatibus nondum ibi definitis, spectantibus ad Purgatorium, ad Indulgentias, ad inuocationem Sanctorum, & ad Imagines, perpensum est, multa reperiri in anteactis Concilijs; aliquid tamen de his dicendum esse, quasi ad prauas consuetudines corrigendas. Præsertim verò de Imaginibus protulit Lotharingus Sorbonæ Decretum, quod ab illis Patribus magnoperè probatum est. 6

[k] Litteræ Legatorum ad Borrom. 14. Nouembris. 1563.

Postridie habiti conuentus, Legati [k] vnà cum Lotharingo statuerunt de iam ostensis dogmatibus tantummodò agendum esse, ac de ipsis per formam quam diximus. Quare accitis ad se nonnullis Patribus susceptum consilium aperuerunt, & quinque pro quolibet argumento selectis Præsulibus commiserunt vt ipsi vnà cum quinque Theologis paucos intra dies Decreta formarent. Etiam Legati de Synodo tamquam de absoluta scribebant; Lunensis enim indicabat, se moram haud iniecturum. Verùm distantia nauigij à littore, etiamsi modica demonstretur Geometræ decempedâ, interdum maxima deprehenditur nautarum mensionibus.

CAPVT III.

Cœtus de disciplina & dogmatibus: obiecti à Lunensi obices ne Synodus absolueretur.

[a] Acta Paleotti, & Arcis Æliæ, & litteræ Iadrensis 15. Nouembris.

HOc apparatu inchoati sunt [a] die decimoquinto Nouembris cœtus generales de quatuordecim articulis disciplinæ reparandæ, qui supererant. Et quemadmodum ea quæ necessaria sunt, ob naturæ prouidentiam in rebus omnibus pauca sunt, & festinandi voluntas docet ea distingui à superuacaneis; ea breuitas, priùs insueta, fuit adhibita, vt die decimo octauo suam quisque sententiam protulerit. Legatus paucis exposuit studia incassùm impensa ad pertrahendos ad Concilium hæreticos, præstantissimos fructus ab eo productos declaratione dogmatum, & resti-

restitutione disciplinæ: maiora fortasse desiderari posse; sed ipsos esse tandem homines, non Angelos, & pro temporum conditione bonum optimi loco eligendum esse. Deum forsitan, quò executionem rerum decretarum remuneraretur, semitam ad meliora ostensurum. Pauca illa, quæ in præsentia expedienda supererant, tam digesta videri tum priuato studio, tum priuatis colloquijs, vt diuturnâ disputatione publicâ non indigerent. Caput de Principibus reformatum fuisse: decere Patres, vt illos per exempla, potiùs quàm per pœnas & anathemata, ad pietatem prouocarent. Cùm igitur futurâ Sessione possent omnia confici, id valdè consentaneum rationi Legatis videri. Retulerunt tot Principum in eo consensum, & Germaniæ Galliæque necessitatem, quarum salutem in eo opere Rex Catholicus merè spectauerat. Fructum ad maturitatem peruenisse, adeoque iam colligendum, quo plenas manus singuli Episcopi gestantes, tum illius beneficio, tum ipsorum præsentiâ solari possent & vnà curare greges suos post absentiam tam diuturnam. 1563.

2 Lotharingus grates egit, quòd primus Præsidum inter alias rationes commemorasset votum Gallorum, vt Synodus finiretur; cuius rei testes laudauit Episcopos Galliæ, qui illic aderant. Petijt deinde, vt absolutis Decretis, paucos post dies Pontificis Romani confirmatio publicè legeretur, atque vt Episcopis per aliquod post Synodum tempus liceret absoluere ab omnibus peccatis, & relaxare coniugiorum obstacula. Posteà tum is, tum alij quædam parum memoratu digna varijs paratis sanctionibus obiecerunt. Præcipuum fuit, vbi dicebatur, debere Episcopos reliquis Optimatibus vbique præire: monuit, id obseruatum iri difficulter vbi Præsules Pontificali veste non essent ornati. Quare Decretum reformatum est.

Cùm etiam ageretur de tollenda prorsus consuetudine Coadiutorum, obstitit ille, affirmans, eâ ratione in Gallia complura monasteria conseruari, nec huiusmodi morem illic vnquam fuisse reprehensum: melius esse statuere, ne illi absque validâ causa destinarentur. Ipsum verò septuaginta octo ex Patribus in eo secuti sunt, præter alios, quibus mediæ sententiæ placuerunt.

3 Posteà quatuor noua capita sunt proposita: primum, petente Bartholomæo [b] de Martyribus Bracarensi Archiepiscopo, de moderatione ac frugalitate viuendi, & de distributione prouentuum Ecclesiasticorum, Episcopis præscribenda: secundum, de decimis, quas laici possidebant: tertium, de anathematum moderatione: quar-

[b] Acta Salmanticensis.

1563. quartum, de constituendo archiuo in singulis Ecclesijs, quò publicæ tabulæ inferrentur; quod consilium à Granatensi originem traxerat. Dein verò ad quatuor Decreta, alia duo accesserunt; sed operæ pretium non esset illa referre.

Prætereà viginti duo capita ad Regulares vniuersè reformandos 4
proposita sunt, & alia octo peculiariter ad Sanctimoniales spectantia. In primo ex duobus adiectis ad quatuor Decreta dicebatur, Episcopos prouentuum Ecclesiasticorum dispensatores esse: sed Lotharingus, Guerrerus, & alij admonuerunt [c] vt id remoueretur, ne detrimentum afferret valdè communi sententiæ, quæ docet, verum dominium penes illos esse. Atque huiusce correctionis auctorem fuisse Zambeccarum Antistitem Sulmonensem, narrat Suauis, vt qui semper conatur eos Præsules, quos ipse Pontificios nominat, describere apud vulgus tamquam fautores opinionum laxiorum; nec animaduertit, partem strictiorem, tametsi esset eligenda in sanctionibus, non tamen idcircò quidquam amplius habituram, quod spectat ad definitiones, in quibus non coarctatio magis quàm laxitas, sed solùm firmitudo veritatis quærenda est.

[c] In Cœtu 21. Nouembris, vt in Actis Arcis Æliæ.

Madruccio, Archiepiscopo Hydruntino, & alijs par non esse vi- 5
debatur, vt ibi veluti viuendi norma proponeretur Decretum Synodi Carthaginensis; cùm perpendendum proponerent, mores illos renouari non posse, nisi pariter illa tempora renouentur; præsertim verò quosdam Episcopos, qui ditiones obtinent, ac Principes sunt, ægrè posse adigi ad eam viuendi tenuitatem sine decori iactura, & perturbatione ditionum.

E contrario Archiepiscopus Bracarensis, qui claustri sensus reti- 6
nebat, longè maiorem seueritatem optabat. Quare eò progressus est, vt diceret, id quod intendebatur à Decreto, esse optimum; ipsum autem Decretum pessimum; quandoquidem cùm alij manu tam graui pressi fuissent, Episcopi primis digitis tangebantur, ne vsurpato quidem erga illos robusto præcepti vocabulo, sed debili admonitionis. Oportere ipsis præscribi conditiones mensæ, supellectilis ac familiæ; eosdemque obstringi ad reddendas sumptus rationes in Concilio prouinciali; quamuis essent domini illius partis quæ illis necessaria erat; reliquæ tamen meros esse dispensatores.

De Regularibus illustre præconium habuit Lotharingus, testatus, 7
tria Regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse [d], quòd obedientiam Romano Pontifici debitam abiurare noluissent. Quapropter vti ceterorum Clericorum

[d] Acta Arcis Æliæ in cœtu 23. Nouembris 1563.

rum immunitatem ab Episcopis plurimum improbabat, ita eamdem in Regularibus admodum à se comprobari; & Patres cohortabatur, vt illorum priuilegia illæsa præstarent. 1563.

8 Terminandæ Synodi studium miris modis vbique feruebat, ad quod Legati perpetuò à Cæsarianis extimulabantur, adeò vt hi progressi sint [e] ad modeste denuntiandum, nisi opus expediretur, imminere periculum ne ipsi reuocarentur: de quo postea Cæsar certior factus ab Hispano Oratore [f], eos reprehendit. Iisdem ferè stimulis vsus est Lusitanus Orator; nec remissiùs Veneti rem vrgebant: Lunensis verò indicauerat, quamquam sibi gratius foret responsum Regis priùs præstolari, tamen se minime repugnaturum. Quare Legati messis tempus iam adesse scribebant; cùm præter omnem expectationem idem Lunensis vigesimoseptimo Nouembris Legatos ad vesperam inuisens, aduersos omnino [g] sensus depromplit. Dixit, locutum se non ex Regis mandato, cùm illud nondum accepisset, nec ex libidine commorandi Tridenti, cùm per diuturnam à patria absentiam multa infortunia toleraſſet, cum rei familiaris, cognatorum ac liberûm iactura; sed ex eo, quod animaduertebat dignitatem Ecclesiæ suique Principis decere. Plurima commemorauit à Rege gesta, petente Pontifice, ad Concilij emolumentum. Tot laboribus Regis, & vniuersæ Ecclesiæ deberi, vt opus honorifico exitu absolueretur: si, quantum Christianæ Reipublicæ necessitas postulasset, confici non poterat, cum dignitate saltem ac maturitate complenda esse argumenta proposita, tum in legibus tum in dogmatibus, quæ supererant, vnde planè materiam desumpserant recentes hæreses de articulis Purgatorij & Indulgentiarum. Quantumuis Concilij celeritas prodesset; si tamen in altera lance vtilitas festinationis quindecim aut viginti dierum poneretur, in altera verò decor & emolumentum examinis accurati, hoc posterius priore longè superius repertum iri. Nollent igitur Præsides per importunam impatientiam, Ecclesiam, Pontificem ac se ipsos fraudare prænobili coronâ, quam tam modici incommodi additamento consequi possent ex tot dispendijs laboribusque iam toleratis, & propter auiditatem fructus ante dies aliquot decerpendi, eò minus gratum, minusque salutarem illum habere, quò est acerbior præ maturo. Hæc à se perpendi quod spectabat ad vniuersos. Quod verò ad Principem suum, tametsi Principes alij de hoc exitu conuenissent, videri sibi Regem Catholicum tam tenuis existimationis ob amplitudinem non esse, nec tam leuiter promereri ob res gestas, vt ad actum tanti ponderis esset deueniendum,

[e] Litteræ Legatorum ad Borrom. 22. Nouembris 1563.

[f] Litteræ Cæsaris ad Oratores Viennâ 4. Decembris 1563.

[g] Litteræ Legatorum ad Borrom. 27. Nouembris 1563.

1563. niendum, non expectato ipsius responso, infra viginti, & vt summum triginta dies peruenturo. Tum adiecit: Cùm ipse vir esset armorum peritus, qui honoris apices subtilius fortasse metiebatur quàm ij qui togati, vbi tam æquo postulato repugnaretur, existimaturum se obstrictum ad eam agendi rationem sequendam, quâ sui Principis dignitati tutiùs cautum foret.

Perturbatio, ex improuisa ac molesta nouitate in Legatis coorta, animi præsentiam ad responsum ipsis non ademit. Responderunt igitur: Haud parum se lætari, huiusmodi postulatum profectum à Rege non esse; in quo euentu summi apud se pretij fuisset: cùm enim Philippus Rex præcelsæ potentiæ monarchiam, & primas in amore Pontificis obtineret, vtriusque tituli causâ à se illi reuerentiam supra reliquos exhiberi. Verùm si præsens ille adesset, sine dubio vellet Concilij finem, ad quem compelleretur à cunctis reliquis Principibus, ob Ecclesiæ ac præsertim Galliæ necessitates, non à Gallis modò ipsis expositas, sed à Granuellano Cardinali, Regis Catholici ministro tam egregio. Ad Regis voluntatem interpretandam satis esse feruida postulata Cæsaris, ad cuius voluntatem Rex commiserat vt ipsius ministri in eo negotio se conformarent. Hîc primum Legatum interpellauit Lunensis, dicens, in eo ipsos decipi. Sed alter reposuit, id ex ore ipsius Cæsaris à se auditum in legatione Oenipontana. Idcircò Lunensis sibi temperauit, ne tam sublimi testimonio aduersaretur; sed in reliquo colloquio perinde locutus est, ac si aduersaretur. In summa denuntiauit, se neuis omnibus obstiturum, non quidem festinationi neque absolutæ terminationi Concilij (& ita quæ priùs significarat, illæsa seruabat) sed tantummodò cuidam formæ illius terminandi, adeò acceleratæ, vt anteà responsum regium non expectaretur; quippe quòd sibi absurdissimum videbatur, agi cum Rege suo tam celso, quasi cum tenui dynasta. Et quoniam Legati opposuerunt, à se adeò festinari, ne Synodus, quę fuerat incepta Oecumenica, in peculiarem desineret, multarum nationum discessu; subiecit Lunensis, eam festinationem non cursum esse, sed fugam: id fieri, quò Galli haberentur; sed neque Gallos neque Hispanos habitum iri. Hinc Legati indignatione succensi, exprobrarunt, id mereri vt non à Deo solùm, sed ab ipso Rege seuerè puniretur, tamquam res hæreticis conducibilis, supra quascumque quispiam illorum procurator efficere potuisset. Tum Lunensis ad aliam defensionem confugit, dicens, Eam esse meram festinationem Lotharingi, cupientis discedere, ad lustrandum Baptismate Ducis fratris filium, recenter natum; sed sibi compertum esse, 9

esse, Lotharingo abeunte iniunctum esse Gallis Oratoribus vt redirent, quorum præsentia longè maioris erat momenti, quàm Cardinalis, qui regia mandata non habebat; quin ab eodem Cardinali operam suam anteà oblatam fuisse, quò Regis Catholici responsum expectaretur. Quæ omnia nullo nixa fundamento Legati posteà reperere: sed voluntas, animi affectionibus commota, in causa est, vt homo interdum narret quidem falsum absque fundamento, non tamen mentiatur. Absolutum est colloquium vtrisque in sua sententia persistentibus. Neque consenserunt Legati, vt Oratore ad Pontificem scribente, responsionem opperirentur; cùm ipsis haud par esse videretur, illum palàm conijci inter eas tricas, neque se ipsos præpediri, ne exequerentur, vbi possent, iussionem quam ab eo acceperant, accelerandæ Sessionis ante diem nonum, adeoque eo tempore, quo nouum illius mandatum haud peruenisset: sed cùm animaduerterent pariter, eam celeritatem sibi minimè processuram, cursorem tabellarium Romam miserunt, quò Pontifici, id quod acciderat edocto, liceret pro suo arbitratu iussa variare. Interim & Lotharingus & Cæsariani animum præ se gerebant auersum à Lunensis obstaculo, & tum hi tum Lusitanus polliciti sunt suarum apud Hispanum cohortationum opem. Ita procedebatur incerto gradu inter vires contrarias acuti calcaris & duri fræni. Tota ineuitabilis difficultas tum in Natura tum in Politica ex eo nascitur, quòd inter duas oppositas validasque potentias agendum est; adeoque dum alteri obsecundamus, necesse sit vt alteri repugnemus. 1563.

CAPVT IV.

Cœtus habitus ad Synodum absoluendam, & susceptum consilium non omittendi dogmatis de Purgatorio, & Cultu Sanctorum, ac de Imaginibus. Conuentus à Lunensi coactus Præsulum Hispaniæ Regi subiectorum, vt Synodi conclusioni obsisteretur. Quæ Lotharingus cum Rege Galliæ egerit de Concilio, & illius responsa. Nuntij de periculoso Pontificis morbo ad Lunensem, & posteà ad Legatos delati, & studia ab illis impensa ad opus finiendum. Generalis Congregatio secundo Decembris.

1 LEgati in proposito persistentes, cœtum rursus [a] coëgerunt, conflatum duobus Cardinalibus, & quàmplurimis ac præcipuis Patribus; & expositâ denuò absoluendæ Synodi necessitate, ab illis consilium & opem petiere. Lotharingus dixit, se accersiri

[a] Litteræ Legat. ad Borrom. 29. Nouembris, & Acta Palcotti & Salmanticensis,

1563. cerſiri à Rege, qui proximis Chriſti naſcentis ferijs adeſſet in Lotharingia, memoratum puerum è ſacro fonte ſuſcepturus, & ad eam functionem Lotharingum vocabat, quò cum eo poſteà de grauiſſimis regni negotijs ageret; atque vt ſecum cunctos nationis Epiſcopos reduceret, eidem imperabat. Si proinde cuperent ipſis præſentibus Synodum conficere, neceſſe eſſe, vt proxima Seſſio etiam eſſet poſtrema, & vltra diem conſtitutum neutiquam protraheretur. Eſſe tamen aliquid de commemoratis dogmatibus ſtatuendum: cùm enim hinc exorta fuiſſet hæreſum origo; vbi nulla haberetur deciſio, licuiſſet hæreticis triumphum canere, iactitantibus, poſt tot annos à Synodo nihil compertum vbi ea dogmata fundaret, ideoque prætermiſſa fuiſſe. Rem autem breuiter poſſe perfici, per formam de qua iam inter ipſos conuenerat. Granatenſis, alijque Hiſpani conſenſerunt, vt Seſſio celebretur ſtatuto die; ſed ita, vt reſeruarentur ad alteram propinquam argumenta nondum digeſta. Cæſariani monuerunt, tamquam ſummè neceſſariam, tractationem Indulgentiarum, contra quas Lutherus primò claſſicum cecinit in bello quod in Eccleſiam intulit. Lunenſis reluctari non ceſſabat, vulgabatque, Gallicos Oratores regreſſuros, vt obſiſterent concluſioni. Sed Lotharingus pro certo affirmabat, eos minimè reuerſuros.

Id autem Lotharingo haud dubiè compertum erat. Etenim cùm is Mannenſem Abbatem in Galliam Romà miſiſſet [b] cum ſuis ad Regem litteris, & curaſſet vt Tridento illuc pergeret Epiſcopus Aurelianenſis, oſtenſurus Regi, conteſtationem ab Oratoribus interpoſitam ſuperuacaneam fuiſſe, eumque ad illos remittendos induceret, Rex nono Nouembris ad ipſum & ad ſuos Oratores reſponderat in hanc ſententiam: Articulos iam propoſitos à Legatis tam noxios vniuersè Principibus eſſe, ac tam diſertè ſui regni iura ab illis vulnerari, vt qui ſuo intererant Conſilio, exiſtimauerint neceſſariam interpellationem, niſi illi reuocarentur. Se quidem cupijſſe, vt Oratores ante rem geſtam Lotharingi ſententiam ac directionem acciperent; ſed ſtimulante neceſſitate fuiſſe coactos, cùm animaduerterent, duas tertias Patrum partes petere vt illi articuli reponerentur, adeoque cùm interluceret, arcanum aliquod conueniſſe inter illos ac Præſides; vnde prænoſcebatur, eoſdem articulos confeſtim redituros in theatrum, ſublatâ Lotharingi præſentiâ. Quod ſi Pontificis eſſet mens, ſicuti Mannenſis teſtabatur, ne iura & priuilegia Principum tangerentur, Pontifici non de Regis Oratoribus querendum eſſe, ſed de Legatis ſuis; qui cùm aliter quàm ipſe

[b] Cuncta extant in memorato libro Gallico.

ipse vellet egissent, ad eam commotionem Oratores coëgerant. 1563.
Maximoperè se lætari ad Reipublicæ Christianæ bonum, ob Pontificis animum à Lotharingo deprehensum, emendationis exactæ cupidum, & illius effecta præstolari. De Oratorum reditu à se missum iri mandata, vbi certò sciret, prædictos articulos in perpetuum prætermitti: eos interim Venetijs commorari, prout illis iniunctum fuerat, vt habitâ interpellatione illuc se conferrent, alio responso ex Patrum prudentia non expectato, sed vt in Synodo remanerent Episcopi, à quibus defensum iri sua iura certus erat. Ita Rex ad Lotharingum respondit. Oratoribus imposuit, vt in danda opera, quâ contestatio referretur in Acta, aut in alio præsentando, obseruarent quo pacto Synodus procederet, & noua Regis mandata præstolarentur. Ex hoc Regis responso cognouit Lotharingus, Oratores proculdubiò non regressuros tam breui temporis interuallo, quod vsque ad destinatum Synodi exitum supererat.

3 Sed vt à Gallis Oratoribus ad Hispanum regrediamur; hic præter adhibita ab eo Tridenti studia ad Synodum retardandam, celerrimum cursorem Romam miserat ad Vargam, vt illi poneret ob oculos tamquam grauem Regis iniuriam Synodi terminationem absque diferto illius consensu, adeoque vt ipsum stimularet ad premendum ex aduerso præualidis petitionibus Pontificem. Suauis, qui studet non quæ scit enarrare, sed quæ credit diuinare, confidenter affirmat, noluisse Vargam iterare petitionem prorogationis tum ob Pontificis morbum, tum ob responsum ab illo acceptum paucis antè diebus, à se nimirum libertati Concilij rem committi. Sed oppositum affirmat epistola Borromæi ad Legatos, signata quarto Decembris, Vargam scilicet ad Pontificis ædes aduolasse; cumque ab hora nimis sera illi aditus ad Pontificem præclusus esset, cum ipso Borromæo fuisse locutum, horrendis malis denuntiatis, nisi ante finem Regis responsum expectaretur; sed à Borromæo fuisse recantatas eadem causas, quas sæpè narrauimus, compellentes ad Synodum concludendam, re tamen remissâ nouo iudicio Pontificis, ad quam Oratoris postulata à se deferenda erant. Et pro eo ac ratio comitate condîta vim obtinet inexpugnabilem in animis prudentum, visus est Vargas mitior abire quàm venerat. Id quo eius impetus validius retundebatur, Borromæus scribebat esse, quia nec ab ipso nec à Lunensi produci poterat vllum Regis mandatum quod opponeretur; adeoque quoscumque obices ab illis opponi animo vacillanti ac dubio, ne postea ijdem

1563. reijcerentur à Rege. Missum tamen fuisse à Varga postridie qui responsum Pontificis cognosceret, quod erat huiusmodi: Non posse Pontificem allatis rationibus remoueri ab ardenti desiderio, quo peroptabat celerem Synodi terminationem, nisi oppositum videretur maiori Patrum numero, quorum libertati neque in eo neque in alio quopiam officere statuerat. Addidit Borromæus Legatis, quod spectabat ad Regis Hispaniæ consensum, censere Pontificem, satis illum à se obtineri, quando Rex ipse se remiserat Cæsari, cuius Oratores non modò finem petebant, sed vnà cum Gallis alijsque denuntiabant se discessuros, vbi Synodus protraheretur. Hinc videri idem esse eam protrahi ac dissolui: à quo abhorrebat adeò Pontifex, vt legentes animaduerterint, cùm ille comprobarit in Legatis quidquid ab ipsis responsum fuerat Lunensi de ceteris rebus, solùm improbasse quòd prænuntiassent, Si Comes obfirmatus obstitisset, se discessuros: debuisse potiùs virilem ipsorum repugnantiam eos contestari. Atque vt ad id illos animaret, ipse Pontifex [c] epistolam scripsit, in qua suam hanc certam voluntatem ostendebat, ne Synodus vltra præstitutum diem nonum protraheretur, quocumque obice superato; & rationes ad id ipsum adducebat. Ex hisce rebus gestis intelligatur, quàm benè fuerit edoctus Suauis, dum narrat, Vargam recusasse dilationis postulata repetere. Verum quidem est, secundùm vetus effatum, Romæ consuli post captam Saguntum; quemadmodum palàm fiet.

[c] 24. Decemb. 1563.

Sed Lunensi impensa à se opera satis non fuit. Die ante postremum Nouembris domi suæ Præsules Hispanos coëgit [d]: & quamuis arctissimum illis silentium imponeret de ijs quæ ibi agerentur, rescitum est, de prolatione actum fuisse. Consilium illic susceptum, ex effectu patuit: nam die postero apud se pariter conuocauit vesperi reliquos omnes Episcopos vrbium, quibus Philippus Rex imperabat, conniusúque est suos in illis sensus imprimere de Ecclesiæ & Coronæ Catholicæ in eo negotio dignitate. Verumtamen qui vocati fuerant, duobus ac tribus exceptis, assensi non sunt; sed ob oculos illi posuerunt necessitatem absoluendæ Synodi, antequam Galli discederent, tum etiam varia infortunia quæ potuissent accidere, hoc est, obitus siue Cæsaris siue Pontificis, siue aliud quippiam, quod tot annorum opus irritum redderet. Ad hæc postrema respondit Orator, De huiusmodi remotis periculis habendam non esse maiorem rationem in deliberationibus, quàm de morte, singulis momentis homini impendente, haberetur.

[d] Acta Paleotti, & Salmanticensis.

Dimissus est conuentus secundâ noctis horâ; & ecce horâ quartâ, si non

si non diuino miraculo, casu certè admirabili, superuenit ad Lunensem tabellarius Româ missus à Varga, illi nuntiaturus improuisum Pontificis morbum, quo penè vitæ spes præcidebatur. Dein peruenere ea de re nuntij [e], ad Legatos à Borromæo [f] dati, cum mandatis ægroti Pontificis, vt ad conclusionem omnino procederent, ne fortè ipsius mors quasi pro hereditate schisma relinqueret Ecclesiæ, excitatâ lite inter Collegium & Concilium de potestate eligendi noui Pontificis. 1563.

6 Confestim acciuerunt Legati duos Purpuratos cum Oratoribus Cæsaris ac Philippi Regis [g], eosque cohortati sunt ad promouendum exitum Synodi, quò Rempublicam Christianam innumerabilium cladium periculo subducerent. Cæsariani, tametsi priùs adeò festini, petierunt post improuisum nuntium diem illum integrum ad deliberandum. Die postero iterùm conuocati, manè ad cœtum omnium Oratorum, & quinquaginta fermè Præsulum ex præcipuis, responsum reddiderunt, se consentire. Idem inter ceteros conuenit, excepto Lunensi, qui cum suis Hispanis, ac tribus Italis firmiter repugnauit: sed quò simul omne semen schismatis tolleretur [h], veterem epistolam regiam Patribus suo Principi subiectis ostendit, in qua declarabatur, id si accideret, Regis mentem esse, vt Pontifex more consueto à Cardinalibus eligeretur. Ad hoc Granatensis, inter Hispanos primus, respondit, Numquam aliam in animo suo cogitationem ortam fuisse; & concorditer omnes Hispani reliqui locuti sunt. Cùm autem ibi adesset Marcus Antonius Columna Archiepiscopus Tarentinus, dixit, Præconem se futurum apud Præsides, Romæ, & per vniuersum terrarum orbem, huiusce piæ voluntatis tum Lunensis, tum Hispanicæ nationis. In eamdem declarationem conuenerunt Cæsaris Oratores erga Præsules Ferdinando subiectos; sibi tamen reseruatâ facultate illius mutandæ, si contrarium à Cæsare mandatum acciperent: quod non solùm non accidit, sed comprobauit Cæsar quidquid ab illis actum fuerat tum in hoc negotio, tum in exitu maturando, ad quem ille pro certo posuit (nec falsò) iam deuentum iri, quo tempore suum ipsis responsum redderetur; quamquam ex aduerso in superioribus litteris, nondum de Pontificis periculo certior factus, illos arguerit quòd nimium festinarent, cùm ipse mallet in Synodo prolationem ad mensem aut sesquimensem, vbi hoc pacto obtineretur ne quid missum fieret, & cuncta maturitatem caperent. Quod vnà cum alijs, quæ significauit Ferdinandus, indicio mihi est, Delfinum nimis progressum fuisse, dum Legatis describit in eo præci-

[e] Acta scribunt, nuntios maximè desperantes peruenisse ad Legatos; sed ex litterarum voluminibus Aulæ Romanæ oppositū apparet.

[f] Hæc epist. scripta fuit 27. Nouemb. nec extat in volumine litterarū, sed fit de ea mentio in sequenti, scripta 29. Nouemb. & in peculiari, scripta pariter 29. Nouemb. à Gallio, à secretis Pontifici, ad Moronum.

[g] Duę litteræ Legatorū ad Borromæum 1. Decemb. tametsi secūda verè fuerit scripta 2. Decemb.

[h] Scripturæ iam allatæ, & Acta Salmanticensia.

1563. puè animum adeò cupidum vt Synodus absolueretur in Sessione præstituta, vt diximus, vndecimo Nouembris, ipsis denuntians, nisi Cæsar id obtineret, periculum esse, ne consensum conclusionis reuocaret. Quæ denuntiatio, simul cum prænuntiato discessu Lotharingi, qui iam supellectilem, & familiæ partem præmiserat, stimulus fuit Pontifici ac Legatis, vt cursum caperent, sicuti ostensum est. Sed mos est hominum, dum se alicuius consilij auctores præbent, imprudenter cum eo coniungere animi affectionem; quæ sine mendacio supra verum, & etiam supra verisimile prædicat bona euentura si illud suscipiatur, & mala si repudietur. Nisi lubeat dicere, eiusmodi celeritatis studium non in Cæsare, sed in Cæsaris filio extitisse, ob rationes politicas, quas expositimus.

Interim Legati, tametsi gauisi pacificâ voluntate, quam in Oratoribus & in Patribus nacti sunt de futura Pontificis electione, tamen intelligentes, cuiusmodi sit in hisce fretis æstus reciprocatio, sedulò dabant operam vt se reciperent in portum. Conspicabatur Lunensis illius causæ probitatem, easque conditionum angustias, ob quas Regis dignitas illæsa persisteret, Synodo etiam ante acceptum illius consensum absolutâ: quocircà penè amplius non audebat nisi per tepentem quamdam repugnantiam obsistere, quanta satis esset vt ipse dici posset obsistere. 7

Cuncta diei noctisque momenta tum à Præsidibus [i] tum à Patribus selectis insumebantur ad formanda Decreta, quò temporis angustias, rerumque vastitatem infatigabili diligentiâ superarent. Nec parum contulit, ad sancienda dogmata quæ supererant, adhibitum aliquot annos studium [k] Bononiæ, dum illic extabat Synodus translata. Tunc enim habitæ sunt assiduæ & accuratissimæ disputationes de cunctis articulis nondum definitis: & summæ animaduersionum ac sententiarum de ijs singulis in Acta relatæ sunt. Quamobrem id, quod ex norma huiusmodi virorum & apparatus tam solertis conficiebatur, reuerà nec indiligens dici poterat, nec improuisum; quemadmodum his nominibus non appellatur magnarum litium decisio, quæ in grauissimis tribunalibus habetur vnius diei studio, sed innixo commentarijs, ab egregijs iurisperitis plurium mensium spatio elaboratis. 8

Eapropter Legati ad generalem cœtum postridie [l] coactum detulerunt quidquid spectabat tum ad dogmata Purgatorij, Imaginum, Reliquiarum, Inuocationis Sanctorum, tum etiam ad leges Disciplinæ. De Indulgentijs paratum non habebatur Decretum, adeoque in peculiari cœtu pridie congregato statutum fuerat vt illud 9

i Litteræ Legat. & Acta memorata.

k In Actis Arcis Æliæ, in volumine signato litterâ A, quod spectat ad tempus Concilij Bononiã translati.

l Acta Arcis Æliæ & Paleotti 2. Decemb. 1563. & litteræ Iadrensis eodem die.

illud omitteretur, tametsi compluribus id ægrè ferentibus, ac præ- 1563.
sertim Cæsarianis; qui tamen eo carere malebant, nisi posset aliter euitari Gallorum discessus ante Concilij exitum, quod longè deterius existimabant. Moronus breui sed efficaci sermone studuit illius festinationis necessitatem in animis imprimere: eos rogauit, vt non nisi Deum præ oculis haberent, vt meminissent, Synodum esse liberam. & adiecit: *Vtinam qui nos conturbant* (vt ait sanctus Paulus) *non quidem exciderentur, sed conuerterentur.*

10 Decreta de dogmatibus excepta fuerunt; etiamsi Decretum de Purgatorio videretur quibusdam tenue, ac parum dignum Concilio. Sed respondebatur, In cunctis ingentibus fabricis aliquid minus perfectum reperiri, & quò vitarentur grauia mala, ex mora impendentia, quamcumque prætermissionem alicuius lentæ solertiæ laudabilem, nedum excusabilem reddi.

11 In Disciplinæ sanctionibus mirum fuit, eam quæ spectabat ad immunitatem Capitulorum, argumentum anteà tantæ contentionis, summâ concordiâ fuisse receptam. Lotharingus petijt, atque obtinuit, vt concederetur Episcopis facultas procedendi in Canonicos concubinarios, etiamsi eorum Collegia essent immunia ex fundationis titulo. De Regularium emendatione petijt, impetrauitque, vt mentio fieret diserta, & per honorificam formam, Monasterij Cluniacensis, ob egregias illius prærogatiuas.

12 Sermo dein habitus est [m] de finiendo Concilio in Sessione futura. Primus Legatorum dixit, eam valdè prolixam laboriosamque fore; sed necesse esse, Synodum absolui propter causas, quibus grauiores iam vsque ab initio Ecclesiæ non acciderant. De illius conseruatione aut peruersione agi: aliquid imminere, quod si contingeret, postremâ lineâ nondum operi ductâ, in causa foret, vt cuncti præteriti labores ac Decreta in irritum reciderent, nec ea nationes reciperent. Adiecit, Nonnisi tria superesse consilia, suspendere, dissoluere, concludere: duo priora videri æquè inhonesta ac periculosa, ne monstrum aliquod gigneretur, hoc est peculiare Nationum Concilium: in solo tertio partum nobilem simul & conducibilem posse obtineri. Deum precarentur pro salute Pontificis, qui tamquam filios ipsos amabat, nec quidquam ardentius quàm exitum Synodi cupiebat. Cùm illi maior Angelorum custodia quàm alij cuilibet assisteret, credendum esse, Pontificis mentem maiori perfundi luce ad cognoscendum, eiusque animum magis impelli ad optandum id quod optimum esset. In eamdem voluntatem conuenire Principum Oratores, sed auctoritatem in ipsis Patribus sitam esse.

m Acta Arcis Æliæ.

1563. esse. Vbi illis placeret, illud Legatos esse comprobaturos; sin minùs, à Patribus, non à Legatis reddendam esse rationem de malis quæ sequerentur.

* Litteræ Legat. ad Borrom. 2. Decemb. & fusiùs in Actis Salmanticensis, & in litteris memoratis Iadrensis.

Lunensis è sella consurgens, Legatos * adijt, schedulam manu 13
præferens, cui comperio nomen placidum *petitionis* ab alijs fuisse datum, ab alijs acerbum *contestationis*. Præsides hominem dehortati sunt, ne huiusmodi scintillam injceret eo tempore, quo tantus aderat fomes ad ignem corripiendum, & Christianam Rempublicam labefactandam. Ille verò haud difficulter se retrahi permisit, vt qui non sponte ad id motus fuerat, sed vt gratificaretur quibusdam suorum Præsulum, qui illum quasi ad officium suo muneri debitum incitabant. Ceterùm cùm ipse peculiaria iussa ad id peragendum non haberet, illud attentare non poterat sine metu, ne meritò despiceretur à Synodo tamquam vanum, & à Rege tamquam temerarium improbaretur. E conuerso Oratores Cæsaris, Lusitaniæ, Sabaudiæ ac Florentiæ, sanxerant vt edicerent, nisi Concilium finiretur, se contestaturos, & abituros. Quin Cæsariani ad Legatorum sedes accedentes, soli diu sermonem priùs habuerunt, & postea Lunensi accito. Denique sicut optimates in litigijs cùm cedunt, id per honorificam concordiæ speciem agere student, hoc illi concessum est, ne finis Concilij in eo conuentu decerneretur, sed in diem posterum Sessio indiceretur, solumque generatim sermo fieret, in ea de Synodi fine agendum esse, pro quo simul ac pro incolumitate Pontificis cuncti eâ nocte preces funderent.

Conclusionis decreto vnâ voce cuncti cum laude consenserant, 14
quatuordecim exceptis, vndecim Hispanis, & tribus Italis. Propositum non fuerat à Legato, vt vnico die Sessio conficeretur, sed duobus continuis, cùm plurima Decreta supererent firmanda, quibus vnà cum reliquis functionibus dies vnicus satis non erat; præsertim quia vnum ex Decretis complurium dierum spatium postulabat, illud nimirum, quo statutum fuerat vt in Sessione Decreta omnia, Paulo & Iulio sedentibus edita, legerentur. Rei siquidem absoluendæ celeritas locum non dedit antecedenti Lotharingi voto, vt in Conuentu post Sessionem recitarentur. Eademque festinatio susceptum anteà consilium abrupit petendæ, absolutis omnibus Decretis, confirmationis differtæ à Pontifice, ibique præstolandi reditum tabellarij, qui eam deferret antequam Synodus clauderetur, ac Patres dimitterentur. Quare huiusce rei vice statutum fuit, vt decerneretur, eam confirmationem à Legatis posteà Concilij nomine petendam esse.

Ita

Ita rerum ex improuiso accidentium frequentia efficit, vt negotijs parum prosit prouidentia maturitatis, nisi illi celeritas, prudentiæ comes, adsit, quæ consilijs præconceptis nouerit alia improuisa subrogare. Sed hæc ipsa promptior celeritas, mentis sæpè assiduæ, patientisque præmeditationis fructus est. 1563.

CAPVT V.

Noui nuntij de meliori Pontificis statu. Decreta composita. Sessio vigesimaquinta. Quæ continentur in Decretis de Purgatorio, de Imaginibus, de Reliquijs, & de Inuocatione Sanctorum; & de primis quatuordecim articulis super Regularibus.

MOrbus Pontificis ex illis fuit, qui magis terrent quàm nocent: iam enim ex eo conualuerat. Sed metuens ipse, ne rumor desperatæ salutis suæ mali aliquid in Synodo gigneret, cui malo sufficientem medelam posteà morbi cessatio afferre non posset, per celerrimum cursorem valetudinem confirmatam Legatis adeò sollicitè nuntiauit [a], vt eius notitia peruenerit ac vulgata fuerit quintâ noctis horâ, quæ Sessionem indictam præcedebat. Non tamen complures defuere, sicut liquet ex Actis Salmanticensis, qui existimauerint, hunc morbum Pontificis simulatam quasi scenam fuisse, quò metus turbarum alas adderet Synodo: quod adeò aduersabatur rectæ rationi politicæ, & euidentiæ, quæ communiter super hoc Romæ habebatur, vt ne Suauis quidem dubitationem præ se tulerit. Sed hinc palàm fit, & quàm modica fides habenda sit siniſtris narrationibus de Principibus, quæ in commentarijs supersunt, & quàm intutum sit historiam conscribere, si res gesta in vnico libro habeatur. Etenim vt altero hominis sensu, perinde altero scriptoris textu opus est, ad confirmandum aut corrigendum id quod alter refert. Quin ex opposito tam sedulò curauit Pontifex vt euaneseeret diffusa morbi sui opinio, eo studio quo Principes vrnâ delecti vti solent in eo, tunc præsentibus etiam conditionibus aucto, vt voluerit non modò alterâ statim epistolâ ea de re certiorem facere præter Legatos ipsum Lotharingum [b], per opportunitatem quâ eius epistolæ respondebat; sed illic quasi testem adducere appendicem non breuem suâ manu exaratam, vbi sibi ipsi blandiens, affirmabat, tam benè se conualuisse ex præterito morbo, vt numquam se melius habuerit; simulque illum

[a] Litteræ Borrom. ad Legatos, & Gallij ad Moronum 29. Nouembris 1563.

[b] Litteræ Pōtif. ad Lotharingum 30. Nouembris, missæ 1. Decembris 1563.

1563. illum hortabatur, vt in Patribus suspicionem abstergeret, à Cardinali significatam, quòd ipse aut confirmaturus non esset Synodum, aut solùm post diuturnam moram. Fructuosam à se Synodum expetitam fuisse; at verò sine sua confirmatione non infructuosam modò, sed pernicioſam euasuram: vbi Synodus eam à se peteret, quod ab ea factum iri nuntiabatur, parato se animo esse ad eam extemplò per cursorem mittendam.

[a] Litteræ Pontificis ad Legatos 1. Decembris 1563.

Exemplar huius epistolæ deferendum ad Legatos per eumdem tabellarium curauit; & alteram [a] ad eos scripsit, in qua consimilibus verbis & suo chirographo idem affirmabat de sua bona valetudine. Ceterùm immensam præ se gerebat voluptatem ob factam sibi spem proximi exitus, per litteras ab illis octo ante dies ad se scriptas. Monebat, quam graue periculum immineret, ne Synodo statim non absolutâ Oratores ac Præsules Germaniæ & Galliæ discederent, vnde plurimum auctoritatis ac dignitatis illi subtraheretur. Idcircò eos extimulabat, vt curarent, ne vnicam quidem horam præscriptum Sessioni tempus protraherent, quin vt potiùs coarctarent. Quòd si tam breui spatio confici non potuissent ea omnia quæ habebant in animo Legati, veluti de Imaginibus, de Purgatorio, de correctione Regularium, ac de similibus, consilium dabat, vt Patres illa reponerent in sanctionibus aliarum Synodorum, & in Constitutionibus antiquis; cùm sibi maius Dei obsequium, & Christianæ Reipublicæ bonum videretur, si ea concluderentur, quæ absolui possent assistentibus Oratoribus, quàm alia quæcumque vltra hæc, eâ luce deficiente, adeoque velut in Concilio eclipsim patiente. Denique illis certò pollicebatur promptum in se animum ad Synodum confirmandam, eamdemque corroborandam, atque in opus deducendam, itidem ac in ea conuocanda, continuanda & complenda ardenter operam dederat.

Quamquam hi nuntij de recuperata Pontificis valetudine non modicâ sollicitudine Legatos leuarent; gnari tamen, huiusmodi repentina & improuisa ægritudinum leuamenta non rarò fallere, ex hac pariter ratione nihil parcentes sollicitudini, ad exitum enitebantur; cuius causâ vsque ad septimam noctis horam laboratum est in componendis disciplinæ Decretis, ita vt varij obices, tum à Patribus tum ab Oratoribus iniecti, amouerentur: quod negotium tam nodosum experti sunt, vt interdum de successu desperarent. Delecti fuerant ad ea conficienda Simonetta, Verallius, Castanea, Couarruuia, Facchinettus, Bonellus, & Paleottus. Tandem, pro eo quod accidit, cùm vtraque partium, aut certè altera concordiæ cupida

pida est, & cùm sequestri peritiæ ac solertiæ plurimum ineſt, 1563.
euentus spem superauit.

4 Manè ad Sessionem ventum est: solemniter litauit Zambeccarus Antistes Sulmonensis: orauit latinè, & multo cum lepore, sicut aliàs, Hieronymus Ragazzonus Venetus, Episcopus Nazianzi, & adiutor Salaminæ, qui posteà Bergomensi Ecclesiæ admotus fuit, Nuntiusque in Galliam missus; & obijt Romæ, dum Clementis VIII iussu Regulares inuisebat. Posteà qui celebrarat, è suggestu clarâ voce Decreta de dogmatibus in hanc sententiam recitauit:

Cum Catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris Litteris, & antiqua Patrum traditione, in sacris Concilijs, & nouissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasq; ibi detentas, fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili Altaris sacrificio iuuari; præcipit sancta Synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus & sacris Concilijs traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari diligenter studeant. Apud rudem verò plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæq; ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, euulgari ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, vt fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, Orationes, Eleëmosynæ, aliaq; pietatis opera, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus defunctis fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ instituta piè & deuotè fiant; & quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel aliâ ratione debentur, non perfunctoriè, sed à sacerdotibus, & Ecclesiæ ministris, & alijs, qui hoc præstare tenentur, diligenter & accuratè persoluantur.

Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, & ceteris, docendi munus curamq; sustinentibus, vt, iuxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vsum, à primæuis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumq; Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, Inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo Imaginum vsu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, vnà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque vtile esse suppliciter eos inuocare; & ob beneficia impetranda à Deo per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Saluator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos verò, qui negant, Sanctos, æternâ felicitate in cœlo fruentes, inuocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, vt pro nobis etiam

1563. *etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei; adversariq; honori unius mediatoris Dei & hominum Iesu Christi; vel stultum esse, in Cælo regnantibus voce vel mente supplicare; impie sentire. Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium sancta corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: ita vt affirmantes, Sanctorum reliquijs venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaq; sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ causâ Sanctorum memprias frustrà frequentari; omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Synodi Nicenæ Decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.*

Illud verò diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis vel alijs similitudinibus expressas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis: tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium subijciuntur: vt pro ijs Deo gratias agant, ad Sanctorumq; imitationem vitam moresq; suos componant; excitenturq; ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit, aut senserit; anathema sit. In has autem sanctas & salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita vt nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur. Quod si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porrò superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro vsu tollatur; omnis turpis quæ-

stus

ſius eliminetur; omnis denique laſciuia vitetur, ita vt procaci venuſtate 1563.
imagines non pingantur, nec ornentur; & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes atque ebrietates non abutantur, quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum ac laſciuiam agantur. Poſtremò, tanta circa hæc diligentia & cura ab Epiſcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præpoſterè, & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilq; inhoneſtum appareat, cùm domum Dei deceat ſanctitudo. Hæc vt fidelius obſeruentur, ſtatuit ſancta Synodus, nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo. Qui ſimul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea iudicauerit. Quòd ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus; vel omnino aliqua de ijs rebus grauior quæſtio incidat: Epiſcopus, antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum in Concilio prouinciali ſententiam expectet; ita tamen, vt nihil, inconſulto Sanctiſſimo Romano Pontifice, nouum, aut in Eccleſia hactenus inuiſitatum decernatur.

5 De his rebus propoſitis, Montis Marani Epiſcopus dixit: Sibi non licuiſſe ob temporis penuriam certum iudicium ſtabilire; proinde in Pontifice ac Sede Apoſtolica eas reponere. Guadixenſis Decretorum veritatem comprobauit, præcipitem celeritatem improbauit. Reliqui omnes reſponderunt per merum verbum, *Placet.*

Deinde lecti ſunt Canones tum ad peculiarem Regularium, tum ad vniuerſalem cunctorum diſciplinam ſpectantes. Priores ad viginti duos redacti ſunt, ijs etiam comprehenſis, qui ad ſolas Sanctimoniales attinent, & erant huiuſmodi.

I. *Quoniam non ignorat ſancta Synodus, quantum ex Monaſterijs piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris atque vtilitatis oriatur; neceſſarium eſſe cenſuit, quò facilius ac maturius, vbi collapſa eſt, vetus & regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius, vbi conſeruata eſt, perſeueret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant; atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpectiuè eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſeruanda pertinentia fideliter obſeruent. Omniſq; cura & diligentia à ſuperioribus adhibeatur,*

1563. *tam in Capitulis generalibus & prouincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur: cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari: si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est.*

II. *Nemini igitur Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conuentus, possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, conuentuiq; incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilq; superflui in ea sit; nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut conuictus fuerit, is biennio activâ & passivâ voce priuatus sit; atque etiam iuxta suæ Regulæ & Ordinis constitutiones puniatur.*

III. *Concedit sancta Synodus omnibus Monasteriis, & domibus, tam virorum quàm mulierum, & mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quòd si aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apostolicâ similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint; eadem omnia illis restituenda esse decernit. In prædictis autem Monasteriis, & domibus, tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleëmosynis commodè possit sustentari: nec de cetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta.*

IV. *Prohibet sancta Synodus, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu, subijciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuscumque personæ, seu loci; neque ei aliquod priuilegium, aut facultas, ab alijs super ijs obtenta, suffragetur. Quod si contrà fecerit, tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus*

bus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit; ab Ordinarijs locorum tamquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causâ ad Vniuersitates mittuntur, in conuentibus tantum habitent: alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur. 1563.

V. Bonifacij Octaui Constitutionem, quæ incipit, Periculoso, renouans sancta Synodus, vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, vt in omnibus monasterijs sibi subiectis, ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui; & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas, quacumque appellatione postpositâ, compescentes, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Quod auxilium vt præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur sancta Synodus, & sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus sæcularibus iniungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breue tempus, quacumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda: indultis quibuscumque, & priuilegijs non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantùm Episcopus vel Superior licentiam debet in casibus necessarijs; neque alius vllo modo possit, etiam vigore cuiuscumque facultatis, vel indulti, hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Et quia monasteria Sanctimonialium, extra mœnia vrbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & alijs facinoribus, sine vlla sæpè custodia, sunt exposita; curent Episcopi, & alij Superiores, si ita videbitur expedire, vt Sanctimoniales ex ijs ad noua vel antiqua monasteria intra vrbes vel oppida frequentia reducantur, inuocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachij sæcularis. Impedientes verò, vel non obedientes, per censuras Ecclesiasticas parere compellant.

VI. In electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine vlla fraude fiant, in primis sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in posterum liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere; aut voces & suffragia absen-

1563. abſentium ſupplere. Si verò contra huius Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit; deinceps ad omnia officia, in religione obtinenda, inhabilis exiſtat; facultateſq; ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur; & ſi in poſterum aliæ concedantur, tamquam ſurreptitiæ habeantur.

VII. Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocumque alio nomine Præfecta vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quòd ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur; ex ijs, quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur. Duobus verò monaſterijs nulla præficiatur. Et ſi qua duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, vno excepto, intra ſex menſes cetera reſignare. Poſt id verò tempus, niſi reſignauerit, omnia ipſo iure vacent. Is verò qui electioni præeſt, Epiſcopus, ſiue alius Superior, clauſtra monaſterij non ingrediatur; ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat, vel accipiat. In reliquis ſeruentur ſingulorum Ordinum vel monaſteriorum conſtitutiones.

VIII. Monaſteria omnia, quæ generalibus Capitulis aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent ordinarios regulares Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione ac directione regi conſueuerunt, teneantur infra annum à fine præſentis Concilij, & deinde quolibet triennio, ſeſe in congregationes redigere, iuxta formam Conſtitutionis Innocentij III. in Concilio generali, quæ incipit, In ſingulis: ibiq; certas regulares perſonas deputare, quæ de modo & ordine, de prædictis congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis exequendis deliberent & ſtatuant. Quòd ſi in his negligentes fuerint; liceat Metropolitano, in cuius prouincia prædicta monaſteria ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, eos pro prædictis cauſis conuocare. Quòd ſi infra limites vnius prouinciæ non ſit ſufficiens talium monaſteriorum numerus ad erigendam congregationem, poſſint duarum vel trium prouinciarum Monaſteria vnam facere congregationem. Ipſis autem congregationibus conſtitutis, illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præſides vel Viſitatores eamdem habeant auctoritatem in ſuæ congregationis monaſteria, ac regulares in eis commorantes, quam alij Præſides ac Viſitatores in ceteris habent Ordinibus: teneanturq; ſuæ congregationis monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere; & ea obſeruare, quæ in ſacris Canonibus, & in hoc ſacro Concilio ſunt decreta. Quòd ſi etiam, Metropolitano inſtante, prædicta exequi non curauerint; Epiſcopis, in

quorum

quorum diœcesibus loca prædicta sita sunt, tamquam Sedis Apostolicæ dele- 1563.
gatis, subdantur.

IX. Monasteria Sanctimonialium, sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Capitulorum sancti Petri, vel sancti Ioannis, vel aliàs quomodocumque nuncupentur, ab Episcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur, non obstantibus quibuscumque. Quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus, vel ab alijs Regularibus reguntur, sub eorum cura & custodia relinquantur.

X. Attendant diligenter Episcopi, & ceteri Superiores monasteriorum Sanctimonialium, vt in constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quòd verò sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterij, & non in publica Ecclesia conseruetur, prohibet sancta Synodus: non obstante quocumque indulto, aut priuilegio.

XI. In monasterijs seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas quæ sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personæ tam regulares quàm sæculares, huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in ijs quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac præuio examine, per eum aut eius Vicarium faciendo; excepto monasterio Cluniacensi, cum suis limitibus, & exceptis etiam ijs monasterijs seu locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque alijs monasterijs seu domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & parochianos exercent: saluo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca vel personas iurisdictionem exercent.

XII. Censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur. Dies etiam festi, quos in diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, seruentur.

XIII. Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpè cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares quàm regulares, cùm in Processionibus publicis, tum in ijs, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corpori-

1563. *corporibus, & in deferenda vmbella, & alijs similibus, Episcopus, amotâ omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat. Exempti autem omnes, tam clerici sæculares quàm regulares, quicumque, etiam monachi, ad publicas Processiones vocati, accedere compellantur; ijs tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.*

XIV. *Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit; Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus, ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur; ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minùs, à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

Tametsi facilius videatur, supplicio quempiam affici quàm præmio, cùm alterum sæpè cum lucro, alterum cum dispendio præstetur; tamen plura sunt reuerà delicta quæ non puniuntur, quàm promerita quæ præmio carent: siquidem supplicium à delinquente viratur, & à iudice non sine contentione, odio ac periculo exercetur; præmium à merente flagitatur, & à superiore conceditur sine contentionis labore, cum adeptione beneuolentiæ, & cum spe gratificationis.

CAPVT VI.

Alia octo de disciplina Regularium capita. Consilium, vt annus decimus tertius exigeretur tamquam necessarius ad professionem, cur mutatum. Manifestum Suauis mendacium de exceptione Societatis Iesu in capite decimosexto habita. Patrum sententiæ in Sessione de viginti duobus capitibus recitatis.

XV. SVbsequebantur Canones: *In quacumque Religione, tam virorum quàm mulierum, professio non fiat ante decimumsextum annum expletum; nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem anteà facta, sit nulla, nullamq; inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.*

XVI. *Nulla quoque renuntiatio aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus. Finito tempore nouitiatus, Superio-*

Superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eyciant. Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino & eius Ecclesiæ inseruire possint. Sed neque ante professionem, excepto victu & vestitu, nouitij vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus, eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potiùs præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant. Quod vt rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. 1563.

2 Duo sunt, quæ me detinent in his duobus capitibus; alterum ad narrationem spectans, alterum ad confutationem. Primum est, fuisse paratum [a] Canonem, quo statuebatur, fas non esse regularem professionem emitti ante annum decimumoctauum. Sed Archiepiscopus Pragensis, vir claustri peritus, prævalidè dehortatus est Patres ab eo consilio, affirmans, deteriorem fructum reddi plerumque in cœnobijs ab ijs, qui à teneris annis illic sati non fuerint, adeoque adhuc illęsi à vitijs laxioris libertatis: satius esse, sancire, vt probationis tempus ad duos annos produceretur; ita tamen, vt fas esset professionem emitti anno decimosexto. Aliud incommodum anteà perpenderat Archiepiscopus Granatensis: Cùm fas esset puellæ anno duodecimo nubere, si posteà ante matrimonium consummatum vellet religiosam vitam profiteri, opus futurum viro sex annos cælibem vitam agere, & aliam vxorem non ducere; cùm huiusmodi coniugium non nisi per professionem dissolui possit. Quare tum illis tum alijs probabatur, ne quid in eo ius commune variaretur: & argumentum deducebant à coniugio corporum ad sacrum coniugium animorum. Sed tandem in temperamentum, quod diximus, conuentum est, cùm censeretur, ante annum decimumsextum ægrè pernosci posse difficultates, quibus se subijcit perpetuò vita regularis. Si verò religiosus habitus anno decimoquinto suscipiatur, teneram adhuc ac puram ætatem esse, vt per regularem educationem rectè formetur.

[a] Acta Paleotti die 23. & 24. Nouembris 1563.

3 Alterum, ad quod refellendum hîc sistor, est fabula Suauis, qui sic scribit: *Excogitatum fuit hoc consilium, vt religiosus moderator, absoluto probationis anno, adstringeretur ad nouitium dimittendum, aut admit-*

1563. *admittendum ad profeßionem, idq; additum eſt capiti decimoſexto tamquam in loco congruente. Lainius Præſes generalis decretum tamquam neceſſarium ſummoperè commendauit; ſed petijt, vt ſua Societas exciperetur, cauſatus, aliam eſſe huius conditionem à ceteris Regularium Ordinibus: in illis & vetuſtiſimâ conſuetudine, & Sedis Apoſtolicæ comprobatione locum eſſe profeßioni tacitæ, quæ in ipſorum Societate prohibetur. Offenſionis cauſam, quòd populus alios cernat in ſæculari veſte, poſtquam diu religioſam geſſerint, hîc ceſſare, propterea quòd habitus Ieſuitarum à ſæculari non diſtinguitur. Obtineri quoque à ſua Societate confirmationem Sedis Apoſtolicæ, vt liceat Superiori ad profeßionem poſt longum tempus admittere, quod nulli ex Regularibus vmquam conceſſum eſt. Cuncti in eius gratiam aſſenſerunt exceptioni; in qua dictanda Lainius contendit, regulas latini ſermonis poſcere, vt numero plurali diceretur: Per hæc autem ſancta Synodus non intendit aliquid mutare in Ieſuitarum inſtituto, &c. Et animaduerſum non eſt, illum loquendi modum referri poſſe tum ad facultatem admittendi aut dimittendi nouitios poſt annum, tum ad ea omnia quæ capite decimoſexto continentur; & etiam referri poſſe ad omnia, ſexdecim illis capitibus contenta. Sed Lainius nauiter vſus eſt modicâ aliorum attentione, iecitque fundamentum, in quo Ieſuitæ poſteri extruere poſſent eam ſingularitatem, quæ in eorum Societate conſpicitur.*

Vſque adeò intemperantia vituperandi, vituperatorem ipſum non modò vituperatione, ſed irriſione dignum reddit! Quonam vmquam tempore Societas Ieſu, huius exceptionis titulo, arrogauit ſibi ius non ſubiacendi ſanctionibus quindecim Canonum præcedentium? Si fortè id in animum homini cuipiam inciderit, ſine dubio numquam comperietur, fuiſſe ab ea reuocatum in controuerſiam, aut tentatum. Quod autem ſpectat ad caput decimumſextum, in iudicium criminoſum vocemus, & infamiâ puniamus, ſi mereatur, palmarem fraudem, per quam Lainius à Suaui deſcribitur deceptor Synodi, dum vi particulæ *hæc*, numero plurium expreſſæ, familiam ſuam ſubduxit non ſolùm ſanctioni proximè præcedentium verborum, ſed omnium planè antecedentium: & quò rectiùs acta cauſæ conficiantur, expendamus quæſo, quænam illa ſint, quæ capite illo decimoſexto continentur. Ea ſunt: Nulla obligatio aut renuntiatio ante profeſſionem facta valeat, niſi fiat intra poſtremos duos menſes, & cum Epiſcopi licentia; & effectum illæ non ſortiantur, niſi profeſſione ſubſecutâ. Hoc igitur fuit id, quod ex dicto Suauis Lainium impulit ad Concilium decipiendum. Ingens profectò emolumentum ex eo lucratur Societas, quòd in ipſa id locum non habeat! Si huiuſmodi renuntiationes, priùs firmatæ 4

ab

ab eius religiosis, efficaciâ carerent, liceret illis dono dare Societati 1563.
magnam vim rei familiaris, quæ ipsis integra remaneret vsque ad postremos duos menses; cùm amore obstricti ob diuturnam consuetudinem cum religiosa familia, & soluti, ob diuturnam absentiam, amore paternæ familiæ, hanc plerumque illi posthaberent per vltimam voluntatem, cui proximè successurus est mundanæ vitæ finis: contrà verò, cùm ijdem nunc bona sua relinquant, viuentibus adhuc in ipsis sanguinis affectionibus, fere semper aut ea omnia, aut potiora patrimonij ibi relinquunt, vbi plurimum animi retinent. Hoc igitur emolumentum est, cuius cupiditas potuit Lainium allicere ad eam fraudem, quam illi Suauis appingit. Verùm quid prodest venari chimæras ad reperiendam rei gestæ causam, quam ille solùm non adspicit, qui sibi studiosè palpebras consuit? Nimium enimuerò patet necessitas apponendi particulam, *hæc*, & non, *hoc*, atque amouendi à Societate non minùs primam quàm secundam sanctionem capitis decimi sexti; cùm posterior auferri non posset, quin prior dissentanea esset, & obseruari nequiret. Euidens probatio in promptu est: Si concessâ Societati immunitate à secunda, illæsus eidem relinquitur vsus instituti sui de professionibus; igitur ipsi conceditur vt quamplurimi numquam professi sint, reliqui verò post multorum annorum numerum. Quonam igitur pacto poterant irritæ reddi renuntiationes obligationesque horum omnium Religiosorum, ijs exceptis quæ intra duos menses ante professionem conficerentur, prout in priori capitis illius parte statuit Concilium? In primis grauissimo fuisset detrimento eorum familijs extra religionem, quibus non nisi pauci Religiosi, & post diuturnum tempus, subuenire potuissent, parte ipsorum propriâ illis relictâ; quæ vtilitas ex præcipuis est inter ceteras, quas capit Respublica, non solùm ob æternam, sed etiam ob ciuilem felicitatem, ab Ordinibus Regularium vniuersè. Præterea nullâ ratione connecti poterat huiusmodi lex cum propria Societatis institutione, ad ipsius vota professionesque spectante. Etenim vbi nihil valerent in hominibus Societatis hæ renuntiationes, nisi intra duos ante professionem menses confectæ, nec efficaciam obtinerent, nisi subsecutâ professione, efficeretur, vt omnes *Coadiutores formati, tum temporales tum spirituales*, sicut in ea nominantur, qui numquam euadunt professi, retenturi essent in perpetuum suorum bonorum dominium; quæ res ex aduerso opponeretur institutioni huius Ordinis, à qua dominij non amplius capaces redduntur. Eueniret insuper, vt ij, qui tandem ad professorum gradum accedunt, antequam

1563. eò peruenirent, necessariò penes se haberent hoc dominium ferè septemdecim annorum spatio (hoc enim esse solet temporis interuallum, à primo in tyrocinium ingressu ad professionem) quod magno semper illicio esset ad domum suam repetendam, eosque rei familiaris cura magnoperè implicaret: quod incommodum locum non habet in alijs Religiosorum Ordinibus, vbi quotquot in illis persistunt, professionis vinculis post annum elapsum sese obstringunt. Idcircò, sicuti diximus, non poterat Synodus Societatem excipere à posteriore illius capitis parte, quin ipsam exciperet à priori.

Nec illud etiam dignum est fide, Lainium attulisse pro argu- 5
mento, nulli ex religiosis Ordinibus licuisse ad professionem post longum tempus admittere; quando varij libri de Societatis Instituto oppositum palàm faciunt claris testimonijs Ioannis Climaci, Cassiani, & aliorum, qui videri possunt apud Franciscum Suarium [b].

[b] Tom. 4. de Relig. lib. 6. cap. 6. tract. 10. cap. 1.

Sed ea Suauis animaduersio, *tunc iactum fuisse à Lainio fundamen-* 6
tum, in quo posteri Iesuitæ possent extruere singularitatem, quæ in eorum Societate conspicitur, ridicula profectò est: quandoquidem eadem Synodus, & eodem in loco affirmat, illorum Institutum fuisse iam ab Apostolica Sede confirmatum. Paulus III. id egerat, & posteà Iulius III. & ætate Pontificũ sequentium ad eam æstimationẽ euecta erat Societas Iesu, vt Nuntij Pontificis, & Principum Oratores proponerent tamquam maximum inter cuncta remedia ad Germaniam restituendam, multitudinem illius Collegiorum; sicuti liquet ex voluminibus litteratum Commendoni, & Legatorum, vbi hi sensa Lunensis referunt, cùm primum ad Cæsaream Aulam aduenit: quod in opportunis locis ostensum est. Et quoniam adeò progressi sumus in hoc argumento, referam quænam fuerit potissima ratio, cur Synodus tam honorificam mentionem fecerit huius Ordinis, eiusque Institutum comprobarit [c].

[c] Litteræ Borrom. ad Legatos 4. Augusti 1563.

Scripserat ante quatuor menses Borromæus ad Legatos, superua- 7
caneum à se putari, causas illis recensere, quibus mouebatur Pontifex ad amandam Societatem Iesu, & ad optandum, vt illa in cunctis Catholicorum Prouincijs exciperetur, gnarus, Legatos in eosdem sensus conuenire. Audiri, eam in Gallia non excipi, idque potiùs ex quorumdam priuatorum aduersa affectione, quàm ex Regis regijque Consilij voluntate: eapropter, cùm Galliæ Senatus id negotij in Oecumenica Synodo reposuisset, gratum fore Pontifici, si, vbi de Regularibus ageretur, Legati opportunitatem arriperent fauendi

uendi Societati, in eo quod ipsis consentaneum videretur; ea de re quoque differentes cum Lotharingo, quem certum erat eidem propitium esse, amplexurumque negotium singulari charitate. & epistolam his verbis clausit: *Hi Patres, præterquam quòd vt vobis compertum est, filij sunt obsequentissimi Pontifici, & Apostolicæ Sedi, me sibi patronum habent. Quamobrem pro certo habeatis, quidquid fauoris ac beneficij illis conferetur, tamquam mihi propriùm à me acceptum trt. Vos denique rogo, vt eosdem maximoperè vobis commendatos habeatis.* Quam animi beneuolentiam in Societatem S. Carolus vsque ad mortem re ipsa ostendit, tum commissâ animę suæ curâ illius Patribus, tum fundatis duabus præcipuis eiusdem domibus, etiâ Abbatiâ à se ad hoc ipsum abdicatâ. Iam verò quò Societatis institutio præstaretur immunis ab vniuersali Decreto de professionibus, posita fuerat in primo Canonum exemplo hæc particula: *Per hæc tamen sancta Synodus nihil intendit innouare, aut prohibere, vnde Clerici Societatis Iesu, secundùm eorum Institutum, approbatum à sancta Sede, professionem retardare non possint.* Posteà id ipsum tum honorificentiorem, tum ampliorem in formam mutatum est, addito Societati *Religionis* nomine, & eius Instituto voce *pij*, eâdemque nihil variatâ per sanctionem illius capitis decimisexti, non modò quod spectat ad professionis moram, sed ad ea omnia, per quæ ex Instituto suo Domino eiusque Ecclesiæ illa deseruit. 1563.

8 Hæc itaque fuit mutatio, non illa, quam malè compacto mendacio Suauis describit: nec originem ea traxit à fraude Lainij, sed à studio Pontificis, eiusque sororis filio S. Carolo, & ab vtriusque amore in Societatem; quæ posteà non solùm excepta fuit in Gallia, sed illic accepit, & accipit tum à Christianissimis Regibus, tum ab omni hominum ordine ea singularis honoris & charitatis effecta, quæ cuncti conspiciunt. Grates iterùm agantur Suaui, qui per calumnias suas viam mihi aperit ad enarrandas matris meæ laudes citra iactantiam. Non satis memini, numeret ne Plutarchus hanc ipsam inter vtilitates, quæ possunt ex inimicis trahi. Nunc tenorem Decretorum de Regularibus resumamus.

9 XVII *Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta Synodus, statuit atque decernit, vt si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non antè eum suscipiat, nec posteà ipsa vel alia professionem emittat, quàm exploratierit Episcopus, vel, eo absente vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Et si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requisi-*

1563. *requisitas iuxta monasterij illius & Ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum; liberè ei profiteri liceat: cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. quòd si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.*

XVIII. *Anathemati sancta Synodus subijcit omnes & singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quàm laicos, sæculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quiq; consilium, auxilium, vel fauorem dederint, quiq; scientes, eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subijcit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia, & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur non solum in monasterijs subiectis Episcopo, sed & in alijs quibuscumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Conuertitæ appellantur, in quibus constitutiones earum seruentur.*

XIX. *Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse religionem; aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitq; habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur: interim verò nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Nemo etiam Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem; nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ religionis.*

XX. *Abbates, qui sunt Ordinum capita, ac ceteri prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria, Prioratúsve legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria & Prioratus, suo quisque loco atque ordine, ex officio visitent, etiamsi commendata existant. Quæ cùm Ordinum suorum Capitibus subsint, declarat sancta Synodus in ijs, quæ aliàs de visitatione monasteriorum commendatorum definita*

nita sunt, non esse comprehensa: teneanturq; quicumque prædictorum Ordinum monasteriys præsunt, prædictos Visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria, quæ sunt Ordinum Capita, iuxta sanctæ Sedis Apostolicæ, & cuiusque Ordinis constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt huiusmodi commendæ, Priores claustrales, aut in Prioratibus conuentum habentibus, Subpriores, qui correctiones & spirituale regimen exercent, à Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. In ceteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & iura concernunt, firma sint & illæsa. 1563.

XXI. Cùm pleraque monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, Præposituræ, ex mala eorum, quibus commissa fuerint, administratione, non leuia passa fuerint tam in spiritualibus quàm in temporalibus detrimenta; cupit sancta Synodus ea ad congruam monasticæ vitæ disciplinam omnino reuocare. Verùm adeò dura difficiliq; est præsentium temporum conditio, vt nec statim omnibus, nec commune vbique, quod optaret, remedium possit adhiberi: vt tamen nihil prætermittat, vnde prædictis salubriter aliquando prouideri possit; primùm quidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, vt ijs, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conuentus habent, regulares personæ, eiusdem Ordinis expresse professè, & quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur. Quoad ea verò monasteria, quæ Capita sunt ac Primates Ordinum, siue Abbatiæ, siue Prioratus, filiæ illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore prouisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut ijs cedere: aliàs commendæ prædictæ ipso iure vacare censeantur. Ne autem in prædictis omnibus & singulis fraus aliqua adhiberi possit; mandat sancta Synodus, vt in prouisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur: aliterq; facta prouisio, subreptitia esse censeatur: nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adiuuetur.

XXII. Hæc omnia & singula in superioribus Decretis contenta, obseruari sancta Synodus præcipit in omnibus cœnobijs ac monasteriys, collegijs ac domibus quorumcumque monachorum ac regularium, nec non quarumcumque Sanctimonialium virginum, ac viduarum, etiamsi illæ sub gubernio militiarum, etiam Ierosolymitanæ, viuant, & quocumque nomine appellentur, sub quacumque regula, vel constitutionibus & sub custodia vel gubernatione, vel quauis subiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuscumque Ordinis, mendicantium, vel non mendi-

1563. *mendicantium, vel aliorum regularium monachorum, aut Canonicorum quorumcumque, non obstantibus eorum omnium & singulorum priuilegijs, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus & regulis, etiam curatis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui verò regulares tam viri quàm mulieres sunt, qui sub arctiori regula vel statutis viuunt, exceptâ facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto & obseruantia sancta Synodus amouere non intendit. Et quia sancta Synodus desiderat, vt omnia & singula supradicta quamprimùm executioni demandentur; præcipit omnibus Episcopis, in monasterijs sibi subiectis, & in omnibus alijs, ipsis in superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & alijs Superioribus Ordinum supradictorum, vt statim prædicta exequantur. Et si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia prouincialia suppleant, & coerceant. Regularium verò Capitula prouincialia & generalia, & in defectum Capitulorum generalium, Concilia prouincialia, per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant. Hortatur etiam sancta Synodus omnes Reges, Principes, Respublicas, & magistratus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, vt velint prædictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & ceteris Præfectis in superiùs contentæ reformationis executione suum auxilium & auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti; vt sine vllo impedimento præmissa rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis.*

Hæc Decreta communiter comprobata sunt; non tamen defuere qui aduersarentur. Decretum de Commendis notabilem aliquam contradictionem sustinuit: quibusdam enim videbatur, nihil noui statuendum esse. Ita censebant Patriarcha Venetus, Archiepiscopi Hydruntinus, Spalatrensis, Materanus, & Barensis, & cum his alij complures. Contrà verò Episcopus Verdunensis, alijque non pauci, arbitrati sunt, Commendas omnino tollendas esse, aut certè validiores sanctiones illis admouendas. Difficultates tamen, spectatâ Galliâ, proposuerat Lotharingus in generali Conuentu, dicens, in eo regno innumera esse monasteria, summis viris commendata, quibus ea adimere difficillimum foret. Præterea Archiepiscopis Bracarensi ac Messanensi non placuit facultas tradita Franciscanis Conuentualibus bona stabilia possidendi. Optarunt quàm plurimi, vt Regulares extra claustra delinquentes multari liberè possent ab Episcopis, non autem cum statuta exceptione. Quidam improbarunt, quòd hîc derogaretur alicui ex rebus constitutis in antegressis Sessionibus. Multi quoque in dicenda sententia

tia imitati sunt Granatensem, qui se maiori parti remiserat. Apta sanè ratio ad conscientiam simul ac reuerentiam illæsam seruandam, & ad suam sententiam dedecoris periculo subtrahendam. 1563.

CAPVT VII.

Viginti & vnum Decreta de generali emendatione. Patrum de ipsis iudicia, & eiusdem Sessionis prorogatio in diem posterum.

1 EPiscopus operatus Sacris, legit continenter post Decreta de Regularium disciplina, Decreta de vniuersali emendatione, quæ vnum supra viginti fuere.

I. *Optandum est, vt ij qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad diuitias aut luxum, sed ad labores & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamq; faciliùs inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cælestem patriam cogitantes. Hæc cùm ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animaduertat; admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpè meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantoperè commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solùm iubet, vt Episcopi modestâ supellectili & mensâ ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causâ: immò, quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosq; carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscumque beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales perti-*

1563. *pertinere decernit: quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem cùm vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplinâ eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos conuertant.*

II. *Cogit temporum calamitas, & inualescentium hæresum malitia, vt nihil sit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præsidium videatur posse pertinere. Præcipit igitur sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus alijs, qui de iure vel consuetudine in Concilio prouinciali interesse debent, vt in ipsa prima Synodo prouinciali, post finem præsentis Concilij habenda, ea omnia & singula, quæ ab hac sancta Synodo definita & statuta sunt, palàm recipiant; nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant & profiteantur; simulque hæreses omnes, à sacris Canonibus, & generalibus Concilijs, præsertimq; ab hac eadem Synodo damnatas, publicè detestentur & anathematizent. Idemq; inposterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos Episcoposq; promouendi, in prima Synodo prouinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino obseruent. Quòd si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit; Episcopi comprouinciales statim summum Romanum Pontificem admonere sub pœna diuinæ indignationis teneantur; interimq; ab eiusdem communione abstineant. Ceteri verò omnes, siue in præsenti, siue in futurum beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo diœcesana conuenire debent, idem vt suprà, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant & obseruent: aliàs secundùm formam sacrorum Canonum puniantur. Ad hæc omnes ij, ad quos Vniuersitatum & studiorum generalium cura, visitatio & reformatio pertinet, diligenter curent, vt ab eisdem Vniuersitatibus Canones & decreta huius sanctæ Synodi integrè recipiantur, ad eorumq; normam Magistri, Doctores, & alij in eisdem Vniuersitatibus ea, quæ Catholicæ fidei sunt, doceant, & interpretentur; seq; ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solemni iuramento obstringant: sed & si aliqua alia in prædictis Vniuersitatibus correctione & reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat, pro religionis & disciplinæ Ecclesiasticæ augmento emendentur, & statuantur. Quæ verò Vniuersitates immediatè summi Romani Pontificis protectioni & visitationi sunt subiectæ; has sua Beatitudo per eius delegatos eâdem, quâ suprà, ratione, &, prout ei vtilius visum fuerit, salubriter visitari & reformari curabit.*

III. *Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè salutaris; sobriè tamen magnâque circumspectione exerendus est: cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari; & perniciem*

potiùs

potiùs parere quàm salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur; & tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, causaq; diligenter ac magnâ maturitate per Episcopum examinatâ, quæ eius animum moueat; nec ad eas concedendas cuiuslibet sæcularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur; sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona aut tempore eas decernendas esse iudicauerit. In causis verò iudicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis, cuiuscumque dignitatis existant, vt quandocumque executio realis vel personalis in qualibet parte iudicij propriâ auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quàm definiendo, à censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis ciuilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs, ibi existentibus, eo ipso quòd exactæ fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumq; districtionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, siue etiam per priuationem beneficiorum, aliarumq; iuris remedia procedere, & causas definire. Quòd si executio realis vel personalis aduersus reos hac ratione fieri non poterit, sitq; erga iudicem contumacia; tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, vbi executio realis vel personalis, vt suprà, fieri poterit, erit à censuris abstinendum: sed si dictæ executioni facile locus esse non possit, licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes vti; si tamen delicti qualitas, præcedente binâ saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet; aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, sub prætextu, quòd contenta in præsenti decreto non sint obseruata; cùm non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus verò quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solùm ad Sacramenta, & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur: sed, si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectum, procedi possit. 1563.

IV. Contingit sæpè in quibusdam Ecclesiis vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri; vel eleëmosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeò tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere; vnde depereunt piæ testantium voluntates; & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio

1563. occasio datur. Sancta Synodus, cupiens hæc ad pios vsus relicta, quo plenius & vtilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, vt in Synodo diœcesana, itemq; Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspectâ, posint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire; ita tamen vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt.

V. Ratio postulat, vt illis, quæ benè constituta sunt, contrarijs ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt iuncta; in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. Idem in præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocumque ita constituta fuerint, obseruetur, vt eorum qualitatibus vel Ordinibus nihil in vlla prouisione detrahatur: & aliter facta prouisio surreptitia censeatur.

VI. Statuit sancta Synodus, vt in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis decretum sub fel. rec. Paulo III. quod incipit, Capitula Cathedralium, obseruetur, non solùm quando Episcopus visitauerit, sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius, contra aliquem ex contentis in dicto decreto, procedat: ita tamen, vt, cùm extra visitationem processerit, infrascripta omnia locum habeant, videlicet, vt Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos: de quorum consilio & assensu Episcopus, vel eius Vicarius, tam in formando processum, quàm in ceteris omnibus actibus vsque ad finem causæ inclusiuè, coram notario tamen ipsius Episcopi, & in eius domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Vnum autem tantùm sit vtriusque votum, positq; alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria vel definitiua sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant: & si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio deuoluatur; & iuxta eam partem, cum qua tertius conueniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur: aliàs processus, & inde secuta nulla sint, nullosque producant iuris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia prouenientibus, de qua in Decreto de concubinarijs, & in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideò opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere; seruato tamen in reliquis ordine præmisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti ac personarum, delin-

delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis præterea vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisq; in choro, & in Capitulo, in Processionibus, & alijs actibus publicis sit prima sedes, & locus quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant; nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum conuocent, vota exquirant, & iuxta ea concludant. Absente verò Episcopo, omnino hoc ab ijs de Capitulo, ad quos hoc de iure vel consuetudine spectat, perficiatur; nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. Ceteris autem in rebus Capituli iurisdictio, & potestas, si qua eis competit, & bonorum administratio salua & intacta omnino relinquatur. Qui verò non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, ij omnes in causis Ecclesiasticis Episcopo subyciantur: non obstantibus, quoad supradicta, priuilegijs, etiam ex fundatione competentibus; nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, sententijs, iuramentis, concordijs, quæ tantùm suos obligent auctores: saluis tamen in omnibus, priuilegijs, quæ Vniuersitatibus studiorum generalium, seu earum personis, sunt concessa. Hæc autem omnia & singula in ijs Ecclesijs locum non habeant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarij, ex constitutionibus vel priuilegijs, aut consuetudinibus siue concordijs, seu quocumque alio iure maiorem habent potestatem, auctoritatem, ac iurisdictionem, quàm præsenti decreto sit comprehensum: quibus sancta Synodus derogare non intendit. 1563.

VII. Cùm in beneficijs ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria; nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu ad beneficium Ecclesiasticum cuiuscumque qualitatis concedatur; nec hactenus concessi suspendantur, extendantur aut transferantur. Hocq; decretum in quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis, ac etiam Cathedralibus Ecclesiis, ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In Coadiutorijs quoque cum futura successione idem posthac obseruetur, vt nemini in quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis permittantur. Quòd si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut monasterij vrgens necessitas, aut euidens vtilitas postulet Prælato dari Coadiutorem; is non aliàs cum futura successione detur, quàm hæc causa priùs diligenter à sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à iure Decretisq; huius sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur: aliàs concessiones super his factæ, surreptitiæ esse censeantur.

VIII. Admonet sancta Synodus quoscumque Ecclesiastica beneficia, sæcularia seu regularia, obtinentes, vt hospitalitatis officium, à sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, prompte,

1563. ptè benignèq; exercere assuescant; memores, eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. Illis verò qui hospitalia vulgò nuncupata, seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve vsum præcipuè instituta, in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesiis suis vnita, obtinent; vel si Ecclesiæ Parochiales, hospitalibus fortè vnitæ, aut in hospitalia erectæ, earumq; patronis in administrationem concessæ sint; præcipit omnino, vt impositum illis onus officiúmve administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta constitutionem Concilij Viennensis, aliàs in hac eadem Synodo sub fel. rec. Paulo III. innouatam, quæ incipit, Quia contigit. Quod si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco vbi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc vt fructus illorum in alium pium vsum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore vtilior, conuertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum vsu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire fuerit visum: nisi aliter fortè, etiam in hunc euentum, in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum: quo casu quod ordinatum fuit, obseruari curet Episcopus, aut, si id non possit, ipse, prout suprà, vtiliter prouideat. Itaque si prædicti omnes, & singuli, cuiuscumque Ordinis & Religionis & dignitatis, etiamsi laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, vbi viget regularis obseruantia, ab Ordinario moniti hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, necessarijs, re ipsâ obire cessauerint; non solùm per Ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia ad id compelli possint; sed etiam hospitalis ipsius administratione curâue perpetuò priuari possint; aliijq; eorum loco abijs, ad quos spectabit, substituantur. Et prædicti nihilominùs, etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quæ nullâ eis remissione aut compositione indulgeatur, in foro conscientiæ teneantur: nec administratio seu gubernatio huiusmodi locorum vni & eidem personæ vltra triennium deinceps committatur; nisi aliter in fundatione cautum reperiatur: non obstante quoad omnia supradicta, quacumque vnione, exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu priuilegijs, aut indultis quibuscumque.

IX. Sicuti legitima patronatuum iura tollere, piasq; fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: sic etiam vt hoc colore beneficia Ecclesiastica in seruitutem, quod à multis impudenter fit, rediganter, non est permittendum. Vt igitur debita in omnibus ratio obseruetur; decernit sancta Synodus, vt titulus iuris patronatus sit ex fundatione, vel dota-

dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requisitis ostendatur; 1563.
siue etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliásve secundùm iuris dispositionem. In ijs verò personis, seu Communitatibus, vel Vniuersitatibus, in quibus id ius plerumque ex vsurpatione potiùs quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltem quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficijs, tam sæcularibus quàm regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque alijs beneficijs, in cathedrali vel collegiata ecclesia; seu facultates, & priuilegia concessa tam in vim patronatus, quàm alio quocumque iure nominandi, eligendi, præsentandi ad ea, cùm vacant, exceptis patronatibus, super cathedralibus ecclesiis, competentibus, & exceptis alijs, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes, iura Imperij in dominijs suis habentes, pertinent; & quæ in fauorem studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata & irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur. Beneficiaq; huiusmodi, tamquam libera, à suis collatoribus conferantur; ac prouisiones huiusmodi plenum effectum consequantur. Ad hæc liceat Episcopo, præsentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quòd si ad inferiores institutio pertineat; ab Episcopo tamen, iuxta aliàs statuta ab hac sancta Synodo, examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit & inanis. Patroni autem beneficiorum, cuiuscumque Ordinis & dignitatis, etiamsi Communitates, Vniuersitates, Collegia quæcumque Clericorum vel laicorum existant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi verè de iure patronatus ipsorum ex fundatione & dotatione essent, nullatenus, nullâve causâ vel occasione se ingerant; sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum ius patronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant: si secùs fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subijciantur, & dicto iure patronatus ipso iure priuati existant. Insuper accessiones, per viam vnionis factæ de beneficijs liberis, ad ecclesias iuris patronatui, etiam laicorum, subiectas, tam ad parochiales, quàm ad alia quæcumque beneficia, etiam simplicia, seu dignitates vel hospitalia, ita vt prædicta beneficia libera eiusdem naturæ cum ijs, quibuscum vniuntur, efficiantur, atque sub iure patronatus constituantur; hæ si nondum plenarium sortitæ sunt effectum, vel deinceps ad cuiusuis instantiam fient, quacumque

1563. cumque auctoritate, etiam Apostolicâ, concessæ fuerint, simul cum vnionibus ipsis per surreptionem obtentæ intelligantur: non obstante quacumque in ijs verborum formâ, seu derogatione, quæ habeatur pro expressa: nec executioni amplius demandentur; sed beneficia ipsa vnita cùm vacauerint, liberè, vt anteà, conferantur. Quæ verò à quadraginta annis citrà facta, effectum & plenam incorp r tionem sunt consecutæ; hæ nihilominùs ab Ordinarijs, tamquam à Sede Apostolica delegatis, reuideantur, & examinentur: ac quæ per surreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, simul cum vnionibus irritæ declarentur, ac beneficia ipsa separentur, & alijs conferantur. Similiter quoque patronatus quicumque in ecclesiis, & quibuscumque alijs beneficijs, etiam dignitatibus anteà liberis, acquisiti à quadraginta annis citrà, & in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex noua constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, ab ijsdem Ordinarijs, vti delegatis, vt suprà, qui nullius in his facultatibus aut priuilegijs impediantur, diligenter cognoscantur: & quos non repererint ob maximè euidentem Ecclesiæ, vel beneficij, seu dignitatis necessitatem legitimè constitutos esse, in totum reuocent; atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium, & restituto patronis eo, quod ab eis idcircò datum est, in pristinum libertatis statum reducant: non obstantibus priuilegijs, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

X. Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, vsque adeò haberi non potest; hincq; interdum iudicibus, non vndequaque idoneis, causæ in partibus deleganrur: statuit sancta Synodus, in singulis Concilijs prouincialibus, aut diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, iuxta Constitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit, Statutum, & alioquin ad id aptas designari, vt præter Ordinarios locorum, ijs etiam posthac causæ ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit; substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram prouincialem, aut diœcesanam Synodum: ita vt habeat quæque diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac vt suprà qualificatas; quibus huiusmodi causæ à quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum iudicum alijs, quàm his factæ, surreptitiæ censeantur. Admonet dehinc sancta Synodus tam Ordinarios, quàm alios quoscumque iudices, vt terminandis causis, quantâ fieri poterit breuitate, studeant; ac litigatorum artibus, seu

in

in litis conteſtatione, ſeu alia parte iudicij differenda, modis omnibus, aut 1563.
termini præfixione, aut competenti aliâ ratione occurrant.

XI. *Magnam eccleſiis perniciem afferre ſolet, cùm earum bona, repræſentatâ pecuniâ, in ſucceſſorum præiudicium alijs locantur. Omnes igitur hæ locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fient, nullatenus in præiudicium ſucceſſorum validæ intelligantur: quocumque indulto aut priuilegio non obſtante: nec huiuſmodi locationes in Romana curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam, iuriſdictiones eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare, nec conductoribus per ſe aut alios ea exercere: aliterq; conceſſiones, etiam à Sede Apoſtolica factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. Locationes verò rerum eccleſiaſticarum, etiam auctoritate Apoſtolicâ confirmatas, ſancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citrà, ad longum tempus, ſeu, vt in nonnullis partibus, ad viginti nouem, ſeu bis viginti nouem annos, vocant factas: Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe iudicabunt.*

XII. *Non ſunt ferendi, qui varijs artibus decimas, eccleſiis obuenientes, ſubtrahere moliuntur; aut qui ab alijs ſoluendas temerè occupant, & in rem ſuam vertunt: cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus, cuiuſcumque gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, in poſterum cathedrali, aut quibuſcumque alijs eccleſiis, vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſoluant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plenâ reſtitutione ſecutâ, abſoluantur. Hortatur deinc omnes & ſingulos pro Chriſtiana charitate, debitoq; erga Paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi à Deo collatis, Epiſcopis & Parochis, qui tenuioribus præſunt eccleſiis, largè ſubuenire ad Dei laudem, atque ad Paſtorum ſuorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.*

XIII. *Decernit ſancta Synodus, vt quibuſcumque in locis iam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſteà fuerit ex quocumque priuilegio, alijs monaſterijs, hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis pijs conceſſa, eadem poſthac integro iure, & eâdem portione, quæ anteà ſolebat, cathedrali, ſeu parochiali eccleſiæ perſoluatur: non obſtantibus conceſſionibus, gratijs, priuilegijs, etiam Mari magno nuncupatis, aut alijs quibuſcumque.*

XIV. *Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoq; concubinatu verſari, ſatis res ipſa, communi fidelium omnium offenſione, ſummoq;*

1563. *Clericalis militiæ dedecore testatur. Vt igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ reuocentur; populusque hinc eos magis discat reuereri, quo illos vitâ honestiores cognouerit: prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum ijs vllam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis, puniantur. Quod si à Superioribus moniti, ab ijs se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum obuentionum ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum, ipso facto sint priuati: quæ fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia femina, perseuerantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam vti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur; & si ita suspensi nihilominùs eas non expellant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus, ac officijs, & pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuò priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum ijs ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat: supradictorumque omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura iudicij, & solâ facti veritate inspectâ, procedere possint. Clerici verò beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perseuerantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, iuxta sacros Canones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint; & à Synodo prouinciali admoniti, se non emendauerint; ipso facto sint suspensi: &, si perseuerent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur; qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat.*

XV. *Vt paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maximè puritas sanctitasq; decet, longissimè arceatur; non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, vbi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam*

etiam dissimile, beneficium obtinere; nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. Quod si in præsenti pater & filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiantur; cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium: aliàs ipso iure eo priuatus existat, & super ijs quæcumque dispensatio surreptitia censeatur. Ad hæc, reciprocæ resignationes, si quæ posthac à parentibus Clericis in fauorem filiorum fient, vt alter alterius beneficium consequatur; in fraudem huius decreti, & canonicarum Sanctionum factæ omnino censeantur: nec collationes secutæ, vigore huiusmodi resignationis, seu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis Clericorum sidijs suffragentur. 1563.

XVI. Statuit sancta Synodus, vt ecclesiastica beneficia sæcularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignatâ Vicario perpetuò congruâ portione, non conuertantur: non obstantibus quibuscumque gratijs, quæ suum plenarium effectum non sunt consecutæ. In ijs verò, in quibus contra earum institutionem seu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiamsi in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum, Vicario, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimùm, & ad minus intra annum à fine præsentis Concilij, arbitrio Ordinarij, iuxta formam decreti sub fel. rec. Paulo III. assignetur. Quod si id commodè fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non erit: cum primùm per cessum vel decessum Vicarij, seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen cesset, & in antiquum statum restituatur.

XVII. Non potest sancta Synodus non grauiter dolere, audiens Episcopos aliquos, sui status oblitos, Pontificiam dignitatem non leuiter dehonestare; qui cum Regum ministris, Regulis & Baronibus, in Ecclesia & extra indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris, nimis indignè non solùm loco cedunt, sed etiam personaliter illis inseruiunt. Quare, hæc & similia detestans sancta Synodus, sacros Canones omnes, Conciliaq; generalia, atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorum, & grauitatem pertinentes renouando, præcipit, vt ab huiusmodi in posterum Episcopi se abstineant; mandans eisdem, vt tam in Ecclesia, quàm foris suum gradum & Ordinem præ oculis habentes, vbique se Patres & Pastores esse meminerint; reliquis verò tam Principibus, quàm ceteris omnibus, vt eos paterno honore ac debitâ reuerentiâ prosequantur.

XVIII.

1563. XVIII. *Sicuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius, euenientibus casibus & necessitatibus, pro communi vtilitate satisfiat: sic frequentius legem soluere, exemploq; potius, quàm certo personarum, rerumq; delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant vniuersi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistinctè obseruandos. Quòd si vrgens iustaq; ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerit, cum aliquibus dispensandum esse; id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio, surreptitia censetur.*

XIX. *Detestabilis duellorum vsus, fabricante diabolo, introductus, vt cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione & dominio ciuitatis, castri aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur; & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; & vt homicidæ, iuxta sacros Canones puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in iure quàm facto dederint; aut aliâ quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque priuilegio, seu prauâ consuetudine, etiam immemorabili.*

XX. *Cupiens sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solùm restitui, sed etiam perpetuò sartam tectam à quibuscumque impedimentis conseruari; præterea, quæ de Ecclesiasticis personis constituit, seculares quoque Principes officij sui admonendos esse censuit, confidens eos, vt Catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiaq; protectores esse voluit, ius suum Ecclesiæ restitui, non tantùm esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & superiores Ordines reuerentiam reuocaturos; nec permissuros, vt officiales, aut inferiores magistratus, Ecclesiæ & personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliquâ violent; sed vnà cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus obseruantiam præstent. Decernit itaque & præcipit, sacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones, in fauorem ecclesiasticarum personarum, liber-*

tatis

tatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere. Propterea q. admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, & omnes, & singulos, cuiuscumque status & dignitatis extiterint, vt, quo largiùs bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eò sanctiùs, quæ ecclesiastici iuris sunt, tamquam Dei præcipua, eiusq. patrocinio tecta, venerentur, nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisve dominis temporalibus, seu magistratibus, maximeq. ministris ipsorum Principum, læsi patiantur; sed seuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, ecclesiarumq. protectionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ suâ in primis auctoritate ac munificentiâ auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoq. ea in re quisque officium suum sedulò præstet: quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati, ceteriq. Clerici in residentijs, & officijs suis, quieti, & sine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi, permanere valeant. 1563

XXI. *Postremò sancta Synodus, omnia & singula, sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub fel. rec. Paulo III. ac Iulio III. quàm sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, vt in his salua semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.*

2 De his quæ proposita sunt, mirus fuit consensus. Solùm declaratio in fine posita, duobus non placuit: alter enim diuersas voces earum loco postulabat; alter eam esse superuacaneam opponebat, quippe suâ naturâ in omni Decreto intellectam, & ideircò in præteritis Concilijs haud vsurpatam. Duo pariter improbarunt Decretum vigesimum de Principibus, tamquam inefficax, & speciosis tantummodò verbis contextum.

3 Recitatum posteà, & acceptum fuit Decretum, in quo dicebatur, cùm tardior esset hora, adeoque expediri non possent eo die res omnes stabilitæ, opus in diem posterum prorogari, sicut in cœtu generali decretum fuerat: tum consuetus hymnus in Dei laudem decantatus est ad grates ipsi reddendas, cùm penè tangeretur meta, adeoque palma: arbor nimirum, cuius fructus quàm dulces, tam seri matureſcunt; sed qui in hac palmarum classe etiam priùs quàm decerpantur, palato sapiunt.

CAPVT

1563.

CAPVT VIII.

Decretum de Indulgentijs digestum & comprobatum ante reditum ad Sessionem; & quæ ratio sit habita de Cruciatis. Alterum decretum de ciborum discrimine, de ieiunijs, & de festis diebus. Tertium de Catechismo, de Indice librorum, de Breuiario, de Missali. Quartum de loco Oratorum. Quintum de obseruatione Decretorum quæ à Synodo confecta fuerant. Sextum de recitandis Decretis, firmatis in Synodo Pauli & Iulij; & de fine Concilij. Acclamationes subsecutæ, & titulus per eas Pontifici tributus. Subscriptiones quorum hominum, & quot, & quâ varietate & prudentiâ.

[a] Acta Paleotti, Salmanticensis, & arcis Æliæ; litteræ Iadrensis 6. Decembris, & Legatorũ ad Borrom. 3. & 6. Decembris 1563,

EGressis è Sessione Patribus, exarsit vt cùm maximè [a] vniuersale desiderium, vt aliqua de Indulgentijs decisio prodiret, ne videretur prior ex articulis Catholicis à Luthero oppugnatis debilior fuisse compertus, adeoque à propugnatoribus destitutus. Solus Moronus auctor erat vt omitteretur, aut veritus, ne contentioni, adeoque dilationi daretur ansa; aut ratus, vt dicebat, honestius fore silentium, quàm ieiunam illius tractationem. Oportuit tamen communi iudicio cedere, in quod duo Purpurati, & omnes Oratores conueniebant. Decretum itaque à viris peritissimis, & studij apparatu, quòd multis in locis, & plures annos præcesserat, eâdem nocte digestum fuit, formulâ contradictionibus haud obnoxiâ. Et primo manè in cœtu ferè generali perlectum. Primus Legatus in sua sententia, sed omnes reliqui in oppositа perstitere: quare comprobatum illud fuit. Solùm cùm ibi vetaretur, ne certæ taxarentur eleëmosynæ ad Indulgentias consequendas, & ne suspenderentur diplomata, Episcopus Salmanticensis proposuit Lotharingo, per Decretum damnari id quod in Cruciatis à Rege Catholico vsurpabatur. Quod si eiusmodi consuetudo praua fuisset, eam posteà cognitum ac sublatum iri à Pontifice cum alijs, pro eo quod vniuersè statuebatur in Decreto; non tamen hoc dedecus ac decrementum Regi à Synodo esse inferendum: cumque postulatio Lunensis accederet, ea verba sublata sunt. Atque id fortasse postremum illud fuit, quod Lunensis duritiem emollijt, ne conclusioni reluctaretur, vnde non parum splendoris ademptum fuisset, nec parum amaroris iniectum illius actionis

læti-

lætitiæ. Itum deinde serius est, ob hanc interpositam moram, ad Ses- 1563.
sionem absoluendam. Sacrificium ad Aram obtulit Nicolaus Maria Caracciolus Catanensis Episcopus, & absque reliquis ceremonijs, quippe quòd præcedentis functionis continuatio habebatur. Decretum de Indulgentijs primo loco recitatum est in hanc sententiam.

2 *Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit; atque huiusmodi potestate, diuinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit: sacrosancta Synodus Indulgentiarum vsum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit; eosq; anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt; vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimiâ facilitate ecclesiastica disciplina eneruetur. Abusus verò, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, prauos quæstus omnes pro his consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros verò, qui ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliunde quomodocumque prouenerunt, cùm ob multiplices locorum & prouinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, vt diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiæ suæ colligat, eosq; in prima Synodo prouinciali referat: vt aliorum quoque Episcoporum sententiâ cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur: cuius auctoritate & prudentiâ, quod Vniuersali Ecclesiæ expediet, statuatur; vt ita sanctarum Indulgentiarum munus piè, sanctè, & incorruptè omnibus fidelibus dispensetur.*

3 Addebatur aliud Decretum; vbi per speciem legis confirmabantur consuetudines, ac sanctiones Ecclesiæ, quæ ab hæreticis impugnantur. *Insuper hortatur sancta Synodus, & per sanctissimum Domini nostri atque Saluatoris aduentum Pastores omnes obtestatur, vt tamquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum mater & magistra, statuit, nec non ea, quæ tam in hoc Concilio, quàm in alijs Oecumenicis statuta sunt, quibuscumque fidelibus sedulò commendent; omnique diligentiâ vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus, & ieiunia; vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, vt dierum festorum deuota & religiosa celebratio; admonentes populos crebrò, obedire Præpositis suis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui verò contemnunt, Deum ipsum vltorem sentient.*

1563. *Sacrosancta Synodus in secunda Sessione, sub Sanctissimo Domino nostro* 4
Pio Quarto celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, vt de variis censuris, ac libris, vel suspectis vel pernicios, quid facto opus esset, considerarent; atque ad ipsam sanctam Synodum referrent: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impositam esse; nec tamen, ob librorum varietatem & multitudinem distincte & commode posse à sancta Synodo diiudicari; præcipit, vt quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur: vt eius iudicio atque auctoritate terminetur, & euulgetur. Idemq; de Cathechismo à Patribus, quibus illud mandatum fuerat, & de Missali & Breuiario fieri mandat.

Declarat sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tam Ecclesiasticis 5
quàm sæcularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscumque alijs actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præiudicium; sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum suorum iura, & prærogatiuas illæsas & saluas esse, in eodemq; permanere, prout ante præsens Concilium reperiebantur.

Subsequebatur Decretum, conflatum verbis excogitatis ac per- 6
pensis solerti studio à duobus Cardinalibus non Legatis, & à duobus doctissimis Episcopis Antonio Augustino Leridensi, & Didaco Couarruuia Ciuitatensi, de Synodi executione: & erat huiusmodi.

Tanta fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inueterata malitia, vt nihil tam clarum in fide nostra asserenda vmquam fuerit, aut tam certò statutum, quod non humani generis hoste suadente, illi errore aliqua contaminauerint. Eapropter sancta Synodus id potissimùm curauit, vt præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret & anathematizaret; veramq; & Catholicam doctrinam traderet & doceret, prout damnauit, anathematizauit, & definiuit. Cumq; tamdiu tot Episcopi, ex varijs Christiani orbis prouincijs euocati, sine magna gregis sibi commissi iactura, & vniuersali periculo, ab ecclesijs abesse non possint; nec vlla spes restet, hæreticos, toties, fide etiam publicâ, quam desiderarunt, inuitatos, & tamdiu expectatos, huc amplius aduenturos; ideoq; tandem huic sacro Concilio finem imponere necesse sit: superest nunc, vt Principes omnes, quod facit, in Domino moneat, ad operam suam ita præstandam, vt quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis deprauari aut violari non permittant; sed ab his & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obseruentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur; aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant, præter alia remedia in hoc Concilio instituta; confidit sancta Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, vt vel euocatis ex illis præsertim prouincijs, vnde difficultas orta fuerit, ijs, quos

eidem

eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij generalis celebratione, si necessarium iudicauerit, vel commodiore quacumque ratione, ei visum fuerit, prouinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur. Quæ postrema sunt addita Oratore Hispano postulante, qui difficulter consensisset conclusioni, nisi nouo Concilio aliquis aditus relinqueretur. 1563.

7 His Decretis concorditer sunt assensi, excepto Decreto de Indulgentijs, ob verba petente Lunensi deleta; quæ vt redderentur, postularunt viginti Præsules, ex quibus plerique Hispani, quibus Cruciatarum consuetudo displicebat. Sed hi præ alijs erant pars modica.

Tum proposita fuit sanctio vt legerentur omnia Decreta, quæ tum Paulo, tum Iulio Pontifice confecta fuerant, & ad dogmata & ad mores spectantia: idque vniuersè placuit Patribus, & peractum est.

Suauis hîc ita loquitur. *Iidem Galli, qui aliàs tam efficaciter petierant vt declararetur, Concilium esse nouum, & cum antegresso Pauli & Iulij minimè continuatum, supra reliquos conabantur, vt quæcumque dubitandi ratio tolleretur, quin omnia Acta, ab anno 1545. vsque ad finem, eiusdem essent Synodi. Ita contingit in rebus non modò humanis, sed in ijs etiam, quæ pertinent ad Religionem, vt mutatâ vtilitate mutetur credulitas. Cùm igitur omnes in idem signum spectarent, decretum tantummodò fuit, vt ea simpliciter legerentur, nec quidquam aliud diceretur: hoc etiam pacto Synodi vnitas apertissimè palàm fiebat, & difficultas adimebatur, quæ suborta esset, si confirmationis verbum vsurparetur, relictâ singulorum arbitria facultate existimandi, an ex illorum lectione conficeretur, ea fuisse confirmata, an rata fuisse declarata; an etiam inde deduci, vnicam esse sanctam Synodum, quæ illa confecit & quæ eadem legit.* Quemadmodum fieri non potest, vt homini mens adeò distorta insit, quæ eodem tempore manifestæ contradictioni acquiescat; ita par esse videretur, fieri quoque non posse, vt homo os aut calamum habeat, quæ vnâ eâdemque periodo manifestò repugnantia pronuntiet. Verùm, id homini accidere posse, satis patet in Suaui, nisi quantum immoderata perturbatio animi rationem adimit homini, adeoque efficit, ne remaneat homo. Affirmat ille, modum illum fuisse vsurpatum, quo omnis dubitatio amoueretur, quin vniuersa ea Synodus esset vna: simulque affirmat, adhibitum fuisse illum modum, vt id in ancipiti, & in iudiciorum varietate relinqueretur. Quod autem posteà dicit, in rebus ad religionem spectantibus *mutatâ vtilitate credulitatem mutari*, licuit id ipsi arguere ex proprio ipsius experimento. Id addo,

1563. addo, quod si ille animaduertisset, ea verba compressisset, ne ab eadem vipera veneni sui remedium extrahi posset. Vbi hæc ipsius enuntiatio vera foret, eiusdem machina funditus euerteretur. Etenim hinc argui liceret; cùm in comperto nobis sit, à prudentiori ac nobiliori parte Reipublicæ Christianæ & Orbis terrarum, fidem retineri in Religione Catholica, & Romani Pontificis auctoritate, huiusmodi fidem experimento comprobari tamquam magis accommodatam communi hominũ vtilitati, quàm contrariam: vnde pateret, hanc Religionem & hanc auctoritatem non esse iugum intolerabile, sicut ille eam describit, sed idoneum ad ciuilem felicitatem instrumentum. Quod attinet ad rem ipsam, profectò religiosissimi Patres Gallici tam contumeliosum epiphonema neutiquam merentur; & vbi cuncta reliqua responsioni deficerent, Galli, qui nouam conuocationem postularant, vt in dubium vocarent articulos iam sancitos, non fuerant Episcopi Gallici, sed Oratores Gallici; hi verò nimis etiam in hac sententia obduruerunt, vt Suauis, & nos posteà narrabimus. Prætermitto, an ea Synodus noua fuerit, an veteris continuatio, articulum non esse, qui per se solus fidem variaret, sicuti pro certo assumit Suauis. Etenim tametsi duo sint Concilia, si vtrumque obtinet auctoritatem, cunctæ illorum definitiones erunt fidei dogmata, perinde ac si vnicum esset. Atque idcircò interrogatus Cæsar [b] paucis antè diebus à suis Oratoribus, quid ipsi acturi essent, si rursus oriretur controuersia inter Hispanos & Gallos, essetne ea Synodus continuatio, an noua conuocatio; illis iniunxit, vt Patres quâ par erat modestiâ hortarentur, ne inutilem huiusmodi articulum declararent: quod si tamen eius habenda esset declaratio, maioris partis auctoritatem sequerentur.

[b] Litteræ Cæsaris ad Oratores 19 Nouembris, quæ Tridentum peruenere 27. Nouembris 1563.

Narrationem prosequamur. Rogati denique sunt Patres, num 8 esset ipsorum voluntas, vt Synodus terminaretur, & vt Legati nomine Synodi Decretorum omnium confirmationem peterent à Romano Pontifice. Narrat Suauis, sententias hac de re non fuisse pro more dictas singulatim, sed responsum ab omnibus simul redditum, *Placet*. Oppositum non solùm legitur in Actis authenticis, sed in quodam vulgato & auctoritate digno commentario, qui non potuit absque negligentia Suauis notitiam fugere. Fuit huic Diarium Seruantij, qui adfuit, & Massarello, qui à secretis erat Synodo, dabat operam: Massarellus verò, vt ille narrat, cum scribis de more Patres sententiam rogauit. Quin in distincta huiusce rei narratione Seruantius scribit, vnum ex Patribus repugnasse confirmationis postulato, & à primo Legato id ipsum fuisse altâ voce relatum,

tum, dum teſtificaretur Patribus, vt mos erat, Decretum fuiſſe comprobatum. Acta per typos vulgata Antuerpiæ anno 1564. dicunt, tres ex Patribus; ſed re ipſa teſtis præſens, ſicut euenire ſolet, magis veridicus fuit, cùm verè vnus tantummodò contradixerit, pro eo quod conſtat ex Actis in Arce Ælia ſeruatis, nimirum Granatenſis, qui reſpondit, *Placet vt Synodus abſoluatur, ſed confirmationem non peto.* Quod fortaſſe dixit, arbitratus, Synodum fuiſſe confirmatam, quantum ſatis erat, auctoritate Legatorum, quos Pontifex miſerat, & mandatis, quæ illis tradiderat de rebus poſteà ſtatutis. Sed occaſio vnde is, qui Acta typis edidit Antuerpiæ, tres loco vnius poſuerit, orta eſt ex eo, quòd cùm omnes ſimpliciter reſpondiſſent decreto, *Placet*, tres aduerſus Granatenſem dixerunt, *Confirmationem tamquam neceſſariam peto*, qui tres Hiſpani fuere, inſignis Antonius Auguſtinus Epiſcopus Leridenſis, Bartholomæus Sebaſtianus Epiſcopus Pattenſis, & Petrus Conſaluus de Mendoza Salmanticenſis. Et ſanè de hoc Decreto non tamquam de tumultuoſo, ſed tamquam de concordi mentionem facit Andreas Moroſinus [c] in hiſtoria Reipublicæ Venetæ. 1563

[c] Libro 8.

9 Cuncta monumenta, quæ commemoraui, de hac Synodi concluſione conueniunt in affirmanda communi lætitia animiſque voluptate, omnem expectationem longè ſupergreſſa; adeò vt ora lacrymis rorantia vndique viſa fuerint, & nonnulli, qui Synodo durante aliquam inter ſe alienati animi quaſi rubiginem præ ſe tulerant, tunc veluti milites eiuſdem exercitus, qui cum palma reducantur, fraternâ charitate ſe mutuò amplexarentur. Perductum ad exitum animaduertebant poſt decimumoctauum annum opus tot laboribus ſpinoſum, tot difficultatibus arduum, tot fructibus locuples: quæ omnia non concipi, nedum explicari poſſunt, niſi tota narratio relegatur; imò ne hoc quidem pacto: nam ſicut in pictura, ita in ſcriptura, quantum tenuiora interdum augentur, tantum maxima ſemper decreſcunt.

10 Acceſſerunt communi gaudio feſtæ acclamationes. Hæ à Lotharingo compoſitæ, pro more veterum Synodorum, & ab eodem præcinente, ſunt editæ, tamquam à præcipuo in eo Senatu, cui reliquorum Patrum chorus reſpondebat.

In illis preces Deo fundebantur, vt felicitas concederetur Pio IV. qui ab eodem Lotharingo nominabatur *Pontifex ſanctæ & Vniuerſalis Eccleſiæ*, adeoque viſum eſt, ab eo illi tribui prærogatiuam ſupra Eccleſiam vniuerſalem, quæ ab eodem & à Gallis fuerat impugnata: poſteà, vt requiete fruerentur animæ Pauli III. Iulij III. Caroli

1563. roli V. aliorumque Regum defunctorum, qui opem Synodo contulerant. Annos plurimos auspicati sunt Serenissimo Imperatori Ferdinando semper Augusto, Orthodoxo, & pacifico, aliisque Regibus, Rebuspublicis, & Principibus, qui rectam fidem seruabant, generatim solùm nominatis, ad euitandas infaustas æmulationes prioris loci, quæ difficultatem nunc afferunt commercio non tantùm inter homines, sed inter voces. Grates Deo peractæ sunt, eiusque beneficia postulata Legatis, Reuerendissimis Cardinalibus, Illustrissimis Oratoribus. Posteà datæ sunt Deo preces, vt sanctissimis Episcopis, veritatis præconibus, longam vitam, felicem reditum, & perpetuam memoriam elargiretur. Omnes Fidem, & obseruantiam Tridentinorum Decretorum professi sunt. Inuocarunt Christum Sacerdotem supremum, & inuiolatam Dei Parentem, & omnes Sanctos, & anathema hæreticis dixerunt.

Huic gaudiorum dulcedini Suauis aliquid sui fellis inspergit, duo- 11
bus obiectis. Alterum est, huiusmodi acclamationes in antiquis Concilijs fieri ex impetu alicuius Episcopi, non autem præconceptas, sicuti ibi factæ sunt, sed prout à sancto Spiritu impellebantur. Ego cõtrà certius ducerem, impulsum esse Spiritus sancti, qui *Spiritus Consilij* 13
appellatur, id quod concipitur, ac decernitur anteà ab Oecumenica Synodo, in eodem sancto Spiritu congregata, quàm id, quod in mentem venit Episcopo priuato, & per speciem casus, & cui postmodum aliorum voces accedunt. id quod spectat ad rationem: sed quod spectat ad rem ipsam, longè aberrat à vero id quod dicit, semper in veteribus Synodis huiusmodi acclamationes ex impetu repentino fuisse profectas, cùm videri possit in multis Sessionibus octaui Concilij Oecumenici, ac præsertim in fine octauæ actionis, eas ex præmeditatione conuentus processisse.

Alterum est, *susceptam fuisse curam à Lotharingo, non solùm vt præ-* 12
cipuas ipse partes exerceret in acclamationibus componendis, sed etiam in illis recitandis; quod vniuersè leuitati ac vanitati illi versum fuit: parumq; condecens huiusmodi Præsulem ac Principem habitum est, ipsum fungi munere, quod potiùs Diacono Concilij congruebat, nedum Archiepiscopo & Cardinali tam præcipuo. Equidem cùm illius temporis monumenta peruoluerem, in hanc communem leuitatis opinionem non offendi; quin comperi communem erga Lotharingum plausum ex hoc ipso quod gesserat. Satis sit ad Galli defensionem, quod ita de eo scribat tum ex suo tum ex aliorum iudicio Hispanus vir, illustri etiam ortus genere, adeoque idoneus cognitor & æstimator decori, nimirum sæpè memoratus Petrus Consaluus de Mendoza Episcopus

scopus Salmanticensis. Enimuerò non modicæ temeritatis fuit, hominem è vulgi fece natum, cuiusmodi Suauis erat (quod cùm eius culpa non sit, illi sanè non exprobrassem, nisi vbi culpam eius temeritatis id auget) hominem inquam è vili plebe ad priuata claustra transgressum, & ductâ semper in illis vitâ, iudicem se constituere eorum quæ Principes deceant; & prætentâ laruâ consuetâ vniuersalis famæ, confidenter audere tamquam vitiosum carpere aut in cognoscenda aut in retinenda dignitate, dum tam adspectabilis ac præconcepta celebritas ageretur, Principem natalibus, dignitate & æstimatione inter primarios, qui tunc in Europa splenderent. Quînam autem Diaconi partes erant ea præcinere, quibus non musicorum chorus, sed Oecumenica totius Ecclesiæ Synodus responsura erat? Quod nónne legimus accidisse octauo Concilio Oecumenico, sicuti nuper narratum est? quin absolutâ functione Hymnum consuetum in Dei laudes non cantor quispiam [d], sed Legatorum Princeps præcinit, vt statim dicetur.

[d] Diarium.

13 Denique Præsides singulis præceperunt, iniectâ anathematis pœnâ, ne discederent antequam subscripsissent, aut publicis tabulis integrum Concilij tenorem comprobassent. Promotor cunctos scribas, qui aderant, iussit eam actionem in tabulas referre. Moronus canticum, de quo paulò antè diximus, præcinuit: quo absoluto ad Patres conuersus, ipsis benè precatus est, ac dixit: *Ite in pace.* Decreta Concilij simul collecta, & in legitimam formam deducta à Massarello & à scribis, subscriptionem, prout imperatum fuerat, excepere; eorumque qui subscripserunt nomina fuere ducenta quinquaginta quinque. Quatuor Legati, alij duo Cardinales, tres Patriarchæ (inter quos Historicus Morosinus [e] connumerat imprudenter loco Barbari Grimanum, qui numquam ad vllam Synodi actionem admissus est) viginti quinque Archiepiscopi, centum sexaginta octo Episcopi, triginta nouem Procuratores hominum absentium cum legitimis mandatis, septem Abbates, vnus Claraualensis, quatuor Cassinates, sextus Cluniacensis, septimus è villa Bertranda in prouincia Tarraconensi Hispaniæ. Duo Abbates Galli dogmata Fidei absolutè comprobantes, ad sanctiones disciplinæ tantùm dixerunt, Se prompto esse animo ad illis parendum. Septem quoque Religiosorum Ordinum Generales consenserunt, nimirum Ordinis Prædicatorum, Minorum Obseruantium, & Minorum Conuentualium, Eremitarum, Seruorum B. Virginis, Carmelitarum, & Iesuitarum. Cuncti ad verbum *subscripsi*, addiderunt, *definien-*

[e] Lib. 8.

1563. *definiendo*, exceptis Procuratoribus quatenus Procuratores, vtpote quibus numquam suffragij ius concessum est.

Persistebatur in proposito, vt Oratores quoque subscriberent, seruato eodem scripturæ ac aduentus ordine. Quamquam enim ex 14
absentia Gallorum Oratorum pretium illius solemnis actionis minueretur; tamen ad dignitatem firmitatemque Synodi conducere videbatur, si saltem ij qui aderant, tamquam suorum Principum personam agentes, illam acciperent; adeoque ipsius acceptionem in eorumdem ditionibus certiorem redderent: sed impetrari non potuit, vt Lunensis aliâ quàm hac formâ sub conditione subscriberet [f], *reseruato Regis Catholici assensu*. Huiusce rei conscius Suauis extruit verisimile supra verum: sed illi accidit in hoc id quod solent Iuris periti dicere: Similem non esse rem ipsam, cui similis ille est. Sic igitur narrat: *Et quamuis fuerat decretum, vt Oratores infra Patres subscriberent, contrarium tunc susceptum est consilium ob plures causas: prima fuit, quoniam cùm Orator Gallicus non adesset, vbi conspecta fuissent aliorum subscripta nomina, & non Gallici, declaratio quædam fuisset, à Gallis non recipi Concilium. Altera, quia Lunensis mentem suam patefecerat, se nolle absolutè subscribere, sed cum retenta sibi ad id facultate, propterea quod terminationi Synodi Rex non consenserat. Legati verò vulgarunt, cùm in more positum esset, vt non nisi ab obtinentibus eius suffragij subscriberentur Decreta, insuetum fuisset si subscriberent Oratores.*

[f] Ex Litteris Borrom. ad duos Nuntios Hispaniæ, 1. Februarij 1564

Contrarium omnino peractum est: biduò post absolutam Syn- 15
odum, Oratorum, qui Tridenti aderant, excepto Lunensi qui recusauit, habitæ sunt acceptiones amplissimâ formâ [g], & subscriptiones sub Actis in authenticis tabulis, quæ seiunctæ sunt à subscriptionibus Patrum. Atque hoc posito existimatum est aptius ad euitandam æmulationem ordinis, si seruaretur in acceptionibus & subscriptionibus non ordo aduentus secundùm prius decretum, sed aliquo modo consuetus sedendi ordo. Et præterea Heluetiorum acceptio in alijs tabulis posita est, & ab alio scriba signata, cuius rei causam equidem ignoro. Atque ita quatuor tabulæ formatæ sunt, aliæ, quæ acceptionem omnium Oratorum Ecclesiasticorum continebant, hoc est Cæsarianorum, & tamquam gerentium personam Cæsaris, & tamquam gerentium personam Regis ac Principis hereditarij; Poloni, Sabaudi, Florentini, ac Hierosolymitani. Sed inter hos oportuit vt laicus quidam apponeretur, quippe Ecclesiastici collega; fuit hic Sigismundus Tonus Orator Cæsareus, socius Archiepiscopi Pragensis; vnde tamen difficultas orta non est, cùm de

[g] 6. Decembris 1563 & tabulæ sunt in Actis authenticis Arcis Æliæ, & cuncta narrantur in Diario Seruantij.

de prærogatiua contentio cum eo nemini esset. In alijs tabulis scripta fuit acceptio Ioachimi Abbatis Valdensis, tamquam Oratoris ab vniuerso Heluetiorum Clero missi. In tertijs firmata fuit acceptio Oratoris Lusitani ac Veneti, nimirum Nicolai à Ponte, cùm Dandalus tunc abesset. In vltima relata est comprobatio Melchioris Lussij, Oratoris Pagorum Heluetiorum Catholicorum. Cuncti verò suorum Principum nomine fidem obstrinxerunt. Quòd si huiusmodi subscriptiones non inspexit Suauis impressas in volumine Concilij; neque pariter vidit subscriptiones Patrum ac Procuratorum ibidem impressas, sed mera nomina eorum, qui quocumque modo interfuerant. Nollem vt quispiam fortasse hinc argueret, illum ex eo hominum genere fuisse, qui rerum omnium, quæ sub sensum non cadunt, veritatem negant. 1563.

CAPVT IX.

Duorum Legatorum reditus Romam, & cur non omnium. Concilium in Senatu confirmatum à Pontifice; & eiusdem studia, vt integrè obseruaretur. Quæ depingit in hoc Suauis, confutata. Declaratio temporis, ex quo Synodus obstringere incipiebat. Lætitia Catholicorum ob eam confirmationem; & gratulationes cum Pontifice habitæ à Lusitano Rege, qui plenam obseruationem Concilij in cunctis suis ditionibus præcipit.

1 LEuamen incredibile infirmæ Pontificis valetudini attulere conclusionis nuntij; adeò vt noluisset profectò eo morbo carere, qui Ecclesiæ tam salutaris euaserat. Cùm autem nondum confirmatis esset viribus ad habendum Senatum, illicò cœtum Senatorium coëgit duodecimo Decembris [a], vbi de prospero successu Collegium edocuit, statuitque, vt idibus eiusdem mensis grates Deo persoluerentur solemnibus supplicationibus à S. Petri Basilica ad templum S. Mariæ supra Mineruam, quibus amplas Indulgentias concessit.

[a] Acta Consistor. 12. Decembris.

2 Interim Tridento discesserant ij qui conuenerant, & Præsides, qui decem aureorum millia distribuerant [b] Magistratibus, & egenis Episcopis ad reditus sumptum: simulque significarant [c] varijs Episcopis, tum Transmontanis, tum Italis, ea quæ Pontifex indulserat antegressis eorum petitionibus: præcipuè verò Præsulibus, Theolo-

[b] Diarium.
[c] Extat in duabus litteris Borrom. ad Legatos 4. Decembris 1563.

1563. Theologis, & Oratori Lusitano exposuerant studiosissimas gratiarum actiones, amplissimasque pollicitationes ad compensandum ingens studium, in sustinenda Sede Apostolica ab ipsis exercitum: quin voluit ipse Pontifex per se Oratori hoc beneuolentiæ & honoris officium exhibere suo diplomate.

Haud ita multò pòst Romam peruenere duo ex Legatis, Morosnus & Simonetta. Etenim Nauagerus enixè postularat, vt sibi liceret confestim reuerti ad suam Ecclesiam Veronensem, iam diu viduam, & ipsius ope indigentem ob periculosam contaminatæ Germaniæ propinquitatem. Et ardentiùs etiam Osius, consimili permotus studio, facultatem petierat redeundi statim ad suam Poloniam; de quo plurimæ ab eo preces, etiam extante Concilio, scriptæ fuerant, sicut indicatum est, rato magis illic necessariam præsentiam suam quàm Tridenti. Quamobrem Pontifex vtriusque pietati reditum indulsit; concessitque vt immolarent Ecclesiæ vtilitati voluptatem, quâ fuissent affecti Romam adeuntes, & Vaticanum ingressi longe ampliore promerito & gloriâ, quàm veteres triumphatores Capitolium: sed glorioſior diuturniorque triumphus, clari nominis triumphus est, qui absentiâ non impeditur, quin interdum augetur. 3

Narrat Suauis, Aulæ Romanæ Magistratus obstitisse confirmationi Concilij, ob tot sanctiones, ex quibus prouentus & auctoritas illi detrahebantur, & vnicum inter eos, Hugonem Boncompagnum Vestensem Episcopum, in magno apud Pontificem pretio, aliter suasisse. 4

Aliquos ex magistratibus dehortatos fuisse Pontificem ab absoluta confirmatione, & Boncompagnum eam suasisse, verum quidem est [d]; non tamen verum est, Boncompagnum in ea sententia vnicum fuisse, cùm Paleottus, alijque complures ex primarijs, illius telæ præcipui textores fuissent, eamque disruptam cernere minimè cuperent: & ineluctabiles rationes pro integra confirmatione tam dilucidæ apparebant, vt omnium magistratuum oculos, ab oculis Boncompagni distinctos, latere non possent. At verò quæ à nonnullis magistratibus opponebantur, ob detrimenta Aulæ Romanæ à Concilio illata, quæ à Suaui recensentur, & amplificantur, falsitatis contradictionisque conuincunt id quod ille sui Operis initio dicit; vbi ratus se persuasurum, euasisse Synodum ex omni parte expectationi contrariam, scribit, *Cùm Synodus ab Aula Romana timeretur ac vitaretur, vtpote instrumentum efficax ad moderandam nimiam potentiam, quæ paruis è principijs per varios progressus ad infinitum*

[d] Vita manuscripta Gregorij XIII. composita à Io. Petro Maffæio.

tum excessum peruenerat, potentiam illam ita stabiliuit & confirmauit in ea parte, quæ subiecta ipsi persistit, vt numquam tanta fuerit, ac tam validas radices egerit. Sed cùm à natura instituta fuerint verba ad veritatem cognitam exprimendam, nimis exquisitâ opus est arte mendacibus, ad eamdem in longo sermonis decursu obtergendam. 1563.

5 Addit, Pontificem ad hanc confirmationem propendisse, sed *perplexo* fuisse animo, propter querimonias *Aulæ, & vniuersalem Cardinalium opinionem:* horum cœtum ab eo fuisse coactum ad consilium capiendum; eorumque iudicia refert, quasi de re in ancipiti posita deliberaretur. Sed è conuerso Pontifex die 30. Decembris, [e] nondum benè conualescens ex morbo, denuò Cardinalium cœtum coegit, in quo latinum sermonem habuit, quem lubet hîc apponere [f]. *Hic profectò dies, ô fratres, nouam affert vitam, nouos postulat mores: nam auctoritate Concilij Tridentini restituta est disciplina iam vltra modum collapsa; præsertim verò Ecclesiasticis viuendi ratio præscripta est, quò cùm illi personam huiusmodi susceperint, animaduertant, necessitatem imponi sibi eius vitæ ducendæ, quam in salutaribus decretis diuino lumine descriptam vident. De quo in primis, sicuti paulo antè à nobis actum est, immortales Deo grates agimus, cuius benignitate Concilium Tridentinum, summè celebre, finem summè felicem optabilemq; iam obtinuit. Post hæc Imperatori Ferdinando Christianæ pietatis, ac singularis in nos beneuolentiæ laudem tribuimus, cuius custodiâ Synodus Tridentina cincta ac munita, auctoritatem & amplitudinem suam liberam illæsamq; seruauit. Huiusce testificationem officij cum alijs Regibus, Catholicisq; Principibus libenter communicamus: summâ pariter voluptate Legatos nostros commendamus ob vigilantiam, ob prudentiam, ob fortitudinem, animiq; constantiam, numquam deficientem inter extremas euentuum temporumq; difficultates in sustinenda Sedis Apostolicæ dignitate. Fatemur denique & comprobamus religionem, ac perseuerantem libertatem reliquorum Patrum, qui laborem omnem curamq; impenderunt ad hæreses corruptelasq; auferendas. Quibus præterea non mediocriter obnoxij sumus, quòd in moribus ac disciplina reformandis eâ moderatione atque indulgentiâ erga nos vsi sunt, vt si maluissemus hanc nos ipsi curam suscipere, eorumq; arbitratui non committere, plus certè seueritatis à nobis fuisset adhibitum. Proinde cùm hæc salutariter constituta sint, firmissima nobis voluntas inest, vt per obseruationem Decretorum sacrosanctæ Synodi, ea disciplinæ ratio inducatur in mores: quâ, si qui malam de nobis opinionem concepere, tollatur ab ipsis error huiusmodi; qui cùm ignoremus vndenam ortum traxerit, multorum animos occupauit, existimantium, in ijs, quæ ad emendationem attinent, à nobis prima*

[e] Acta Consistor. die 30 Decembris. 1563.

[f] Inter Cõmentarios Magalotto-rum, & Acta cõsistorialia.

1563. *prima Concilij claustra esse perfringenda. Potiùs igitur moderationem limitationemq; à Patribus vsurpatam, nos, vbi opus fuerit, diligentiâ nostrâ corrigemus, & tamquam rei nostro iudicio reseruatæ supplebimus: tantum abest vt vel vnum quidem apicem negligere aut diminuere velimus. Moronus Cardinalis, viuidi consilij, magniq; animi vir, & actionum Synodi, quibus laudabiliter interfuit ac præfuit, peritissimus, volumus vt solertissimè curet, ne quidquam discrepans alienúmve à Synodi Decretis fiat in Senatu, aut priuatim à nostris ministris erga nos tentetur. Easdem partes intendimus esse communes Simonettæ Cardinali, illius collegæ, cuius fides, industria, ac perpetua sanctæ Sedis defensio in Tridentina legatione insignis extitit; sagaci perspicaciq; Datario adhibito, ne id flagitemur, quod à nobis propter maximas occupationes non perpensum, & fortasse concessum, offensioni ac turbamento esse possit ijs, qui aut animi nostri sensus ignorant, aut omnia siniſtrè interpretantur.*

Significauit postea, velle se Prouinciarum Legatos mutare, ac per se ipsum ditionem Ecclesiasticam inuisere. Tum ad Concilij sanctiones conuerso sermone, denuntiauit, vt pro Tridentinorum Decretorum obseruatione omnes Episcopi pergerent ad suas Ecclesias, ibi permansuri: quòd si qui Cardinalium renuntiarant suis Ecclesijs, earum retentis prouentibus & administratione, hæc integra, & prouentus pro congruenti portione traderentur Episcopo. Laudauit tamquam afflatu diuino decretam Seminariorum institutionem, dicens, velle se omnium primum eius rei exemplum sponte præbere: & quò Concilij negotium aptius firmiusque procederet, addi à se, tamquam Legatorum adiutores, Cicalam, Vitellium, & Borromæum Cardinales, qui de modo validissimæ confirmationis, atque integerrimæ executionis consilium haberent: affirmauitque, sui propositi summam esse, vt Synodus Tridentina eo pacto auctoritate Pontificiâ stabiliretur, quo eius Acta & Decreta inuiolata persisterent, nec ea vmquam fauoris aut potentiæ gratiâ quispiam transgrederetur. Quod si fortè, vt fert humana conditio, contingeret, in aliquo euentu conducibile, rationique consentaneum videri, à Concilij sententia discedere, numquam illis Cardinalibus liceret id agere, nisi diserto suo iussu accedente. 6

Hinc ad alia transgressus, tandem concluſit: Cùm ex eo cuncta mala traxerint originem, quòd homines nequiter improbi sacras Insulas obtinuerant; operam in posterum nauandam esse, ne ad Episcopi gradum promouerentur nisi viri munus illud amplissimum promerentes. Ideircò tribus Ordinum capitibus à se committi, vt vnà cum Cardinali Relatore inquirerent in vitam, in mores, 7

mores, in doctrinam eorum, qui erant eligendi; quò eiusmodi es- 1563.
sent, vt ipsorum sermone atque exemplo salutaris cibus benignè præberetur gregi, non autem, sicut interdum acciderat, vt illius sacræ dignitatis ornamenta deturparentur; quin potiùs animi atque ingenij luce splendor Episcoporum augesceret. Hi fuerunt Pij IV. sensus in prima illa oratione ad Patres Purpuratos habita post Concilium.

8 Hinc liquet, quàm graui calumniâ Suauis narret, à Pontifice, præter iussionem, quâ cunctis Episcopis imperauit, vt suas apud Ecclesias residerent (prætermittens silentio id Cardinalibus, ac posteà sororis filio fuisse commune) nullam ibi prætereà diligentiam fuisse adhibitam ne Tridentina Decreta violarentur, nisi demandatâ curâ Morono & Simonettæ, ne in Senatu Cardinalium quidquam admitteretur, quod Synodi sanctionibus obesset; id verò existimatum fuisse leue remedium, *cùm ex concessionibus, quæ Romæ habentur, ne centesima quidem pars in Senatu Purpuratorum decernatur.* Homini, qui audet factum tam grauiter variare, sine dubio satis erit sibi fidem à lectoribus, ac sententiam propitiam obtinere.

9 Et quod spectat ad integram Synodi confirmationem, cui repugnantes ille inducit Magistratus omnes Aulæ, præter Boncompagnum; quænam species mortalium oculis obiecta fuisset, si Pontifices Synodum conuocassent post tam inflammatas Christianæ Reipublicæ preces ad expetitam emendationem Ecclesiæ, posteà verò ijdem recusarent emendationem, in Synodo, à suis Legatis administrata ac recta, sancitam? Nónne hoc pacto quasi tubâ signum fuisset editum ad propria nationum Concilia, adeò per minas intentata, & odio habita celebranda per cunctos populos transalpinos? Præterquam quod quâ fronte licuisset Pontifici petere ab alijs Principibus, vt morum emendationem exciperent, nisi cum plurimis ex ipsorum arbitratu exceptionibus, vbi ipse ad aliquam illius partem reijciendam exemplo præiuisset?

10 Pontifex nullâ iectâ morâ, in Senatu vigesimæ sextæ diei Ia- 1564.
nuarij, iterùm suis Legatis ornatissimâ[g] oratione collaudatis, simulque Patrum pietate ac prudentiâ commendatâ, solemnem Legatorum petitionem communi Patrum nomine accepit, vt Synodus confirmaretur. Rogatisque de more sententiam Cardinalibus, vniuersali consensu eam comprobauit, & confirmauit diplomate, ab illis omnibus subscripto. Qua de re Borromæus ad duos in Hispania Nuntios[h] ita scripsit: *In Senatu habito die 26. Pontifex cum sacri Colle-*

g Acta Cõsistorialia.

h Primo Februarij. 1564.

1563. *Collegij consensu cuncta Decreta Concilij sine vlla exceptione confirmauit; ac tam egregiè pieq; locutus est de obseruatione atque executione illorum Decretorum, vt si ad probum ipsius animum accedat opera Principum laicorum, ac potissimùm Regis Catholici, sperandum sit, quam primùm decerptum iri salutarem fructum, qui ad quietem ac sanitatem Christianæ Reipublicæ peroptatur. Nunc per typos hîc diligenter eduntur ea Decreta, quò posteà nauiter correcta, per cunctas prouincias mitti possint: & Pontifex habet in animo, certos homines ad cunctos Principes mittere, vt eos hortentur, & vrgeant ad eorum custodiam, quæ in Synodo sancita sunt; quamquam nondum certò statuerit. Interim ille solertiam omnem adhibet ad rectam præscribendam formam ijs omnibus, quæ ab Aula Romana conficiuntur, quò emendatio, eiusq; executio hinc vires capiat, ac reliquis exemplum præferat.* 12

In quo Suauis obiecta quædam in Pontificem insulsè confingit: 11
à Pio nimirum ea confirmari, quorum sententiam idem ignorabat; *cùm appareat ex Actis Senatus* (ita scribit) *à Pontifice non nisi decretum petendæ confirmationis visum fuisse.* Id autem Suauis confingit, quo responsum pariter ad obiecta confingat, quod ille scribit redditum esse: videlicet, nihil actum fuisse Tridenti, nisi priùs à Pontifice Romæ deliberatum. Iam verò vt hoc illum honore prosequamur, in vtroque eius dicto aliquantulùm immoremur. Hoc postremum, quod quasi responsum ille refert, si veritati congrueret, nec iniquum, neque nouum fuisset, sicuti sæpiùs ostendimus; quin fuisset illud idem, quod in tot venerandis Concilijs, Lateranensi, Lugdunensi, Viennensi, & Florentino fuerat obseruatum, quibus Pontifices per se ipsi adfuerant ac præfuerant. Sed hoc in Tridentino falsum omnino est, cùm Pontifex eousque deuenerit, vt non solùm Legatos iusserit procedere, secum priùs non communicatâ notitiâ; sed eosdem arguerit cùm id non agebant, quemadmodum ex tot eius litteris hîc appositis, & ex alijs probationibus à nobis parefactum est; & insuper cùm complura Decreta grauia, & aduersantia expectationi tum Aulæ Romanæ, tum Legatorum, sancita fuerint interdum in cœtibus Sessionem proximè præcedentibus, interdum in ipsis Sessionibus. Profectò Nicolaus de Ponte, Orator Venetus, vir non adeò studiosus Pontificis, vt hic nonnumquam de illo acriter conquestus fuerit, sicuti narrauimus, is, inquam, in vberrima narratione de Concilio, affirmat quidem, initio integram illic agendi libertatem non fuisse (quod tamen verè dici non potest, sicut in hac historia ostensum est) sed postremo tempore illam fuisse summam fatetur. Et certè animad-

uertitur,

uertitur,& plures & grauiores sanctiones postremis quinque mensi- 1563.
bus constitutas fuisse, quo etiam tempore aliquod ex iam decretis reuocatum ac variatum est ;ac posteà extre o die lecta iterum & confirmata sunt plenâ concordiâ cuncta Decreta: adeoque etiamsi ad legitimam Actorum efficaciam opus fuisset eiusmodi effræni libertate, ne huius quidem defectus opponi posset.

12 Sed vt ad id reuertamur,quod Suauis narrat obiectum fuisse modo, quo Pius vsus est in Concilio confirmando, an stultitiæ plus an malitiæ illud obtineat, equidem ambigo. Vbinam apparet, in ea Senatus actione, vt ille pro certo ponit, *à Pontifice non nisi decretum petendæ confirmationis visum fuisse*? Paralogismum Suauis in eo commisit, in quem si vel maxime rudis ex auditoribus Logicæ prolapsus esset, irrisionibus exciperetur, arguens à sensu, vt loquuntur scholæ,negante ad infinitantem. Eo planè modo,ac si quis diceret: *Non apparet in Testamento veteri Deum esse Trinum : ergo apparet, Deum non esse Trinum.* Ita sanè in re nostra. Non apparet, in ea breui Senatus actione visa fuisse à Pontifice Decreta Concilij; ergo (arguit Suauis, alienam personam fingens) apparet visa non fuisse. Egregiam profectò consecutionem! Num fortè satis non erat, Pontificem ante mensem, dum in eodem Senatu verba faceret, sicuti diximus, ostendisse, ea fuisse à se lustrata, & adeò plenè perpensa? sed quid amplius? In eadem actione res apparet aduersùs quàm Suauis autumat apparere. Affirmat ibi Pontifex, habitam à se fuisse super his maturam cum Cardinalibus deliberationem. Quænam autem fuisset matura deliberatio in habenda confirmatione illius, cuius sententia ignoraretur? Præterea in eadem actione legitur tunc fuisse decretum, vt diploma de his vulgaretur,quod, sicuti narrauimus, re ipsa vulgatum fuit, eodem die signatum, & ab ijsdem Cardinalibus subscriptum, ac posteà per typos impressum. Et in eo sic loquitur Pontifex: *Quoniam noueramus, omnia ea Decreta esse Catholica, & vtilia populo Christiano; ad laudem Omnipotentis Dei, omnia, & ipsorum singula,cum consilio & consensu fratrum nostrorum,hodie in nostro Consistorio secreto auctoritate Apostolicâ confirmauimus.* Et sanè nónne notorium erat, Decreta Sessionum subinde non modò in Pontificis, sed in cuiuslibet hominis, latinam linguam callentis, manus peruenisse? Quod si quis me percontaretur, cur potiùs huiusce decreti, quo Synodus confirmationem postulabat, quàm aliorum, fieret mentio expressa in Senatu; animo reputet, hoc decretum interesse potissimùm in ea actione, vt liqueret, agnitam fuisse à Synodo necessitatem Pontificiæ auctoritatis,vt ipsius sanctiones,

1564. nes vim haberent. Hinc accidit, vt cùm Legati Romam miserunt [i] exemplum confirmationis, à Simonetta digestum, ad ipsos responsum fuerit, promptum esse Pontificem ad eam habendam, dummodò à Synodo postularetur, quod postulatum à Pio percupi. Idem etiam rursus [k] significauit, cùm rumor esset, velle Lotharingum postridie quàm res concluderentur discedere, Tridentum mitti non posse confirmationem antequam Synodus absolueretur: velle se tamen absque dubio eam confirmare statim ac legitimam postulationem acciperet: atque ita planè perfecit diplomate, de quo diximus.

[i] Litteræ Borrom. ad Legatos 2. Decembris 1563.

[k] Litteræ Borrom. ad Legatos 4. Decembris.

Quoniam autem varietas, & ambitiosa subtilitas ingeniorum frequenter efficit, vt interpretationes mutatâ ipsarum naturâ implicent potiùs quàm explicent scriptionis sententiam; & peculiariter prænoscebatur, Concilij Decreta in explicationes contrarias pertractum iri à contrarijs non modò mentium conditionibus, sed animorum affectionibus atque vtilitatibus, corrupto magna ex parte fructu, & Ecclesiâ perturbatâ potiùs quàm compositâ; interdixit per idem diploma Pontifex, ne interpretationes super illis imprimerentur, sibi reseruâta eorum declaratione quæ in dubium vocarentur, quemadmodum ipsa Synodus constituerat. 13

Dubitatum posteà fuit de tempore, quo Decreta initium ducerent ad obstringendum. Pontifex verò, quò ambiguitas omnis tum interioris tum exterioris fori tolleretur, aliud diploma proximo Iulio vulgauit; declarans, Tametsi Decreta ab initio Romæ obseruata fuissent, tamen quoniam spatium aliquod à iure conceditur, antequam obliget noua lex, & quia uniuersi Concilij Decretis aliquâ temporis morâ opus fuerat, vt correctius per typos ederentur in lucem, intelligendum esse, initium obligationis constitui Kalendis Maijs. Dein secundo Augusti tertium diploma confecit, per quod octo ex Purpuratis Patribus designauit, qui plenæ Concilij executioni præessent, opportunâ illis auctoritate concessâ. 14

Antequam hæc postrema & ab eo perficerentur, & inde vulgarentur in remotis Regionibus, siue desiderium vehemens, à quo metus progignitur, siue odium, à quo noxium prænuntiatur opus ex impatienti libidine illius vituperandi priusquam perpetretur, rumorem excitauerat, Pontificem difficulter adactum iri ad Synodum confirmandam, cum tanto Aulæ suæ suique ærarij detrimento. Quamobrem nuntius posteà oppositi euentus Christianos populos mirificè recreauit. Mihi autem satis erit, litteras hîc proferre, quas ad Pium scripsit religiosissimus Lusitaniæ Rex Sebastianus. 15

Miserat

Miſerat iam Pontifex librum impreſſum Decretorum Synodi per Oratorem Luſitanum ad Henricum Cardinalem, Regis patruum, eiuſdemque poſteà ſucceſſorem. Is verò in reſponſione, commendato extra modum Pontificis ſtudio [l] ob perfectum confirmatumque Concilium, indicauerat, ad explendam communem lætitiam expectari diploma litteraſque Pontificis, quibus Decretorum executionem præciperet. Paulò pòſt litteræ illæ ad Regem miſſæ ſunt, qui hæc reſcripſit [m]: *Nullum vmquam diem arbitror noſtrâ aut maiorum noſtrorum ætate illuxiſſe vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ feliciorem illo die, quo Sanctitas veſtra confirmatis omnibus Decretis ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi, ſalutare ſignum ſuſtulit in Arce Apoſtolicæ Sedis ad benè ſperandum de hac ipſa Republica. Satis erat apud homines pios, ſalutiſq; communis ſtudioſos, auctoritas grauiſſimi Decreti, per quod veſtra Sanctitas omnes ſanctiſſimæ illius Synodi Canones Apoſtolicâ ſuâ poteſtate comprobaret. Sed apud proteruos ac peruicaces, donec id publicis Pontificijs litteris palàm fieret, non modò ſacroſancti Concilij firmitas vacillabat, ſed dignitas & exiſtimatio Sedis Apoſtolicæ in diſcrimine integritatis ſuæ verſabatur; cùm eſſent qui circumſpectam Sanctitatis veſtræ cunctationem, & religioſam maturamq; prudentiam iſtius ſacri Senatus in promulgando diplomate, valdè aliter interpretarentur quàm opus ipſum oſtendit. Nunc verò dum ob litteras Pontificias cuncti fatentur, omnem caliginem eſſe diſiectam, dubitationemq; ſublatam, conuertunt animum ad bonam frugem, intelligunt oportere ſibi vt alios induant mores, aliâque procedant viâ: Chriſtianæ diſciplinæ ſeueritas reparatur; bonarum artium ſtudia reſloreſcunt; animarum procuratio iam intermiſſa reſumitur; debitus Eccleſiæ ſplendor reſtituitur; ſacerdotibus, Deiq; miniſtris honor exhibetur; Paſtores ſuo funguntur munere; complurium ſacerdotiorum obligationes expenduntur, & priſtinæ functiones ad vſum reuocantur. Idcirco grates publicæ Deo optimo perſoluuntur, qui tam piam mentem iniecit Sanctitati veſtræ, cui pariter ſemper grates agemus ob numquam defeſſam conſtantiam, quâ tam ſalutare opus perfectum eſt. Quod ad me ſpectat, in tuenda ſacri Concilij dignitate, & iſtius ſanctæ Sedis auctoritate, efficiam, vt qui mihi ſubiecti ſunt, & etiam alij, intelligant, nihil nobis magis cordi eſſe, quàm vt priſtina dignitas reddatur Eccleſiæ, atque vt noſtrâ operâ cuncta ſanctæ Synodi Decreta, tum de rebus fidei, tum de moribus, obſeruentur inconcuſsâ & inuiolabili integritate: quod illicò ſignificaui cunctis Præſulibus in noſtris regnis ac ditionibus: ſeduloq; commendaui, vt ad id omni ſtudio incumbat Henricus Cardinalis patruus meus, & veſter Legatus, non tam vt promptiorem illum redderem, cùm ipſe ab innata pietate vehementer ad id feratur, quàm vt idem cognoſceret, in hoc negotio mentem meam*

1564.

[l] Litteræ Henrici Cardin. Luſitani ad Pontif. 1. Iulij 1564.

[m] Die 2. Octobris: & extant in Archiuo Vaticano.

1564. *cum ipsius fide, religione atque integritate plenè concordare, & vt me paternè admoneret quidquid mihi agendum putaret.*

Huiusmodi sensus in Concilium & in Pontificem pius Lusitaniæ Rex Sebastianus præ se tulit.

Humana nequitia dum semper de Principibus ac Præsulibus opera mala prænuntiat, hoc boni secum fert, quòd posteà opera prædictioni contraria, tametsi obligationem haud excedentia, tamquam heroica, cum admiratione ac laudibus excipiantur.

CAPVT X.

Obiecta à Ferrerio duarum Sessionum postremarum Decretis, ne acciperentur in Gallia. Alia Suauiana commenta ab Auctore confutata de iurisdictione Ecclesiastica, de iure Patronatus, de facultate possidendi bona stabilia mendicantibus concessa, & de Commendis.

SEd huiusmodi sensus haud præ se tulit Ferrerius, qui Venetijs adhuc morabatur. Hinc vbi primùm cognouit, Synodum fuisse terminatam, ad Regem scripsit[a], ac (pro eo quod homines consuerunt, vt è cunctis subsecutis euentibus comprobationem suorum operum, consiliorumque præcedentium conquirant) argumentum sumpsit ad affirmandum, absentiam suam & collegæ à postremis duabus Sessionibus peropportunam fuisse, ne ipsorum præsentiâ immunitatibus ac prærogatiuis Ecclesiæ Coronæque Gallicanæ detrimentum inferretur. Atque ita differebat: In Sessione vigesima quarta capite quinto, octauo, ac vigesimo sancitum fuisse, vt Episcoporum causæ cognoscerentur Romæ, aduersus Galliæ priuilegia, per quæ habebatur, vt ipse dicebat, ne illæ extra Regnum egrederentur. Pensiones comprobari: (perinde quasi Rex in Sacerdotijs distribuendis eas non imponat:) & in fine pluribus modis declaratum fuisse, Concilium illud vnum continuum, non autem nouum fuisse; cui semper obstiterant Regis Oratores, secundùm ipsius mandata. Romanum Pontificem nominari *Episcopum Ecclesiæ Vniuersalis*, cui titulo semper Oratores repugnarant: & alia complura esse, ex quibus necessariò conficiebatur, illum præesse Concilio, aduersùs quàm opinabatur Gallia & Sorbona; quæ opinio semper illic ab ipsis vnà cum Lotharingo Cardinali, cum Episcopis ac Theologis Gallis fuerat propugnata. Nullam fuisse habitam rationem contestationis, ab Henrico Rege pronuntiatæ in Iulij

[a] Litteræ Ferrerij ad Regem, Venetijs 6 Decembris 1563.

Iulij conuocatione: illius verò, quæ dicebatur interpoſita ad conſeruanda illæſa iura Eccleſiæ Gallicanæ, non potuiſſe exemplum ab Oratoribus obtineri: & vt multa in pauca redigantur, aucta fuiſſe Romæ commoda, ſed à ſe ne minimam quidem poſtulatorum partem impetratam fuiſſe. Tam aliam præ ſe tulit mentem Ferrerius, cùm ſpem ſuam apud Pontificem areſcentem putauit, ab illa quam oſtenderat Gualterio, eâ ſpe floreſcente. 1564.

2 Porrò Deo planè tribuendum eſt, quòd imprudenter hîc ſe geſſerit Suauis, dum rationes recenſuit, ab ipſo atque ab alijs per ſummam efficaciam allatas, vt oſtenderet, à Tridentino Concilio prærogatiuam Romanorum Pontificum ſupra Concilia declaratam fuiſſe: hoc enim pacto nolens ille, in ea tam ſublimi cauſa, ſtrenuus patronus hoſtium ſuorum euaſit. Si res ita ſe habet, vt Synodus Tridentina protulerit ea verba, quibus declarata intelligatur prærogatiua ſummi Pontificis ſupra Concilia; igitur ſicuti quilibet Catholicus accipit, ſeque obſtrictum fatetur ad accipiendam Tridentinam Synodum in ijs omnibus quæ ſpectant ad doctrinam, ita pariter quilibet Catholicorum obſtringitur ad concedendam hanc prærogatiuam in ſummo Pontifice: vbi verò Suauis ſuper hoc argumento non alienam agens perſonam, ſed ipſe per ſe decertauit cum alijs, ex ijs quæ poſteà ſcripſit in opere quod refello, conuincitur manifeſtæ rationi aduerſari; tunc enim diſceptabatur vtrimque à Catholicis, poſitâ iam tamquam extra dubitationem doctrinâ Conciliorum omnium Oecumenicorum, & quæ à Catholicis accepta fuerant.

3 Pergit comminiſci varia obiecta illis Decretis à Pariſienſi Senatu, tamquam iniuſtè ſibi occupantibus poteſtatem laicorum, ſimulque Regiam violantibus. Ego verò prætermiſſâ aliâ diſputatione, ſolum illud aſſumam, quaſi auream haſtam, contra huiuſmodi criminationes: Id ſi accidit, talpas fuiſſe oportuit Oratores & Conſiliarios tot Principum, qui paratas ſanctiones, antequam ſtabilirentur, expenderunt, curaruntque vt quodcumque verbulum mutaretur, in quo vel tenuis vmbra detrimenti ſuis ditionibus cerneretur; atque ita præſertim Cæſar egit etiam ipſe per ſe, & per aſſiduas litteras ad ſuos Oratores, qui cum eo communicabant è propinquo quidquid parabatur, ſicut hoc in Opere animaduerſum eſt: & tamen hi omnes Oratores, Conſiliarij ac Principes illis Decretis minimè repugnarunt. Oportet ſimiliter talpas fuiſſe Regia Conſilia Hiſpaniæ ac Luſitaniæ, Senatum Venetum, & tot alios Principes ac Dynaſtas, à quibus illa poſteà ſunt accepta.

1564. Sed omissis odiosis controuersijs de iurisdictione, videamus quæ Suauis differit sub consueta sibi communitatis larua: *In ijs quæ ad ius patronatus spectant, dicebant, perinquè actum fuisse cum laicis, dum ipsis difficiles reddebantur probationes: atque integrum illud caput inniti in quadam assumptione falsâ, cuncta nimirum sacerdotia esse libera, nisi ius patronatus probetur: nam è contrario certum est, ab Ecclesiis temporaria bona non posideri, nisi tradita à laicis; quos assumendum pro certo non est, voluisse ea ita concedere, vt sacerdotium tractari ac dissipari fas esset pro Ecclesiasticorum arbitratu. Quare ab initio erat donantium dominio subiectum; & eiusmodi credendum esset, nisi ostenderetur absoluta eius donatio, & integra domini concessio. Et quemadmodum Communitas aut Principes succedunt illi, qui nullum alium habet hæredem; ita cuncta sacerdotia, quæ non subiacent domini peculiaris iuri, sub dominio publico esse deberent. Eorum etiam complures formam illam loquendi deridebant, quòd sacerdotia alicuius iuri subiecta, essent in seruitute, alia verò essent libera; quasi manifesta seruitus non esset, quòd illa subiecta sint liberæ facultati Romanæ Aulæ, contrà quàm instituta ac fundata sunt, eadem administrantis, non autem laicorum dominio ea conseruantis.* 4

Suauis sensum audiuimus; illum trutinâ perpendamus. Ac primò quidem verum non est, probationes beneficiorum, iuri donantium subiectorum, difficiles hîc vniuersè fuisse redditas; sed solùm illas, de quibus præsumitur iniusta occupatio. Iam verò si perlegantur quæ de hoc scribunt celebriores Canonum periti, comperietur, varijs temporibus à compluribus potentioribus fuisse iniustè occupata tam profana suorum oppidorum dominia, quàm Ecclesiastica Sacerdotiorum; quod præcipuè narrant contigisse in Sacerdotijs Italiæ, cùm summi Pontifices Auenione degebant. Hisce solis potentioribus Synodus probationes coarctauit; contrà verò cùm de reliquis loqueretur, postquam varia conumerauit legitima genera probationum, vt ostenderet à se nullam excludi, addit; *& alias, vt secundùm iuris dispositionem patronatus probaretur.* 5

Sed de hoc mirifica sanè ea doctrina est, quâ Suauis arguit, cuncta Sacerdotia, vbi ex institutione oppositum non liqueat, esse sub laici domini iure. Me non fugit, duas esse opiniones de iure Patronatus[b]: alteram Pauli de Castro, ius illud non acquiri à laico per solam aut ædificationem aut dotationem Ecclesiæ, vbi disertè illud sibi non reseruet; & secundùm hanc opinionem longiori confutatione opus non est contra Suauis ratiocinationem: alteram Cæsaris Lambertini Antistitis Insulensis, à laico ius acquiri per ea opera, vbi non appareat, ab eodem illi renuntiari. Sed neque hic 6

[b] Vide Cæsarem Lambertinum de iure Patronatus, in prima parte lib. 1. in toto artic. 4. secundę quæstionis præcipuæ.

Doctor,

Doctor, nec eius asseclæ adeò stultè pronuntiarunt, in donationibus, ac præcipuè ex causa pia habitis, quæ liberalissimæ censendæ sunt, intelligi eas conditiones exceptionesque, de quibus qui donauit non loquitur, multoque minùs illas, quæ non sunt in ipsius potestate, sed pendent à consensu excipientis donum, cuiusmodi est facultas eligendi Ecclesiæ ministri. Fundamentum igitur Lambertini, eorumque qui cum eo secundam sententiam sequuntur, in eo situm est, quòd ipsa Ecclesia, quò fideles alliciat ad hoc pium opus, hanc facultatem largiatur, cui potest renunciari à donante; sed renuntiatio nonnisi extante probatione credenda est. Verumtamen in hac ipsa sententia ab eius auctoribus duo affirmantur, per quæ Suauis argumentum labefactatur. 1564.

7 Vnum est, non idcircò esse in laici potestate, vt acquirat dominium sine Præsulis voluntate: non enim illi fas est auctoritate propriâ Ecclesiam ædificare, sacerdotiúmve fundare. Quapropter vbi non ostendatur, huiusmodi ædificationem fundationémve ab illo factam, præsumitur id peractum non esse operâ laici, cui per se id fas non erat, sed operâ Præsulis, tametsi fortasse per eleëmosynas laici.

Alterum, de quo conueniunt etiam qui defendunt hanc sententiam, sacerdotiorum dominis fauentem, est, vt beneficium iam memoratum, fundatori concessum ab Ecclesia, deueniat quidem ad heredem quemcumque, siue consanguineum siue extraneum, quoniam id ad alliciendos homines conducit; non tamen posteà, si heredes deficiant, reuoluatur ad Fiscum: de hoc enim nihil laborat fundator, neque id valeret ad augendam in eo voluntatem huiusmodi eleëmosynæ largiendæ; adeoque imprudenter & sine vllo commodo Ecclesia seipsam auctoritate suâ priuaret, concederetque patronatum fundatori eo genere concessionis, vt cunctis heredibus deficientibus, tum proximis tum remotis, ea potiùs acquireretur Fisco, quàm extingueretur.

8 Porrò mirum est, velle persuadere, sacerdotia dicenda tunc esse in seruitute, cùm in arbitrio sunt Præsulis, cui Deus iniunxit res Ecclesiasticas curare, magis quàm si essent in arbitrio laici, ad quem solum pertinet administratio ciuilis. Atque vt vocabula seruitutis aut libertatis omittamus, res quæstioni subiecta non est, an melius sacerdotia committantur distributioni Præsulis, qui à suo munere compellitur, vt ea dignioribus conferat absque personarum exceptione, an domino laico, cui mos est illa tradere homini arctissimâ sibi propinquitate coniuncto, aut seruo optimè merito in sua priuata

1564. uata familia. Quod profectò locum ita non habet in patronatibus ſupremorum Principum, de quibus Concilium nihil dixit.

Agit poſteà Suauis de facultate Pontifici reſeruata, cognoſcendi 9
primas cauſarum delationes ob earum grauitatem,& iudicandi cauſas criminoſas omnium Epiſcoporum. Sed hac de re à nobis abundè dictum eſt.

Addit: *Nullâ ratione comprobabant, bonorum ſtabilium poſſeßionem* 10
mendicantibus conceſſam; & aiebant: Cùm in Gallia per huiuſmodi inſtitutionem illa fuiſſent recepta, æquum eſſe vt non niſi in eodem ſtatu retinerentur. Perpetuum eſſe artificium Aulæ Romanæ, bona è laicorum manibus excutere, & ad Clerum trahere, ac deinde Romam; cùm priùs detur opera, vt per ſpeciem voti paupertatis monachi æſtimationem ſibi comparent, quaſi nihil ab ipſis fluxorum bonorum ſpectetur, ſed cuncta ex charitate ad populi commodum deſtinent: poſteà verò, æſtimatione ſibi comparatâ, voti ligamen Aula relaxat, vnde facilè diteſcunt; & ita monaſteria, iam affatim opulenta, in commendationem traduntur; ac denique vniuerſa in Aulam Romanam commigrant. Hæc ratiocinatio, à Suaui Gallis adſcripta, inter eas fabellas connumeranda eſt, quibus vt quiſpiam oblectetur, opus eſt vt puer ſit, & in illis amet quod admirabile eſt, & quod confictum non agnoſcat.

Ac primò quidem res ex aduerſo procedit. Ordines illi, è quo- 11
rum bonis fundatæ ſunt Commendæ, fuerunt Ordines monachorum, qui ſe numquam obſtrixerunt voto non poſſidendi bona ſtabilia. Huiuſmodi votum, ſaltem vniuersè ac frequenter, initium habuit in mendicantibus: & quemadmodum accidit in cunctis rebus nouis, tametſi bonis, illi voto ac mendicationi acriter aduerſati ſunt Guillelmus à ſancto Amore, alijque Galli Doctores, aduerſus quorum obiecta votum illud propugnarunt S. Bonauentura in Apologia Pauperum, & S. Thomas[c] in Summa contra Gentes, & vberiùs in Opella[d] Contra Religioſorum impugnatores. Præterea Ordines mendicantium, qui hoc laxamentum à Concilio accepere, non prænoſcebatur fore vt tam largis ac tam frequentibus donationibus abundarent, vnde cuiquam ſuboriri poſſet metus illius immenſæ opulentiæ, aut illius periculi, quæ Suauis depingit.

[c] Lib. 3. cap. 132.
[d] Cap. 6.

Sed quò preſſiùs eum facto conuincam, duo obſeruo: alterum, 12
Gallos, quamuis leges Concilij non exceperint, non tamen quidquam reſtitiſſe facilitati mendicantibus conceſſæ acquirendi bona ſtabilia; vt reipſa compertum eſt. Alterum, non modò hoc Decretum illis non diſplicuiſſe, quoniam ea bona in Commendationem

nem posteà traduntur; sed præcipuum titulum, cuius gratiâ Regina & ministri obstitere ne leges Concilij exciperentur, fuisse, præscriptam ab eo ademptionem Commendarum, vti palam fiet: hæ siquidem in Gallia cunctæ Regis distributione concedebantur. Licet etiam nostro lectori in memoriam reuocare, quàm[a] criter improbauit Cæsar, quòd Synodus vellet prohibere ne prouentus monasteriorum, in quibus disciplina collapsa fuerat, adhiberentur ad fundanda alterius generis sacerdotia. 1564.

13 Hæc satis superque essent contra piam Suauis commentationem: sed fingamus, quod ille vult, post diuturnum sæculorum curriculum hos prouentus in Commendas conuersos, Romanam in Aulam confluxisse. Vitio mihi vertendum haud censeam, si adstringentem defensionem repetam, quando aduersarius numquam cessat repetere oppugnationem speciosam, & quæ reuerà centrum omnium ipsius linearum est, sed centrum auernale. Cuperem vt mihi Suauis explicuisset, quid tandem hæc Aula sit. Ea profectò ærarium est, ac theatrum commune virtuti, doctrinæ, ac promeritis eorum omnium Christianorum, qui se in Ecclesiastica militia mancipant peculiari Dei cultui, & præcipuo quodam fidelium auxilio: neque quisquam est hisce dotibus ornatus, atque huic militiæ adscriptus, qui hoc theatrum ingressus, plus minúsve huius ærarij non fiat particeps. Iam verò animaduertatur, num quidquam incommodi afferat ciuili felicitati, quòd multa bona, non donum casus in hereditate sanguinis euadant, sed iustitiæ distributio in laborum remuneratione reddantur. Quodnam malorum deterrimum excogitari possit in huiusmodi bonorum collatione? Quòd interdum conferantur sine promerentium delectu? sed ita semper ea confert titulus hereditatis. Quod malorum deterrimum concipi possit in distribuendis prouentibus, postquam ea tradita fuerint, Quòd interdum impendantur non in virtutis ac pietatis opera, sed ad familiam ditandam, & per licentiam profanam? Atqui hoc pacto vniuersè distribui compertum est prouentus, per sanguinis coniunctionem collatos. Verùm speciosus fucus, in quo moles tantæ inuidentiæ ac tot querelarum innititur, ex eo prouenit, quòd concipiatur Ecclesia & Aula quasi persona vnica, quæ sibi cunctos illos prouentus absorbeat, nullo alijs fructu distributo: at re verà non nisi munus dispensandi illius patrimonij ea exercet, quâ ratione humanæ Reipublicæ magis prosit.

14 Postremò narrat, Episcopos, Theologos, & famulos, vsos Gallicâ libertate, fuisse locutos de Synodi rebus per innumeras vituperatio-

1564. perationes, atque irrisiones. Liceret mihi affirmare, cuncta hæc falsò dici, quandoquidem nec certæ personæ nominantur, nec dicta ab illis testimonia proferuntur. Sed placet sinceriùs respondere. Incredibile quidem mihi non est, nonneminem siniſtrè oblocutùm, cùm animaduertam, etiam extante Synodo sic euenisse; nec argumentum deerat ad id agendum, perinde ac nec vnquàm deerit in quouis opere humano, in quod tot homines tam inter se varij concurrant, & quod tot annos perduret. Apud se quisque rationem subducat: quicumque ingens Senatus, tametsi eiusdem patriæ, & quauis sapientiâ prudentiâque præditus, si consentiret vt publicæ famæ exponeretur, quantum in eo nimiæ affectionis, quantum imbecillitatis interuenit tum in agitandis negotijs, tum in sententijs proferendis. Hoc vitio nec Ecclesia primæua, nec veteres Synodi caruere; nec id à me in Tridentino dissimulatum est. Etenim Deus potentiâ suâ non vtitur in hac vita ad transformandos diuinitus homines in Angelos, sed ad extrahenda ex operibus ab imperfecta hominum industria confectis, bona præsentissima, quibus Angelorum vires impares essent. Itaque voluit vt in Euangelio narrarentur huiusce modi vitia vel paucorum Apostolorum quos elegit, suâque quotidianâ disciplinâ secum educauit. Præterquam quòd in opificijs arduis ac diuturnis euitari non possunt multa incomposita, si non artificum, saltem materiæ vitio. Atque idcircò iure optimo Michaël-Angelus Bonarota, cui tum in pictura, tum in duabus socijs artibus Diuini nomen inditum est, nolebat, vt dum pingeret ab vllo conspiceretur, cùm in ipsius etiam manu frequenter penicillus erraret, sibique necesse foret quod minùs concinnè formarat, posteà delere. Opus iam perfectum spectetur, & illud auctorem suum vituperet, aut commendet.

Equidem affirmare nesciuerim quidnam dixerit de rebus in Concilio gestis quispiam parum prudens, & fortasse parum conscius, parumque veridicus. Satis in comperto mihi est, per vniuersam Christianam Rempublicam, per Galliam præsertim, summam de illo existimationem fuisse diffusam: ac primò quidem Decreta doctrinæ adorata illic fuere tamquam sacrosancta ab vniuersis Catholicis: dein quamquam disciplinæ Decreta in difficultatem offenderent, propterea quòd aliqui ex Concilio & ex Senatu ea quasi detrimentosa priuilegijs Regis & Ecclesiæ Gallicanæ depinxerant; tamen Episcopi in Synodis Prouincialibus illa pro virili sunt imitati; & per hanc imitationem Ecclesia in Gallia vltra modum meliorem

in

in formam redacta est. Et multis post Conciliũ annis elapsis magnus Galliæ Rex Henricus IV. iureiurando spopondit Clementi VIII. Pont. Max. omnem à se operam nauatum iri, vt Concilium suis in regnis integrè exciperetur: ad quod animum non induxisset generosus & tunc victor Princeps, si eas Synodi sanctiones iniustas aut noxias existimasset. Sed lubetne verum cognoscere ab vno ex primarijs prudentioribusque ministris, quos Galliæ regnum vmquam habuerit? Lustremus litteras per typos vulgatas Cardinalis Ossatensis. Is conatus persuadere[e] Villeroo, qui Regi à secretis erat, oportere ipsi Regi huiusmodi iusiurandum custodire, scribit, In Concilio parum aut nihil repertum iri à Senatu, de quo conqueri posset; & modicum illud vbi reperiretur, facili negotio componi posse. Liberius autem Regi significans excusationem, à se redditam Clementi VIII. Regis nomine, exponit in duabus litteris[f] veras causas difficultatis obiectæ: nimirum Tridentinam Synodum in Gallia displicere tum pluribus, tum maioribus; ac primo loco cunctis hæreticis, qui ab omni Concilio abhorrebant: præterea etiam Catholicis potentioribus, videlicet, Senatibus, Collegijs Ecclesiasticorum, ac Proceribus, quibus graue accidebat, interdici sibi sacerdotia naturâ suâ insociabilia, & cum abusibus vetitis à Concilio. Id expositum egregius ille vir Regijs verbis Pontifici: ceterùm idem scripsit ad memoratum Villeroum[g], nihil à se repertum in Synodo, quod auctoritati Regiæ aduersaretur: quin ne ipsi quidem Regi significare veritus est[h], in ea Synodo plurimum esse quod faueret, nihil quod officeret Ecclesiæ Gallicanæ; *nisi quis fortasse crederet, simonias, aliaq; vitia & corruptelas, esse Ecclesiæ Gallicanæ priuilegia.* Nec eiusmodi sensus in illo singularis extitit. Compertum est, quàm inflammato studio hanc acceptionem promouerit in publicis Galliæ conuentibus alter doctissimus ac religiosissimus Regis minister Cardinalis Peronensis, & cum eo Episcopus Lussionensis, qui posteà purpurâ decoratus, & Cardinalis Richelius dictus, inter præcelsiora nomina Gallicæ nationis superstes erit. 1564

16 De Hispanis non audet Suauis quidquam loqui, quod spectat ad æstimationem Concilij. Haud tamen hîc omiserim oculatum testem illius nationis Petrum Fontidonium Theologum, de quo sæpiùs mentionem habui. Hic in responso ad opusculum[i] Ioannis Fabritij Montani, vbi causas ille adducebat, cur hæretici Germaniæ ad Synodum non venissent, ita scribit: *Quod spectat ad accusationem tuam, quòd Patres Concilij ad Pontificis nutus se conforment, vellem vt tu præsens adesses; dum enim contemplareris huiusce sanctissimi Senatus*

e 15. Februarij 1597.

f 28. Martij 1599. & 25. April 1600.

g Die vltimo Martij 1599

h 16. Martij 1600.

i Impressum est cum alijs Commentarijs ad Concilium spectantibus, Louanij 1567.

1564. *natus maiestatem; dum obseruares quàm liberè sententias Patres dicant; quàm minimè, quò vulneribus Ecclesiæ medeantur, ipsius Pontificis auctoritatem extimescant, quam alioquin obseruant ac reuerentur; quàm fortiter, quàm constanter obsistant vbi opus sit, & vbi dignitas ac salus Ecclesiæ id postulet: non vereor quin hæc tam sancta libertas per vim euelleret sinistram opinionem, quam aduersus illorum constantiam concepisti; quamquam nihil adhuc viderim in ijs, quæ spectant ad religionem reparandam, vbi summus Pontifex Patribus repugnarit.* Ita sanè testatus est Fontidonius, Lunensi vel maximè intimus, & cuius operam ille selegit ad orationem habendam, cùm solemniter fuit exceptus ea: verò testatus est, & etiam vulgauit, dum extabat Concilium; adeoque dum oportuerat, si res aliter processisset, audire Tridenti quot homines aderant in eo conuentu, tot mendacij sui accusatores.

Hispano Lusitanum associabo, nec minùs doctum, nec minoris 17
auctoritatis. Didacus Payua Regis Sebastiani Theologus, ob suorum Operum præstantiam à nobis varijs in locis commendatus, in libro primo de generali Conciliorum auctoritate hæc habet: *Dum Tridenti commorabar in Concilio, sæpè dicere solitus eram, etiamsi auctoritas Conciliorum nullo Christi promisso confirmata & constituta fuisset, ego tamen, ab ea ratione tam studiosa veritatis acquirendæ coactus, eorum definitionibus facilè consensissem.* Et vniuersè de pretio, in quo viri cordati Concilium nondum absolutum habuerunt, opponam denique Suaui testem illi notum, & omni exceptione maiorem. Nónne ille conspexit in narratione, de qua iam diximus, Oratoris Veneti, alioqui satis libera, Synodum ita celebratam, vt Orator ille optauerit illic præsentes omnes hæreticos, propterea quòd hæsissent confusi? Auctores huiusmodi producendi sunt, non priuata, & forsitan imaginaria famulorum garrulitas. Sed cùm plures sint bonarum legum laudatores quàm seruatores, à recitatione præconiorum, quæ verbis de Concilio habitæ sunt, progrediamur ad narrationem executionis, quam idem accepit à factis, quæ sunt laudes ac voces numquam fallaces; vnde per illa Veritas suprema loqui consueuit.

CAPVT

1564.

CAPVT XI.

Synodus Venetijs excepta. Adhibita à Pontifice ſtudia, vt pariter exciperetur in Gallia; & interiectæ difficultates. Melior in Hiſpania ſucceſſus. Superior locus à Pontifice tributus Oratori Gallico in Pontificio ſacello.

1 NOn priùs abſoluta fuit Synodus, quàm Pontifex omnem adhibuit ſolertiam, vt ea à cunctis Principibus Catholicis exciperetur. Summam ad id animi alacritatem Itali exercuerunt: præſertim verò Reſpublica Veneta Concilium promulgari iuſſit in Baſilica S. Marci inter ſacrificij ſolemnia[a], eiuſque obſeruationem iniunxit ſuorum oppidorum rectoribus. Quapropter Pius, ad grati animi argumentum erga ſtudium quod ea Reſpublica perpetuò præ ſe tulerat in illius ſalutaris operis proceſſu, attribuit Oratoribus Venetis Romæ magnificas ædes prope templum S. Marci Venetorum Patroni, extructas à Paulo II. eiuſdem Reipublicæ filio, ad Pontificum domicilium; idque per diploma motu proprio fecit, ornauitque ibi præclaris laudibus Venetos Senatores, & egregiam eorum obſeruantiam in Apoſtolicam Sedem.

[a] Morosinus lib. 8.

2 Sed omnem animi conatum conuertit, tamquam ad maioris momenti molem, vt idem obtineret à Principibus vltra montes; ac præcipuè à duobus primarijs Regibus. Redierat in Galliam Sanctacrucius ad ſuum Nuntij munus; obtulitque Reginæ promptam Pontificis voluntatem ac ſtudia, vt colloquium, ab illa enixè expetitum, confiteretur; & per eam opportunitatem, quam neruoſiſſimè potuit, ab ea flagitauit vt exciperet Concilium, conuocatum[b] & à Pontifice celebratum ipſo Rege Galliæ petente, cum tanto & ſuo & Chriſtiani orbis labore. Sed initio ſpatium temporis petijt Regina, dicens, Oportere ſibi & Decreta conſpicere, & Lotharingum audire. His peractis, adhuc illa moras protrahebat, per ſpeciem quòd nondum cernebatur Pontificis confirmatio: quare ſi ſpatium ad deliberandum ille poſtulabat, multò magis alijs ab eo concedendum eſſe. Acceptâ dein Pontificis confirmatione, reſpondit, Nondum ſciri, an Hiſpaniæ Rex Synodum accepturus eſſet; & affirmante Nuntio, id certò innoteſcere; tamen, aiebat Regina, ſibi contraria nuntiari; fortaſſe ne hoc pallio priuaretur: ſed verum erat id quod Sanctacrucius affirmabat. Etenim abſolutâ Synodo, ſtatim Pontifex per ſuum Nuntium Vicecomitem

[b] Patet ex plurimis litteris Sanctacrucij ad Borrom. & ad Gallium 7 Ianuarij 1564. vſque ad 23. Iulij 1564.

1564. mitem ea de re Philippum Regem monuit, expositâ illi necessitate, quâ Patres coacti fuerant, ne disertum Regis consensum præstolarentur, sed illum præsumerent. Cuncta per summam concordiam processisse, nec aliud nisi Lunensis subscriptionem deesse[c]. Sperari tamen, id quod in ministro desiderabatur, ab auctoritate Principis abundè suppletum iri. Nec postulato defuit efficacia: nam Philippus, re suo in Consilio perpensâ, effecit vt exciperetur Synodus à cunctis Ecclesijs Hispaniæ, ac deinceps à reliquis suarum ditionum, sicuti mox amplius renarrandum erit.

[c] Litteræ Borrom. ad duos Hispaniæ Nuntios 16. Februarij 1564.

Galliæ Regina, cùm se hoc exemplo cogi sentiret, cœpit excusare 3
se, causata, robustiorem cibum melius concoqui posse à corporis beneualentis stomacho, cuiusmodi erat Hispaniæ regnum, quàm ab infirmo, qualis erat in Gallia. Sed contrà Nuntius: Quin potiùs indigere medicamento ęgrum quàm sanum. Denique redacta res est ad duas difficultates, à Regina & à magno Cancellario propositas.

Prior erat, prohibitio, ne Regularium sacerdotia in Com- 4
mendationem traderentur; hac enim ratione plurimos ex primarijs viris Rex sibi deuinciebat, quorum operâ in illis rerum conditionibus indigebat. Nec veritus est Cancellarius Nuntio dicere, Lotharingum, postquam sibi ventrem oppleuerat, velle alijs ieiunium præscribere.

Altera vniuersalior, erat metus, ne irritarentur hugonotti, à Synodo per tot anathemata vulnerati: qui metus eò deuenit, vt Regina, nihil magis exosa quàm omnem auram vnde fretum illud turbari posset, Nuntio permittere noluerit, vt exemplaria Concilij, typis impressa, Præsulibus distribueret, dicens, Eadem non minùs aliundè ab ipsis haberi absque speciosa illa pompa. Sed Nuntius non idcircò destitit ab incepto.

Præ se ferebat in his negotijs Regina turbidum animum in Pon- 5
tificem & in se ipsa & in tota Gallia, propterea quòd suspensam adhuc litem Pius tenebat de prærogatiua inter duorum Regum Oratores Romæ degentes; perinde quasi possessionis spoliatio id esset potiùs, quàm sententiæ retardatio. Etenim diu Pontifex abstinuerat[d], per speciem confirmandæ valetudinis, ab accessu ad Pontificium sacellum; & solemni die Parasceues, quo è superiori Vaticani porticu Pontifex populo benè precari solet, rem ita composuerat, vt primus inter Oratores gradus haud appareret, prætento nomine, quòd mos non esset in ea functione loci ordinem seruari. Ex quo Gallicus Orator Oiselius petendæ veniæ abeundi occasionem ceperat; ac postea retentus fuerat, oblatâ spe quòd in festo Pente-

[d] In litteris Nuntij ad Borrom. & ad Gallium 14 Aprilis 1564.

Pentecostes satis ipsi fieret, cùm confideret interim Pontifex, Hispanorum animos flexum iri, vt qui litteras principio Regis manu scriptas acceperat, sicuti suo loco narrauimus, vbi dixerat, nolle se ad hæc inania visum flectere. Et quamuis [e] ille posteà mentem mutauerit ob allatas à suo Consilio rationes, Pontifex cùm speraret eum ad sensus pristinos à se adductum iri, illi ponebat ob oculos, Quò deteriora erant Galliæ mala, ab ipso Rege sibi significata, eò magis oportere, ne medicina difficilior redderetur, cum totius Christianæ Reipublicæ periculo, propter quamdam vmbræ imaginariæ quæstionem. His tamen Pontificis cohortationibus, quas duo Nuntij detulerant, Philippus respondérat; Se quidem exosculari Pontificis pedes, sed rem nimiùm fuisse progressam, adeoque mandatis à se Oratori traditis se remittere [f]. Et quidem Ruigomezius disertè reiecerat ea quæ ambo Nuntij proposuerant, vt nimirum Hispanus Orator domi maneret diebus solemnis functionis; eisque dixerat, ijs positis quæ in Synodo euenerant, mentem esse Regis progredi, non regredi.

1564.

[e] In litteris Nuntij ad Gallium 1. Maij 1564 & fusius in litteris Pontificis ad Nuntium 6. Decembris 1563.

[f] Literæ Criuelij, & Vicecomitis Nuntiorum ad Borrom. 3 & 6. Martij 1564. quarum summa est apud Barberinos.

6 Interim Pius, ad sternendam negotio viam, in animo [g] habuerat, cunctis Oratoribus imperare ne illorum quispiam, antequam à se accirentur, conueniret ad solemnes functiones; & nè Gallus repugnaret, operam dederat, vt Cæsar Oratorem suum iuberet consentire: qui cùm ex vno capite sine controuersia esset maximus, reliquis exemplo esse poterat; & ex altero capite hæc ipsa indubitata prærogatiua proderat, ne Princeps ille de huiusmodi dignitatis argumentis admodum laboraret, & facilius flecteretur ad ea intermittenda erga se, quò aliorum certamina præpediret, ad quod valdè pronum videbatur amabile ac mansuetum ingenium Ferdinandi: & re ipsa ille non restitit, suumque Oratorem iussit sic agere, simulque dissimulare, id sibi à suo Principe iniunctum fuisse; quin declararet, se abstinere à solemnibus celebritatibus ob merum in Pontificem obsequium, quò fortiùs hoc pacto ad imitationem traheret Gallum.

[g] Ex litteris Delfini ad Borrom. 26. Aprilis 1564.

7 Sed omnia incassùm. Vbi delatum est in Galliam id quod solemni Parasceues die contigerat, ingens perturbatio est excitata: Regina verò narrauit Nuntio, Regem, quamuis puerum, dixisse in pleno suo Consilio, se huiusmodi iniuriam haud passurum: Oratorem se benè gessisse in venia abeundi petenda, sed posteà malè in suspendendo discessu. Quando res eò peruenerat, expectaret vsque ad Pentecosten; & vbi tunc debitum honorem non acciperet, statim abiret, & vnà cum eo Burdesius

1564. Cardinalis. Adiecit Regina: Velle se loqui non solùm tamquam Regis matrem, sed tamquam Sedis Apostolicæ filiam. Vbi Pontifex huic muneri suo defuisset, à se paratam conspici vim magnam sulphuris, quo Ecclesiæ ossores tenelli Regis animum inflammarent cum clade Religionis, ad cuius turbas componendas alioqui tunc cernebatur bona Gallici Regni habitudo. Et eosdem in se sensus illi aperuit Lotharingus Cardinalis. Quamobrem Nuntius Romam scripsit, confidere se, minimè futurum, vt optimus Rex Philippus vellet per inanem illum fumum materiam præbere incendio tot animis lethali, & tam periculoso suis quoque proximis ditionibus & Hispaniæ & Belgij. In tanti Regis dignitatem cessurum, si palàm fieret, prudentius ab eo quàm ab eius Consilio latum fuisse iudicium. Id si Pontifex ageret, non nisi quod idem Pontifex aliàs egerat tunc acturum, quodque etiam agebatur à Senatu Veneto, cuius grauitas & auctoritas prævalidum clypeum imitatoribus porrexisset.

Nec Regina ad suos exprimendos sensus consuetâ ministrorum voce solùm vsa fuerat; sed quò præterea ardorem ostenderet simul & adderet, Romam ad id miserat Villeroum [h], qui postmodum ob ætatem Galliæ Nestor euasit.

[h] In vita Villeroi, scripta à Petro Matthæio.

Pontifex obtulerat, se causam commissurum aut Purpuratorum 8
Collegio, aut Rotæ Romanæ [i]. Sed cùm partes in excipiendo oblato cunctarentur, interim præcepit Pontifex, vt saluis rationibus vtriusque partis in iure præcipuo, retineretur Gallici Oratoris possessio, eique locus ille traderetur, quem huiusmodi Oratores tenuerant aliàs dum Carolus V. Philippi Regis parens, Hispaniæ Rex erat, & nondum Cæsar, & quem reipsa posteà possederant se Pontifice tum in sacello, tum in Concilio Tridentino: atque iterum confirmauit quod obtulerat, se decisionem controuersiæ commissurum alteri ex duobus, quæ diximus, Tribunalibus.

[i] Ex epistola Pontificis ad Nuntium Hispan. 6. Decembris 1563. & ex Actis Consistor. 18. Augusti 1564.

Degebat Romæ Hispani Regis Orator Aloysius Requesenius, Magnus Castellę Commendator, ex Ordine S. Iacobi, qui posteà Mediolano præfuit, & Belgij administratione illustris fuit. Is ad hanc Pontificis iussionẽ grauiter iram sonantia verba protulit; & vel ipse, vel alter Hispanus minister creditus fuit in minas prorupisse, Regem armis rem vindicaturum. Curauit Pontifex, vt de ijs omnibus Galliæ Regina fieret certior [k], affirmauitque, se, humanis rationibus spectatis, numquam ad id peragendum fuisse deuenturum; sed à studio iustitię religionisque permotum esse: sensus adeò violentos à pia Catholici Regis mente valdè alienos à se putari; sed quidquid aduersi acci-

[k] Occultæ notæ Nuntij in Gallia ad horrem. 17. Iunij 1564.

accidisset, speraturum se Christianissimi Regis defensionem. Responsum est à Regina per studiosam gratiarum actionem ob rem peractam, ostensumque, nec à se credi eiusmodi sensus in Philippo Rege: vbi quid ex aduerso contingeret, opem Regis filij, qui aderat colloquio, spopondit, pro maiorum suorum exemplis. Id verò formulis tam emunctis & tam breuibus, vt satis intellectum fuerit, ibi tunc nec vires, nec animum esse ad conferendum auxilium, sed potiùs desiderium atque indigentiam illius excipiendi. 1564.

Hæc gratificatio exhibita Galliæ, non ad aliud conduxit, nisi ad noua mala prohibenda: ceterùm de Concilio in perplexis responsis perstitum est. Legauit ad Regem posteà [l] Pontifex Ludouicum [m] Antinorum, qui simul afferret facultatem [n] alienandi bona quædam Ecclesiastica, minoris pretij quàm alia à Rege alienata, quæ per hanc posteriorem alienationem, legitimè faciendam, recuperari debebant, priori tamquam non legitimâ abrogatâ: & per eumdem Antinorum obtulit, se illi consensurum de legatione Auenionensi, quam Rex, vti narrauimus, pro Borbonio Cardinali, Regis Nauarræ demortui fratre, petierat, dummodò hic datâ fide polliceretur, seruaturum se regionem illam illæsam ab hæresi. Pius verò in se recepit compensationem aliâ viâ præstandam Farnesio Cardinali, qui legationem illam exercebat. Atque ita sequenti Aprili [o] perfectum est. Iam verò vnà cum his beneficijs secum detulit Antinorus noua & prævalida postulata, vt Synodus exciperetur, cùm videretur Pontifici & opportunitas grata, dum quod erat debitum petebatur, non debito priùs collato, & sequester idoneus, vtpotè negotij ac nationis peritus. Verumtamen aliud ille non impetrauit [p], nisi hortamen ad patientiam, & quòd priùs hugonottorum seditiones essent sedandæ: quæ vsitatæ sunt formulæ mitigandæ repulsæ minùs acerbo nomine cunctationis.

l Octobri mense 1564.
m Autographum mandatorum apud me est.
n Acta Consistorialia 5. Augusti 1564.
o Acta Consistor. 13. Aprilis 1564.
p Litteræ Nuntij ad Borrom. 23. Iulij 1564.

CAPVT

1564. CAPVT XII.

Regis Hispani moderatio de loco dato Galliæ Oratori. Accepta Synodus eius iussu etiam in Sicilia & in Belgio. Quæ Suauis refert tamquam in Germania obiecta Concilio. Petitiones Cæsaris & Bauari pro Calicis vsu, aliisque relaxationibus legum Ecclesiasticarum. Calicis vsus tandem concessus cum variis conditionibus ac limitationibus; & in Germania per summam lætitiam exceptus, sed nullo fructu. Ferdinandi Cæsaris mors. Honores illi exhibiti à Pontifice. Concilium in magna Germaniæ parte acceptum.

QVemadmodum rationes politicæ experimento deprehendi solent debiliores, minusque efficaces communi expectatione; ita loci prærogatiua, à Pontifice decreta, non minùs complurium opinionem fefellit de Hispanorum indignatione, quàm de Gallorum compensatione. Philippus Rex accepto rei nuntio, non aliud edidit commoti animi argumentum, nisi reuocato Româ Oratore. Pontifex verò prudentiæ normam secutus, ne se offensum ostenderet, cùm res alterius interpretationis est capax, speciem præ se tulit, interpretantis id potiùs agi quò sibi satisfieret. Requesenius enim [a] propriâ auctoritate capi iusserat, & posteà in carcerem conijci Schiuelum quemdam, qui studiorum curriculum absoluerat: ex quo Pius vsque adeò indignatus est, vt aliquamdiu accessum ad se Oratori negauerit; & posteà eo concesso, ne cursum publicis negotijs impediret, dederat operam per Pacecum Cardinalem, vt ille vocaretur à Rege, quippe non ampliùs idoneus ad res secum transigendas. Quapropter tum in Purpuratorum cœtu, tum in litteris ad Nuntium à se scriptis, noluit hanc Oratoris amotionem vltioni, sed gratificationi adscribere. Tamen gnarus, in huiusmodi euentibus dissimulationem, vbi mediocris ea sit, gratam accidere, quasi reuerentiam; vbi verò nimia, molestam, quasi despectum, non destitit in vtroque loco se velut obliquè purgare. Quare addidit, minimè à se credi id profectum ex vlla Regis acrimonia ob attributum Oratori Gallico gradum in sacello: rationibus siquidem, quas iam retulimus, persuaderi sibi, non posse Regem illud oneri sibi vertere: disertius verò in epistola ad Nuntiũ scripta dixit, consentaneum nõ videri Philippi Regis dignitati, velle hæc

[a] Ex litteris Borrom. ad duos Hispaniæ Nuntios 2. Februarij; & ex epistola duorum Nũtiorum ad ipsum 3. Martij 1564. & ex Epist. Pontificis ad Nuntium Hispaniæ 6. Decembris 1563.

hæc innouari in Principem puerum, ac diuexatum; nec debere ab eo loci prærogatiuam impugnari, sed potiùs agi Deo grates, quòd prærogatiuam in ditionibus sibi largiretur. 1564.

2 Et reipsa, tametsi Philippus Oratorem illius acrimoniæ causâ reuocasset, non tamen voluit Religionis pretio de Pontifice vlcisci. Quocircà secundo Iulij [b] Decretum vulgauit, vbi honorificis tum Concilio tum Ecclesiæ Romanæ verbis imperauit, vt illud exciperetur, ac seruaretur in cunctis Hispaniæ regnis; & post dies quindecim iussit excipi in Sicilia, de quo regno quidam dubitarant, spectatis monarchiæ Priuilegijs; posteà verò in litteris [c], quibus edocuit de ijs, quæ Romæ Oratori suo acciderant, Ducem Parmensem sororem suam, quæ eius loco Belgium moderabatur, ita scribit: *Euentum illius causæ longè alium fuisse ab eo qui æquitati, suæq; in Pontificem beneuolentiæ atque obseruantiæ debebatur. Eapropter à se Oratorem suum fuisse reuocatum Româ, vbi degere cum dignitate amplius non licebat; ac propterea nullum à se interim priuatum negotium agi cum Pontifice. De rebus quæ ad publicas Religionis curas attinebant, & ad præstandum obsequium atque obedientiam sanctæ Sedi, vnde nolebat ne latum quidem vnguem secedere, demandatum à se fuisse negotium Francisco Cardinali Paceco, in Vrbe patronum Hispaniæ agenti. Cum eo igitur ipsa transigeret quidquid spectaret ad Episcoporum electionem, & ad cetera Religionis fulcimenta; ad quam strenuè substinendam, & ad promulgandam & exequendam diligentissimè Synodum Tridentinam, ab ipsa, quacumque de causa, lentius agendum non esse.* Cùm autem illa respondisset [d], videri Senatoribus, esse in Synodo quosdam articulos noxios Principis iuribus, & prouinciarum priuilegijs, adeoque opus esse vt ea in promulgatione exciperentur, Rex in hanc sententiam [e] illi rescripsit: *Sibi nequaquam placere, in promulgatione Concilij quidquam excipi, ne ansa præberetur tum susurrandi Romæ, sermonum auidæ, tum imitandi reliquis Principibus, semper ad res in Hispania gestas intentis. De Regis ac Prouinciarum iuribus abundè fuisse consultum, cùm actum fuerat de promulgando in Hispania Concilio, vbi eædem difficultates militabant: & sicut ibi non magni habitæ sunt, promulgato sine vlla restrictione Concilio, leuiq; solùm temperamento ad vsum adiecto; ita se velle vt ageretur in Belgio: eam ob causam eò mitti promulgationem in Hispania prægressam, quò populi omnes sibi parentes ad eamdem normam redigerentur.*

b Decretum extat in archiuo Vaticano.

c 6. Augusti 1564. lib. 4. Historiæ Belgicæ Famiani Stradæ.

d 30 Septembris 1564.

e 25. Nouembris.

3 Hæc Philippi Regis pietas, coniuncta cum Sebastiani Regis, & Principum Italicorum pietate, subiecit Concilio & regiones Occidentales vtriusque terrarum orbis, & partem Septemtrionis, & Indias ad Orientem, & multas Africæ regiones, quantum ad cli-

1564. climata qualitatesque illarum Ecclesiarum Tridentinæ sanctiones aptantur.

In Germania, scribit Suauis, Decreta disciplinæ ne à Catholicis 4
quidem fuisse in pretio habita. Sed rei falsitas paulò pòst à nobis palàm fiet. Tum varia narrat obiecta contra Decreta doctrinæ, in postrema Sessione firmata, quæ tandem ad tria capita rediguntur, ad nimiam loquendi breuitatem, ad obscuritatem inde profectam, & ad quasdam peculiares animaduersiones in argumento de Indulgentijs.

Quod spectat ad breuitatem: si fuisset percontatus quid in Tri- 5
bunalibus fieri consueuerit, cognouisset, acta causę, in triginta voluminibus digesta, terminari à iudice vnius verbi sententiâ. Et quamquam Synodus in antegressis Sessionibus explicationem doctrinæ præmisisset, se tamen non obstrinxerat vt ita semper ageret, vbi nec argumenti difficultas id postularet, nec temporis angustiæ id permitterent. Videatur secunda Synodus Arausicana, quam adeò reueretur Ecclesia, ibique paucis versibus definita reperientur argumenta ampliora, magisque nodosa ijs, quæ per vltima Tridentina Decreta sunt definita. Præterquam quod non tam ea fuerunt nouæ definitiones, quàm confirmationes veterum, quæ aut ab alijs Concilijs, aut ab hoc eodem in alijs Sessionibus editæ sunt: cuius rei testimonia illic apparent è regione Decretorum notata.

De obscuritate satis mihi sit vt respondeam: De intelligentia 6
Canonum præteritorum plurimam inter Theologos, vt assolet, controuersiam esse; at verò de his, qui Sessione vigesimâ quintâ confecti sunt, vix vllam inter illos discordiam legi. Hinc deducatur, an caligo à Suaui obseruata, sit in obiecto, an in oculo. Solùm de Indulgentijs non habetur diserta definitio, ab antecedente Synodo confecta: verùm vt generatim illæ comprobarentur, satis erant duo Pontificum diplomata iam extantia, præter illud Leonis in Lutherum, & præter veterem consuetudinem Ecclesiæ. Ferè omnia, quæ contra definitiones hasce de Indulgentijs ab eo adducuntur, iam reiecta sunt à nobis in secundo libro, vbi similiter is de illis disserit, describens earum examen, habitum ætate Adriani. Ne igitur quæ ibi dicta sunt repetam, breuiter ijs, quæ hîc adijcit, respondebo. Ac primò quidem haud negauerim, vsum Indulgentiarum diu in Ecclesia parciorem fuisse. Sed cùm Synodus dixit vt ad veterem seueritatem rediretur, significare noluit, sicut arguit Suauis, vt omnino rediretur; solùm voluit vt nimia laxitas iam inducta ad eos fines coarctaretur, quos temporum & locorum conditio suadebat.

debat. Itaque cùm hac ætate commodè resumi non posset frequen- 1564.
tia canonicarum pœnarum, ob causas ibi adductas à Suaui, experimento cognoscitur, adiumentum esse suaue simul & efficax, ad homines excitandos ad opera pietatis, illicium Indulgentiæ consequendæ. Nec per illud, modò sit prudens ac moderatum, desidesreddantur Christi fideles ad satisfaciendum Deo per alia pietatis officia pro noxis commissis: cùm enim, sicut in memorato loco notauimus, homines incerto semper animo sint an Indulgentiam obtinuerint, remanet pariter in compluribus stimulus, vt per nouam operum pœnarumque salutarium solertiam certiores reddantur; & ex altera parte, quæ ipsis ad consequendam Indulgentiam iuncta fuere, per ipsorum exercitationem augeant studium pietatis; & facilitatem inducant ad similia perficienda; quod liquet experimento quotidiano. Præterea hæc opportunitas Indulgentias, quas vocant plenarias, impetrandi, facile reddit ministerium, alioqui grauissimum, Confessariorum, dum sæpè liberantur anxio metu, ne pœnæ ab ipsis culparum grauitate leuiores imponantur; quod tamen spectatâ pœnitentium imbecillate opportunum esse soler, ne ab accessu ad Sacramenta deterreantur. Et hoc posito, sacerdotibus confessiones audientibus permolestum accideret, si cogerentur semper exactè perquirere, num peccator parato sit animo ad excipiendam pœnam delictis congruentem. Ab his igitur causis & adducti sunt Pontifices ad liberalius impertiendas Indulgentias, quàm mos antiquior in Ecclesia ferebat, & omnis dubitatio tollitur de Patrum mente in verbis adductis.

7 Alterum corollarium nititur hîc Suauis conficere (vt reliquas nugas, inutiles & indignas responso, præteream) videlicet, dum Synodus affirmauit, ex nimia Indulgentiarum facilitate disciplinam eneruari, fassam proinde fuisse, eas non nisi ad remittendas pœnas exteriores valere, adeoque ad conscientiam non spectare, nec animos ab vllo apud Deũ culpæ debito soluere. Argumentatio hæc claudicat vtroque pede, hoc est, & quod spectat ad Logicam, & quod spectat ad Theologiam. Vtrumque vitium in aperto est. Ita procedit argumentatio: Indulgentiæ hominem liberant ab exteriori pœna canonica; igitur ab ea sola liberant. Cui non patet vitium logicum, quod nimirum pertinet ad formam? Theologicum consideremus, quod spectat ad materiam. S. Thomas ex principijs suis oppositum concluderet per huiusmodi syllogismum: Indulgentiæ hominem liberant ab exterioribus pœnis canonicis: id non præstarent, nisi liberarent pariter à pœna in Purgatorio debita, ad

1564. quam compensandam huiusmodi canonicæ pœnæ imponuntur; aliter enim morbum relinquerent, & medicinam auferrent, adeoque nocerent: igitur liberant etiam à pœna Purgatorij. Addo, distortè concludi ex dictis Concilij verbis, per Indulgentias liberari hominem exteriori pœnâ canonicâ, & non potius impositâ in Sacramento; nam etiamsi hac solâ liberarent, adhuc verum esset Concilij dictum, nimirum, ex nimia facilitate Indulgentias consequendi debilitari Ecclesiasticam disciplinam; cùm ea conseruetur vsu quoque piorum operum, pœnarumque à Confessarijs iniunctarum, quæ vim obtinent ad edomandas animi affectiones, & ad cautiorem reddendum pœnitentem, ne in posterum labatur. Hoc autem admisso, equidem puto mihi opus non esse aliunde probare, eatenus posse per illas solui obligationem pœnitentiæ in Sacramento iniunctæ, quatenus pœnarum Purgatorij obligationem soluunt, ad quas delendas eiusmodi pœnitentia est instituta.

Narrat deinceps, à Cæsare ac Bauaro, quò satisfieret Catholicis, 8 fuisse inflammato studio postulata vsum Calicis, coniugium Sacerdotum, aliaque legum Ecclesiasticarum laxamenta. Sed hoc quo pacto concordat cum ijs, quæ suprà scripserat ad eleuandam Pontificiam auctoritatem, videlicet, postquam à Synodo reposita est in Pontifice Calicis concessio, destitisse Cæsarem ab ea petenda, propterea quòd populi à Concilij, non à Pontificis potestate illam vellent? Profectò Suauis rationem nactus est, quâ ostenderet, se non semper mentiri: cùm enim fieri non possit, vt in quauis contradictione pars altera vera non sit, certum est, dum ille vtramque affirmat, in ipsius altera esse veracem. Sed mendacium, tamquam proles magis dilecta, primum in eius paginis locum obtinuit: quare veritas est in ijs, quæ hoc secundo loco narrat. Pontifex in Se-
f In Actis Senatus. natu [f] Kalendis Martijs questus est de conditione temporum, quæ huiusmodi petitionibus materiam suppeditabat, & quosdam destinauit ad negotium expendendum. Sed ignorauit posteà Suauis, vsum Calicis fuisse concessum, tametsi cum certis quibusdam conditionibus ac restrictionibus. Proinde Pontifex decimoquarto Iu-
g Acta Senatus. lij in Senatu [g] Cardinalibus exposuit, à Ferdinando Cæsare, cuius desperandam valetudinem dolenter significauit, postulatum fuisse summoperè vsum Calicis pro Germania, suisque hereditarijs ditionibus, idque ex iudicio Episcoporum, Septemuirûm Ecclesiasticorum, & Catholicorum Principum; eumdemque denuntiasse, vbi hoc negaretur, breuî ab vniuersa Germania non Catholicam modò, sed Christianam etiam fidem desertum iri. Complures Cardi-

nales

nales ac Præsules secretò fuisse rogatos à se sententias; inde ipsorum consilio, tametsi ab huiusmodi rebus nouis ipse abhorreret, traditam à se fuisse potestatem quibusdam Episcopis Germaniæ, per quam ritum illum permitterent; non tamen absolutè, sed in ijs locis, vbi causas allatas veras agnoscerent, & quibusdam certis conditionibus à se præscriptis. Concessionem hanc exceptam fuisse Viennæ immensâ lætitiâ, & Delfinum Nuntium scribere, iam duas tertias hæreticorum partes ad frugem redactas. Ita Pontifex ad Cardinales. Sed breuî compertum est, id esse instar breuissimi leuamenti, quod interdum ex nocentis poculi delectatione experitur ægrotus. Verumtamen hoc experimento opus erat ad euellendam ex animis Germanorum persuasionem, quòd Synodi ac Pontificis difficultas in eo concedendo salutem nationis præpediret. Ceterà tum ea in melius mutatio, tum etiam concessionis effectus ampliùs progressa non sunt: vnde sedente [h] Gregorio XIII. ac posteà Sixto V. obeuntibus nonnullis ex Episcopis, quibus impertita fuerat potestas, dubitatum fuit, an gradui illa intelligeretur tradita, adeoque perdurans in successoribus, an personis, adeoque cum ipsarum vita decedens: & hoc posterius pro vero habitum est, adeoque non obtineri vsum licitum illius concessionis nisi à sacerdotibus, quibus memorati Episcopi viuentes contulerant. Hic fuit exitus illius tam diuturni ac tam celebris postulati; qui docuit, quantum fallat spes ingentium bonorum, quæ mortales præsagiunt in obtinendis Romæ quibusdam inusitatis relaxationibus. 1564.

[h] In monumentis Pontificatus Sixti V. inter scripturas postremi Cardinalis Montalti, quæ sunt in Archiuo Vaticano.

9 Hæc Germanorum postulata dum narrat Suauis, multa obliquè inducit in prohibitionem coniugij sacerdotum. Quod spectat ad auctoritatem antiquitatemque huiusce prohibitionis, calamum defatigare mihi non placet, cùm argumentum ea sit innumeris controuersiarum scriptoribus familiare. Sed quod spectat ad ipsius vtilitatem, prudens quisque consideret, quantum à rebus diuinis distraherent, quantumque cum carne ac sanguine connecterent ministros Sanctuarij amor coniugum, & amor liberorum, cùm ambo omnium vehementissimi sint, quos in homine natura succendat. Quod si quando nimiùm mouet reliquorum coniunctorum amor, qui longè tepidior est, nec obligationem semper affert vt ipsis prospiciatur, quidnam molirentur duo illi amores adeò feruentiores, adeoque cohonestati naturali debito illis sollicitè consulendi? quantum intenti animi studio subtraheretur? quantum cresceret rei familiari? quanto esset in minori beneuolentia ac pretio Ecclesiasticus apud familias, dum patrimonij partitionem afferret? Enimuerò

1564. uerò non sine prævalida necessitate clerici seipsos de se obstrinxerunt lege alioqui durâ, eosque solùm obligante, non item laicos, sicuti ieiunij lex est. Quod autem hæc obligatio materiam posteà præbeat ad multa peccandum, valdè friuolum obiectum est, & cunctis prohibitionibus diuinis humanisque commune. Perpendatur quid illa boni afferat, quid mali sequeretur eâ sublatâ: perpendatur similis vsus vetustissimus omnium Ordinum Regularium, quorum natura necessariò postulat hanc ad coniugia ineptitudinem; & hinc huius vetiti conuenientia perspiciatur. Nec illius relaxandi vlla vmquam dubitatio orta est in Pontifice, tametsi Germanorum postulatis, nauiter à Cæsare expositis, vrgeretur.

Sed illicò eius petitiones desiere, idque cum Pontificis mœrore, dum simul vita petitoris desijt. Hoc accidit die vigesimoquinto Iulij; & Pontifex rem ad Senatũ dolenter retulit [i] quinto Augusti, decreuitque ad honorificentiam, tunc non ordinariam in exequijs Pontificij sacelli, vt illic oratio de laudibus Cæsaris haberetur, sicuti nec ordinaria fuerat eius pietas ac promeritum in Ecclesiam; & quatuor ex Purpuratis Patribus destinauit, vt id exequendum curarent per formam ex omni parte dignissimam. Ferdinandus magno animo Princeps fuit, sed non vasto: forti ad bellum pectore, sed ad pacem prono: in rebus bellicis generosior quàm fortunatus, vt qui dotalis regni partem non modicam sibi præreptam vidit ab Ottomanna potentia, cum graui iactura, sed cum maiori terrore Christianæ Reipublicæ. Per pacis artes duo regna, Austriacæ familiæ hereditaria, ipsi accesserunt, & aliud regnum in animis Germanorum hereditarium eidem fundatum est; vt proinde dici possit, ab ipso relictum fuisse Imperium suis posteris hereditarium. Ingens in illo fuit humanitas ad priuatorum beneuolentiam sibi comparandam: ingens moderatio ad retinendam cum potentioribus concordiam: ingens studium ad explenda Principatus munera: ingens religio ad suum animum, suasque regiones illæsa seruanda à communi Germaniæ morbo. Verùm, pro eo ac omnes humanæ virtutes non solis, sed stellarum lucem habent, hoc est, aliquâ vmbrâ mixtam, visa est eius sinceritas illum credulum reddidisse, & credulitas nonnumquam suspicionem; & interdum etiam eius lenitas occupasse fines seueritati debitos in animo dominantis. Ceterùm illi se obnoxiam singulariter fateri debet Apostolica Sedes; quamuis enim hæc diu restiterit nomen ac ius Cæsaris ipsi tribuere sub Paulo IV. eumdem tamen posteà experta est egregium inter obsequentissimos Cæsares, qui vmquam in Germania

[i] Acta Cõsistorialia.

mania imperauerint; atque illi potissimùm acceptam referre po- 1564.
test immensam vtilitatem, quam attulit Ecclesiæ Synodus Tridentina.

11 Honores funebres redditi sunt huic Principi in Basilica Vaticana[k] die decimo octauo Augusti, quo die Pontifex Cardinalibus significauit, lætam spem sibi fieri à Delfino Nuntio in Religionis negotio; præcipuè verò nuntiari, Maximilianum Cæsarem, ad quem destinauit Legatum Altempsium Cardinalem, sororis filium, ac reliquos demortui Cæsaris filios imitaturos pietatem paternam. Certum est, Ferdinandi posteros fuisse posteà quasi Iosueos ac Gedeones populo Dei in Septemtrione; & Concilio Tridentino præcipuè tum in ipsorum Prouincijs, tum in alijs Catholicis regionibus Germaniæ, non solùm reuerentiam fuisse exhibitam tamquam cælesti oraculo, quod spectat ad dogmata; sed fuisse illud solemniter acceptum plurima ex parte, quod spectat ad disciplinam. Et præter acceptionem habitam in varijs illius regionis Ecclesijs primarijs, cuiusmodi præsertim erat Augustana, in Synodo [l] ab Othone Cardinali Truxesio celebrata anno 1567. idem actum est in prouincijs Austriacæ familiæ hereditarijs, in Stiria, in Carinthia, & in Tirolensi, per Concilium Salisburgi [m] coactum anno 1569. Atque in Catholica Germaniæ parte Tridentini leges ferè omnino obseruantur, exceptâ prohibitione plurium sacerdotiorum, quæ se mutuò excludunt: cùm enim in alijs regionibus plures tiaræ in vno eodemque capite vetentur, id in Germania permittitur, habitâ ratione necessitatis, vt aliqui Ecclesiastici potentiâ ibi polleant vt subditos coerceant, & hæreticorum violentiæ resistant, quod huiusmodi indulgentiam & conducibilem & necessariam reddit.

Est commune cunctis ferè medicinis, quæ grauissimis morbis maximè salutares sunt, vt per se statui naturali repugnent, adeoque in vsu ordinario valentibus prohibeantur.

[k] Acta Consistorialia.

[l] In Dilinga, mense Iunio, in part. 4 cap. 1. in Constitutione 2.

[m] Clausum 28. Martij.

CAPVT

1564.

CAPVT XIII.

Concilium in Poloniæ Comitijs Commendoni operâ exceptum Suauis calumnia de quadam Cardinalium creatione.

INterim non parum anxius erat [a] Pontifex, quid ageretur in vasto Poloniæ regno, iam contaminato contagione recentium hæresum, quæ ab ignobilioribus membris ad nobiliora magisque vitalia illius corporis ascenderant. Nuntium Apostolicum apud Sigismundum Regem agebat Commendonus, sicut indicatum est, ad quem librum editum Sanctionum Tridentinarum Pontifex misit, vt illum excipiendum ibi curaret. Helspergæ in Prussia tunc ille morabatur, intra diœcesim Osij Cardinalis, ad quem inuisendum venerat post eiusdem Tridento reditum, quippe illi percharus, eiusque consilio ad eam prouinciam à Pio electus. Collato inter se negotio, existimarunt ex vna parte, nec honorificum specie, nec satis ad firmitatem fore, si liber priuatim Regi traderetur, cùm obijci semper posset, auctoritatem in Rege non esse ad regnum perpetuis illis legibus obstringendum. Ex altera parte, si traderetur in Senatu, minimè tutum id censebatur, cùm Senatus ille tunc multis hæreticis constaret, primumque in eo suffragium obtineret Vcangius [b] Archiepiscopus Gesnensis, & Regni Primas, homo contentiosus, & ambitiosus, adeoque cum hæreticis clàm coniunctus, cuius res malè gestas, quas pro historicæ veritatis lege in præsentia narro, placet mihi aspergere aliquâ laude, collectâ ex ijs quæ posteà gessit: is enim vacante solio ex obitu Sigismundi, orationem studio religionis plenam, ac neruosam, euentu prospero habuit in generali Conuentu, ne fœdus iniretur propositum ab hæreticis, quo liberum esset in Prouincijs exercitium cuiusuis sectæ. Vsque adeò etiam in eo, qui diu malè se gessit, viuidos interdum reddit probitatis sensus penè extinctos pessimi patrandi horror. Sed hoc multò pòst accidit: at verò paulò anteà, eâ de qua scribimus tempestate, propriam Nationis Synodum ille moliebatur, præpeditam à Nuntio auctoritate Regis, cui posuerat ob oculos, huiusmodi conuentus in classica publicarum seditionum conuerti. Idcircò metus erat, ne in Senatu suspensio aliqua aut exceptio decerneretur, quæ Concilij & Ecclesiæ auctoritatem vulneraret, & operæ fructum corrumperet. Postremò conuenit inter Commendonum & Osium, vt liber aut in Senatu aut neutiquam traderetur. Priuata siquidem traditio, peior quàm dilatio, ad magis propi-

[a] Cuncta extant in Vita Commendoni, scripta à Gratiano eius Secretario, ac posteà Ameliæ Episcopo, qui narrat se vidisse, & audiisse etiam in Senatu præsentem quæ dicentur: & etiam in volumine litterarum Commendoni, quod est apud Barberinos; præsertim in Epistola eius ad Borrom. 8. Augusti 1564.

[b] Gratianus in Vita Commendoni.

propitias conditiones putabatur. Et quoniam in huiusmodi expeditionibus clypeus non suppetit, qui tutius obiecta repellat quàm celeritas & arcanum; Commendonus, nulli hominum aperto consilio, statim magnis itineribus ad Regem perrexit, qui plurimum illinc distans Varsauiæ degebat, in vrbe prope fines Lutuaniæ, ibique generalia Comitia celebrabat: nec priùs ille peruenit, quàm de sua petitione Regem certiorem reddidit. Hic ad rem peragendam intentus, nullâ interpositâ morâ, Commendonum in suis cubiculis retinuit, donec ingressus Comitium, exposito Nuntij postulato vt publicè audiretur, duos Senatores misit, eum deducturos[c]. 1564.

2 Hîc itaque Commendonus, adhibitâ tum naturali tum artificiosâ eloquentiâ, quæ in magnis Conuentibus suo velut in campo triumphare consueuit, rem ab initio exposuit; causas commemorauit, quæ Pontificem mouerant ad cogendum tanto suo dispendio ac labore Concilium, quo Christianam Rempublicam collapsam restitueret, obscura declaraturus, ac deprauata correcturus. Quantâ ibi maturitate ac dignitate expensa fuissent dogmata, emendationesque constitutæ, per tot annos à trecentis ferè Patribus, ex præstantioribus qui per cunctas Europæ regiones gregem Christi regebant, & ab alijs ferè centum ex præcipuis Doctoribus, qui florebant in orbe terrarum. Cuncta fuisse gesta assistente Legato ex ipsorum natione, & præsente ipsorum regni Oratore. Ostendit, quàm impiè in Deum, & quàm hostiliter in bonum publicum se gererent qui se subtrahebant Magistratui supremo, quem Christus instituerat in Petro; pro quo, ne deficeret eius fides, orauit, & cui commisit vt fratres suos confirmaret; & loco tam sancti Magistratus, arrogantiæ tribunal super rebus diuinis attollebant, in quo tot iudices quot capita considerent; quod summæ temeritatis fuisset, & intolerabilis detrimenti etiam in humanis negotijs. Quapropter ijdem ipsi vel inter corruptelas suas, peruersionemque morum ac Religionis, diu tandem perdurare non poterant, quin alios sibi Magistratus ac Pontificatus in angulis Wittembergæ ac Geneuæ constituerent. Quânam ratione quemlibet ex illis idiotam audere intelligentiam cælestium Oraculorum sibi arrogare, ad quam obtinendam desudarant Nanzianzeni, Cyrilli, Hieronymi, Augustini, & tot præterea miracula sapientiæ? Eos fuisse sæpiùs inuitatos per amplissimę securitatis tabulas, legationesque perhonorificas, quibus ipse Commendonus perfunctus fuerat: sed semper incassùm, propterea quòd ab illis non concordia, nec Reipublicæ bonum intendebatur, sed potiùs contentio, clades, & chaos; quem-

[c] 7. Augusti 1564. in litteris iam dictis Commendoni ad Borrom.

1564. admodum euenta deploranda in prouincijs ab eorum lue correptis testabantur. Idcircò à Pontifice, quò ab his ærumnis eriperet Poloniam, quam in suæ charitatis sinu fouebat, ad Senatum mitti volumen illud, in quo sancti Spiritus afflatu declarabatur veritas Religionis, & disciplinæ norma præscribebatur. Tum in Regis manibus librum reuerenter collocauit, & iam è cubiculo discedere intendebat, quò de responso consilium haberetur. Commendoni verba tantam vim habuerunt, vt lacrymas à senioribus in Senatu, Religionisque studiosioribus exciuerint. Rex verò animaduersâ in aspectibus animorum propensione, vetuit Commendonum egredi, dicens, Senatores Polonicè sententias dicturos, adeoque arcanas, tametsi ab illo audirentur.

Vcangius, qui primum dicendi locum obtinebat, hortatus est, vt 3
generatim responderetur; Expendenda priùs esse quæ volumen complectebatur, ac posteà statuendum. Sed hæc sententia à maiori parte cum fremitu excepta est, vt quæ indignum existimabat, velle Senatum supra Concilium se iudicem constituere. Rex autem, auditâ communi voluntate in placido sed vniuersali susurro, dixit, In ea re maiori deliberatione opus non esse, cùm ipse testari posset, Nuntium eo die non adueniisse parato animo ad orandum in Senatu; adeoque vbertatem illam & efficaciam tam copiosi sermonis, tamquam diuinitus in eius ore positam esse agnoscendam. Itaque singulis sententias minimè rogatis, affirmauit, videri sibi rationi consentaneum, volumen sacrarum sanctionum excipi, atque obseruari. Et cunctis ferè Senatoribus vnâ voce Regis dicto plaudentibus, hoc responsum de more à Vicecancellario redditum est Nuntio, plurimis de ipso laudibus simul adiectis.

Suauis, ne anguis sui caudam veneno vacuam relinquat, narrat 4
ad Historiæ suæ finem, creatos fuisse à Pontifice Cardinales decimoquinto post absolutam Synodum mense. Et cùm vituperare non ausit eorum conditionem, quippe qui summo in pretio habiti fuerant, illos tantummodò numerat qui Concilio interfuerunt, tribuitque collatam ipsis Purpuram studiosæ eorumdem in Pontificem operæ, addens, noluisse Pium, idque disertè declarasse, quemquam eorum assumere, qui sustinuerant, mansionem aut institutionem Episcoporum esse iuris diuini, tametsi alioqui dotes Purpuræ consentaneas obtinerent: & hoc pacto conatur ostendere, sacram illam Purpuram fuisse mercedem adulationis, non præmium promeritorum; Romæ verò noxæ loco sinceritatem haberi: quod sanè malignæ inuentionis commentum re verâ conuincitur. Ac

primò

primò quidem inter eos, quos ille cooptatos communerat, quidam modiciſſimam operam Synodo contulere; adeoque gradus ille non potuit ipſis tribui tanquam remuneratio ſeruitii illic præſtiti Romano Pontifici; ſed ob alia egregiè geſta euecti ſunt: neque tamen libet hîc mihi eos nominare, ne cupido conuincendi Suauis, ad minuendam innocentis laudem me portrahat; ſed licebit lectori ex ſe obſeruare, de illorum nonnullis nihil à Suaui repertum, ad eos in vniuerſo Opere ſuo antecedente nominandos. Contrà verò non vnus tantummodò ex ijs, qui Pontificia iura in Concilio nauiter ſuſtinuerunt, ſupremum illud præmium à Pio non accepit, cuiuſmodi fuerunt Caſtanea, Facchinettus, & Archiepiſcopus Hydruntinus. Hiſce autem tribus, quorum duo poſtmodum Petri Cathedram cum plauſu conſcendêre, nequiuiſſet Suauis pares facilè numerare inter eos, quos neglectos affirmat ob commentitiam exceptionem. Verùm neque pariter de ijs, qui prætermiſſi ſunt, examen ſingulatim habuero, tum quia nec à Suaui illud habetur, tum quia nec à meo propoſito poſtulatur, tum etiam ne in memoratam culpam incidam, vt dum obtrectatorem redarguo, ipſe pariter obtrectator euadam. Profectò inter eorum cohortem non licuiſſet Suaui alium proferre, qui ſingulari dotium ſplendore ad ſe oculos admodum traxiſſet, niſi Mutinenſem Epiſcopum, præcellentis doctrinæ virum, ſimulque vtriuſque illius ſententiæ propugnatorem: ſed is, antequam Cardinales eligerentur, iam deceſſerat: cùm autem Tridento Romam redijt, non modò toruè non eſt exceptus, ſed, ſicut alibi ſignificauimus, præfectus operi nobili, necdum in Synodo perfecto, Catechiſmi, Breuiarij & Miſſalis, quod ille cum alijs Theologis compleuit. Nec certè calumniæ locus dari poteſt. Quantâ integritate Pontifices & Aula Romana in huiuſmodi remunerationibus ſe geſſerint, non ſolùm à nobis oſtenſum eſt in Iulio III. qui liberaliter beneficijs affecit complures Antiſtites, priùs acerbè contrarios & ipſi Legato & Romano Pontifici in antegreſſo Concilio; ſed oſtendunt Pontifices & anni ſubſecuti. Etenim Pius V. in Collegium adſcripſit Vincentium Iuſtinianum, ſummum Prædicatorum magiſtrum; & Gregorius XIII. qui Concilio interfuerat, Nicolaum Sfondratum Cremonenſem Epiſcopum, quem poſteà Roma euexit ad ſolium; quorum vterque in celebri certamine vigeſimæ Aprilis cum ijs conſenſere [d], qui contendebant vt abſolutè declararetur, manſionem eſſe iuris diuini. Et quod ſpectat ad Pium IV. quînam nocere potuit Patrum cuipiam, quòd eam opinionem defenderit, ſi Nicolaus de Ponte in

1564.

[d] Acta Paleotti 20. Aprilis. 1562.

1564. narratione sæpè laudata testis est, Pontificem demum, rationibus lentè perspectis, declarasse, à se quoque censeri, mansionem iure diuino præcipi, simulque vetuisse contraria studia adhiberi? Imò si consensit vt Decretum conficeretur verbis illi sententiæ vel maximè propitijs, quam posteà secuti sunt scriptores Sedi Apostolicæ obsequentissimi? Eò temeritatis deueniunt Suauis calumniæ, vt cùm sæpè nihil interioribus animorum finibus obscurius sit, non tamen ille se cohibeat, quin eos accuset cùm ipsorum innocentia clarè perlucet.

Mihi verò, quò pro virili ab huiusmodi vitio, non maligno solùm sed iniusto, longiùs absim, lubet in fine narrationis meæ contestari, ad alienam famam integram præstandam; nimirum, in ijs quæ spectant aut ad præcipuum huius Operis argumentum, aut adcontrouersias cum Suaui, certò scio, fuisse à me adhibitam diligentiam, quam permittat maximam humana conditio; adeoque confido, me non à vero aberrasse, vel certè non frequenter, neque grauiter. Sed in alijs narrationibus ex re incidente, & quasi episodicis, quamquam ne verbum quidem scripserim nisi fidem probabilium Auctorum secutus, tamen quia in hac vita mortali, penuria tum temporis tum virium causa est ne summum solertiæ impendatur cunctis ingentis operis partibus, minùs difficulter accidisse potuit, vt alicubi à vero, tametsi neque volens neque temerè, secesserim. Quapropter si in hisce telæ meæ fimbrijs, vt sic loquar, detrimentum cuiuscumque nomina paterentur, mens mea non est, vt cum eorum famæ iactura, quod à me dicitur, quidquam ponderis addat auctoritati scriptorum, qui à me pro testimonio, vti soleo, producuntur. Et secundæ mihi fortunæ verterem, si temporis decursu comperirem, eos, quibus alicuius culpæ aut vitij nota illic inusta fuit, reuerà innoxios esse, vnde mihi necesse foret palinodiam canere; cùm longè appetibilius mihi videatur in exercenda iurisdictione, siue ad potentiam, siue ad calamum spectante, munus remunerandi quàm puniendi; & simul existimem, omnem iudicem non inhumanum gauisurum, si sibi contingeret, vt ob nouas probationes aliquam damnationis sententiam reuocaret, quamquam à se actorum antecedentium vi legitimè prolatam.

CAPVT

CAPVT XIV. 1564.

Quæ sparsim in Opere de libertate Concilij ostensa sunt, & quid boni reuerà illud Aulæ Romanæ contulerit, renarrantur.

1 QVoniam autem vti populus auidè studioseque libertatem appetit, perinde generatim penuria libertatis, obiecta Concilio, locum maximè popularem obtrectatoribus præbet; vnde læpiculè Suauis ad illum redit, & nobis opus fuit de illa frequenter differere: nec superuacaneum fortasse nostro proposito, nec ingratum lectoribus accidet, si postremo loco summatim atque in vnum colligantur, quæ alibi per narrationes habentur sparsa ac diuisa, vt ijdem, postquam Actorum quasi seriem legerunt, eorum summam hîc relegant, & æquam posteà sententiam ferant.

2 Tribus modis à Romanis Pontificibus læsa Concilij libertas concipi potest, Vi, Iussu, Exhortatione minis ac promissis armatâ. Hæc autem libertatis violatio ad duo conuersa fingi potest, aut ad compellendos Patres ad ea peragenda quæ per se ipsi nolebant; aut ad retrahendos ab ijs efficiendis, quæ illi volebant.

3 Obseruandum etiam est, præter tres, quos diximus modos, qui vitiosi fuissent, posse alium intelligi, per quem Patribus non deesset quidem arbitrium sanciendi tamquam solutis; sed ijsdem deesset species dominandi tamquam supremis, & agendi confusio, tamquam acephalis, cùm Pontifex se Concilij caput declararet, illud per suos Legatos regeret, eidem opem ferret suis consilijs, ac studio suorum Theologorum, suorumque sacri Iuris Doctorum; ita tamen, vt posteà liberum esset cuicumque conscientiæ, huic potiùs quàm illi sententiæ adhærere, & vt conficerentur Decreta pro maioris partis suffragio. Si postremum hoc Suauis significat nomine læsæ libertatis (sicut ostendit frequenter, & sicut hæretici sui significabant, cùm conuenire ad Concilium renuebant, nisi liberum illud esset, hoc est, Romani Pontificis auctoritatem non admitteret) equidem non modò confiteor, sed profiteor, nostrum Concilium liberum non fuisse, itidem ac nullum aliud Oecumenicum Ecclesiæ Concilium, excepto Constantiensi, tantisper dum certus Pontifex non extitit: cùm reliquis omnibus præsederint siue Pontifices secundùm veritatem Catholicam, siue, secundùm etiam falsitatem hæreticorum, & ipsius Suauis, alijs Pontifices, alijs Imperatores. Vnum interfuit inter Tridentinum

1564. tinum & reliqua Occidentis Concilia, quòd illis per se ipsi adfuerint summi Pontifices, huic verò per suos Legatos, qui cum Romano Pontifice collati, tantò minùs lucis obtinent ad inclinandas Præsulum inferiorum palpebras, quantò minùs lucis habet parelium cum sole collatum. Ceterùm, nullus est hominum conuentus vni capiti subiectorum, qui hoc genus libertatis nihil dependentis exerceat; eam verò Ecclesia Catholica detestatur, nedum simulat.

Iam verò, cùm Suauis in animo suo satis cognosceret, in defectu huiusmodi libertatis, apud cordatos sinceroſque homines vim esse non ad improbandas tamquam violentas Concilij sanctiones, sed ad eas tamquam legitimas corroborandas, studuit hunc defectum libertatis cum alijs, quos numerauimus, confundere. Verùm sicuti vocum ambiguitas cunctarum fallacium dissertationum basis est; ita ex opposito nos, qui declarare veritatem extra hæc inuolucra & planè perspicuam studemus, distinctè ac singulos per se modos illos expendemus. 4

Quod spectat ad violentiam, tam longè distat à vero quàm id quod fieri non potest. Quò possit Princeps vim inferre alicui hominum conuentui, opus est vt vel conuentus in ipsius ditione celebretur, vel ij qui conueniunt, patrias familias & sua bona habeant in illius ditione. Hoc posito, Concilium cunctis tribus vicibus habitum est in vrbe non Pontifici Romano, sed Cæsari subiecta; adeò vt Legati non modò non potuerint vim aliis inferre, sed ætate Pauli III. ipsis necesse fuerit non parum acerbi inuito fortassis Cæsare deuorare. Nec vmquam Austriaci animum induxerunt vt assentirentur vlli vrbium Ecclesiæ, ac præsertim Bononiæ, tametsi plusquam duæ tertiæ Concilij partes eò confluxerint, hunc ipsum planè libertatis defectum obiicientes dominij causâ. Hoc de domicilio. De viris congregatis dicamus. In his tribus Conuentibus pars Episcoporum longè maior suas diœceses ac familias in aliorum Principum, ac potissimùm in Austriacorum dominatione obtinebat; modica quædam portio ex subiectis Pontificiæ ditioni conflabatur. Et satis liquet, quàm clarè animaduerterint Patres, se immunes esse ab omni vi quam Pontifex posset inferre, quando non solùm nostra, sed Suauis etiam historia conferta cernitur & animosis contradictionibus, per quas tam multi ex illis, ac tam frequenter Legatorum voluntati restiterunt, & plurimis eorumdem vociferationibus, molitionibus, & victoriis, in Aulæ Romanæ detrimentum. 5

Quod attinet ad alterum modum, quo libertas à Pontifice per iussio- 6

iussiones adimeretur, tam pura Concilij fama persistit, vt ne vnica 1564.
quidem hac de re vox etiam inter Suauis latratus, quantumuis calumniosos, audiatur.

7 Nec similiter de tertio modo, nimirum, per exhortationes, promissis minisque permixtas, quidquam vmquam probatur. Quin è contrario patefactum est, à Romanis Pontificibus fuisse beneficijs insigniter affectos quosdam etiam ex motosioribus, magisque oppugnantibus suorum Legatorum sensus, & Aulæ suæ iura; & alioqui parum aut nihil fuisse traditum ijs, quos quasi mancipia Romæ Suauis numerat. Neque quispiam nominari poterit ad præcelsum gradum ab illis euectus, in quo præcelsa merita tamquam malignam non damnent quamcumque aduersam interpretationem. Verum quidem est, & à me fidenter narratum, multis Episcopis indigentibus in Synodo aliquid eleëmosynæ suppeditatum fuisse à Romano Pontifice ad alimentum; in quo charitatis ac liberalitatis actu Suauis satyrica sua commenta fundauit. Sed est indicium indubitatum odij atque calumniæ, cùm vituperatio trahitur ex eo opere, cuius oppositum meritò vituperabile fuisset. Quidnam, & iure, proclamasset Suauis, si ex aduerso Christi Vicarius in tanta Ecclesiæ necessitate ærarium occlusisset, sineretque Synodum carere auxilio ac splendore tot sapientum proborumque, sed indigentium Præsulum? Neque par erat vt ipse taceret, hoc subsidium redigi ad vigintiquinque scutatos menstruos; quod certè complures sibi ducebant oneri, cùm illud honestum ipsis titulum adimeret subtrahendi se ab incommodis illius domicilij, vt proinde non modò id ipsis gratum non accideret, sed parcitatem perpetuò conquererentur, & complures ex illis in deliberationibus reipsa tum Legati tum Pontifex molestissimos experti fuerint.

8 Prætereà, quoniam in partitione considerauimus, potuisse libertatem lædi, aut coactis Patribus ad id agendum quod ipsis opportunum non videretur, aut retentis ne id agerent quod opportunum existimarent, inquiramus, an id ex vno alteróve capite contigerit.

In priori capite suspicionem omnem excludit rerum conditio in
9 Synodo decretarum, cùm ibi nec vnicum Fidei dogma, nec unica disciplinæ lex firmata fuerit in rem Pontificum; plurimæ verò inter leges in ipsorum detrimentum: quare nullum potest concipi commodum, quasi stimulus qui eos moueret, ad quodpiam eorum Decretorum odiosis probrosisque artibus comparandum. Et sanè huiusce rei ne vnum quidem exemplum Suauis vmquam adducit:

adeò

1564. adeò defuit omne illius indicium, & omnis vmbra. Id satis esset defensioni ac firmitati cunctarum in Synodo sanctionum: sed nolo mihi satis sit; nam etiamsi plenæ Concilj efficaciæ satis est, plenæ ipsius & Apostolicæ Sedis existimationi non sufficit. Eapropter ad alterum caput expendendum accedamus, nimirum, de sanctionibus per vim impeditis; ac priùs de dogmatibus, posteà de legibus.

De præpeditis dogmatum definitionibus non nisi duos affert & 10
opponit casus ipse liber Suauis, alterum de mansione, alterum de institutione Episcoporum, quorum vtrumque volebant complures diuino iuri tribuere; Pontifex verò studuit ne res declararetur.

De priori: iam ex hac Historia compertum est, quamquam 11
Pius IV. voluisset initio vt omitteretur huiusmodi quæstio, vtpote inutilis ad id quod intendebatur, videlicet ad inducendos Episcopos vt residerent, atque vt incerta inter Catholicos, & grauida corollarijs contentiosis; eumdem tamen scripsisse, vt vbi sine perturbatione illa prætermitti non possit, liber ei cursus relinqueretur. Et reipsa duo ex ipsius Legatis propenso in eam definitionem animo erant; quæ ideò confecta non est, quòd Patres præcisè rogati sententiam, maiori ex parte de ea non concordarunt. Posteà verò cùm visæ sunt tot rixæ ac tot suspiciones eius causâ coortæ, optauit Pius vt sopiretur: & hæc in eo voluntas subinde aucta est. Etenim quamuis tamquam laruæ censerentur detrimenta Sedis Apostolicæ, quæ hinc à nonnullis arguebantur: tamen vulgatis Pontificis sensibus, adhibitisque ab illo studijs ad eius prætermissionem, tamquam auctoritati suæ tutiorem, vbi oppositum peractum fuisset, fuisset idcircò diminuta apud Tansalpinos, ac præsertim apud hæreticos, opinio coniunctionis inter Patres & Pontificem, & studiosi illorum animi erga Pontificiam Sedem. Sed tandem ipse Orator Venetus palàm nobis facit, venisse Pontificem in eam sententiam, & arbitrio Synodi reliquisse, vt illam definiret: quod non euenit, solùm quia Patres non conuenere. Eam posteà communiter secuti sunt, sicut obseruauimus, Theologi magis addicti Pontificiæ auctoritati; & aliqui Præsules, eius propugnatores, euecti Romæ fuerunt alij ad supremum Senatum, alij etiam ad Solium. Quin vnicum illud, quod per eam definitionem intendebatur, hoc est, mansionis obseruatio, obtentum est curâ studioque Pontificum longè amplius, quàm vmquam fautores illius partis speraſſent ope instrumenti quod promouebant.

In altero capite de institutione Episcoporum eadem est adhibita 12
moderatio; ac proinde, tametsi à Legatis illud propositum non fuerit,

fuerit, cùm tamen à Granatensi delatum esset in medium, itidem ac Decretum mansionis, illi permiserunt vt non semel sententiæ super eo proferrentur. Sed hæ semper euasere discordes de ea parte potestatis Episcoporum spectantis ad iurisdictionem, quam complures ex viris ibi congregatis,& ex sanctis Doctoribus, antiquis ac recentibus, totam agnoscebant in suo quasi fonte in summo Christi Vicario, à quo in Præsules inferiores descenderet. Quapropter sollicito fuit animo Pontifex, ne ob nimiam pacis auiditatem Decretum conficeretur ambiguum, & cum occulto semine futuræ seditionis ac belli: sed vt apertis verbis illud tantùm pronuntiaretur, de quo Patres conuenirent; ijs, in quibus discordabant, in suo statu relictis: atque ita demum peractum est. Quid ampliùs? amor concordiæ tantam in Pontifice vim habuit, vt quamquam ex decem partibus nouem conuenirent in confirmando Florentinæ Synodi Decreto, & in statuenda prærogatiua Romani Pontificis supra Concilium; tamen, quoniam pauci quidem Galli cum assectarum modicissimo numero repugnabant, & Lotharingus eum rogauit ne per id pax turbaretur, ille se flexit ad se priuandum tam præcipuo emolumento. Atque hæc de dogmatibus. 1564.

13 Quod si de legibus disciplinæ differamus: non modò Pontifices haud difficulter consenserunt vt Patres ea cuncta statuerent quæ ad communem Ecclesiæ statum spectabant; sed eò deuenerunt, vt illis, quamuis essent inferiores auctoritate, & suspicionibus obnoxij, facultatem indulserint ad Aulam supremi ipsorum Principis, eiusque Tribunalia reformanda. Quin Pius IV. sæpè Legatis iniunxit, vt hoc ipsum deduceretur in opus, se prius non commonito: iterum atque iterum conquestus est, cùm id Præsides non obseruarunt: laudauit quidquid in Sessionibus decretum est, quamuis interdum & improuisum, & expectationi suæ contrarium, & ærario suo suæque Aulæ non mediocriter noxium. Lotharingus Cardinalis, & Archiepiscopus Bracarensis, postquam diu & intimè cum illo egerunt, huiusmodi animum in eo & huiusmodi studium Concilio testificati sunt. Cæsar ad suos Oratores scripsit, à se in exemplari accepto emendationis tunc paratæ, ac posteà in Synodo stabilitæ, obtentum iam fuisse ferè quidquid optauerat vt corrigeretur in Ecclesia. Similiter quoque Regibus Hispaniæ ac Lusitaniæ factum est satis. E conuerso, cùm actum fuit de aliquo abusu in laicorum potestate corrigendo, cælum telluseque miscери visa sunt; & oportuit vt tunc Legati prævalidâ ora-

1564. oratione Patres cohortarentur, quâ illos retraherent ab obſirmato conſilio, ne alteram ſine altera parte reformarent.

Hæc in Concilio. Quo abſoluto, cùm Pontifex effecerit vt in 14
Aula ac ditione ſua, ſuiſque Tribunalibus illud exciperetur, & obſeruaretur; ex oppoſito, in illis regionibus, quæ morum reparationem enixiùs efflagitarant, impetrare non potuit vt eadem exciperetur, niſi quantum cognitâ ibi ex aliorum experimento illarum legum vtilitate, vna modò, modò altera inducta eſt, numquam tamen dentibus ad duriores atque auſteriores admotis. Quare in hac poſtrema Hiſtoriæ clauſula reuocare mihi libet id quod initio ſcripſeram, cùm Suauem impugnaui. Vbi affirmat ille, firmatam & corroboratam fuiſſe à Concilio Romanæ Aulæ potentiam in regiones quæ ipſi ſubiectæ ſupererant, adeò vt tam firmas radices ea numquam egerit; illic ſtudui eius dictum refellere, obſeruans, cùm in ſuperioribus Concilijs decretum aliquod Romano Pontifici propitium fuiſſet editum, nihil huiuſmodi à Tridentino profectum; quin è contrario varias ibi ſanctiones fuiſſe confectas, Aulæ Romanæ tum auctoritati tum prouentibus pernicioſas. Nunc verò animaduerto, me illi iniuriâ contradixiſſe. Potentia ſiquidem, & præſertim Eccleſiaſtica, firmiores radices non habet, quàm bonas leges, ac bonos mores in Magiſtratibus. Firmiſſima & ampliſſima facta eſt acceſſio auctoritatis ab Eccleſia, Aulaque Romana, ex eo quòd cùm anteà per plura ſæcula *Morum emendatio*, & *Concilium* vocabula eſſent obiecta Romæ ab exterarum nationum clamoribus, eadem poſteà euaſerunt vocabula, quæ iuſto clamore obiectare poteſt Roma multis exteris nationibus. Quin ſicut in aliis commerciis lucro vertitur cùm alienum retinetur, iacturæ cùm ſuum non exigitur; Romæ, in communicatione cum Catholicis regionibus, nihil ſortem magis minueret, quàm ſi debitum illa non ſolueret: nihil magis eius opulentiam retinet, quàm cùm illa debitorem tolerat non ſoluentem.

FINIS.

SYLLA-

SYLLABVS

Errorum Historiæ Suauis, de veritate facti; qui errores certissimis testimonijs euidenter hoc Opere conuincuntur.

1. TRidentum non fuisse amplius missas ex Aula Pontificia litteras Mantuano, ob conceptas de ipso suspiciones, sed Simonettæ. Quod euincitur esse falsum. *Lib.17.cap.4.*

2. Hac de causa fuisse expunctum, ex numero eorum qui à Pontifice delecti ad res Concilij deliberandas, Cardinalem Gonzagam, filium fratris Cardinalis Mantuani. Hoc etiam falsum. *Ibid.*

3. Pontificem succensuisse Camillo Oliuo, qui Mantuano à secretis erat, quòd hic non expleuerat ea quæ Oliuus promiserat. Romam à Mantuano non Oliuus, sed Pendasius missus fuit; & ne hic quidem eo tempore. *Ibid.*

4. Pontificem solitum acerbè de multis queri, quoniam hac ratione eos ad purgandas res gestas compellens, purgationemque admittens, sibi conciliabat. Ex cunctis monumentis liquet, Pontificem contrà omninò egisse. *Ibid.*

5. Legatos subterfugisse proponere Concilio volumen Ferdinandi, tot petitionibus refertum; & Archiepiscopum Pragensem, mutatis ad celeritatem equis, ad Aulam Cæsaris se contulisse, quò illum ea de re, deque Concilij statu edoceret. Verum contrà est, Legatos apertè Cæsareis Oratoribus ostendisse, quàm parum conueniret volumen illud exhiberi. Et Archiepiscopus rem probè intelligens, volumen retinuit; & iam accinctus ad Aulam Cæsaream petendam, quò Regem Bohemiæ coronaret, spopondit se operam daturum, vt Cæsarem ab eiusmodi proposito dimoueret: quod & præstitum patuit. *Ibid.*

6. In Concilio fuisse turbationem aduersus F. Amantium ex Ordine Seruorum B. Virginis, & Theologum Episcopi Sebenicensis. Res quidem vera est: sed aberrat Suauis in commemorando Amantij pronuntiato, vnde turbatio. *Lib.17.c.6.*

7. Antonium Augustinum, in formula Canonis de Communione sub vtraque specie, requisiuisse quædam verba quæ probata non fuere, cùm solus Episcopus Nimensis consentiret. Auctor tamen huius rei fuit non Augustinus, sed Duinius; & Ragazono assentiente ea verba recepta fuere, quippe Canonem magis declarantia. *Lib. 17. cap.7.*

8. Legatos ex Lusitani Oratoris consilio reuocasse facultatem deferendi ad tempus Tridenti, quibusdam Episcopis concessam. Id tamen ex aperto Pontificis mandato fuit. *Lib.17.c.8.*

9. Simonettam, cùm audiebat in Congressu proponi ea quæ ipsius consilijs aduersabantur, vsum operâ plurimorum Episcoporum, audacter facetorum, qui nonnullis primarijs Patribus offensis, ea die congregationis dissoluendæ occasionem darent. E contrario, nullo vmquam eius temporis monumento legitur, congregationem ob eiusmodi aculeos ante consuetam horam dimissam. *Ibid.*

10. Gabrielem à Veneur Gallum, Vi-

uarienſem Epiſcopum, verba feciſſe de quibuſdam circa Ordinum collationem emendandis. Id temporis nec Gabriel, nec vllus ex ipſius natione Concilio interfuit. Ad hæc, non Gabriel à Veneur, ſed Iacobus Maria Sala Bononienſis, Viuarienſis hoc tempore Epiſcopus fuit. *Lib.* 17. *c.* 9.

11. Archiepiſcopum Lancianenſem oppugnaſſe facultatem concedendam Epiſcopis de coniungendis Sacerdotijs Pontifici reſeruatis. Sed Suauis narrat eius ſententiam ſumma cum ingenij malignitate, diuerſamque omnino ab eius exemplari. *Lib.* 17. *c.* 10.

12. Archiepiſcopum Granatenſem, cùm poposciſſet vt neſcio quid adderetur Decreto de Euchariſtia ſub vtraque ſpecie percipienda, id fuiſſe additum ſub æſtu diſputationis in illa eadem congregatione, in qua id ille petierat; & in eadem congregatione de eadem re fuiſſe latas ex improuiſo ſententias; adeoque ea verba per vim ibi poſita. Hæc tamen omnia peracta cum diuturna & ſedata Patrum conſideratione. *Ibid.*

13. Cùm mota fuiſſet controuerſia in eodem doctrinæ capite dum Seſſio celebraretur, Alphonſum Salmeronem & Franciſcum Turrianum Ieſuitas, alterum de ea re diſſerüiſſe cum Varmienſi Legato, alterum cum Cardinali Madruccio, perſuadentes ijs, vt paterentur aliquid addi Decreto; atque ab his rem Legatis propoſitam. Sed præterquam quòd Turrianus non niſi tribus poſt Synodi finē annis Societatem IESV ingreſſus fuit, propoſitæ res ibi nomine communi ab Epiſcopo ſacrificante proponebantur, aut minori ſolemnitate ab eo qui à ſecretis Concilij erat; aut ſi quid extra morem contingeret, à primo Præſide, qui nec Varmienſis erat nec Madruccius. At ea difficultas, vti Seripandus ad Borromæum ſcribit, inceſſit vnum ex Legatis manè eiuſdem diei, antequam templum adiretur. *Ibid.*

14. Additamentum illud, quia ex improuiſo propoſitum, fuiſſe à pleriſque repudiatum. Et tamen complures docti Epiſcopi ſatis inter ſe diſſerüerant de re anteà multum ſatis agitata: & in eodem templo Guerrerus oſtendit verba ſancti Thomæ, contraria ijs verbis quæ addenda proponebantur. *Ibid.*

15. Eamdem ob cauſam additamentum illud non placuiſſe alijs Legatis; ſed ob loci dignitatem eos dixiſſe, in ſequentem Seſſionem illud differri. At patet ex laudatis Seripandi ad Borromæum litteris, rem illam non voce propoſitam à duobus Cardinalibus inter rogandum ſententias ſuper recitatis Decretis, & alijs Præſidibus id ægrè ferentibus; ſed per accuratum libellum, eumque Patribus exhibitum ex communi Legatorum conſenſu, antequam Seſſio inchoaretur. *Ibid.*

16. Turrianum & Salmeronem in dicenda ſententia petulanter tranſgreſſos fuiſſe præſcriptum à Legatis mediæ horæ tempus, aſſerente Salmerone, ſibi, vti Theologo Pontificio, haud tempus præſcribendum; atque hunc, cùm totum matutinum tempus dicendo abſumpſiſſet, non niſi communia attuliſſe, nec digna memoratu. Hi tamen haud petulanter præſcriptum tempus egreſſi fuere, cùm Legati id conceſſiſſent. Salmeron ſolùm teſtatus fuit, ſe malle tacere, quàm in rebus adeò grauibus ea non dicere quæ conſcientia ſuggerebat. Nec modò non attulit communia, ſed excitauit eam celebrem quæſtionem, quæ ex ipſius Suauis teſtimonio diu Concilium exercuit, nempè, vtrum Chriſtus in Cœna ſeipſum ſacrificauerit. *Lib.* 17. *c.* 13.

17. Georgium de Ataida Luſitanum Theologum, in congreſſu 24. Iulij habito

habito ſententiam de ſacrificio Miſſæ tuliſſe, ob quam malè audiit in Religionis cauſa. Hic tamen numquam de eius Seſſionis rebus locutus fuit eâ vel aliâ die. Id contigit alteri Theologo Luſitano, videlicet F. Franciſco Furerio Dominicano: & etiam huius ſententia multùm diuerſa fuit ab ea quam Suauis fingit. *Lib.* 18. *c.* 1.

18. Ataidam hac de cauſa paulò pòſt è Concilio abijſſe, ideoque eius nomen haud extare in Catalogis poſt finem Concilj editis. Contrà non modò Ataida tunc è Concilio non abijt, ſed quinque alios menſes ibi poſteà moratus fuit. Furerius autem perſtitit in Concilio vſque ad finem, eiuſque nomen in Actis habetur. *Ibid.*

19. Didacum Lainium, Præpoſitum generalem Societatis IESV, Tridentum veniſſe 14. Auguſti. Eò aduenit 24. Iulij. *Lib.* 18. *c.* 2.

20. Tres eiuſdem Societatis viros conatos eum, haud vltimo loco contentum, præferre alijs Religioſorum Ordinum Præſidibus. Et tamen hic non modò non recuſauit, ſed petijt vltimum locum. Et ad refellendum ſparſum de lite prærogatiuæ rumorem, extat teſtimonium legitimum, firmatum ſubſcriptione ipſorum Legatorum, & præterea litteræ ipſorum ad Borromæum, & Borromæi ad ipſos. *Ibid.*

21. Idcircò Lainium haud nominatum in Catalogis eorum qui Concilio adfuerunt. Et tamen in his extat eius nomen, inter alios Præſides Generales deſcriptum. *Ibid.*

22. Richardum Vercellenſem, Canonicum Regularem, die 16. Auguſti iuiſſe interrogatum Oratores Gallos, num ex Gallia Epiſcopi in Concilium venirent, eoſque ſtimulaſſe vt eorum aduentum ſollicitarent: & partim ob hanc cauſam, partim ob alias ſuſpiciones de ipſo conceptas, datam operam apud eius Præſidem, vt ante Gallorum aduentum Tridento amoueretur; ſed occupatum morte 26. Nouembris. Hæc narratio, quantum ſpectat ad ſecundam partem, apparet falſa ex litteris Vicecomitis. *Lib.* 18. *c.* 4.

23. Eumdem Abbatem, quò conceſſionem Calicis reijceret, ſuam ſententiam confirmaſſe teſtimonio Baſileenſis Concilij, quod Calicis interdictum comprobarat: ideoque cùm reprehenſus ab Imolenſi Epiſcopo fuiſſet, ortam inter ipſos vehementem contentionem. At Abbas dictum comprobauit auctoritate Conſtantienſis, non Baſileenſis Concilij. Et etiamſi vſus fuiſſet teſtimonio Baſileenſis, non ideò reprehenſus eſſet; cùm ferè in omnibus vtriuſque partis ſententijs reuerenter illius Concilij auctoritates allegatæ fuerint. *Ibid.*

24. Congreſſus de conceſſione Calicis abſolutos die quintâ Septembris. Hi continuati vſque ad horas veſpertinas ſextæ diei. *Lib.* 18. *c.* 5.

25. Epiſcopum Capiembergenſem in Styria, improbaſſe Cæſarianorum Oratorum acceſſum ad eam rem deliberandam. Huiuſmodi Epiſcopus no adfuit quidem, is verò qui improbauit, fuit Epiſcopus Caprulenſis, vel, vt alij efferunt, Caprulanus. *Ibid.*

26. Epiſcopos Hiſpanos contendiſſe à Legatis, vt in ea cauſa à congregatione remouerent eos qui ſimul & Epiſcopi erant & Oratores Cæſarei. Huius rei nulla mentio fit in Actis, eiuſdemque temporis litteris. *Ibid.*

27. Epiſcopum Cauenſem conqueſtum de ſiniſtra Draſcouizij prædictione, ſi huiuſmodi res negaretur. Conqueſtus fuit idem ſuprà nominatus Epiſcopus Caprulanus. *Ibid.*

28. Capita de Reformatione propo-

sita fuisse vndecim. Fuere quatuordecim. *Lib.* 18. *c.* 6.

29. Petente Oratore Gallico, qui Romæ degebat, fuisse à Pontifice commissum Legatorum arbitrio, euulganda nec ne essent Decreta de Sacrificio. Sed Pontifex id per summum arcanum Legatis commisit, negauitque Oratori Gallico id petenti. *Lib.* 18 *c.* 7.

30. In Sessione sexta lectas fuisse litteras Patriarchæ Syrorum. Hoc Suauis figmentum est. *Lib.* 18. *c.* 9.

31. In ea Sessione Patres viginti tres intercessisse Decreto, quo statuebatur Christum seipsum in Cœna obtulisse. Duo tantùm intercessere. *Ibid.*

32. Sententias fuisse confusè pronuntiatas, cùm plures simul loquerentur. Et tamen duo illi, quò nihil absurdi committeretur, intercessere non verbis, sed syngraphis. *Ibid.*

33. Musottum, qui Cardinali Seripando erat à secretis, quædam proposuisse, ad Cardinalem Lotharingum à Concilij accessu abducendum; atque ea Romæ fuisse statim præstita. Sed præterquam quòd Musottus id in sua narratione nullo pacto refert, ex Vaticanis tabulis patet, numquam Pontificem huiusmodi actibus consensisse. *Lib.* 18 *c.* 13.

34. Capita de Ordinis Sacramento proposita, fuisse octo. Ex omnibus Actis & ephemeride patet, fuisse septem; octauum verò haud fuit propositum, nisi longè posteà quàm Suauis narrat. *Lib.* 18 *c.* 14.

35. Theologos ad expendenda capita de Ordinis Sacramento, fuisse partitos in quatuor classes, & in omnibus fuisse de ijs rebus disceptatum. Classes fuere sex, & quælibet ex ipsis id præcipuum munus habuit, vt studia & disputationes conferret in capita sibi præscripta. *Ibid.*

36. In prima congregatione, 23. Septembris habita, fuisse locutos quatuor Pontificios Theologos; & ex his duos fuisse Sotum & Brauum Dominicanos. In ea tres tantùm dixere, & ex ijs vnus tantùm Pontificius fuit, nempè Salmeron. *Ibid.*

37. Fr. Simonem Florentinum, Cardinalis Seripandi Theologum, longam orationem habuisse de Episcoporum institutione die 2 Octobris. Hic Theologus haud eâ die locutus fuit; imò nec ipse nec Brauus, à Suaui in primum congressum inducti, quidquam de huiusmodi capitibus dixere in omnibus illis cœtibus, vtpote qui haud numerabantur in tribus classibus quibus illa erant præscripta. *Ibid.*

38. Pontificem Legatis mandasse, vt curarent ipsius iudicio committi caput de mansione primo loco, sine Decreto: si hoc effici non posset, Decreto id statui curarent; & si hoc etiã non succederet, darent operam vt Synodus per pœnas & præmia, non per dogmatis declarationem mansioni consuleret. Sed in litteris de hac re scriptis à Borromæo, primo loco eligitur id quod Suauis narrat tertio loco electum; secundo loco alterum, vt Pontificis iudicio res crederetur, sed absque distinctione an per Decretum an sine eo conficeretur: atque ita prorsus experientiâ comprobatum est. *Ibid.*

39. Sententias eorum, qui petierunt additamentum Canonis de Episcoporum institutione, fuisse nouem & quinquaginta. Fuere tres & quinquaginta. *Ibid.*

40. Numerum horum futurum fuisse maiorem, nisi quædam ex catharro contagio plurimos detinuisset. Porrò cùm de ijs rebus dixissent centum octoginta & vnus, necesse fuit paucissimos, non verò multos domi se continuisse morbi causâ. *Ibid.*

41. Legatos, post geminas priores

Patrum

Patrum congregationes de Episcoporum institutione, aduertisse, illam declarationem fore maioris detrimenti Sedi Apostolicæ, & Aulæ Romanæ, quàm ipsi existimassent. Et tamen hoc detrimentum principio animaduerterunt; vnde permoti fuerant ad tollendam eam particulam ex Canonibus sub Crescentio paratis. *Lib.*18.*c.*15.

42. Ob repulsam cuiusdam rei, Hispanis Legatorum nomine à Soto propositæ, eos cepisse consilium, vt Lainius de eo capite publicè differeret, ex quo Patres benè erga Pontificem animati, & inconsideranter in eam opinionem prolapsi, mutarent sententiam. Res à Legatis per Sotum Hispanis Episcopis proposita fuit, eiusque repulsa lata 28. Octobris. Quare hinc effici non potuit, vt copiosam illam dissertationem Lainius haberet, cùm habita fuerit multis antè diebus, nempe 20. eiusdem mensis. *Ibid.*

43. Hanc Lainij concionem fuisse antè meditatam, & expensam inter quatuor Iesuitas ibi præsentes. At Iesuitæ tres tantùm ibi, non quatuor aderant; nam Turrianus nondum eorum Societati nomen dederat. Et propterea extat inter Seripandi monumenta lucubratio Turriani, prorsus huic Lainij suffragio aduersa *Ibid.*

44. De additamento, quod aiebant insertum Canoni de Episcoporum institutione sub Iulio, accidisse plurimum altercationis inter Mantuanum & Aiolam, quo congregationis tempus consumptum, & vnumquemque sibi victoriam attribuisse ob ambiguam significationem Decreti & Canonis, sub Legato Crescentio confecti. Atque hoc totum vti falsum euincitur, & facti veritas ostenditur. *Lib.*18.*c.*16.

45. Legatos festinasse proponere Decretum de mansione ob prolixas Patrum de hoc querelas; his tamen non satisfactum. E contrario mora sublata fuit ob aduentum Gallorum: tantumque à vero abest vt Patribus Decretum non placuerit, vt Episcopus Salmanticensis scripserit, illud cum magna omnium comprobatione fuisse sancitum. *Lib.*18.*c.*17.

46. Pontifice id temporis in morbum lapso, Insulanum Oratorem Gallicum Romæ cum pluribus egisse, vt successor Tridenti eligeretur per nationum suffragia, & præscriptis priùs futuro Pontifici legibus, vnde Pium IV. valdè commotum. Hæc tamen haud Romæ agitata, sed solùm fuere consilia à Lansaco ad Reginam Tridento missa; vti patet ex litteris ab eo id temporis scriptis. *Lib.*19.*c.*1.

47. Cardinalem Lotharingum conatum efficere, vt suffragia ferrentur per nationes, ac domi suæ habuisse cœtum Gallicorum Patrum, qui affirmarint, iurisdictionem Episcoporum ad ius Diuinum pertinere. Porrò vtrumque comperit fuisse falsum Gualterius Viterbiensis Episcopus. *Lib.*19.*c.*4.

48. Cardinalem Lotharingum callidâ ambiguitate de Mansionis Decreto locutum, vt eius sententia elici inde non potuerit. Contrà, cùm ei priuatim Legati Decretum communicassent, illis significauit quædam necessariò mutanda; & postea publicè in congregatione illud recepit cum multis conditionibus claris, & Pontifici fauentibus. *Lib* 19. *cap.*7.

49. Illum, quò liceret Gallis liberè inuehi in Pontificis auctoritatem, abstinuisse congressu die 6. Decembris, ac fuisse causatum mortem tunc vulgatam Antonij Nauarræ Regis. Sed præterquam quòd hæc suspicio nullius mentem subijt, nullus Episcopus in eo congressu licenter in Pontificiam auctoritatem disseruit. *Ibid.*

50. Legatos Cardinali Lotharingo propo-

propoſuiſſe, ſe Romam miſſuros Epiſcopum Viterbienſem, vt ageret de Gallorum petitionibus; & Cardinalem aſſenſum. Sed reuerà Legati propoſuere Vicecomitem; quò poſteà alia de cauſa Tridento abeunte, in gratiam Lotharingi Gualterius delectus fuit. *Lib.19.c.11.*

51. Petitiones à Gallis propoſitas, fuiſſe ad Pontificem miſſas per Gualterium. Miſſæ ſunt hæ petitiones per tabellarium tunc diſcedentem. *Lib.19. cap.11.*

52. Gallos Oratores in exhibendis petitionibus denuntiaſſe Legatis, ſe, niſi Concilium generale ſatisfaceret, per Gallicanas Synodos ſibi ſatisfacturos. Contrarium tamen contigit: ſiquidem Oratores declararunt, & ex ſcripto in petitionum proœmio teſtati ſunt, Regem prorſus omnia permittere iudicio Synodi, ad cuius ſupremam auctoritatem ea pertinere intelligebat Et Cardinalis Lotharingus Legatis dixit, ſibi plures ex ijs diſplicere, & fore à ſe, cùm ſententiam ferret, improbandas. *Ibid.*

53. Vnam fuiſſe formulam Canonis de inſtitutione Epiſcoporum Româ miſſam. Formulæ fuere tres: atque vna, quam Suauis refert, valdè à vera diſcrepat; vti & idem craſsè fallitur in Canone octauo de Pontificis poteſtate. *Lib.19.cap.12.*

54. Veniſſe ad Concilium Sabaudi Oratorem Epiſcopum Aſtenſem. Is fuit Marcus Antonius Bobba, Epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ. *Lib.19 cap.15. & 16.*

55. Cardinalem Lotharingum ſummoperè inuectum in Pontificem, quaſi omnem Synodo libertatem adimeret. Lotharingus tamen Pontificem ſtimulabat, vt ad Tridentum propiùs accederet, quò præſens aut propior ordinem pacemq; Concilio pareret. *Lib.19.c.16.*

56. Plures Epiſcopos, non benè erga Pontificem animatos, noluiſſe agnoſcere in Pontifice auctoritatem æqualem Chriſto vti homini, & quam inter mortales hic habebat; ſed eam quidem auctoritatem quæ Petro ſimilis erat: quod non ſatis placuiſſe vitis Pontifici addictis; quippe veritis ne Pontifex reuocaretur ad obſcuram & inopem vitam, quam Petrus duxit. At è contrario diſceptatio, quantum ad æqualitatem ſpectabat, hæc fuit. Videlicet, Patres Pontifici ſtudioſi volebant vt Pontifex in regiminis auctoritate Petro æquaretur; alij verò diſſentiebant, affirmantes, auctoritatem ſanctitate creſcere: ad eum pertinere Canonicorum librorum ſcriptionem, quæ ſanè Petro licuit, Pontifici non licet. *Ibid.*

57. Decanum Pariſienſem dixiſſe, non eſſe in Eccleſiæ poteſtate abrogare clandeſtina matrimonia; atque inde ortam litem inter ipſum & Salmeronem. Contrarium apertè apparet ex litteris Epiſcopi Mutinenſis ad Cardinalem Moronum *Lib.20.c.4.*

58. Capita rerum à Theologis Oeniponti expenſa iuſſu Ferdinandi, fuiſſe decem & ſeptem. Vera fuere duodecim, alia conficta. *Ibid.*

59. Petitionem Cardinalis Oſij, poſcentis vt ſibi liceret Epiſcopatum ſuum & Poloniam adire, Romæ innotuiſſe eo tempore, quo poterat Pontifex inde permoueri ad nouos Legatos, vti cogitabat, Tridentum deſtinandos. Hæc tamen petitio Romam plurimis poſt diebus perlata fuit; vti patet. *Lib.20 cap.6.*

60. Legatum Simonettam, cùm poſt Mantuani mortem ambiret primum inter Præſides locum (quippe Oſius, etſi maior, languidior erat) diſſuaſiſſe Pontifici omnem in Concilio mutationem, vti periculoſam. E contrario ex litteris Borromæi ad vtrumque ſcriptis con-

constat, Pontificem ipsorum precibus sollicitatum, subrogasse duos Legatos Mantuano extincto, & Altempsio digresso. *Ibid.*

60. In litteris vltrò citroque inter Cæsarem Pontificemque datis, plura scripta vicissim aculeatè & contentiosè. Hoc falsum omninò est, vti patet ex ipsis litteris quæ extant *Lib.* 20. *c.* 8.

61. Camillum Oliuum, cùm Mantuam Cardinalis Mantuani corpus deportasset, ibi, diuersis causis obtentis, fuisse ad tribunal Fidei accersitum: sed reuerà ob eam causam, quòd adhuc vigeret indignatio concepta aduersus Mantuanú ob superiores de mansione contentiones. At Oliuus Tridenti retentus fuit post Mantuani obitum, cum ijs omnibus muneribus, quibus superstite Mantuano fungebatur; & post Moroni aduentum donatus fuit stipendio menstruo quadraginta aureorum præsentis laboris ergó, ac præterea Pontifici commendatus, vt alijs præmijs ob antecedens promeritum exciperetur. *Lib.* 20. *c.* 9.

62. Nuntium pacis, in Gallia cum hugonottis firmatæ, Tridentum fuisse perlatum 20. Aprilis. Id tamen tribus hebdomadis antè in omnibus Tridentinis monuments extat. *Lib.* 20 *c.* 12.

63. Cardinalem Moronum in congressibus cum Ferdinando habitis, illi ostendisse, nullum ex Concilio fructum sperabilem esse: quod falsum euincitur. *Lib.* 20. *c.* 15.

64. Moronum cum Cæsare, eiusque filio Rege Romanorum, occultiora tractasse. At id temporis Rex Romanorum Oeniponte distabat, adeò vt numquam simul egerint. *Ibid.*

65. Cardinalem Lotharingum in suo suffragio asseruisse, Episcopatum & Cardinalatum inter se repugnare, adeoque improbasse Cardinales Episcopos. Is tamen contrarium apertè propugnauit. *Lib.* 20. *c.* 17.

66. Eum in vnico congressu suum suffragium dicendo absoluisse. Ipsius tamen suffragium diuisum fuit in plures congressus; vnde ingens altercationum materia. *Ibid.*

67. Massarello, qui, cùm esset Concilio à secretis, ob calculorum morbum se subduxerat, fuisse suffectum Episcopum Campanensem: atque ita per se compositam difficultatem de Cæsaris petitione vt duo essent à secretis Concilij, vtpote occasione Massarelli excitata. Id tamen diuersissimâ sanè ratione contigit, vti patet ex *Lib.* 21 *cap.* 3.

68. Fuisse exaratam quamdam formulam responsi reddendi Birago, Regis Galliæ administro, in qua pacificatio Gallica comprobabatur; sed illam, cùm à Legatis Lotharingo ostensa esset, ab hoc fuisse improbatam, adeoque aliam formulam sicciorem exhibitam. Porrò numquam Legati cogitarunt à Synodo quidquam proferendum quo huiusmodi pacificatio approbaretur: tantumque à vero abest, Lotharingum id illis dissuasisse, vt is è contrario in congregatione contenderit, ne Patres Regi mœstitiam adderent, factum huiusmodi malè interpretando. *Ibid.*

69. Comitem Lunensem medio circiter Iunio cœpisse euulgare mandata regia super particula *proponentibus Legatis*; quasi tunc ad se missa, vrgente Galliæ Reginâ, quæ conata fuerat Philippum Hispaniæ Regem permouere ad translationem, causata, Concilio Tridenti libertatem nullam esse. At Comes primâ die quâ Tridentum attigit, & antequam ex Gallia in Hispaniam ea de re Orator mitteretur, regia hæc mandata Morono quàm efficacissimè exposuerat. *Lib.* 21. *c.* 5.

70. Moronum nihil commotum ex

ea Comitis petitione, & ne voluisse quidem vt id Pontifici significaretur, gnarum, id actum in gratiam Reginæ hoc vrgentis, antequam hæc decreuisset Pontifici in rebus Concilij satisfacere. Quod adeò à veritate alienum est, vt non solùm Legatis opus fuerit id ad Pontificem perscribere, sed etiam exhibere Oratori, si ipse in proposito persisteret, se Pontificis id præcipientis accepto iam mandato obtemperaturos. *Ibid.*

71. Ob responsum à Morono hac de re Pontifici redditum, scilicet, se potiùs cupere legationem deferre, quàm huiusmodi declarationi vnquam consentire, sollicitudinem fuisse collegis iniectam; cùm Moronus de eo responso cum reliquis non deliberasset, ac insuper videretur velle supra alios insurgere. Porrò extant geminæ Legatorum litteræ, communi consensu ad Pontificem scriptæ, quibus hæc eadem sententia continetur, omnibus profitentibus, se malle veniam potiùs abeundi, quàm huiusmodi rem exequi. *Ibid.*

72. Cæsarem suasisse tunc Comiti Lunensi, vt Regem Hispanum ab eo proposito deflecteret; & si dubitaretur, inde futurorum Conciliorum libertatem violatum iri: satis fore, si ea declaratio in fine Concilij poneretur. Hoc tamen multò antè, & ab ipsis Legatis Comiti propositum fuerat. *Ibid.*

73. Composito inter Oratores tumultu, ob prærogatiuam orto, Lotharingum proposuisse aliud temperamentum, vt duo disceptata capita omitterentur. At tumultus sedatus fuit ineunte Iulio; & tertiâ Iunij missus fuerat Romam cum hoc Lotharingi temperamento is qui Gualterio ab epistolis erat. Et Musottus, qui tunc Lotharingo à secretis erat, eius comprobationem ad hunc detulit, quo tempore tumultus magis feruebat. *Lib.* 21. *c.* 13.

74 Cardinalem Lotharingum, ijs diebus Romam inuitatum humanissimis Pontificis litteris, statuisse ijs in rebus illi prorsus gratificari: quare post alios adhibitos conatus coactum fuisse illum cœtum ex multis primarijs Patribus, in quo iacta fuere fundamenta concordiæ super mansione & Ordine ante generalem congressum. Hic tamen priuatus cœtus coactus fuit multò antè quàm Pontifex Lotharingum Romam inuitasset. *Ibid.*

75. Archiepiscopum Hydruntinum omnibus viribus sese concordiæ opposuisse. Et tamen Legati illi tribuunt præcipuam eius rei laudem; & à Borromæo in litteris scriptis ornatur præclaro testimonio, quo nomine Pontificis significat, rem huic gratissimam ab Hydruntino factam. *Ibid.*

76. In Sessione vigesimatertia plerosque Hispanos consensisse Decretis doctrinam continentibus, adiectâ conditione, vt Legati præstarent id quod sui Regis Oratori promiserant, nempe (quemadmodum Suauis ait) quando Pontificis auctoritas Florentinæ Synodi verbis statueretur, etiam declaratum iri, institutionem Episcoporum pertinere ad ius diuinum. Sed è contrario patet ex Actis, solùm tres Hispanos Episcopos, & non omnes assensisse illis Decretis appositâ conditione: & ex his vnus, scilicet Auosmedianus, generatim mentionem fecit cuiusdam promissionis Legatorum super sexto & octauo Canone, haud exprimens cui vel quid promissum. *Ibid.*

77. Legatos, cùm Comes Lunensis proposuisset vt Protestantes ad Concilium vocarentur, respondisse, maturè se de ea re deliberaturos. At Moronus fidenter respondit, huiusmodi inuitationem fore inutilem. *Lib.* 22. *c.* 1.

78. Ab Oratoribus Hispanicis, Romæ agentibus apud Pontificem, fuisse excusa-

cusatum Comitem Lunensem, qui Concilij fini aduersabatur. Hi tamen affirmarunt, id Regiæ mentis esse haud posse; & vehementes ad Comitem dedere litteras, quarum exemplar exhibuere Pontifici, qui & illud Legatis communicauit. *Ibid.*

79. Intercessionem Venetorum pro Græcis ipsorum ditionis, de matrimoniorum consummatorum dissolutione super causa adulterij, fuisse circa quamdam mutationem in genere. Et tamen Veneti proposuere ipsam verborum formulam, quæ accepta est. *Lib.* 22. *c.* 4

80. Turbationem quæ Mediolanensis prouinciæ populos & Episcopos incesserat, quòd Hispanicum Fidei tribunal in eam prouinciam inducendum esset, sed tam ex eo tantùm, quòd Hispani, edocti Belgicis turbis, incepto destitissent. At quies inde contigit, quòd Pontifex Mediolanensibus & Patribus significauit, sibi certum ac firmum, eiusmodi tentamento repugnare. *Lib.* 22. *cap.* 8.

81. Pontificem, cognitis variis Oratorum petitionibus super morum emendatione, exarsisse ad finem Synodo imponendum. Et tamen antè id ardenter Legatis commendarat. *Ibid.*

82. Gallos Oratores, quò Patres cohiberent à Decreto quod super Principibus mouebantur, euulgasse mandatum quo iubebantur contestatione uti; sed contrà quàm vellent euenisse, cùm permouissent plusquam centum Patres, vt scripto conspirarent, se de nullo capite dicturos, nisi caput de Principibus reponeretur. At Oratores adeò celauere illud mandatum, vt non solùm Episcopi, sed ne Legati quidé, & Cæsarei illud odorari potuerint. Insuper Patres de eo capite fremuere 10. Septembris: adeoque hic fremitus non potuit oriri ob regium mandatum, quod, vti Suauis narrat, vndecimo eiusdem mensis perlatum fuit. *Lib.* 23. *cap.* 1.

83. Pontificem arbitratum se, in ijs quos cum Cardinali Lotharingo habiturus erat sermones, superaturum Concilij difficultates, præcepisse Legatis, vt Sessio, nisi præscripto tempore haberi posset, ad duos menses protraheretur. Porrò Pontifex numquam dubitauit, Sessionem præscripto tempore haberi non posse, nisi post euentum: cumque ab hac mora alienissimus esset, vbi audijt prorogatam Sessionẽ, se id ægrè tulisse Legatis significauit. *Ibid.*

84. In congregationibus fuisse sententias dictas supra viginti capitibus. Monumenta omnia perhibent, hæc fuisse capita viginti & vnum. *Ibid.*

85. Comitem Lunensem, cùm petijsset vt in causis Episcoporum Pontifici reseruandis iura Tribunalium Fidei conseruarentur, imputasse Hispanicorum Canonicorum seu Capitulorum Procuratori eam duritiam, quam Præsides in illo negotio ostenderant, adeoque illum ad discessum compulisse. At discessus denuntiatio, & ipse discessus contigere multò ante illud obstaculum, quod non potuit à Comite Procuratori, sed Episcopis aduersantibus imputari. *Ibid.*

86. Fuisse publicè disceptatum de coniugijs clandestinis, & omnia capita Patribus communicata post prorogationẽ. Vtrumque antè contigit, & ea de causa, vt prorogatio impediretur. *Ibid.*

87. Cæsarem super capite ad Principes spectante scripsisse Morono: Omnia mala præterita fuisse orta ex oppressionibus per Ecclesiasticos tentatis in populos & Principes. Et tamen in tabulis publicis ne minimum quidem eius rei vestigium cernitur. *Ibid.*

88. Oratores Gallicos incitatos fuisse ad paratam contestationem verbis cuiusdam Episcopi, qui in eadem con-

gregatione, die 22. habitâ, acriter disseruerat, reponendum esse caput de Principibus, iam sepositum. At Oratores biduo antè petierant ac impetrarant à Legatis facultatem publicè nomine Regis loquendi, celatâ tamen re de qua locuturi. *Ibid.*

89. Contestationem Ferrerij respondere sensis quæ ipsi Lotharingus significarat. At in volumine litterarum, Parisijs edito, extat Epistola Lotharingi ad Regem, in qua ostendit se contra id mandatum sentire. *Ibid.*

90. Visum Gallis esse, à decimoquarto legum capite tollendos prouentus quos Annatas dicimus; etsi aliter posteà factum fuerit. Hoc maximè falsum est, quippe Lotharingus & plures alij apertis verbis eas præteruarunt; neque vmquam in conuentu relatum fuit de ijs expungendis. *Lib* 23. *c.* 3.

91. Episcopos Gallos à Pio Religionis causâ abdicatos fuisse quinque. Fuere septem. *Lib.* 23. *c.* 6.

92. Sententiam aduersus ipsos fuisse pronuntiatam 13. Octobris. Fuit pronuntiata 22. eiusdem mensis. *Ibid.*

93. Cardinalem Osium simulasse se ægrotum, ne interesset postremæ de Matrimonio congregationi; cùm religioni sibi duceret consentire Decreto de clandestinis nuptijs, atque id verbis testatum. At Mendozæ Acta nihil hac de re memorant; Acta verò Paleotti contrarium omnino produnt. Insuper idem Osius postridie suum suffragium, quo Decreto aduersabatur, ex scripto misit, neque in eo vlli religioni sibi duxit, suum in ea re iudicium Pontificis iudicio subijcere. Quin eius morbus tum diuturnus & manifestus fuit, vt non modò per eos dies congregationi & Sessioni interesse non potuerit, sed sequenti tempore viribus fuerit adeò imbecillis, vt non ei licuerit subire partem laborum quos collegæ tolerabant, quod multo cum dolore apud Pontificem excusauit. *Lib.* 23 *c.* 27.

94. Omnes consensisse Decretis Fidei super Matrimonio. Et tamen præter Moronum, & alios qui duodecimo repugnarunt, & præter Lotharingum aliosque, qui sexto restiterunt, sparsim complures sese illis obiecerunt. *Lib.* 23. *cap.* 9.

95. Decretum illud reformationis, cui insertum additamentum fuerat petente Oratore Hispano, fuisse quintum, in quo agitur de ijs à quibus cognoscendæ sint criminales Episcoporum causæ. Hoc sextum fuit super facultate Episcopis concessa absoluendi sibi subiectos à quolibet crimine, etiã hæresis occultæ in foro interiori. *Lib.* 23. *c.* 10

96. Decreta super morum emendatione edita, esse decem & nouem. Sunt viginti. *Ibid.*

97. Decretum, super distributione prouentuum Ecclesiasticorum Episcopis præscribenda, fuisse correctum adnitente Zambeccaro Episcopo Sulmonensi. Correctum fuit adnitentibus Lotharingo, Guerrero, & alijs; vti colligitur ex Episcopi Salmanticensis Actis. *Ibid. Lib.* 24. *c.* 3.

98. Vargam, Hispanicum Romæ Oratorem, quantumuis à Comite Lunensi sollicitatum, noluisse rursum insistere quò Concilium protraheretur, tam ob Pontificis morbum, quàm ob responsum paucis antè diebus ab eodem Pontifice redditum, quo is testificatus est, se rem Concilij libertati permittere. Contrarium habetur in litteris Borromæi, ad Legatos 14. Decemb. datis. *Lib.* 24. *c.* 4

99. Lainium eâ loquendi formulâ *per hæc*, & non *per hoc*, quâ obtinuit vt Societas IESV exciperetur à Decreto decimosexto, quo agitur de rebus non ante tyrocinium renuntiandis, per fraudem fecisse eamdem Societatem immunem ab alijs rebus, quæ in quindecim

cim capitibus antecedentibus continentur. E contrario illa formula *per hæc*, posita fuit ex mente Concilij, vti res exigebat. Neque ideò vmquam agitatum fuit de Societate IESV subtrahenda ijs legibus, quæ superioribus capitibus continentur. *Lib.24 cap.6.*

100. Lainium exposuisse, nullis alijs Ordinibus religiosis concessum fuisse, vt post longum tempus Professionem religiosam impertiti possent. Ex libris cunctis de Instituto Societatis editis contrarium patet. *Ibid.*

101. Tunc à Lainio iactum fundamentum, super quo posteri Iesuitæ possent struere singularem viuendi rationem, quæ in eorum Societate apparet. Porrò Synodus ipsa, & eodem loco affirmat, eorum institutũ esse iam à Sede Apostolica confirmatũ, scilicet primùm à Paulo III. & mox à Iulio III. *Ibid.*

102. In fine postremæ Sessionis, cùm Patres interrogati fuere, num ipsis placeret vt Concilium finiretur, & Præsides nomine ipsius Concilij poscerent à Pontifice omnium Decretorum confirmationem, suffragia de hac re proposita, non fuisse de more singulatim data, sed ab omnibus simul responsum, *placet*. Contrarium reliquit scriptum Astolphus Seruantius, qui adfuit, & erat amanuensis Massarelli, qui Concilio à secretis erat. *Lib.24.c.8.*

103. Leuitati ac vanitati communiter tributum fuisse, quòd Cardinalis Lotharingus elatâ voce inceperit proferre, post Concilij finem, Patrum acclamationes; cùm admodum non deceret talem Antistitem ac Principem illud muneris, quod potiùs conueniebat Diaconis Synodi, quàm Archiepiscopo & Purpurato adeò insigni. At monumenta quibus hoc narratur, non aliud perhibent, quàm Cardinalem Lotharingum fuisse hac de causa communi plausu exceptum. *Ibid.*

104. In fine Concilij non fuisse postulatum ab Oratoribus Principum vt suam subscriptionem adijcerent, ob Galli absentiam: siquidem si horum subscriptio inter alias desideraretur, declararetur, Gallos non recepturos Synodum. Et tamen ab omnibus Oratoribus Tridenti manentibus, præterquam à Comite Lunensi, qui id præstare recusauit, biduo post finem Concilio impositũ postulatæ sunt, atque ab ijs datæ acceptationes per amplissimam verborum formulam, ac subscriptiones, actis cum legitimis tabulis firmatis à duobus Concilij Actuarijs, ac seiunctis à Patrum subscriptionibus. *Ibid.*

105. Pontificem admodum perplexo animo fuisse, num Concilium confirmandum sibi esset, ob querelas Aulicorum, & vniuersalem Cardinalium opinionem: fuisse in eam rem delectum Purpuratorum cœtum; eorumque sententias narrat quasi de re quæ in ancipiti penderet. At Pontifex statim, necdum omnino confirmatis ex morbo viribus, congregationem Purpuratorum aduocauit, in qua testatus fuit, velle Concilium & à se confirmatum, & ab alijs seruatum. Et præterquam quod id in Actis Senatus habetur, extat hac de re epistola Ptolomei Gallij, qui erat Pontifici à secretis, ad Vicecomitem, in Hispania Nuntium, data die 5. Ianuarij 1564. Et tam ex Actis, quàm ex epistola patet, quàm diligentissimè Pontificem curauisse, ne in Senatu aut alibi quidquam fieret contra Synodi leges. *Lib.24.c.9.*

106. Pontificem non aliud vidisse Synodi Decretum, nisi illud quo confirmatio petebatur, adeoque confirmasse id cuius sententiam ignorabat: atque hic refert quoddam responsum, ex quo arguit modicam Concilij libertatem in statuendis rebus propositis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sed in diplomate confirmationis, sancito ex Senatus-consulto, & Cardinalium subscriptione firmato, habetur, Pontificem cognouisse omnia illa Decreta esse Catholica, & populo Christiano vtilia. Insuper satis compertum erat, Decreta cuiuslibet Sessionis alia post alia venisse non modò in manus Pontificis, sed omnium hominum qui Latinas litteras callerent: & tam super hoc quàm super Concilij libertate legenda. *Ibid.*

107. Gallos nullo pacto probasse, à Mendicantibus possideri posse bona quæ vocant stabilia; atque hanc dixisse esse artem Pontificis, quâ Cœnobia, vbi probè opulenta euasissent, in commendã, vti vocant, abeunt. At Ordines quorum bona abiere in commendas, monachorum fuere, quibus nullum nuncupatum est votum non possidendi bona stabilia; quippe hoc votum, si vniuersalitas & frequentia spectentur, à Mendicantibus primùm emissum est. Præterea Galli, etsi in pluribus reformationis legibus Concilium haud receperint, nullam tamen difficultatem opposuere huic facultati, Mendicantibus concessæ acquirendi bona stabilia, vti re ipsa patet. Et non solùm non displicuit ipsis hoc Decretũ ea de causa, quòd huiusmodi bona post: à in commendationem abeant; sed præcipuum obstaculum à Regina & Regiis administris obiectum, vnde & Concilij acceptatio præpedita, illud fuit, quòd videlicet huiusmodi commendationes seu commendæ tollerentur, cùm illæ in Gallia ex toto à Regis arbitrio penderent. *Lib.* 24. *c.* 10.

108. In Germania leges disciplinæ ne apud Catholicos quidem magni factas. Hoc dictum experientiæ apertè repugnat. *Lib.* 24 *c.* 12.

109. Cæsarem & Bauarum, quò Catholicis satisfacerent, vehementissimè à Pontifice petijsse vsum Calicis, coniugium sacerdotum, aliaque legum Ecclesiasticarum laxamenta. Hoc de Calice verum est: sed repugnat iis quæ Suauis principio scripsit, videlicet, postquam Concilium concessionem Calicis Pontificis arbitrio permisit, illam à Cæsare non ampliùs postulatam; siquidem populi id à Concilij potestate, non à Pontifice accipere volebant. Hic tamen error aperte reuincitur. *Lib.* 18. *c* 9 *& lib.* 22. *c.* 10. Porrò de re præsenti legendus *Lib.* 24 *cap.* 12.

110. Pontificem in nouo Cardinalium delectu, habito quindecim mensibus post Synodi finem, legisse complures ex ijs qui suam ipsi operam fideliter impenderant, & ne vnum quidem lectum ex iis qui asseruere, mansionem aut institutionem Episcoporum esse ex iure Diuino, quantumuis alioquin Purpuram mererentur. Et tamen inter hos, quos numerat ad Purpuram enectos, nonnulli numerati fuere, qui in Concilio parum egere: & contrà, aliqui omissi qui validissimè iura Pontificum tutati, ex quibus duo alio tempore ad Pontificatum peruenere. Immò nihil detrimenti potuit accidere Patribus eam sententiam propugnantibus, cùm Pontifex ipse, quemadmodum Orator Venetus in sua narratione affirmat, demum in eadem esset sententia, & vetuerit quidquam contra illam agitari, consentiens conformari Decretum ijs verbis quæ eiusmodi sententiæ maximè fauerent; quam posteà communiter secuti sunt Scriptores erga Sedem Apostolicam præ aliis obsequentissimi. *Lib.* 24. *cap.* 13.

Alij innumerabiles Suauis errores, qui in Historiæ progressu refelluntur, haud recensentur in hoc syllabo: seu quia necessaria esset prolixa narratio, seu quia eorum confutatio pendet non à solis facti probationibus, sed à ratiocinatione, seu alias ob causas.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ his octo Libris continentur.

A.

ABbas Mannensis iterum venit ad Pontificem nomine Lotharingi Card. lib. 18 cap. 13. num 5. Eius postulata pro Sessione retardanda. l. 18. c. 17. n. 14. Proficiscitur ad Carolum Regem cum litteris eiusdem Lotharingi. l. 24. c. 4. n. 2.

Abbas Nichettus à secretis Ferrariensis Card. quæ referat Pontifici de sensis Lotharingi Card. & suorum Præsulum. l. 18. c. 17. n. 16.

Abbates Cassinates contendunt cum Clarauallensibus de loco; & quomodo res composita. l. 19. c. 2. n. 6.

Adamus Fumanus Canonicus Veronensis, & additus Concilio à secretis cum Massarello. l. 21. c. 2. n. 7.

Ægidius Falcetta Episcopus Caurulensis, obstat acriter concessioni Calicis, cum graui Cæsarianorum indignatione. l. 18. c. 4. n. 22. Calumniæ Suauis super hoc. l. 18. c. 5. n. 4. Transfertur ad Ecclesiam Bertinorensem. l. 19. c. 13. n. 1.

Ægidius Fuscararius Episcopus Mutinensis, quid sentiat de concessione Calicis. l. 18. c. 4. n. 5 Eius sententia, vt matrimonia clandestina fiant irrita. l. 22. c. 4. n. 11. Erga ipsum Pontificem se beneuolum ostendit. l. 23. c. 6 n. 3. Cura illi demandata Romæ de rebus nondum perfectis à Concilio. l. 24. c. 13. n. 4. Eius obitus. ibid.

Albertus Bauariæ Dux: rationes illi redditæ à Legatis ob repulsam Calicis. l. 21. c. 2. n. 9. & 10. Postulat concessionē à Pontifice. l. 24. c. 12 n. 8

Albertus Duinius Græcos adiuuat pro Communione sub vtraque specie; & errores Suauis. l. 17. c. 7. n. 13. & 14.

Alexander Card. Farnesius. Eius suspiciones de Morono Card. ob emendationem Collegij in Synodo. l. 23. c. 7 n. 4. & 5.

Alexander Criuellius Nuntius in Hispania, Philippum Regem cohortatur pro felici Synodi progressu. l. 19. c. 12. n. 5.

Alexander Sforzia, Cameræ Apostolicæ clericus. Excitatus in Concilio rumor ob imaginariam eius electionem ad Purpuram. l. 21. c. 6. n. 4. Cœtus habiti in eius ædibus de disciplina. l. 22. c. 8. n. 5. Quæ illi significata sint nomine Pontificis. l. 23. c. 6. n. 3.

Alfonsus Salmeron Societatis IESV, interfuit cunctis apertionibus Concilij; & quâ conditione. l. 17. c. 6. n. 2 Eius sermo notabilis de articulis Eucharistiæ. l. 17. c. 6. n. 2. 3. & 4. Obiecta ab eo Decretis digestis de mansione: appendix ab eo petita; & errata Suauis. l. 17. c. 11. n. 1 vsque ad 21. Suauis mendacia de reiecta ab illo temporis restrictione in dicenda sententia. l. 17. c. 13. n. 10. & 11. eius sententia de quibusdã articulis de Ordine & de Matrimonio. l. 18. c. 18. n. 3. 4. & 5. & l. 20. c. 2. n. 1

Allegrius missus à Carolo IX. ad Pium IV. vt transferatur Concilium in aliquam vrbem Germaniæ. l. 21. c. 3. n. 1.

Aloysius Auila Romam venit ad Pium IV. Orator Philippi Regis. l. 19. c. 4. n. 16. Mandata quæ defert de mansionis argumento, aliisque Concilij

Concilij rebus. l.19.c.7.n.4. & l.20. c.10. n. 5. vsque ad 11. *eius sedulitas ad accelerandum exitum Synodi.* l. 22. c. 1.n.6. & c.9. n.2. *Petit dilationem ob noua mandata Regis.* l.24.c.1.n.1.

Aloysius Requesenius, magnus Castellæ Commendator, Regis Philippi Orator Romæ, iracundè in Pontificem loquitur ob potiorem locum Galliæ Oratori datum. l.24.c.11.n.11. *Reuocatur à Rege; quòd sibi gratum Pontifex ostendit.* l.24.c.12.n.1.

Amantius, ex Seruorum Ordine, Theologus in Tridentino, suam sententiam retractat de Communione; & error Suauis. l.17.c.6.n.6.

Andreas Cuesta loquitur in Synodo de institutione Episcoporum. l.18.c.14. n. 7. *Obstat postulato Venetorum.* l.22.c.4 n.29.

Andreas Duditius Sbardellatus latinè perorat in Sessione quinta, intenditque obliquè persuadere concessionem Calicis. l.17.c.1.n.21.

Angelus Massarellus, à secretis Concilij. Illi supplentur alij dum ægrotat. l.19.c.15 n.1. l. 21.c.3.n.27. & c.12. n.1. *Admittit ad suffragium procuratores Germanos cum molestiâ Legatorum.* l. 18. c. 4. n. 12. & l.20.c.17.n.8. *Cadit in suspicionem Cæsareis & Gallis, qui nouos illi adiectos postulant, & ipsis satisfit.* l.19. c.4 n.1. & l.21.c.2 n.7.

Annui census quos exigunt Pontifices Romani. Edicta in Gallia super his vulgata. l.18.c.1.n.3 4.5.& 6. *Ipsos defendunt Præsules Galli in Concilio; & mendacium Suauis.* l. 23. c.3.n.3.

Antony Ælij sermones in Synodo de concessione Calicis, de Collegiorum immunitate, de virtute matrimonij clandestini. l. 18. c. 4. n.3. l.23.c.3. n.14.c.5.n.18.& c.9.n.3.

Antonius Augustinus Duodecemuir Romæ. Malignitas Suauis in ipsum. l.17.c.7.n.15.

Antonij Borbonij Nauarræ Regis obitus. l.19.c.5.n.13.

Antonius Cerranius, Episcopus Almeriensis, approbat vt irrita fiant clandestina matrimonia. l. 22. c. 4. n.12.

Antonius Ciurelia se opponit, mordaci irrisionis modo, Legatis proponentibus; & eorum querelæ. l.19.c.16 n.15.l.20.c.2.n.7.

Antonius Couarruuias recitat contestationem Lunensis de loco, in cœtu. l.21.c.1.n.1.

Antonius Fachinettus Episcopus Neocastrensis egregiè laudatur à Legatis Tridentinis. l.21. c. 2. n.11. *eius sententia de reformandis Episcopis.* l.21 c.4 n.2.

Antonius Maria Gratianus, à secretis Commendono, scribit summam responsionum de quibusdam Cæsaris articulis. l.20.c.4.n.5.

Antonius Muglitius Archiepiscopus Pragensis, Orator Ferdinandi vt Cæsaris in Concilio, instat pro Calicis concessione. l 17.c.14. n.12. *eius publica sententia de prorogatione septimæ Sessionis.* l. 19 c. 16. n. 15. *Discordat à Legatis de omittenda Principum laicorum emendatione.* l.22.c 6 n.1 2.3. & 5.& c.7.n.1.

Antonius Perenottus Cardinalis scribit ad Pontificem de Baio & Hesselio, qui Tridentum venerant. l. 21. c.7.n.4.

Antonius Scarampus Nolæ Episcopus, loquitur cum Vicecomite de criminationibus Mantuani. l.17.c.3 n.1. *Ab hoc mittitur ad Pontificem.* l.20 c.3.n.5.& 6.

Appellationes Clericorum non regularium ad Pontificem quo pacto sint obseruandæ inter Præsules inferiores.

res. Decreta super hac sancita. l. 18. c. 6. n. 10.
Apostoli an fuerint à Christo consecrati in cœna. l. 18. c. 5. n. 5. 7. & 8.
Archiepiscopi. Vide *Episcopi.*
Arnoldus ab Ossat, Cardinalis Gallus, scribit summa cum laude ac veneratione de Decretis Tridentinis. l. 24. c. 10 n. 15.
Arrias Gallegus, Episcopus Gironensis, petijt audientiam à Patribus post quemdam cœtum absolutum. l. 17. c. 11. n. 13. *Præfert speciem contestantis in quædam Decreta de disciplina: & quo pacto fuerit impeditus.* l. 23 c. 8 n. 4.
Arriuabenus mittitur à Mantuano Cardinali ad Pontificem, petiturus veniam abeundi à legatione: & error Suanis. l. 17. c. 3. n. 7. & c. 4. n. 3. *Eius reditus & responsa.* l. 17. c. 5 n. 1. *Sensus Pontificis ab eo delati de Calicis concessione.* l. 17 c. 14. n 10
Augustinus Pantgatner Orator Bauarus Tridenti, abit ob contentionem de loco cum Heluetio. l. 19. c. 4 n. 11. *Romæ postulat concessionem Calicis, & remittitur ad Concilium.* l. 19. c. 2. n. 9.
Aula Romana quid sit. l. 24. c. 10. n. 13. *De ea murmur Tridenti ob contentiones de mansione.* l. 17. c. 3. n. 4. *An ea repugnaret confirmationi Synodi, & quid inde boni reciperet.* l. 24. c. 9 n. 4. & 5. & c. 14. n. 14.

B.

Bartholomæus Delbene missus à Rege Galliæ ad Pium IV. disserit de sensibus Lotharingi de pacificatione hugonottorum. l. 18 c. 17. n. 3.
Bartholomæus Caranza. Episcopus Toletanus, coniectus in carcerem in Hispania hæresis titulo. Postulata Patrum Tridentinorum, vt eius causa auocetur ad Pontificem. l. 21. c. 7. n. 7.
Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bragarensis sententiã fert de concessione Calicis. l. 18. c. 4. n. 8. *Romã discedit.* l. 22 c. 11 n. 2. *Redit Tridentum, & summoperè Pontificem laudat, & Borromæum.* l. 23. c 7 n. 7. *Varia obseruat ad Episcopos & Regulares reformandos.* l. 24. c. 3. n 3 & c. 6. n. 2.
Bartholomæus Sebastianus, Episcopus Pattensis, fauet Pontificis auctoritati apud Hispanos. l. 20 c. 9. n 11.
Bartholomæus Serigus, Episcopus Castellanetensis, supplet munus Massarelli absentis. l. 19. c. 15. n. 1. l. 21. c. 12. n. 1.
Bernardus Cardinalis Nauagerus it Legatus Concilij Tridentini post mortem Mantuani. l. 20. c. 6 n 5. *Transit Venetys.* l. 20. c. 12. n. 7. *Peruenit Tridentum.* l. 20. c. 13. n. 2. *Eius colloquia, & amicitia cum Lotharingo contracta iussu Pontificis.* l. 20. c. 16. n 4. 5. & 6. *Veronam adit post absolutam Synodum.* l. 24. c. 9. n. 3.
Bertonus, à secretis Lotharingi Cardinalis, missus Romam; & sermones de hoc Tridenti. l. 19. c. 5. n. 1. *Finis eius missionis.* l. 19 c 12. n. 8. *Litteræ ad ipsum à Lotharingo, ostendendæ Pontifici.* l. 19 c. 16. n. 6. 8. & 9.
Bona Ecclesiastica, quomodo liceat ea locare. l. 24. c. 7. decr. 11.
Breuiarium. Eius reuisio Pontifici commissa à Concilio. l. 24. c. 8. n. 4.

C.

Calix petitus à Bauaris & Cæsarianis in Synodo. l. 17. c. 4. n. 8. *Quinque articuli super hoc expensi.* l. 17. c. 1. n. 1. 2. & 5. & c. 6 n 2. & seq. *Difficultas & dilatio rei cum ægrimonia Cæsarianorum.* l. 17. c. 7. n. 1.

vsque ad 6. *Animaduersiones de hoc Suauis.* l. 17. c. 12. n. 2. *Noua Ferdinandi postulata, & modi excogitati vt ipsi satisfieret.* l. 17. c. 14. n. 10. 11. & 12. *Res proposita generali cœtui, & rationes ab illius Oratoribus adductæ.* l. 18. c 3 per totum. *Summa opinionum varietas absque conclusione.* l. 18. c. 4. per totum. *Aliæ Cæsarianorum cogitationes; & errata Suauis.* l. 18. c. 5. n. 1. 2. 3. & 4. *Postulatum ad solam Bohemiam restrictum. Querelæ & discordes sententiæ de Decretis propositis; & res Pontifici remissa.* l. 18. c. 7. n. 12. & 13 & c. 8. n. 1. 2. 3. & 4. & c. 9. n. 3. *Obiecta à Suaui.* l. 18. c. 9. n. 10. & 11. l. 22. c. 10. n. 15. l. 24. c. 12. n. 8. *Sensus Philippi Regis, & Pontificis hac in re.* l. 20 c. 10 n. 9. & 19. *Postulata feruentia Bauari Romæ & Tridenti, quo pacto sedata.* l. 21. c. 2. n. 9. & 10. *Voluntas in Cæsare id à Pontifice petendi.* l. 22. c. 10. n. 15. *Concessio limitata tradita his duobus Principibus, sed sine fructu.* l. 24 c. 12. n. 8.

Camillus Oliuus, à secretis Mantuano, monet herum de propinqua morte. l. 20. c. 6. n. 2. *Confirmantur ipsi munera post obitum Mantuani.* l. 20 c. 9. n 8. *Calumniæ & errores Suauis de Oliuo.* l. 17. c. 4. n 2. & 3.

Cancellarius Parisiensis stimulat Lotharingum Tridenti vt in Pontificem agat. l. 19. c. 9. n. 8. *Se arctius coniungit cum eodem.* l. 20. c. 12. n. 11. *Videtur cogitare de constituendo Rege capite Ecclesiæ Gallicanæ.* l. 23. c. 1. n. 13. *Opponit multa ne Synodus recipiatur.* l. 24. c. 11. n. 3. & 4.

Capitula Cathedralium aliarumq; Ecclesiarum primariarum. Decretum expensum de ipsarum immunitate. l. 23. n. 3. c. 6. & seq. & c. 7. n. 2. 14. & 15. *Ponderationes de hoc.* l. 23. c. 3. n. 9 & 10. *Comprobatio Decreti, & postulatum Lotharingi de Canonicis concubinarys.* l. 24. c. 4. n. 10. & c. 7. decr. 6.

Capitula Hispaniæ postulant à Synodo, vt ipsorum immunitates persistant. l. 22. c. 10. n. 3.

Capitulum Complutense defenditur à quibusdam Hispanis pro sua immunitate, & postulata contraria Salmanticensium. l. 23. c. 3. n. 24. & c. 7 n. 2.

Cardinales. Litteræ inter Ferdinandum & Pium IV. de numero & prærogatiuis requirendis in Cardinalibus. l. 20. c. 8. n. 5. & c. 14 n. 10. *Sententiæ dictæ in Synodo per hoc, & de committendis eorum curæ Episcopatibus.* l. 20. c. 16. n. 1. & 12. l. 21. c. 4. n. 10. l. 23. c. 3. n. 4 13. 22. *Mandata valida Legatis data ad hos reformandos, & excusationes de hoc habitæ à Pontifice in Senatu.* l. 23. c. 6. n. 5. & 6. & l. 22. c. 1. n. 5. & 6. *Lunensis de hoc ipso postulata* l. 22 c. 7. n. 2. *Obligationes iniectæ Cardinalibus Episcopis de consecratione & mansione.* l. 21. c. 11. n. 5. c. 2. n. 5. & 6. decr. 1. *Patres optant seiunctam emendationem Cardinalium: & cur hoc non euenerit.* l. 21. c. 6. n. 7 l. 23. c. 7. n. 4. 5. 6. 7. & 10. *Synodi Decretum de illorum frugalitate.* l. 24. c. 7. n. 1. decr. 1.

Carolus Borromæus. Eius litteræ ad Legatos de libertate agendi tum in doctrina, tum in disciplina legibus, ac præcipuè in reformandis Cardinalibus. l. 18. c. 11. n. 12. 13. 14. l. 20. c. 5. n. 5. c. 6. n. 7. l. 21. c. 6. n. 1. vsque ad 8. l. 22. c. 1. n. 5. 12. 13. c. 8. n. 11. l. 23. c. 7. n. 5. *Eius sensus in obitu Frederici fratris.* l. 19. c. 4. n. 9. *Noua litteræ de modo agendi cum Lotharingo, & de sedandis controuersiis*

ſiis ſuper manſione, & Epiſcoporum inſtitutione. l. 19. c. 12. n. 10. & ſeq. *Habita cum Oratore Luſitano officia ob pietatem quam hic in Synodo præ ſe tulerat.* l. 19. c. 15. n. 7 *Mandata de loco Hiſpani Oratoris.* l. 21. c. 1. n. 7. c. 8. n. 5 *De fiducia habenda erga Lotharingum & Madruccium.* l. 22. c. 2. n. 7. & 8. *de fauore præſtando Societati* IESV l. 24. c. 6. n. 6. *De rebus Romæ ſtabilitis cum Lotharingo.* l. 23. c. 6. n. 4. *Litteræ ad duos Hiſpaniæ Nuntios de confirmatione & executione Concilij.* l. 24. c. 9. n. 8.

Carolus Cardinalis Borbonius accipit à Pio IV. legationem Auenionenſem. l. 24. c. 11. n. 10. *Remanet ad Regis tutelam poſt mortem Antonij fratris.* l. 19. c. 5. n. 13. *Agitur de danda illi coniuge, cum relaxatione legis Apoſtolicæ.* l. 20. c. 9. n. 2.

Carolus Graſſius Epiſcopus Montisfaliſci, miſſus à Pontifice obuiam Lotharingo, ad Synodum accedenti. l. 18. c. 17. n. 11. *Præuenit Lotharingum Tridentum ad dilationem petendam.* ibid. & n. 19. & 20. *Reſpondet illic multa cum laude conteſtationi Oratoris Galli.* l. 23. c. 1. n. 10 & 11.

Carolus Guiſius Gallus, Lotharingus Cardinalis. Suſpiciones de eo ſparſæ Romæ ac Tridenti de ipſius aduentu proximo. l. 18. c. 7. n. 2. & 3. c. 13. n. 2. *Eius obſequioſa officia erga Pontificem.* l. 18. c. 13. n. 5. *Eius poſtulata apud Legatos pro mora.* l. 18. c. 17. n. 19 *Tridentum peruenit, ibique excipitur.* ibid. n. 21. *Prima colloquia cum Præſidibus, & mandata delata.* l. 19. c. 1. per totum. *Noua ad Pontificem litteræ, & colloquia cum Piſcario.* l. 19. c. 2. n. 1. & 2. *Propoſita Legatis ad ſedandam diſcordiam de inſtitutione Epiſcoporum, ad ſtabilienda capita diſciplinæ pro Gallia.* ibid. n. 7. & 8. *Verba facit, & excipitur in generali Cœtu.* l. 19. c. 3. n. 1. & 2. *Alienatio à Simonetta, & eius ſenſus Gualterio communicati.* l. 19. c. 4. n. 1. 2. 3. & 4. *Quid de ipſo Patres ſenſerint.* l. 19. c. 5. n. 1. *Eius querelæ ob rumorem excitum de Epiſcopo Guadicenſi.* l. 19. c. 5. n. 6. 8. & 9. *Eius prima ſententia publica de argumento Ordinis, ac præcipuè de inſtitutione Epiſcoporum: & noua Canonum forma ab eo propoſita.* l. 19. c. 6 n. 1. 2. 3. & 4. *Alia ab eo propoſita de auctoritate Pontificis, quæ Romam mittuntur.* ibid. n. 10. & ſeq. & c. 7. n. 2. *Reſponſa Româ reddita; & mendacia Suauis.* l. 19. c. 7 n. 3. & 4. & c. 8. n. 5. & 6. *Eius ſententia de diſciplina, & falſa à Suaui dicta.* l. 19. c. 7. n. 5. & ſeq. *Acerbè conqueritur de Pontificijs.* l. 19. c. 8. n. 4. & c. 9. n. 7. 8 & 9. *Pontifex ipſi gratificatur.* l. 19. c. 10. n. 2. *Litteræ eiuſdem, beneuolentiæ plenæ ad ipſum; & mandata tradita, vt cum eo benè agatur.* l. 19 c. 12. n. 8. 9. & 15. *Ab eo ſignificata de poſtulatis Gallorum.* l. 19. c. 11. n. 2. *Ratio digeſta cum Præſidibus ad componendos Canones iam dictos, & difficultas quam offendit in Gallis Epiſcopis & Hiſpanis.* l. 19. c. 13. n. 2. & ſeq. *Delegatio de eo & Madruccio habita pro Decreto manſionis.* ibid. n. 4. *Noua Decreti forma illic etiam propoſita, & difficultates & contentiones obortæ.* l. 19. c. 14. n. 2. 3. & 4. & c. 16. n. 4. & 5. *Reſponſa honorifica Pontificis, ad eum per Vicecomitem redeuntem delata; & Suauis mendacium.* l. 19. c. 15. n. 6. & c. 16. n. 1. *Eius litteræ, quibus ſe purgat, Romam miſſæ.* l. 19. c. 16. n. 6 7. 8. & 9. *Eius publica ſententia de*

proroganda septima Sessione. l. 19. c. 16. n. 14. *Varia ab eo excogitata pro responsione duarum epistolarum Regis Galliæ.* l. 20. c. 2. n. 6 l. 21 c. 3. n. 1. 10. 12. 13. & 15. *Eius ægrimonia ob res præteritas.* l. 20. c. 3. n. 1 & 2. *Cæsarem adit Oenipontem: eius tractatus, ac reditus.* ibid. n. 4. c. 4. n. 5. & c. 5. per totum. *Animi constantiam ostendit in cæde fratris.* l. 20. c. 6. n. 8. & 9. *Optat esse Præses in morte Mantuani; & querelæ quòd id non offeratur.* l. 20. c. 6. n. 4 & 5. & c. 7 à n. 1. vsque ad 6. *It Venetias, eumque sequitur Vicecomes, & cur,* l. 20. c. 9. n. 2 vsque ad 7. *Redit Tridentum: eius affectiones & querelæ.* l. 20. c. 12. a n. 6. vsque ad 12. *Mittitur ab eo nuntius ad Cæsarem, eum edocturus de rebus Synodi, & æmulatione Oratorum.* l. 20. c. 16. n. 1. & 2. *Eius opera ad eos componendos, quod spectabat ad cœtus.* l. 20. c. 17. n. 5. *Colloquia & amicitia cum Nauagero contracta.* l. 20. c. 16. n. 4. 5. & 6. *Litteræ Reginæ Scotorum, ab eo ad Concilium delatæ.* ibid. n. 7. *Liberè & notabiliter verba facit de Episcopis, de Cardinalibus, ac de aliis argumentis.* ibid. n. 9. & 10. *Eius colloquia cum Ferrariensi Cardinali de rebus Tridentinis, & asperitas illi ostensa in Pontificios.* l. 21. c. 2 n. 1. vsque ad 7. *Noui Canonum moduli ab eo formati in argumento Ordinis.* l. 21. c. 4. n. 11. *Carpit Gallos, qui Pontificis auctoritati aduersabantur.* l. 21. c. 5. n. 4. *Agit secretò cum Pio de celeri conclusione; & studiosè difficultates injecit ne quid interim concluderetur.* l. 21. c. 4. n. 14. & 15. & c. 5. n. 1. 2. 3. & 4. *Falsa à Suaui dicta de quadam illius sententia super Episcoporum auctoritate, & Concilij, & Pontificis.* l. 21. c. 6. n. 18. & 21. *Agit cum Drascouitio, Oratore Ferdinandi, pro concordia Oratorum, quod spectabat ad locum in templo.* l. 21. c. 8. n. 6. *Eius sensus de nouitate super hoc illic tentata, & litteræ Romam missæ cum Musotto.* ibid. n. 7. & 8. & c. 9. n. 2. & 3. *Commendatur ob rem compositam; & responsum à Pontifice ipsi redditum.* l. 21. c. 10. n. 5. & 6. *Eius studia pro conclusione, & vt omitterentur duo articuli maximè controuersi; & falsitas Suauis.* l. 21. c. 5. n. 2. c. 11. n. 4 c. 13. n. 3. & 5. *Laudatur à Pontifice in Senatu, & inuitatur Romam.* l. 21. c. 13. n. 5. & l. 22. c. 1. n. 5. & c. 2. n. 4. *Eius suspiciones ob nouas emendationes propositas; & discordia cum primo Legato.* l. 22. c. 2. n. 1. 2. 3. & 4. *Gualterium Romam mittit ad celerandum Concilij exitũ; & litteræ honorificæ inde acceptæ.* ibid. n. 7. & 8. *Iussa de habenda cum eo fiducia.* ibid. n. 7. *Eius sententia fauens Decreto de matrimonijs clandestinis, & de filijs familias.* l. 22. c. 4. n. 5 & 6 *Studia Pontificis vt eum Tridenti sisteret vsque ad finem Concilij, sed præpedita à Morono.* l. 22. c. 5. n. 1. 2. & 3. *Scribit ad Cæsarem acta cum Pontifice, & ad hæc responsum ipsi redditum.* l. 22. c. 5. n. 6. & 8. *Varios ostendit sensus eodem tempore his Principibus de eadem re.* ibid. n. 10. & 11. *Cœtus habiti in eius ædibus ad disciplinam reformandam: longissimus sermo de 21. capitibus super ea.* l. 22. c. 8. n. 5. & l. 23. c. 3. n. 1. vsque ad 14. *Romam adit, & scribit ad Carolum Regem, Synodum purgans.* l. 22. c. 11. n. 2. l. 23. c. 1. n. 1. & 2. l. 24. c. 4. n. 2. *Res stabilita cum Pontifice de Concilio; eiusque profectio.* l. 23. c. 6. n. 1. 2. 3. & 4 *Transit Venetijs, ibique cum Gallicis Oratoribus*

toribus agit. ibid. n. 9. & 10. *Tridentum redit.* ibid. n. 12. *Noua sententia de capitibus disciplinæ.* l. 20. c. 7. n. 9. 10. & 11. *Contestatio ipsius nomine, & Episcoporum, in hoc argumento* l. 23. c. 12. n. 8. *Eius sensus de proponendo fine Concily, à Præsidibus probati.* ibid. n. 17. *Obycit varia Decretis matrimonij.* l. 23. c. 8. n. 2. & c. 9. n. 3. *Amicè cum eo agit Pontifex ob habitam Sessionem.* l. 24 c. 2. n. 1. *Proponit, & multa loquitur vt Concilium absoluatur.* ibid. n. 4. c. 3. n. 2. c. 4. n. 1. *Acclamationes ab eo confectæ, & decantatæ; titulus in his Pontifici datus; & malignitas in hoc Suauis.* l. 24. c. 8. n. 10. 11. & 12.

Carolus IX. Rex Galliæ scribit ad Synodū aduentu Lotharingi. l. 19. c. 3. n. 2 *Eius officia pro victoria contra hugonottos.* l. 20. c. 2. n. 2. *Nouæ litteræ ad excusandam pacē.* l 21. c. 3 n. 5. *Agit cum Pontifice, cum Cæsare, & cum Rege Hispaniæ, pro translatione Synodi in aliquam vrbem Germaniæ.* ibid. n. 2 3. & 4. & c. 7. n. 2. *Iussa data suis Oratoribus, vt contestarentur, & secederent Tridento, & cur.* l. 23. c. 1. n. 1. *Respondet Lotharingo, reditum Oratorū postulanti.* l 24 c. 4. n. 2. *eius ægrimonia pro negata Romæ prærogatiua eius Oratori.* l. 24. c. 11 n. 7.

Carolus Vicecomes, Episcopus Vintimilienſis, agit cum singulis Legatis Tridenti, & Pontificem docet de rebus Tridentinis. l. 17. c. 3. n. 1. 2. 3. & 4. *Mandata illi tradita de concessione Calicis.* l. 17. c. 8. n. 6. *Studet in concordiam reuocare Mantuanum & Simonettam.* ibid. n. 11. & 12. & l. 13. n. 1. *Studet componere contentionem de mansione.* l. 17. c. 13. n. 4. 5. & 6. *Oratio ab eo habita in Sessione vigesimasecunda, & laudes de ea scriptæ à Legatis ad Pontificē.* l. 18. c. 9. n. 1. *Romam it cum ipsorum mandatis.* l. 19. c. 9. n. 1. vsque ad 6. & c. 12. n. 1. & 2. *Eius reditus, & responsa.* l. 19. c. 15. n. 2. & seq. *Ostendit ægrimoniam in Lotharingo & Madruccio.* l. 20. c. 3 n. 1. & 2. *Agit cum Lotharingo Patauij de aduentu Pontificis & Cæsaris Bononiam.* l. 20. c. 9. n. 5. 6 7. & 9. *Mittitur ad Ferrariæ Cardinalem, vt impetret ab eo officia propitia cum Lotharingo, & huius rei euentus.* l. 21. c. 1. n. 8. & c 2. n. 1. 2. 3. & 4. *Romam vocatur, & data illi mandata à Præsidibus.* l. 22 c. 11. n. 4 & seq. *Proficiscitur in Hispaniam; & mandata ipsi tradita de conclusione & executione Synodi de colloquio Principum, de matrimonio Reginæ Scotorum, & de abalienatione bonorum Ecclesiasticorū.* l 24. c. 1. n. 1. & seq.

Catechismus remissus Pontifici à Synodo vt corrigatur. l. 24. c. 8. n 4.

Catharina Medicea, vxor Henrici II. Gallorum Regis, curam gerens illius regni post obitum viri, postulat morā Sessionis vsq; ad aduentum suorum Præsulum, sed sine effectu. l. 17. c. 14. n. 2. & 3. *Pacem conficit cum Caluinistis.* l. 20. c. 10. n. 1. *eius sensa de loco Oratorum in Concilio.* l. 20 c. 16. n. 1. *Colloquium ab ea optatum cum Principibus, & diligentia Pontificis ad id perficiendum.* l. 24. c. 1. n. 2 *Morā ab ea iniectā in excipienda Synodo.* l. 24. c. 11. n. 1. 2. 3. & 4 *Prærogatiua Romæ data eius Oratori, aliaque beneficia ipsi concessa ad executionem facilius habendam; & omnia incassùm.* ibid. n. 5. & seq.

Causæ extra Romanam curiam quo pacto agendæ. l. 24. c. 7. decr. 10.

Claudius Quiñones, Comes Lunensis, designatus à Rege Philippo Orator Tridenti. l. 17. c. 4. n. 7. *Varia consilia excogitata ad dandum ipsi locum.* ibid. & l. 19. c. 4, n. 12. & seq.

Inuitatur à Pontifice, & à Legatis; & eius responsa. l. 19. c. 12. n. 7. & c. 15. n. 2. *Agit Oeniponte cum Lotharingo.* l. 20 c. 5. n. 2. *Concilium adit, ac Præsides primò inuisit.* l. 20 c. 11. n. 2. & 5. *Colloquia cum Morono de particula,* proponentibus Legatis. l. 20 c. 12. n. 1. 2. & 3. *Postulat vt proponatur capitulum de electione Episcoporum.* l. 20 c. 16. n. 8. *Agit de litigio cum Gallis, & locus illi datus in cœtibus.* l. 20. c. 12. n. 5. & c. 17. n. 4 5. & 6. *Excipitur; & contestationes mutuæ inter eum & Ferrerium.* l. 21. c. 1. n. 1. & 2. *Oratio eius nomine habita, & responsio* ibid. n. 3. & 4 *Rursus postulat à Morono particulam memoratam; & mendacia Suauis.* l. 21. c. 5. n. 6. & seq. *It ad Cæsarem, & redit.* ibid. n. 9. & c 8. n. 7. *Mandata secreta Pontificis ipsi fauentia, de cæremonijs illi exhibendis in templo.* l. 21. c. 1. n. 6. & 7. & c. 8. n. 4. 5. & 6 *Tumultus, & periculum schismatis ob id exortum.* ibid. n. 7. & 8. *Quæ ipse parat ad rem exequendã, & ad Pontificem defendendum.* l. 21. c. 9. n. 4. & c. 10. n. 1. *Concordia; & euentus consideratio.* l. 21. c. 10. n. 5. 6. & 9. *Eius studia tandem remissa, ad Sessionem præpediendam.* l. 21. c. 11. n. 4. 6. & 7. *eius facultas ibi lecta.* l. 21. c. 12. n. 1. *Rursus postulat vt inuitentur Protestantes; sed sine effectu.* l. 22. c. 1. n. 1. *Obsistit ne Synodus celeriter absoluatur.* ibid. n. 2. 7. & 8. & c. 2. n. 3. & c. 3. n. 9. *Colloquium eius cum Legatis de designandis Episcopis, habito nationum respectu, in disciplinæ negotio; de criminationibus à se Romam scriptis contra Legatos; & de reformandis Principibus laicis.* l. 22. c. 3. n. 1. vsque ad 7. *Eius studia vt reformarentur Comitia Pontificia & Collegium in Synodo; & responsa Pontificis.* l. 22. c. 7. n. 2. *Eius petitio & lis de primis instantijs.* l. 22. c. 8. n. 6. & l. 23. c. 6 n. 6. *Iussa Regis illi tradita vt declararetur particula,* proponentibus Legatis. l. 22. c. 10. n. 1. & 2. *Contentio hac de causa, & consilium contestandi, & rei suspensio vsque ad Cæsaris responsum.* l. 23. c. 2. per totum. *Cæsaris litteræ; & res composita.* l. 23. c. 10. n. 7. vsque ad 14. & c. 6. n. 5. *Procurator Collegiorum Hispaniæ expulsus ab eo Tridento, cum graui Concilij indignatione.* ibid. n. 3. & l. 23. c. 3. n. 21. *Queritur quòd in cœtibus priuatis sententiæ mutarentur, iam dictæ in cœtibus generalibus.* l. 23. c. 4. n. 2. & 3. *Exponit Legatis quæ Rex significarit de Synodo absoluenda; & se purgat ob incusationes apud Regem de ipso.* l. 23. c. 6. n. 12 & seq. *Acta cum eo à Pontifice post habitam Sessionem.* l. 24. c. 2. n. 1. *Obstaculum ab eo iniectum ne Synodus finiretur.* l. 24. c. 3. n. 8. & seq. *Littera ad Vargas missa ob eamdem rem.* l. 24 c. 4. n. 3. *Cœtus ab ipso coactus Præsulum Philippo Regi subiectorum.* ibid. n. 4. *Nuntius ad eum delatus de desperata Pontificis vita.* ibid. n. 5. *Pacificum animum ostendit de forma eligendi successoris; & pacatior modus in aduersando Concilij fini.* ibid n. 6. & 7. & c. 8. n. 1. *Eius contestatio quo pacto fuerit impedita.* ibid. n. 13. *Appendix addita, vt illi satis fieret, Decreto terminandæ Synodi.* l. 24. c. 8. n. 5. *Subscriptio Synodi ab eo oblata sub conditione.* ibid. n. 14.

Clerici. Constitutio de ipsorum vita & honestate. l. 18. c. 6. n. 4. *Dotes in ipsis requisitæ ad accipiendos Ordines minores & prouentus Ecclesiasticos.* l. 21. c. 17. n. 6. & 7. decr. 3. 4. & 5.

Coad-

Coadiutores à Synodo permissi Lotharingo. l. 24. c. 3. n. 3. *Decretum de his firmatum.* l. 24. c. 7. n. 1. decr. 7

Comitia Francofurti, in quibus Maximilianus creatur Rex Romanorum. l. 19. c. 5. n. 12.

Comitia Vaticana à Pio IV. reformata l. 18. c. 17. n. 1. & 2. *Acta super hoc ab eo cum Cæsare.* l. 20. c. 8. n. 5. & 7. c. 14. n. 9. c. 15. n. 7. & 8. *Postulat Hispanus vt ea reformentur in Concilio; & quo pacto id sedatum.* l. 22. c. 7. n. 2.

Comitia Varsauiæ anno 1564. *vbi excipitur à Polonis Concilium Tridentinum.* l. 24 c. 13. n. 1. 2. & 3.

Commendæ: facultas data Episcopis in eas. l. 17. c. 10. n. 11. *Decreta de iis reformandis à Synodo firmata.* l. 24. c. 6. n. 8. decr. 20. & 21. & n. 9. *Obiecta Suauis.* l. 24. c. 10. n. 10. 11. 12. & 13

Concilia an sint supra Pontifices. Vide *Pontifices.*

Concilium consulit tenuitati prouentuum Canonicorum. l. 23. c. 11. n. 5. decr. 15.

Concilium Basileæ. Ab eo conceditur Calix Bohemis, & quâ formâ. l. 18. c. 4. n. 2. 3. 13. & seq.

Concilium Nationis destinatum in Gallia in Cœtu Bellifontis, & studia Pij IV. & Philippi II. ad illud impediendum. l. 21. c. 3. n. 4. *Idem in Polonia designabatur; sed à Commendono impeditum.* l. 24. c. 12. n. 1.

Concilium Tridentinum conuocatum tempore Pij. Dissolutio & translatio à Præsidibus haud probata. l. 17. c. 2. n. 3. *Conuentus illius existimatio minuitur ob æmulationem Episcoporum.* l. 17. c. 3 n. 9. *Facultas abeundi aliquibus eorum negata, & cur.* l. 17. c. 8. n. 4. *Sessio quinta aut vigesimaprima.* l. 17. c. 11. n. 21. & 22. *Aliæ decisiones festinatæ, quò præuenirentur Galli.* l. 18. c. 7. n. 5. & 6. *Sessio sexta aut vigesimasecunda* l. 18. c. 9. per totum. *Cæsarei postulant vt per Nationes procedatur.* l. 18 c. 11. n. 6. Vide Decisiones. *Mora concessi postulante Lotharingo.* l. 18. c. 17. n. 9. 10. & 19. *Signa lætitiæ à Synodo edita ob creationem Maximiliani Regis Romanorum.* l. 19. c. 5. n. 12. *Solemnis supplicatio ob negotia Religionis in Gallia; & malignitas Suauis in tacendo vero* l. 19. c. 10. n. 3. 4. & 5. *Acta inter Ferdinandum & Pium IV. de Concilij diuturnitate, de procedendo per nationes, de suspensione, de libertate, de communicatione Præsidum cum Pontifice, & de particula,* proponentibus Legatis. l. 20. c. 8. n. 2. & seq. c. 14. & c. 15. per totum. *Translatio Synodi in aliquam Germaniæ vrbem expetita à Gallis, & reiecta ab Hispano & à Cæsare.* lib. 21. cap. 3. num. 1. 2. 3. & 4. & c. 7 n. 2. *Affectiones Præsulum ac Principum id temporis.* l. 21. c. 4. n. 1. vsque ad 11. *Adueniunt Episcopi ac Theologi Belgæ.* l. 21. c. 7. n. 4. *Sessio septima, siue vigesimatertia.* l. 21. c. 12. n. 1. *Sensus diuersi Hispanorum & Gallorum de celeritate.* l. 22. c. 2. n. 1. 2. & 3. *Consideratio Legatorum de suspensione aut conclusione.* l. 22. c. 3. n. 7. *Cæsar obstat interruptioni, de qua agebant cum Pontifice Ferrerius & Lotharingus.* l. 22. c. 5. n. 4. vsque ad 10. *Rumor suspensionis, & vnde ortus.* l. 22. c. 9. n. 4. *Principes ac Patres consentiunt vt concludatur.* l. 24. c. 2. n. 3. & 4. & c. 3. n. 8. *Decretum firmatum de hoc in Cœtu generali, ac posteà in vltima Sessione.* l. 24. c. 4. n. 13. & c. 8. n. 5. *Excepta hîc quæ fuerant stabilita sub Paulo, Iulio, & Pio.* l. 24. c. 8. n. 6. *Consensus vniuersalis de petenda confirmatione à Pon-*

à Pontifice. ibid. n. 8. *Titulus ipsi datus in festiuis acclamationibus, & communis Patrum lætitia.* ibid. n. 9. & 10 *Subscriptiones à quot, & à quibus habitæ, & quâ prudentiâ.* ibid. n. 14. *Varia & maligna Suauis errata, præsertim de existimatione Episcoporum ac Theologorum, eorumque familiarium, de illo conuentu* l. 24. c. 8. per totum. & c. 10 n. 14. & seq. *Confirmatio & executio Concily.* Vide Pius IV. *Concilium Tridentinum iussu Regis Lusitani in cunctis ipsius ditionibus excipitur.* l. 24. c. 9. n. 15. *Excipitur in Italia, ac præsertim à Republica Veneta.* l. 24. c. 11. n. 1. *Excipitur iußu Philippi II. in suis ditionibus, etiam Hispaniæ, Siciliæ, ac Belgij.* l. 24. c. 11. n. 2 & c. 12. n. 2 *Excipitur, & in honore habetur in Germania, non solùm in ijs quæ spectant ad definitiones, sed etiam plurimùm in ijs quæ spectant ad disciplinam, exceptâ multiplicitate sacerdotiorum, quæ simul esse nequeunt, aduersus id quod scribit Suauis.* l. 24. c. 12. n. 4. *Similiter excipitur in Comitijs Polonæ.* lib. 24. cap. 13. n. 1. vsque ad 4.

Confessariorum ministerium ipsis facilius redditum per Indulgentias. l. 24 c. 12. n. 6.

Congregatio Oratorum habita Tridenti à Cæsarianis. l. 18. c. 8 n. 5.

Congregationes Episcoporum Hispaniensium, & Præsulum Regi Philippo subiectorum, habita à Lunensi Tridenti. l 24. c. 4 n. 4.

Congregationes Pij IV. de Confirmatione & executione Synodi. l. 24. c. 9 n. 1. 5 6. & 14.

Congregationes Tridenti, tempore Pij, in quibus excipiuntur variæ litteræ Gallorum Regis. l 20 c. 2. n. 2. l. 21. c. 3. n. 5. vsque ad 14. *Aliæ congregationes de concessione Calicis, & Eucharistiæ sumptione.* l. 17. c. 1. n. 1. cap. 11. num. 2. vsque ad 17. l 18. c. 3. per totum. *Congregationes priuatæ pro celeri conclusione Concily.* l 21. c. 1 n 7 c. 3. n 5. & 9. & l 22 c. 8. n. 5. *Congregatio generalis pro Sessione vigesimatertia.* l. 21. c. 11. n. 5. *Peculiares congregationes Episcoporum ac Theologorum ad componendam controuersiam de matrimonio clandestino.* l. 22. c. 9. n. 5. & seq. *Postremæ congregationes de disciplina.* l. 24 c. 3. n. 1. vsque ad 8. c. 4. n. 11. *de dogmatibus.* c. 4. n. 1. 8. 9. & 10 *De conclusione.* ibid. n. 12. 13. & 14.

Coniunctiones Sacerdotiorum curam non imponentium firmatæ Pij tempore. l. 17. c. 10. n. 5. 6. & 7.

Coniunctiones Diœceseon seu Cathedralium. l. 23. c. 11. decr. 13.

Coniunctiones Sacerdotiorum simplicium cum Canonicorum prouentibus. ibid. decr. 5.

Constantinus Bonellus, Episcopus Tifernatium, disserit pluribus contra Decretum paratum ad irrita omnino reddenda matrimonia clandestina. l. 22 c. 4. n. 16. 17. & 18.

Constituta de electione Vicarij generalis, Sede vacante. ibid. decr 16.

Continuatio Concily tempore Pij: consilium susceptum vt ea solùm opere exerceretur. l. 17. c. 8. n. 1. 2. & 3. *Litteræ Philippi Regis ad hanc rem.* l. 17. c. 13. n. 2. l. 20. c. 10. n. 10. & 11 *Decretum de hoc firmatum in vltima Sessione.* l. 24. c. 8. n. 6.

Cornelius Ianſenius senior venit ad Concilium Tridentinum in postrema conuocatione. l. 21. c. 7. n. 4.

Cruce signatorum priuilegia à multis vituperata tamquam superuacanea. l 18. c. 7. n. 1. *Ratio de illis habita in Decreto formando de Indulgentijs, & quo-*

Historiæ Concily Trid. Pars III. Lib.

& quorumdam Patrum repugnantia. l.24. c.8.n.1.& 6.
Cyprianus Saracinellus, à secretis Gualterio, mittitur Romam ad arcanos tractatus inter Ferrerium & Pontificem pro rebus Synodi. l.21.c.5.n.4. *eius reditus,& responsa.* l.21.c.11.n.4

D.

Dandalus. Vide *Matthæus.*
Danielis Barbari, coadiutoris Aquileiæ, sententia de concessione Calicis. l. 18.c. 4.n.4.
Dannesius. Vide *Petrus.*
Decimarum Decretum. l. 24. c.7. n.1 decr.12.
Decisiones an habendæ essent Tridenti numero nationum an capitum. Postulata Cæsarianorum pro parte posteriore, tempore Pij. l.18.c.11.n.6 *Eadem opinio credita in Lotharingo, & rationes in oppositum cogitatæ à Pontificijs.* l.18.c.13.n.3. *Varia cum Cæsare acta à Morono hac de re.* l.20.c.13.n.7.8. & c.15.n.6. & 8. *Quidam Oratores proponunt, vt designati ad disciplinam reformandam eligerentur ex varijs nationibus;& repulsa à Legatis data, quò euitaretur absurdum in decisionibus.* l.22.c.1.n.8.& 15.c.3.n.1
Delfinus. Vide *Zacharias.*
Didacus Lainius, Præpositus Generalis Societatis IESV, *& Theologus Pij IV. in Concilio. Falsitas Suauis de loco ipsi dato à Legatis.* l. 18. c.2.n.5.6. & 7. *Eius opinio quòd Christus seipsum in Cœna pro nobis sacrificasset.* ibid.n.8. *Eius sententia de Calicis concessione.* l. 18.c.4.n.21. *Eius sermo celebris de institutione Episcoporum; & mendacia Suauis.* l.18. c.15. per totum. *Alia de eadem re.* l.19.c. 6.n 7. *Alius eiusdem sermo de abusibus Ordinis, ac præcipuè ob relaxationes; & noua Suauis calumniæ.* l.21.c.6.n.9. vsque ad 20. *Eius sensus ne fierent irrita matrimonia clandestina.* l. 22. c. 4.n.25. *Eius sententia de viginti & vno articulis de disciplina.* l.23.c 3.n.30. *Petit vt excipiatur Societas Iesu in capite decimosexto de professione Regularium; & falsa à Suaui dicta.* l.24.c.6.n.3. vsque ad 8.
Didacus Payua, Theologus Lusitanus in Concilio, conficit scriptum eruditum de auctoritate Pontificis. l. 19. c.15.n.7. *Defendi posse, irrita reddi clandestina.* l 22.c.9.n.5.& 7. *Scripsit cum summa Concilij æstimatione.* l.24.c.10.n 17.
Diploma Pij IV. de reformandis Comitijs Pontificijs. l.18.c.17.n.1 & 2. *In confirmationem Synodi.* l. 24. c.9.n. 10.11. & 13. *Declaratio quo tempore inciperent Decreta Synodi obligare, & vt plenè ad opus deducerentur.* l.24.c.9 n.14.
Distributiones quotidianæ in Synodo statutæ; & Suauis calumniæ. l. 17. c.9.n.10.& seq. l.18.c 6.n.6.
Drascouizius. Vide *Georgius.*
Duellum in Concilio interdictum. l.24. c.7.decr.19.

E.

Ecclesia. Eius mandata in Synodo comprobata. l.24.c.8.n.3.
Ecclesia Gallicana exempta in varijs Decretis Tridentinis. l.23.c.7.n.11. c.8. n.5. *Contraria testificatio Ferrerij & Regij Consilij.* l.24.c.10.n.1. 2. 3. & 5. *Querelæ Lotharingi ob quemdam actum Romæ habitum, contrarium, vt ipse dicit, eius priuilegijs.* l.23.c.6.n 7.& 8.
Ecclesiastici. Calumniæ Suauis ob numerum ipsorum. l. 17. c. 9. n. 2. *Quantum eorum copia prosit regimini ciuili, & laicorum potentiæ.* ibid.n.3.& 4. *An conueniat initiari*

Presbyteros mendicos, vt vult Suauis. ibid n.5. *Quantum prosit, vt ij de locis pijs curam gerant.* l.18.c.10 n 6 7.8.& 9. Vide *Clerici.*

Eleonora *Austriaca, Ferdinandi Cæsaris filia, vxor Guilielmi Mantuæ Ducis, transit Tridento, inuisura patrem Oeniponti: sed reuertitur ob mortem Cardinalis, patrui viri sui.* l. 20. c.6. n. 1.2. & 3. *Nouum eius iter ad inuisendum patrem.* l. 20. c.9.n.12.

Elisabetha *Angliæ Regina. Louanienses & Angli postulant Tridenti, vt Decretum contra illam edatur; & opposita Cæsaris officia* l.21.c.7.n.4. 5. & 6. *Sensus Pontificis de agendo per censuras in eamdem.* l.14.c.1.n.5

Emmanuel Philibertus, *Dux Sabaudiæ, mittit Oratorem ad Concilium tempore Pij.* l.19.c.15.n.1.

Episcopi. Eorum emendatio promouetur à consilio Præsidum, & quo pacto in opus deducta. l.24.c.3. n.2.3. 4.5.6. & 7.decr.1.2.14. & 17. *Potestas ipsis tradita supra sacerdotia commendata, supra relaxationes legum, supra loca pia, & supra Scribas Ecclesiasticos cuiuscumque generis* l.17.c.10.n.10.& 11.& l.18 c.6.n.8.9.11. & 12. & 15. *Quæstio,* An Episcopi maiores sint Presbyteris iure diuino; *vide* Institutio Episcoporum. *Consilia Ferdinandi Cæsaris data Pontifici de prærogatiuis in illis necessarys.* l. 20. c. 8. n. 5. & c.14 n.11. *Variæ sententiæ de ipsorum electione; de Actis quibus promouentur, & de solutione* propinarum. l.20 c.16.n.10. & seq.l.21 c.4 n.1.2.3.& 4.& c.6.n.9.vsque ad 14. c.8.n.1.l.23.c.3. n.3.17. 18.24.25. 26.30. c.10.n.5.& 6 decr.1. *Subiectio Episcoporum Archiepiscopis quo pacto diminuta.* l.23.c.10.n.1.2.& 3 & n.7. decr.2. & 3. *Facultas Episcopis dilatata absoluendi quacumque peccata subditorum in foro interiori.* l.23.c.10.n.4. & 9.decr.6 *Decreta de tempore ipsorum consecrationis, de Ordinum collatione, & de alys rebus ad ipsorum auctoritatem spectantibus.* l.21.c.12. n 6.decr.1. & 2. l.23 c.10.n.7.8.& 9.c.11.n.1. decr.7.9 10.11.

Episcopi Belgy in extrema Concilij conuocatione. l.21.c.7.n.4.

Episcopi Galliæ. Variæ suspiciones Pij & Legatorum ob ipsorum aduentum. l.18.c.7.n.1.& c 13.n.2. *Eorum accessus.* l.18.c.17.n.21. *Sententiæ ipsorum de institutione Episcoporum.* l.19.c.6.n.5. & 6. *Quâ vtilitate moueantur in eo conuentu.* l. 21. c. 4. n. 5. & 8. *Quorumdam ipsorum discessus, & quæ ipsis significarint Oratores.* l. 23. c.1. n. 3. *Eorum contestatio delata à Lotharingo de disciplina.* l.23.c.12. n.8. *Eius consensus vt legeretur & firmaretur quidquid statutum fuerat ætate Pauli, Iulij, & Pij: & Suauis malignitas super hoc, & super illorum opinionibus de Synodi euentibus.* l.24.c.8.n.7.& c.10.n.14

Episcopi Germani non adsunt Concilio tempore Pij, & cur. l.20. c.17.n.7. & l.23.c.5.n.4.

Episcopi Hispani in Synodo sub Pio IV. excipiunt exhortationem Regis, vt omittant postulatum de declaranda mansione, & quid ipsi è contrario respondeant. l.17. c.13. n.2 & 6.*Variæ inter ipsos sententiæ de vsu Calicis.* l. 18.c.5.n.3. *Controuersia ab ipsis excitata de institutione Episcoporum, & graues propter hoc contentiones.* l.18. c.12. n.10.11. & 12. & c.16. per totum. *Eorum finis in hac decisione.* l.19.c.6 n.8. *Querelæ in ipsos in Hispaniam delatæ à ministris Pontificis.* l. 19. c.12.

Historiae Concilij Trid. Pars III. Sig.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

c.12.n.5.l.20.c.9.n.10. *Obsistunt ne omittantur duæ controuersiæ memoratæ; & falsa Suauis dicta.* l.21. c.11. n.1.2.4.6. & 7. & c.13. n.7. *eorum affectus in ea Synodo.* l.21.c 4 n.5.& 7. *Amica officia ipsis adhibita nomine Pontificis.* l.23.c 6.n 3. *Dissensus inter eos de primis instantijs, & immunitate Capitulorum.* l. 23. c.7.n.14.& 15. *Coguntur in ædibus Oratoris vt finem Concilij præpediant; & maior pars repugnat.* l.24 c.4 n.4. *Pacifica eorũ consilia in morbo Pij IV. de successore Romæ eligendo à Collegio.* ibid.n 6. *Opponunt quædam Cruciatæ.* l.24.c 8.n.6.

Episcopi Itali se opponunt Hispanis in controuersia de Episcoporum institutione, & cur propendeant in sententiam magis propitiam Pontifici. l. 18. c. 16. n. 4. 5. & 6. & l.19. c. 6. n. 6. & 9. *Scribunt quamplures ipsorum ad Pontificem, purgantes contentionem suam de mansione; & quodnam responsum exceperint.* l.17.c. 8. n.5. & c. 13.n.3. *Eorum affectiones.* l. 21. c. 4. n. 5. & 6.

Episcopi qui Tridentino adfuerunt. Venia abeundi concessa quibusdam Episcopis à Legatis, & postea iussu Pontificis reuocata. l. 17. c.8. n.4. *Eorum conturbatio, quòd ageretur de inducendo Mediolanum sacram Inquisitionem more Hispanico.* l. 22. c. 8. n. 2. & 3. *Contestantur quòd omitteretur correctio Principum laicorum.* l. 22. c. 9. n. 3. *Querelæ quòd Pontifex quædam fecisset aduersus Decreta Tridentina.* l. 23. c.4 n.12. *Perturbatio in Cœtu generali de minuenda eorum subiectione respectu Archiepiscoporum; & quo pacto sedata.* l.23. c.5. n.21. c 8. n.6.c.10 n.1.2. & 3. & n. 7. decr. 2. &. 3. *Eorum assensus vniuersalis terminationi Concilij.* l.24. c.2. n. 4. *Subscribunt, & abeunt Tridento.* l.24.c.8. n. 13. & c.9.n.2.

Episcopi Titulares. Sententiæ dictæ de vsu huiusmodi Episcoporum; & quid stabilitum fuerit. l. 20. c. 14. n.10.c16. n.10. & 12.l.21.c.4. n.4. c 6.n.12.c.8.n.2.

Eucharistia. Proponuntur articuli pendentes in Conuentu sub Iulio. l. 17. c. 1. n. 1. 2. & 5. *Quatuor Canones confecti à minoribus Theologis, & difficultates obiectæ à Patribus in cœtu generali* l.17.c.6. n. 2. & seq. c. 7. n. 6. & seq. & c. 11. n. 1. & 2. *Disputatio de capite sexto S. Ioannis, & appendix addita, Granatensis operâ.* l.17.c.11. n.3.vsque ad 10. *Nouæ difficultates iniectæ à duobus Theologis pridie Sessionis.* ibid. n. 10. vsque ad 18. *Diuersitas sententiarum in ipsa Sessione.* ibid.n.22. *Suauis animaduersiones expensæ.* l.17.c.12.per totũ.

Eustachius Bellaius Episcopus Parisiensis. Sententia illi apposita à Suani de obligatione populorum ad subueniendum Parochis. l. 17.c. 10.n.4. *Ab eodem Suani inducitur inuectus in Didacum Lainium, in Ordines Regularium, & in totam Ecclesiam.* l.18.c.15.n.19.

Examinatores Ecclesiastici. Decreta Tridenti de ipsorum electione ac ministerio. l.23.c.7.n.2. & c.12.n.1. decr.18.

Expectationes Sacerdotiorum. Initum super his remedium in Concilio. l.23 c.6.n.3.& c.12.n.3. decr.19.

F.

FErdinandus Cæsar mittit volumen grauissimorum postulatorum, Concilio deferendum. l.17. c.1.n.6. *Se purgat*

purgat apud Legatos, quorum arbitrio rem committit. l.17. c.5,n.2. & seq. *Varia eius postulata pro Calicis concessione.* Vide Calix. *Moram decisionum petit.* l.18.c.7.n.7. *Mandata Oratoribus ab ipso tradita de disciplina, & de coniunctione cum Gallis.* l.18.c.17.n.8. *Oenipontum venit.* l.20.c.1. n.1. *Consilium ibi Theologorum petit de variis articulis.* l. 20. c. 4. n.5 & seq. *Litteræ ad Præsides & ad Pontificem cum quatuor postulatis.* l.20. c.8. n. 1. & 2. *Aliæ litteræ arcanæ ad Pontificem, & huius responsa; & mendacia Suauis.* ibid n 4. & seq. *Agit coram, & per scriptum cum Morono Legato de ijsdem rebus.* l.20.c.13.n.3.& seq.c.14.& 15.per totum. *Viennam proficiscitur, & cur.* l.21.c.5.n.9.& c.7. n.1. *Eius sensa de tumultu oborto in Concilio inter Oratores.* l.21.c.10.n.7. *Eius consilium vt omittantur duæ quæstiones magis agitatæ de argumento Ordinis: & falsa à Suaui prolata.* l.21.c.11.n 1.& c.13.n.4. *Responsa reddita Lotharingo de ijs quæ secretò agitabantur inter hunc & Pontificem.* l.22 c.5 n 6.& 8. *Alia responsa ad Moronum de cunctatione à Lunensi postulata.* l. 21. c.1. n.3. & 4.& c.5. n.7. *Variæ adnotationes ad suos Oratores scriptæ de propositis emendationibus; & iussa, vt repugnarent emendationi Principum vsque ad maturius consilium.* l. 22. c.5. n. 15. & seq. *Nouæ litteræ ad Oratores ac primum Legatum de hac ipsa re.* l.22. c.10. n.8. & seq. l.23. c.4. n. 6. & 7. *Falsa in hoc à Suaui dicta* l.23.c.1.n.21. *Assentitur conclusioni, etiam repugnantibus Hispanis.* l.23.c.4.n.4.& 5. *Responsum ad Lunensem de particula* proponentibus Legatis; *& intimi eius sensus de Concilio.* l.23.c.5.n.1. vsque ad 18. *Obit. Honores insueti ipsi habiti Romæ, eiusque elogium.* l.24.c.12.n.10.& 11.

Ferdinandus Franciscus Aualus, Aquinas, Marchio Piscariæ, Insubriæ Gubernator, & Orator Philippi II. in Concilio, litteras accipit à Rege de Continuatione declaranda, & de mansionis definitione. l.17.c.15.n.2. *Studia ab eo adhibita Hispanis Episcopis & Lotharingo, propitia Sedi Apostolicæ.* l.19.c.2.n.1.& c.5.n.4

Ferdinandus Mediceus promouetur ad Purpuram à Pio IV. l. 19. c.12. n. 2.

Fœdera inter Principes. Vide *Principum nomina.*

Franciscus Belcarius verba facit cum vituperatione de institutione Episcoporum. l 19.c.6.n.5.& 6. *Latinè perorat in laudem Gallorum ob hugonottos deuictos.* l.19.c.10.n.5.

Franciscus Blancus, Episcopus Aurienſis, liberè loquitur de disciplina. l.18.c 17.n.1.

Franciscus Forerus Dominicanus, Theologus Lusitanus; grauem acrimoniam excitat in cœtu ob sermonem de potestate & institutione sacerdotum. l.18.c.1.n.3.4. & 5.

Franciscus Lotharingus Dux Guisius occiditur. l.20.c.6.n.8.& 9.

Franciscus Torres Hispanus, Theologus Pontificis in Concilio sub Pio IV. opponit, & additamentum postulat cum Salmerone, decretis de Eucharistia; & falsa Suauis dicta. l. 17. c. 11. n. 10. vsque ad 21. *Vterque obstat præscriptioni à Legatis factæ de semihora in dicenda sententia; & calumniæ Suauis.* l.17.c.13.n.10 & 11.

Franciscus Vargas, Orator Philippi II. Romæ, postulat à Pontifice vt omittatur quæstio de mansione. l.17.

l. 17. c. 13. n. 4. *Diligentia adhibita, ne concedatur vsus Calicis.* l. 18. c. 5. n. 2. *Eius celebre scriptum pro auctoritate Pontificia.* l. 21. c. 11. n. 3. *Nititur vt celeriter Concilium absolvatur.* l. 22. c. 1. n. 6.

Franciscus Zamorra Hispanus, Generalis Minorum, comprobat vt matrimonia clandestina reddantur irrita. l. 22. c. 4. n. 24.

Fredericus Borromæus, Pij IV. ex sorore nepos, moritur. l. 19. c. 4. n. 9.

Fredericus Gonzaga creatur Cardinalis à Pio IV. l. 19. c. 12. n. 2. *Obtinet Episcopatum Mantuanum; & difficultates in hoc offensæ.* l. 21. c. 6. n. 8.

G.

Gallia. Detrimenta illic illata ob Annatas & Præuentiones. l. 18. c. 17. n. 3. 4. 5. & 6. *Victoria illic de hugonottis reportata.* l. 19. c. 10. n. 3. *Pacificatio cum ijsdē, cum Religionis detrimento.* l. 20. c. 10. n. 1. & 2. *Varia detrimenta libertatis Ecclesiasticæ.* l. 21. c. 7. n. 3. *Sensus illic summæ venerationis de Concilio Tridentino: & cur non exceptum.* l. 24. c. 10. n. 15. & c. 11. n. 2. 3. & 4.

Gabriel Paleottus Bononiensis, Duodecimus, ac postea Cardinalis. Difficultas ipsius in parando responso contestationibus, quas minabantur Galli in lite potioris loci. l. 21. c. 9. n. 1

Gaspar Cardillus, Procurator Episcopi Aulæ in Concilio sub Pio. l. 20. c. 3. n. 3.

Gaspar Casalensis, Episcopus Leridensis, prolixam profert sententiam de institutione Episcoporum. l. 19. c. 4. n. 5.

Gaspar à Fosso, Archiepiscopus Rhegiensis, laudatur à Præsidibus scripto, in Concilio sub Pio. l. 21. n. 2. c. 11.

Georgius Ataida, Theologus Regis Lusitani, calumnijs impetitur à Suauj in quadam sententia illi apposita de Missæ sacrificio. l. 18. c. 1. n. 1. & 2.

Georgius Drascouizius, Croata, Episcopus Quinque Ecclesiarū, Orator Cæsaris vt Regis Hungariæ in Tridentino, postulat concessionem Calicis. Difficultates offensæ, & consilium susceptum ad eas superandas. l. 17. c. 14. n. 11. l. 18. c. 2. n. 12 & 13. & c. 8. n. 1. 2. 3. & 4. *Sententia ab eo dicta, tamquam Episcopo, pro concessione.* l. 18. c. 4. n. 22. *Proponit morum emendationem conuentui Oratorum, & seorsim aliquibus Episcopis.* l. 18. c. 8. n. 6. & 9. *It Oenipontem ad Cæsarem.* l. 20. c. 1. n. 1. *Instat apud Legatos pro morum emendatione.* l. 18. c. 11. n. 6. & 9. *Agit cum Lotharingo pro componenda pace inter Oratores, Hispanum & Gallos, pro functionibus in templo.* l. 21. c. 8. n. 6.

Græci exempti à Patribus in vsu Calicis; & mendacia Suauis. l. 17. c. 7. n. 13. & 14. *Mutatur ipsorum causâ decretum de Matrimonio.* l. 22. c. 4. n. 17 & seq. *Professio Fidei Romanæ ab ipsis habita in Concilio Prouinciali Cypri.* l. 23. c. 9. n. 4.

Guidus Faber, Orator Gallus in Concilio sub Pio, ad aulam sui Regis it ad sollicitandum aduentum Præsulum ac Theologorum: & eius litteræ ad Reginam. l. 17. c. 14. n. 4 vsque ad 10. *Redit cum mandatis Romæ molestis.* l. 19. c. 8. n. 4. *Proficiscitur Venetias.* l. 23. c. 2. n. 5.

Guilielmus Gonzaga, Dux Mantuæ, venit Tridentum, aditurus Cæsarem Oenipontī; & mors primi Legati, eius patrui; vnde ab itinere desistit. l. 20. c. 6. n. 1. 2. & 3. *Iterum Tridento iter habet.* l. 20. c. 9. n. 12.

H.

HÆretici. Vide *Proteſtantes.*
Heluetij. Vide *Pagi.*
Henricus Borbonius, Regis Nauarræ filius. Falſus rumor, quòd ageretur de ipſo declarando haud legitimo in Synodo Tridentina. l. 23. c. 1. n. 1. & 2
Henricus Cardinalis Luſitaniæ, qui poſteà in Regnum ſucceſſit, ſcribit valdè honorificas litteras ad Pium IV. ob vulgatam Synodi confirmationem. l. 24. c. 9. n. 15.
Henricus IV. Rex Galliæ, iureiurando pollicetur Clementi VIII. curaturum ſe, vt ibi Concilium Tridentinum excipiatur. l. 24. c. 10. n. 15.
Hercules Cardinalis Gonzaga, primus Concilij Legatus pro Pio IV. Eius promiſſio Patribus habita ad ſedandam contentionem de manſione, rurſus obortam. l. 17. c. 1. n. 4. *Eius colloquium cum Vicecomite de criminationibus ſibi Romæ adſcriptis.* l. 17. c. 3. n. 2. & 3. *Petit veniam diſcedendi à Pontifice, ſed non conceditur. Iterum petit: & tres conditiones quibuſcum remanet.* ibid. num. 4. vſque ad 9. *Officia Cæſaris, vt Tridenti remaneret: & ſatisfactiones ipſi reddita à Pontifice.* l. 17. c. 5. n. 1. *Multa ſuper his errata Suauis.* l. 17. c. 4. n. 1. 2. 3. & 4. *Reconciliatur cum Simonetta.* l. 17. c. 13. n. 1. *Proponit conceſſionem Calicis; & quo pacto id accipiatur à pleriſque Patrum.* l. 18. c. 3. n. 2. *Laudatur à Seripando Tridenti, & in Senatu à Pontifice.* l. 18. c. 7. n. 4. & 9. *Quid ſentiat de eo quod Pontifex habebat in animo de nouis Legatis addendis.* l. 18. c. 16. n. 1. *Contentio cum Segobienſi de inſtitutione Epiſcoporum; & falſa à Suaui dicta.* l. 18. c. 16. n. 8. & ſeq. *Noua propoſitio de manſione; & Suauis mendacia.* l. 18. c. 17. n. 3. 4. 5. & 6. *Reſpondet primo ſermoni Lotharingi.* l. 19. c. 3. n. 4. *Honorificè agit cum collegis in proponendis & dicendis doctrinis Canonum ac Theologiæ.* l. 19. c. 4. n. 6. *Fruſtrà nititur Oratores concordare.* l. 19. c. 4. n. 12. & ſeq. *Præſules obiurgat ob tumultus ab ipſis excitos in cœtibus.* lib. 19. cap. 5. num. 7. *Conſilia ab eo data Pontifici per Nolanum Epiſcopum, de illius aduentu Bononiam; & reſponſa per Vicecomitem redeuntem reddita.* l. 19. c. 12. n. 3. & 4. & c. 15. n. 5. *Iter ad Cæſarem ab eo euitatum.* l. 20. c. 4. n. 4 *Grauiſſimus morbus.* l. 20. c. 5. n. 4. *Eius obitus; eiuſdemque laudum ſumma, cum communi dolore.* l. 20. c. 6. n. 1. 2. & 3
Hercules Pagnanus Actor Piſcarij, defendit Tridenti priuilegia monarchiæ Siciliæ in primis inſtantijs. l. 18. c. 6. n. 2. & 11. *Agit cum Hiſpanis vt ſopiatur controuerſia de inſtitutione Epiſcoporum.* l. 18. c. 12. n. 12. *Contendit pro prærogatiua Theologorum Hiſpanienſium.* l. 20. c. 1. n. 4. *Senſus fauentes Apoſtolicæ Sedi ab eo iniecti Lunenſi & Secretario Gaſtelo.* l. 20. c. 3. n. 3. & c. 17. n. 4.
Hierarchia Eccleſiaſtica Diuino iuſſu inſtituta. l. 21. c. 10. n. 3. *Obiecta à Suaui in ſignificationem huius vocis.* l. 21. c. 13. n. 14 vſque ad 18.
Hieronymus Ragazonus, Epiſcopus Nazianzi, Latinè perorat in poſtrema Seſſione. l. 24. c. 5. n. 4.
Hieronymus Seripandus Cardinalis. Cura illi demandata de formanda doctrina ſumendæ Euchariſtiæ. l. 17. c. 7. n. 11. *Quo pacto explicet caput ſextum S. Ioannis: & Suauis malignitas.* l. 17. c. 11. n. 3. 4. & 8. *Eius conſilium de terminanda aut transferenda Synodo ante Gallorum aduentum.* l. 18. c. 7. n. 3. *Eius difficultas definiendi quod Chriſtus ſeipſum*

Historiae Concilij Trid. Pars III. Sig.

ſum obtulerit in vltima cœna. l.18. c.8.n.10. *Eius Studia ad ſopiendam controuerſiam de inſtitutione Epiſcoporum.* l.18.c.12.n.11.& 12. *Colloquia cum Lotharingo de hoc,& de particula* proponentibus Legatis. l.19.c.2.n.7.& 8. l.20.c.5.n.8. *Varia proponit pro dilatione, & cur.* l.19.c.4.n.6.7.& 8.& c.8.n.7. *eius mors & laudatio.* l.20.c.7.n.6.& ſeq.

Hieronymus de Souchiere, Gallus, Abbas Clarauallenſis, contendit de prærogatiua in Concilio cum Caſſinatibus. l.19.c.2.n.6.

Hieronymus Treuiſianus, Epiſcopus Veronenſis, diſſuadet Legatis ne concedatur ſuffragiũ Procuratoribus in Concilio. l.18.c.4 n.12 *Moritur.* ibid.

Hippolytus Eſtenſis, Ferrariæ Card. Redit in Italiã ex legatione Galliæ. l.21.c.1.n 8. *Colloquia cum Epiſcopo Vintimilienſi, & cum Lotharingo, de rebus Synodi; eiuſque ſtudia ad emolliendam Lotharingi aſperitatem.* ibid.& c.2.n.1. vſque ad 7.

I.

Iacobus Gibertus à Noguera, Epiſcopus Alifanus, turbas ciet in conſeſſu, de inſtitutione Epiſcoporum. l.19.c.5.n.11. *Sermonem habet in Seſſione vigeſimatertia, reclamantibus Gallis, ac Venetis Oratoribus.* l.21.c.12.n.1.

Iacobus Naclantus Dominicanus, Epiſcopus Clodienſis, ſententiam dicit de conceſſione Calicis. l.18.c.4.n.13.

Imagines ſacræ. Decretum de ipſis in Tridentino l.24.c.5.n.4.

Immunitates. Decreta Concilij de immunitate Clericorum. l.18.c.13.n.6. & 7. *Obiecta à Suaui immunitati Regularium, aliiſq; immunitatibus à iuriſdictione Ordinariorũ.* ibid n.8

Index librorum damnabilium commendatur à Concilio Pontifici, vt abſoluatur. l.24.c 8.n.4.

Indulgentiæ. Conſilium initum ne fieret de ipſis deciſio in Concilio. l.24. c.4. n.9. *Decretum tandem firmatum ſuper hoc, paucis repugnantibus, & cur.* l.24 c.8.n.1.& 2. *Obiecta à Suaui.* l.24.c.12.n.6.& 7.

Infantes. An ipſis præbenda ſit Euchariſtia ex lege Diuina, antequam ætatem ad diſcernendum idoneam pertingant. l.17.c 1 n.1.& c.6.n.12. *Canon in Concilio editus pro parte negante.* l 17 c.6.n.13 *Controuerſia inter Patres & Theologos de probationibus huius rei.* l. 17. c.7. n.17. & c.11 n. 11. 14. & 22. *Obiecta à Suaui.* l.17.c.12.n.5. vſque ad 10.

Innocentius X. in quænam impenderit pecuniam ex relaxationibus in matrimonys. l.23.c.8.n.11.

Inquiſitio more Hiſpanico. Cogitatur de ea Mediolanum inducenda, ſed ſine effectu. l.22. c.8.n.2. 3.& 4.

Inſtitutiones Epiſcoporũ an ſint de iure Diuino. l.18.c.12.n.10. *Studia Legatorum ad ſopiendam hanc litem in Synodo, ſed fruſtrà.* ibid. & n. 11. & 12. *Variæ Patrum ſententiæ ſuper hoc, & errores Suauis.* l.18.c.14 n.5.& ſeq.l.19.c.4.n 5.& 6. *Celebris ſermo Lainij; & mendacia Suauis.* l.18.c.15. per totum. *Quæ acciderunt cum Epiſcopis Hiſpanis in conficiendo hoc Decreto.* l. 18. c 16. per totum.l.19 c.5.n.5.vſque ad 12. *Sententiæ Gallorum, ac nouæ canonum formulæ à Lotharingo propoſitæ.* l.19. c.6.n.1.vſque ad 7. *Aliæ Patrum ſententiæ; & cauſa huius varietatis.* ibid. n.7.& ſeq. *Difficultates offenſæ in concordia.* l.19.c.13. per totum. & c. 16. n. 10. & ſeq. *Noua conſilia ad eam propoſita: ſententiæ de omittenda quæſtione, & obſtacula Hiſpanorum.* l. 21. c. 4. n.11.

n.11. & seq.c.11.n.1.2. & 4. *Consilium habitum à Pontifice, & finis controuersiæ.*l.21.c 11.n.3.& 4.*Canones firmati, paucis leuiter aduersantibus.* l.11. c.12.n.3. & 4. *Falsa & infirma Suauis obiecta.*l.21.c.13 n.7.14.15.& 16.

Insulanus, Orator Gallus ad Pium IV. l. 17. c.4. n.7. *Postulat à Pontifice dilationem decisionum in Concilio.* l.18.c.7.n.6.9.& 11.c.17.n.12.& 14 *Tractatus illi appositi à Suaui de electione summi Poncificis Tridenti.* l.19.c.2.n.12. *Eius officia cum Lotharingo contra Gualterium Episcopum Viterbiensem.* l.19. c.5.n.2.

Innocatio Sanctorum definita in Tridentino. l.24.c. 5.n 4 decr 2.

*Ioachimus Abbas Valdensis, personam gerens Præsulum & Cleri Heluetiorum in Tridentino, subscribit in eius exitu.*l.24.c.8.n.15.

*Ioanna Albreta, vxor Antonij Nauarræ Regis. Rumor diffusus de solutione coniugij cum Antonio, tamquam minimè rati.*l.23.c.1.n.1.& 2. *Decernitur in Senatu vt in ius illa vocetur, & de hoc Rex Hispaniæ à Pontifice certior fit.*l.21.c.6.n.8. & l.24.c.1.n.4.

Io.Antonius Pantusa, Episcopus Literatensis, moritur in Concilio. l.18. c.14.n.3.

*Io.Baptista Castanea, Archiepiscopus Rossanensis, rursus excitat imprudenter in Concilio controuersiam de mansione.*l.17.c.11.n.3.*Profert sententiam de concessione Calicis.* l.18. c.4 n.7. *Præponitur Decretis disciplinæ formandis.* l.18. c.11. n.15. *Disserit contra Decretum de matrimonijs clandestinis.*l.22.c.4.n 10.

Io.Baptista Castellus, Bononiensis, Promotor Concilij, destinatus cum alijs ad disciplinæ reparandæ negotium. l.18. c.11. n.15. *Oenipontem it cum primo Legato.* l.20. c.13. n.3.

Io.Baptista Osius, Episcopus Ratinus, celebre suffragium fert contra concessionem Calicis. l.18. c.4. n.17. *Moritur in reditu ad Episcopatum.* l.19.c.4.n.9.

*Io. Baptista Victorius, familiaris Lotharingi, dat Pontifici nuntium de quadam Sessione celebrata.*l.24.c.2. n.1.

*Io.Franciscus Commendonus Cæsarem adit Oeniponti.*l.20.c.1.n.1. & 2.& c.3. n.7. *Narrationem scribit ad Borromæum de sensibus Cæsaris & Germanorum* l.20. c.4 n.2.& 3. *It Nuntius in Poloniam.*l.22 c.1.n.3. *Illic excipitur Concilium eius operâ.* l.24.c.13.n.1.& 2.

Ioannes Gaddius, Episcopus Cortonensis, sufficitur Strozzio, Orator in Synodo Ducis Florentini. l.21. c.1. n.9. *Mandata illi tradita pro celeri conclusione: eius mandatum excipitur.* l 23.c.8.n.7.

Ioannes Grimanus, Patriarcha Aquileiensis, nominatus ad Purpuram à Republica Veneta; sed impeditur ob suspicionem hæresis: obtinet, petente Republica, vt eius causa committatur Concilio. l.21.c.7. n.8.& 9. *Difficultates in hoc, sed superatæ.*ibid.n.10. & seq. *Decisio ac sententia ipsi fauens: rei totius exitus.*l.22.c.3.n.10. & c.11.n.1.

*Ioannes Hessel venit ad Concilium sensibus valdè pijs.*l.21 c.7.n.4.

Ioannes Manriquez, Orator Maximiliani, noui Romanorum Regis, ad Pium IV. l.19 c.5.n.12. *Excipitur.* l.22.c.6.n.15.

*Ioannes Mediceus, filius Ducis Cosmi, & Cardinalis, moritur.*l.19.c.4 n.10

*Ioannes Monlucus, Episcopus Valentienſis in Delfinatu, damnatur in Consistorio hæresis causâ.*l.24.c.6 n.7

Ioannes Moronus Cardinalis admonet quosdam

quosdam Præsules amicos, contendentes Tridenti de mansione. l. 17. c. 8. n. 10. *Mittitur Præses ad Concilium, Mantuano suffectus.* l. 20 c. 6. n. 5. *Honores illi habiti cùm primò excipitur.* l. 20. c. 11. n. 1. & 2. *Colloquium ab eo habitum cum quibusdam Oratoribus Principũ.* ibid. n. 3. & 4. *Eius verba in Cœtu generali.* ibid. n. 6. *It Oenipontẽ ad inuisendum Cæsarem.* ibid. n. 4. *Mandata quæ secum fert. Acta, & concordia inita cum Ferdinando de cunctis capitibus eius litterarum ad Pontificem; & mendacia Suauis.* l. 10. c. 13 n. 3. & seq. c. 14. & 15. per totum. *Tridentum redit.* l. 20. c. 17. n. 11. *Concordia per ipsum composita de duabus quæstionibus maximè contentiosis.* l. 21. c. 11. n. 4. *Mandata ab eo tradita Gualterio Romam misso de Synodi rebus, ac præsertim de eius absolutione.* l. 22. c. 2. n. 6. *Litteræ eius ad Cæsarem de cunctatione à Lunensi promota; & responsum Ferdinandi.* l. 22. c. 1. n. 3. & 4. & c. 5. n. 7. *Consilia data Pontifici pro confirmatione Regis Romanorum.* l. 22. c. 6. n. 5. & 13. *Eius animaduersiones Romam missæ ad finiendum Concilium.* l. 22. c. 11. n. 5. & seq. l. 23. c. 4. n. 4. & 9. *Suspiciones de ipso in Farnesio, ob emendationem Cardinalium.* l. 23. c. 7. n. 4. & 5. *Eius dubia sententia in Decreto de matrimonijs clandestinis.* l. 23. c. 9. n. 1. *Patres alloquitur de fine imponendo.* l. 24. c. 3. n. 1. & c. 4. n. 11. *Hymnus gratiarum ab eo decantatus, & venia data Patribus.* l. 24. c. 8. n. 13. *Romam venit, & cura illi imposita de obseruatione Concilij.* l. 24. c. 9. n. 3. & 5.

Ioannes Strozzius, Orator Cosmi Ducis in Synodo Tridentina in vltima conuocatione, dat repulsam Cæsarianis de interuentu in quodam Oratorum cœtu. l. 18. c. 8 n. 5. *Eius discessus.* l. 22. c. 1. n. 9.

Io. Thomas Sanfelicius, Episcopus Cauensis, minùs reuerenter loquitur de primo Legato; & animaduersio Borromæi in illum. l. 17. c. 13. n. 1.

Ioannes Treuisanus, Patriarcha Venetus, sententiam profert fauentem clandestinis matrimonijs, & contractis à filijsfamilias absque parentum consensu. l. 22. c 4. n 8.

Ioannes Viletta Hispanus disserit egregiè in Synodo de articulis sumptionis Eucharistiæ. l. 17. c. 6. n. 7.

Iurisdictio Ecclesiastica an fundetur in mera scientia, secundùm Suauis opinionem. l. 21. c. 6. n. 16. 17. & 18.

L.

LEgati Concilij Tridentini in vltima conuocatione. Diuturna obiecta ab Cæsareis & Hispanis particulæ proponentibus Legatis; *& quem exitum res habuerit.* l. 20. c. 8. n. 2. & 4. c. 10. n. 8. & 17. c. 12. n. 1. 2. & 3. c. 14. n. 1. 2. & 3. c. 15. n. 7. & 8. l. 21. c. 5. n. 6. & seq. l. 22. c. 10. n. 1. & 2. l. 23. c. 2. per totum. c. 5. n. 7. vsque ad 14. & n. 16. c. 6. n. 5. c. 8. n. 5. l. 23. c. 12. n. 6. & 7. *Studia Legatorum in superandis difficultatibus de æmulatione Oratorum; & mendacia Suauis.* l. 17. c. 4 n. 7. l. 20. c. 12. n. 5. *Eorum angustia ob mandatum Pontificis, vt declararent Continuationem, quod postea ipsorum arbitrio remittitur: & se purgant apud Philippum Regem, ob procrastinationem.* l. 17. c. 1. n. 7. *Mittunt ad Pontificem Episcopum Lancianensem; & responsa ab eo delata.* l. 17. c. 1. n. 7. & c. 2. per totum. l. 17. c. 18. n. 1. vsque ad 7. *Volumen postulatorum à Cæsare ad illos missum*

missum. l 17.c.2.n.6.& c.5.n.2.*Difficultates apertæ Pontifici de omittendo mansionis capite.* l. 17. c. 13. n. 7. *Contentio inter ipsos & Cæsareos, de vsu Calicis, & ipsorum propositum resumendi hoc negotium ad extremum Concilij, & cur.* l.17. c.7.n.1. vsque ad 6.& c.8.n.6. & 8. *Eorum suspicio ob proximum Gallorum aduentum: repulsa data Gallis Oratoribus de mora decisionum propositâ;& consilia ad Pontificem hac de re scripta.* l. 18.c.7.n.1.vsque ad 12.*Responsum ab ipsis redditum epistolæ ac nuntio Lotharingi, & prima cum eo colloquia.* l. 18. c.17. n.20.l.19.c.1..per totum. *Mandata tradita Vicecomiti Romam misso: & eius reditus ac responsa.* l.19.c.9 n.1. vsque ad 6.c 12.n.1.& 2.c.13 n.3.& seq. *Postulata Gallia Oratorum, ipsis à Pontifice remissa.*l.19. c.11.n.1.2.& 3.l.20.c 5.n.5.& c.6. n.7.& 8.*Libera responsa illi reddita de componendis controuersiis.* l. 19. c. 13. per totum. *Consilium prorogandæ Sessionis vnà cum Oratoribus susceptum.* l. 19. c.16.n.10. & seq. *Alium collegam postulant defuncto primo Legato.*l 20.c.6.n.1 2. 3. & 6. *Eliguntur Moronus & Nauagerus.* ibid. n. 4. & 5. *Acta cum Lotharingo & cum Cæsareis de proponendo capite mansionis.* l. 20. c. 7. n. 4. *Incumbunt in disciplinæ correctionem, & cur.* l. 21. c. 8.n.1. & 2. *Quid egerint in tumultu Oratorum in templo.* l.21. c.8. n. 4. & seq. c 9. n. 1.2. 3. & 4. c. 10. n. 5. & 6.& c. 13. n.2. *Studia ipsorum apud Cæsarem & Philippum regem pro celeri absolutione: & Regis responsa.* l.22. c.1.n. 2.3. & 4. l. 23. c.6.n.12.& seq. *Incusantur à Lunensi; & ipsi se purgant.*l.22.c.3.n.5 & 6. *Secreta facultas discedendi postulata ab ipsis à Pontifice, ob difficultatem Cæsarianorum in Principibus reformandis: & quo pacto posteà res composita.*l.22.c.6.n.1, 2.3. 4. & 5. c.7.n.1. c.8. n.1. l.23. c.3. n.31 & seq. *Mandatum, diploma, & dissertatio accepta Româ, ad terminandum Concilium.* l.23. c. 6. n.9. c.7.n.16. & 17. *Laudantur à Pontifice ob Sessionem celebratam; & nouæ exhortationes ad celerem exitum.* l.24.c.2. n.2. *Proponunt conclusionem; & consensus vniuersalis Patrum.* ibid. n.3.& 4. *Rationes ab ipsis initæ ad id conficiendum facilius ob verba Pontificis.* ibid. n. 5. & 6.c.3. per totum. c.4.n 5. & seq. c. 5. n. 3. *Subscribunt Concilio, & proficiscuntur Tridento.* l.24.c.8. n. 13. & c.9 n.2.

Leonardus Allerus, Episcopus Philadelphiæ, admonet acerbè Synodum, expectandos esse Præsules Germanos. Indignatio multorum Patrum in ipsum: & falsitas Suauis l.17.c.10. n. 1. *Contradicit concessioni Calicis.* l 18. c.4.n.11. *Queritur ob dicta in Cœtu in Episcopos titulares: & instat pro procuratoribus.* l.20. c.17.n.10.

Leonardus Marinus, Archiepiscopus Lancianensis, mittitur à Legatis ad Pontificem, acturus de sustentatione Synodi, & de definitione mansionis: & responsa reportata. l.17 c.1.n.7. c.2 per totum. c.8.n.1.vsque ad 7. *Diplomata ab eo delata quibusdam Patribus Italis.* ibid. n. 5.& c. 13. n. 3. *Sententiæ illi falsò appositæ à Suaui, in potestatem traditam Episcopis coniungendi Sacerdotia.*l.17. c.10. n.6. *Eius sententia de concessione Calicis.*l.18.c.4.n.9. *Eius iudicium de contumacia Germanorum absentium, vnde cietur controuersia de facultate Procuratorum in Concilio.* l.20. c.17.n.7.8.9.& 10.

Historia Concilij Trid. Pars III. Sig.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Libertas relicta Patribus à Pio IV. tum in morum emendatione, tum in doctrina. l. 20. c. 5. n. 5 l. 21. c. 6. n. 1. vsque ad 8 l. 22. c. 1. n. 5. 12. 13 c. 3. n. 8. l. 22. c. 8 n. 11. l. 24. c. 10. n. 16. *An eiusmodi libertas minueretur à Principibus laicis.* l. 23. c. 1. n. 1. c. 6. n. 6. *Expenditur, & summatim percurritur totum opus super hac re.* l. 24. c. 9. n. 11. & c. 14 per totum.

Loca pia subiecta iurisdictioni Ordinariorum. l. 18. c. 6. n. 11. & 12. *Obiecta à Suaui.* l. 18. c. 10. n. 6. 7. 8. & 9. vide *Nosocomia.*

Lucas Bizantius, Episcopus Cathanensis, inducitur à Suaui loquens aduersus Tridentinum de distributionibus quotidianis. l. 17. c. 9. n. 10. & seq.

Ludouicus Antinorus venit ad Concilium cum Episcopo Viterbiensi, acturus cum Gallis. l. 19 c. 2. n. 4. *Varia eius colloquia cum Lotharingo.* l. 20. c. 7. n. 4. c. 12. n. 8. *Mandata secreta Româ accepta, vt comitetur illuc Lotharingum.* l. 22. n. 5. n. 1. 2. & 3. *It in Galliam, curaturus vt Synodus excipiatur.* l. 24. c. 11. n. 10.

Ludouicus Lansacus, Orator Caroli IX. ad Concilium, inclinat ad enormes legum relaxationes. l. 17. c. 8. n. 7. *Irascitur idcirco Pontifex; & ille se purgat.* ibid. n. 8. & 9. *Postulat à Rege vt mittat Theologos & Praesules ad Concilium.* l. 17. c. 14 n. 1. *Rursus moram postulat Tridenti & Romae.* l. 18. c. 7. n. 4. vsque ad 12. *Eius sensus oppositi definitioni mansionis, quòd sit de iure Diuino.* l. 18. c. 12. n. 10. *Obuiàm procedit Lotharingo.* lib. 18. cap. 17. num. 9. & 10. *Reddit Concilio Regis epistolam.* l. 19. c. 3. n. 2. *Colloquiũ eius cum Nauagero de morum correctione.* l. 20. c. 16. n. 3. *Litterae ad eum scriptae à Pontifice.* l. 19. c. 2. n. 5. *Redit in Galliam.* l. 21. c. 10. n. 11.

Ludouicus Madruccius, Episcopus ac Princeps Tridenti, & Cardinalis, sententiam dicit de concessione Calicis. l. 18. c. 4. n. 5. *Eligitur simul cum Lotharingo vt componeret Decretum de mansione.* l. 19. c. 13. n. 4. & c. 14 n. 1. *Eius agrimonia, quòd res non successerit.* l. 20. c. 3. n. 1. *Accersitur à Caesare Oenipontem.* l. 20. c. 4. n. 2. *Mandata Legatis data à Pontifice, vt cum eo fiduciam exerceant.* l. 22. c. 2. n. 8. & l. 23. c. 5. n. 2. *Eius opinio contraria Decreto de matrimonijs clandestinis.* l. 22. c. 4. n. 7. c. 10. n. 7. l. 23. c. 5. n. 17. & 18. c. 8. n. 3.

Ludouicus Simonetta Card. & Legatus Concilij propendet ad amicitiam cum Mantuano; & id conficitur. l. 17. c. 3. n. 2. c. 8 n. 12. & c. 13. n. 1. *Calumniae Suauis in ipsum de libertate Concilij, & de ambitu dominandi post mortem primi Legati.* l. 17 c. 8. n. 12 l. 20. c 6. n. 6. *Ab eo alienus Lotharingus.* l. 19. c. 4. n. 1. *Opponit aliqua Decreto de matrimonijs clandestinis.* l. 22. c 4. n. 7. & c. 10. n. 7. & l. 23. c. 9. n. 3. *Absoluto Concilio Romam adit; & demandata ei prouincia de obseruatione Decretorũ Synodi.* l. 24. c. 9. n. 3. & 5.

Ludouicus Theodulus, Episcopus Bertinorensis, moritur in Concilio, & à Patribus multis laudibus commendatur. l. 19. c. 13. n. 2.

M.

Mandata consulendi varijs contentionibus in Synodo. l. 23. c. 6. n. 3. c. 7. n. 17. 11. & 12. *Decretum in Sessione firmatum de hac re.* l. 23. c. 12. n. 3.

Mansio Episcoporum, & Curionum inferiorum. Noua, prolixa ac difficilis quæstio excitata tempore Pij, an ea sit iuris Diuini; & quo pacto tandem composita. l. 17. c. 1. n. 2. 3. & 4. c. 2. n. 4. c. 13. n. 2. 4. 5. 6. & 7. l. 18. c. 12. n. 14 15. & 16. c. 12. n. 1. c. 17. n. 3 4. 5. & 6 l. 19. c. 7. n. 4. & seq. c. 8. n. 1. 2. & 3. c. 12. n. 12. c. 13. n. 4. c. 14. n. 1. 2. & 3. c. 16. n. 4. & seq. l. 20. c. 8. n. 5. & 7. c. 14. n. 12. l. 21. c. 11. n. 4. c. 12. n. 5. & 9. c. 13. n. 18. Vide distinctiùs sub Pio.

Marcus Antonius Amulius Cardin. scribit litteras Tridentum de obedientia Romæ exhibita ab Assyrio Patriarcha. l. 18. c. 9. n. 5. *Aliæ eiusdem litteræ ad Seripandum de proximo Lotharingi aduentu, & de ferendis sententijs per nationes.* l. 18 c. 13. n. 2. & 3. *Creatur Episcopus Reatinus.* l. 19. c 4. n. 9. *Studia infructuosa Nauageri & Pontificis, vt in Reipublicæ gratiam redeat.* l. 20. c 12. n. 7.

Marcus Antonius Bobba, Episcopus Augustensis, Orator Ducis Sabaudiæ ad Concilium. l. 19. c. 15. n 1. *Controuersia eius consilio composita de reddendo responso Regi Galliæ, nuntianti pacem confectam cum hugonottis.* l. 21. c. 3 n. 13. *Expendit de reseruatione Pontifici relaxationum ad matrimonia spectantium.* l. 23. c. 9 n. 17. *Eius mandatum excipitur.* l. 21. c 12 n 1.

Marcus Antonius Columna, Archiepiscopus Tarantinus, & postea Cardinalis, magni fit à Legatis Tridentinis. l. 18. c. 16. n. 7. *Cœtus habiti in eius domo ad componenda argumenta emendationis.* l. 22 c. 8 n. 5.

Marcus Laureus, Episcopus Campaniæ, sufficitur muneri Massarelli agrotantis; & mendacia Suauis de hoc. l. 21. c. 3. n 17.

Marcus Siticus Altempsius Cardin. fauet apud Pontificem Legatis & Episcopis, existimantibus mansionem esse de iure Diuino. l. 17. c. 2. n. 5. *Eius legatio ad Maximilianum Cæsarem.* l. 24. c. 12. n 11.

Margarita Austriaca, Belgij Gubernatrix, scribit obsequentes epistolas ad Tridentinos Patres, quæ in octaua Sessione leguntur. l. 21. c. 11. n. 5. l. 23. c. 8 n. 7. *Iubet excipi eorũ Decreta in Belgio.* l. 24. c. 12. n. 2

Maria Scotiæ Regina scribit ad Patres Tridentinos. l. 20. c. 16. n. 7. l 21. c. 12. n. 1. *Coniugium ipsius cum Hispaniæ Principe optatum à Philippo Rege; & cum Archiduce Austriæ à Lotharingo tractatum.* l. 21. c. 5. n. 3. & l. 24 c. 1. n. 5.

Martinus Ayala, Episcopus Segouiensis, sententiam dicit in argumento de Ordine. l. 18. c. 14. n. 6. *Instat vt reponatur Canon de institutione Episcoporum, digestus sub conuocatione Iuly.* l. 18. c. 18. n. 2. *Eius & Mantuani dissensio super hac re: & falsitas Suauis.* ibid. n. 8. & seq. *Laudatur ob compositam ab eo discordiam inter Hispanum & Gallos Oratores.* l. 21. c. 10 n. 6. *Quid senserit de matrimonio clandestino.* l. 21 c. 8. n. 20. *Inuehitur in modulum de disciplina.* l. 23. c. 7. n. 8.

Martinus Gastelus, missus à Philippo II. secretarius Lunensis ad Concilium, eiusque mandata. l. 19. c. 12. n. 6. *Petit vt in dicendo præcedant Hispani Theologi.* l. 20. c. 1. n. 4.

Martinus Mascareñas, Orator Lusitaniæ ad Concilium, contestatur in obedientiam ab Assyrio Patriarcha præstitam, & cur. l. 18 c. 9. n. 6. *Pietas eius in Synodo, & officia honorifica Pontificis in ipsum.* l. 19 c. 15. n. 7. *Diploma ad eumdem à Pontifice scriptum in fine Concilij.* l. 24. c. 9. n. 2

Mar-

Martinus Rithouius, Episcopus Iprensis, venit ad Tridentinum in vltima conuocatione. l.21.c.7.n.4. *Differit ne reddantur irrita clandestina matrimonia, & filiorum coniugia sine patrum consensu.* l. 22. c.4.n.13. 14.& 15.

Martinus Rojas, Orator *Melitensis ad Synodum.* Vide *Oratores.*

Matrimoniũ Articuli eius dati minoribus Theologis; & primi cœtus super eo. l.20.c.1.n.4 & 5.& c.2.n 1. & 2. *Discordia de duobus capitibus.* l.20.c.4.n.1. *Capita emendationis in hoc Oratoribus communicata.* l.22. c.1.n.14. *Sententia Patrum de Canonibus propositis.* l.22.c.4.n.1.c.8. n. 7. & 8. *Decretum de solutione vinculi ob adulterium, moderatum Græcorum respectu.* l.22.c.4. n.27. & seq. *Canones & Decreta comprobata in Cœtu generali, & in Sessione firmata, & dissertatio de ea Ordinatione*, Relaxationes in matrimonijs esse rarò concedendas, ob causam, & gratis.l.22 c.8.n.2 3.8. & seq. *Contrariæ in Sessione sententiæ.*l.23.c 9.n.1.vsque ad 6 *Errores & obiecta Suauis, præsertim de solutione matrimonij non consummati ob professionem solemnem*; *de dono castitatis, rectè petenti; & de iurisdictione Iudicis Ecclesiastici in causis ad matrimonium spectantibus.* ibid.n.6.7.8.9 10 11.12.16.17.

Matrimonij clandestini articuli traduntur expendendi; & Theologorum dubitatio. l.20.c.4. n. 1. *Galli Oratores petunt vt irritum declaretur; & allucinatio Suauis.* l.23. c.1.n.16. *Decretum de eo sæpè propositum & mutatum.* l.22.c.4.n.1. 3. & 4. & c. 8. 9. & 10. *Maxima sententiarum varietas.* l. 22. c. 4. n.5. vsque ad 27. c.8. n. 18.19.20. 21.22. *Expenduntur Suauis rationes.* l. 22. c. 8. n. 12. 13.14.15.16. & 17. *Congregatio Episcoporum ac Theologorum ad componendam controuersiam, sed sine fructu.* l. 22. c.9.n.5. & seq. *Alia Suauis mendacia.* l. 23. c.1. n.20. *Noua Decreti mutatio; & noua inter Patres dissensio.* l.23.c.5. n.17. 18. 19. & 20. & c. 8. n. 3. *Stabilitur in Sessione.* l.23. c. 8. n. 10 decr. 1. *Sententiæ contrariæ. Errores & obiecta Suauis.* l.23.c.9.n.1.vsque ad 15.

Matrimonia contracta à filijsfamilias sine patrum consensu, noxia & absurda existimantur. l.22 c.1. n.16. *Galli postulant vt fiant irrita.* ibid. & n. 17. *Decretum expensum ac mutatum, & sententiarum varietas.*l.22.c.4.n.1.vsque ad 17. *Noua forma proponitur; ac tandem decretum, ea irrita faciens, tollitur.* l.23 c.5.n.17.

Matrimonium Sacerdotum petitur à Ferdinando, & à Duce Cleuensi. l.22.c.10 n.15. *Idem postulant Bauari Oratores.*l.17.c.4.n.8. *Obiecta à Suaui in hoc Decretum.* l. 24. c 12. n.9.

Maximilianus Bohemiæ Rex. Eius parens concessionem Calicis postulat in Bohemia, vt ipsum alliciat. l. 18. c. 7. n. 12. *Eligitur Rex Romanorum.*l.19.c 5.n.9. *Difficultas Pontificis in eo confirmando, & quo pacto sublata.* l.22.c 6. n.6. & seq. *Cur ipse optet, vt Synodus celeriter absoluatur.* l. 23. c.4. n. 4.& 5. & c.5.n.1.vsque ad 16.

Mediolanum. Agitur de inducenda illuc S. Inquisitione more Hispanico, & quo pacto res omissa; & Suauis mendacia. l.22. c.8.n.2.3.& 4.

Melchior Auosmedianus, Episcopus Guadicensis, consessum turbat dum loquitur de institutione Episcoporum. l.19.c.5. n.5.6.& 7. *Conqueruntur*

runtur Hispani ob contumelias in in eum à quibusdam iactas. l. 19. c. 7. n. 1. Eius sententia de Episcopis titularibus. l. 2 .c.4.n.4. Inuehitur in Magistratus Romanos. l. 23. c.3.n.25.

Melchior Cornelius, Regis Lusitani Theologus, celebrem habet sermonem de Missæ sacrificio. l. 18. c. 1. n. 5. Alius eius sermo de Ordinis argumento; & errata Suauis l. 18. c.12.n.9. & c.14.n.1. Multæ difficultates ab eo congestæ de electione Episcoporum. l.21.c.8.n.1.

Melchior Lußus, Orator Heluetiorum Catholicorum in Synodo, subscribit Concilio. l.24.c.8.n.15.

Michaël Baius, Doctor Louanienſis Academiæ in vltima conuocatione Concilij, vbi valdè pios sensus ostendit. l.21.c.7.n.4

Michaël Thomasius Maioricensis, insignis Canonum Doctor, scriptum componit de suffragio Procuratorum in Synodo. l.21.c 4.n.9.

Missam non esse celebrandam linguâ vulgari l.18.n.1.c.13. Obiecta Suauis in hoc. & in preces secretas Missæ. l.18.c.10. n.1. vsque ad 6. Eius abusus à Concilio sublati. l.18. c.6. n.15.& seq. & c.9.n.2. & 3. Decretum de celebratione Missarum. l.24 c.7.decr.4.

Missalis correctio à Concilio remissa ad Pontificem. l.24.c.8 n.4.

Monarchia Siciliæ, eiusque priuilegia defensa in Concilio ab Hispanis. l.18.c.6.n.2.& 11.

Monasterium Cluniacense nominatum in secundo Decreto de Regularibus, petente Lotharingo. l.24.c.4. n.11. & c.5.n.5.decr.11.

Moniales à Concilio reformatæ. l.24. c.5.n.6 decr. 5. vsque ad 10.& c.6. n.1.decr.15. & seq. Aliqua à Patribus animaduersa de tempore ipsarum professionis. l. 24. c. 6. n. 2. Vide Regulares.

Mutatio vltimarum voluntatum quàm sit commendabilis, & rationi consentanea. l. 17. c.9. n.11. & seq. Potestas super hoc Episcopis data. l.18.c.6. n.9. Obiecta à Suaui. l.18. c.10.n.10.

Mutius Callinus, Archiepiscopus Iadrensis, respondet communi Patrum nomine primo sermoni Lotharingi. l.14.c.3 n.5. Defendit causam Episcoporum aduersus Archiepiscopos. l.23. c. 8. n.6.c.10.n.1.2.3.& 4.

N.

Neapolis commouetur S. Inquisitionis causâ. l.22 c.8.n.2.

Nicolaus Maillardus Decanus Sorbonæ, & primus Theologus ex Gallis in Tridentino. l.20.c.2. n.1. Falsitas Suauis de ipsius sententia super matrimonio clandestino. l.20.c.4.n.1

Nicolaus Ormanettus, Veronensis, mittitur à Legatis Tridentinis ad Ducem Bauariæ, vt sisteret eius postulata pro vsu Calicis: & res ab eo prosperè gesta. l.21.c.2.n.9.& 10.

Nicolaus Pelueus Gallus, Archiepiscopus Senonensis, obtinet vt admittatur renuntiatio illius sedis sibi facta petente Lotharingo. l.19.c.1. n.9. & c.10. n.2. Curat vt arctiùs connectatur cum Pontifice Lotharingus. l. 20. c. 10. n.2. Improbat acriter contestationem Ferrerij Oratoris. l.23.c.1.n.12.& c.6.n.9.

Nicolaus de Ponte, Orator Venetus in Synodo tempore Pij, fauet opinioni, quòd mansio sit iuris Diuini: à Pontifice non laudatus, vt qui sui muneris fines transiliret. l. 17. c.8. n. 8. Subscribit Synodo. l. 24. c. 8. n.8. Tristatur in quadam narratione libertatem & æstimationem Synodi.

odi. l. 24. c. 9. n. 11. & c. 10. n. 17.
Nicolaus Sfondratus Episcopus Cremonensis, qui fuit in Tridentino, donatur Purpurâ à Greg. XIII. & alio tempore creatur Pontifex. l. 24. c. 13. n. 5.

O.

Octauianus Reuersa, Episcopus Tarraconæ moritur. l. 19. c. 12. n. 5
Oecumenicum. In quo sita sit eius natura. l. 21. c. 3. n. 3.
Odescalcus, Nuntius peculiaris in Hispania, curat vt Philippus Rex mandet suis Episcopis in Synodo, vt faueant Sedi Apostolicæ. l. 19. c. 12. n. 5.
Odettus Cardinalis Castilionensis Purpurâ priuatur. l. 23. c. 6. n. 8.
Orator Melitensis in Concilio. l. 20. c. 10. n. 3. *Contendit de loco cum variis Ecclesiasticis.* ibid. & n. 4. *Data ad id à Pontifice mandata, & in ys exequendis difficultas.* l. 21. c. 2. n. 8. & c. 12. n. 1. *Res composita.* l. 22. c. 8. n. 7. *Mandatum in Sessione recitatum.* l. 23. c. 8. n. 7.
Orator Polonus in Concilio tempore Pij. l. 18. c. 14. n. 1. *Mandatum in Sessione admissum.* l. 21. c. 12. n. 1. *Repulsa ab eo data Lunensi cùm inuitaretur ad contestandum.* l. 23. c. 2. n. 5.
Orator Bauarus in postrema conuocatione exceptus; & falsa Suauis dicta. l. 17. c. 4. n. 7. *Mandatum in Sessione lectum.* l. 17. c. 11. n. 22. *Contentio cum Heluetijs & Florentino.* l. 17. c. 4. n. 6. *Res componitur cum Heluetijs ad aliquod tempus.* l. 18. c. 13. n. 6. *Discedit idcircò à Concilio.* l. 19. c. 14. n. 11.
Oratores Ferdinandi & tamquam Cæsaris & tamquam Regis Hungariæ in Concilio sub Pio, dant Legatis volumen postulatorum nomine Cæsaris: & Suauis mendacia. l. 17. c. 1 n. 6. & c. 4. n. 5. *Proponitur ab ipsis Concilio concessio Calicis.* l. 17. c. 4. n. 8. *Difficultas ac dilatio negotij, & contentio cum Præsidibus.* l. 17. c. 7. à n. 1. vsque ad 6. *Diligentia ad obstacula superanda, & rationes Patribus traditæ duobus scriptis, sed frustrà.* l. 17. c. 14. n. 11. l. 18. c. 3. n. 3 c. 4. n. 23. & c. 5 n. 1. 2. & 3. *Cœtus Oratorum ab ipsis coactus, & communis ad Legatos significatio.* l. 18. c. 5. à n. 5. vsque ad 10. *Postulata vt proponeretur volumen Cæsaris, & procederetur per numerum nationum.* l. 18. c. 11. n. 6. & 9. *Mandata Cæsaris pro emendatione & coniunctione cum Gallis.* l. 18. c. 17. n. 8. *Studia pro legatione Lotharingi.* l. 20. c. 6. n. 4. *Cœtus apud Granatensem de vsu Calicis, & de Pontificis auctoritate.* l. 20. c. 9. n. 11. *Legati apud Cæsarem incusati.* l. 22 c. 5. n. 5. *Controuersia cum ysdem de omittendis ijs quæ spectabant ad Principes laicos.* l. 22. c. 6 n. 1. 2. & 3. & c. 10. n. 8. & seq. *Repellunt Oratorem Hispanum, ad contestandum inuitantē; & commendantur à Ferdinando.* l. 23. c. 2. n. 5. & 6. & c. 5. n. 15. *Postulant celerem conclusionem.* l. 24. c. 2. n. 3. & c. 3. n. 8. *Subscribunt Synodo.* l. 24. c. 8. n. 25.
Oratores Galli in vltima Synodi conuocatione, postulant vsum Calicis pro Galliæ Regibus in quadam celebritate. l. 17 c. 7. n. 13. *Postulata pro dilatione & disciplina.* l. 18. c. 11 n. 1. vsque ad 9. *Mora impetrata ob proximum Lotharingi accessum.* l. 18. c. 17. n. 9. & 10. *Varia pro concordia de loco cum Hispano, sed sine fructu agitata.* l. 19. c. 4. n. 12. & seq. c. 15. n. 2. c. 16. n. 3. & 4. *Dissensio ab Episcopis Gallis de Galliæ*

Gallia emendatione. l. 19. c. 9. n. 1. *Triginta quatuor postulata, Regis nomine delata Præsidibus: & mendacia Suauis.* l. 19. c. 11. n. 1. 3. & 4. *Colloquium cum ysdem de Prærogatiua Pontificis supra Concilium.* l. 19. c. 14. n. 4. & seq. & c. 16. n. 2. *Instant pro septimæ Sessionis mora, & pro postulatorum propositione.* l. 19. c. 16. n. 11. l. 20. c. 1. n. 3. c. 9. n. 1. c. 16. n. 4. *Simulata ab ipsis concordia de litigio cum Hispano, & remedium pro cœtibus inuentum.* l. 20. c. 16. n. 5. & c. 17. n. 4. 5. & 6. *Irascuntur ob mandatum arcanum Pontificis de loco in Sessionibus.* l. 21 c. 1. n. 5. 6. & 7. *Tumultus, & periculum schismatis ob hanc controuersiam oborti.* l. 21. c. 8. n 7. & 8. *Concordia inita; & super hac re animaduersio.* l. 21. c. 10. n. 5. 6. 8 & 10. *Falsa à Suaui dicta.* l. 21. c. 13. n. 2. *Querelæ ob formam habitam in Sessione vigesimatertia, in eo quod spectabat ad cerimoniam.* l. 22. c. 1. n. 10. & 11. *Postulatum vt in posterum fierent irrita quædam matrimonia; & errores Suauis.* l. 22. c. 1. n. 16. & 17. *Optant finem Concilij; & Pontificis ad id propensio.* l. 22. c. 2 n. 2. & 3. *Dura mandata ipsis à Gallia tradita: contestatio in Cœtu generali, & eorum secessus Venetias.* l. 23. c. 2 n. 5. & l. 4 n. 10. *Studia valida ad abalienandum Regem à Concilio* ibid. n. 11. & l. 24. c. 4. n. 2.

Oratores Heluetij in vltima conuocatione Concilij, litigant cum Bauaro; & lis bis composita ad breue tempus. l. 17. c. 4. n. 6. & l. 18. c. 13. n. 6.

Oratores Veneti in Concilio, contendunt de gradu cum Bauaris. l. 17. c. 4. n. 6. *Absunt à quodam conuentu Oratorum.* l. 18. c. 8. n. 5. *Adhibita ab ipsis studia pro Grimano Patriarcha.* l. 21. c. 7. n. 9. & seq. *Mandata ipsis data ad celerem conclusionem habendam.* l. 22 c. 1. n. 9. *Amplissima ab ipsis oblata Præsidibus super hoc.* l. 22 c. 3. n. 10. *Postulata pro Græcis in quodam Decreto matrimonij; & errores Suauis.* l. 22. c. 4. n. 27. & seq. & c. 8. n. 8. *Lunensem, inuitantem ipsos ad contestandum, reijciunt.* l. 23. c. 2 n. 5. *Dilatio petita de articulo Principum.* l. 23. c. 3. n. 21.

Ordines suscipiendi ex titulo patrimonij secundùm Tridentinam Synodum. l. 17. c. 9 n. 5. & 6. *Tempora, loca, & solemnitates illis præscripta.* l. 21. c. 12. n. 7.

Ordines minores. Studium adhibitum ad inueniendas ipsorum functiones. l. 21. c. 8. n. 1. & c. 12. n. 8. decr. 15. *Conditiones in suscipiente requisitæ.* l. 21. c. 12. n. 6. & 7. *Obiecta Suauis.* l. 21. c. 13. n. 11. & 13.

Ordo. Malignitas Suauis de Decreto Concilij, vt gratis impertiantur Ordines. l. 17. c. 9. n. 7. 8. & 9. *Canones & Decreta super hoc formata; & varia sententiæ Patrum.* l. 18. c. 14. n. 4 & seq. *Sententiæ præcipuæ de abusuum emendatione in hoc genere.* l. 20. c. 16. n. 8. & seq. c. 17. l. 21. c. 4. per totum. c. 6. n 9. & seq. *Res compositæ; & falsitas Suauis.* l. 21. c. 11. n. 5. c. 12. n. 2. & seq. c. 13. n. 8. & seq.

Ormanetius. Vide *Nicolaus.*

Osius. Vide *Io. Baptista. Stanislaus.*

Otho Cardinalis Truxesius celebrat Synodum Diœcesanam in sua Ecclesia Augustana. l. 24. c. 12. n. 11.

P.

Pacecus. Vide *Petrus.*

Parochorum obligatio ad residendum. l. 21. c. 12. n. 5. *Reformantur.* l. 23. c. 11. decr. 12. n. 1.

Paræciæ

Paræciæ. Constitutiones confectæ de multiplicandis ipsarum ministris ac titulis. l.17. c.30.n.3. & 4. & c.12. n. 11. *De coniunctione simul multarum Paræciarum.* l.17. c.10.n.5.6. & 7. *De consulendo ne Parochi sint ignorantes aut dyscoli.* ibid. n.8 *De prouentuum penuriæ consulendo.* l.23.c.11. decr.13. *De prospiciendo ne grauentur pensionibus.* ibid. *De ipsarum distinctione ac noua fundatione.* ibid.

Patriarcha Assyrius obedientiam profitetur Pio IV. & falsa dicta Suauis. l.18.c.9.n.5.6.& 8

Pensiones odiosæ Episcopis. l.18.c.6.n.1 *Decretum de ijs sancitum; & obiecta à Suaui.* l.23.c.11.decr.13.n.1.

Petrus Antonius Capuanus, Archiep. Hydruntinus, concertat cum Lotharingo & Granatensi, optans Decretum de mansione. l.19.c.14.n.1 & 2. & c.13.n.4. *Auctor est vt seruetur auctoritas Apostolica in fine omnium Decretorum.* l.23. c.3. n.15. *Valdè commendatur à Legatis apud Pontificem.* l.18.c.9.n.1.

Petrus Canisius, Theologus Societatis IESV, *respondet variis articulis propositis à Ferdinando Oeniponti cuidam Theologorum cœtui.* l. 20. c. 4. n.5. & seq.

Petrus Danesius Episcopus stimulat Legatos Pij IV. ad studium emendationis quodam acumine casu iacto. l.21.c.8.n.8.

Petrus Fontidonius, Theologus Episcopi Salmanticensis, habet Orationem in Concilio, Lunensis nomine. l.21. c.1.n.3. & 4. *Scribit cum plurimis laudibus de Tridentino concentu.* l.24.c.10.n.16.

Petrus Guerrerus Archiepiscopus Granatensis, verba facit de fide publica securitatis concedendæ hæreticis, & de vsu Calicis. l.18. c.4. n.6. *Sæpius suscitat quæstionem de mansione.* l.17 c.1.n.2.c.13.n.2. *Difficultatem obijcit de capite sexto S. Ioannis.* l. 12. c.11.n. 3.7.8. 9. 17. *Obstat ne definiatur,* Apostolos fuisse initiatos Ordinibus in Cœna. l.18.c.5.n.5.& 8. & c.8.n.10. & 11. *Auctor est controuersiæ de institutione Episcoporum.* l.18.c.12.n.10. & 11.c.14.n.5 & c.16.n.2. *Eius sensus de Pontificis auctoritate.* l.20.c.9. n.11. *Eius sententia notatu digna de Episcopis, de Cardinalibus, & de quibusdam alijs rebus.* l.20.c.19.n.12. l.23.c.7. n. 6. *Eius opinio de ferendo per nationes suffragio.* l.20.c.17.n.2. *Eius studia ad conciliandum tumultum inter Hispanum & Gallos Oratores.* l.21.c.8.n.8.& c.10.n.6. *Consentit conclusioni Synodi, & mendacium Suauis.* l.24.c. 2. n. 4. *Repugnat ne petatur à Pontifice Synodi confirmatio.* l.24.c.8.n.8.

Petrus Sotus, Dominicanus, sententiam dicit de quibusdam articulis Ordinis. l.18. c.12.n.6.7. & 8. & c. 14. n.1. *Litteræ ab eo scriptæ ad Pontificem in extremo vitæ suæ: & malignitas Suauis.* l.20.c.13.n.1. & 2. & c.17.n.1.

Petrus Suauis fatetur penuriam notitiæ in se. l.18.c.10.n.13.14.& 15.

Philibertus Naldus, Bordiseræ dominus, Orator Galliæ ad Pium IV. ac postea Cardinalis. Habet in animo Pontifex ipsum addere Concilio Legatum. l.18. c.16. n.1. *Postulat vt Mantuano subrogetur Lotharingus.* l.20.c.6.n.6.

Philippus Gerius, Episcopus Inarimensis, Nuntius Pij IV. ad Maximilianum Romanorum Regẽ. l.24.c.1.n.2

Philippus Maria Campeggius, Episcopus Feltriensis, non comprobat quod in primo Decreto de Eucharistia explicentur verba Christi ex

capite sexto sancti Ioannis. l. 17. c. 21. n. 22.

Philippus Musottus, à secretis Seripandi, proponit modos impediendi aduentum Lotharingi, à Pontifice non exceptos: & mendacia Suauis. l. 18. c. 13. n. 4. *Est à Secretis Lotharingi post obitum Seripandi.* l. 20. c. 9. n. 7. *Mittitur ab eo Romam ad se purgandum apud Pontificem.* l. 20. c. 12. n. 10. *Redit cum responso benenolo.* l. 20. c. 16. n. 6. *Rursus mittitur Romam ob dissidium Oratorum; & quid inde retulerit.* l. 21. c. 9. n. 2. & c. 10. n. 6.

Philippus II. Hispaniæ Rex scribit ad Piscarium de Continuatione, ac de Mansione. l. 17. c. 13. n. 2. *Mandata ab eo scripta ad Episcopos, fauentia Sedi Apostolicæ; deinde temperata, ob Gallos.* l. 18. c. 17. n. 7. & l. 19. c. 7. n. 4. *Pius eius sensus de loco Oratoris.* l. 19. c. 4. n. 12. & c. 12. n. 6. *Studia Nuntiorum apud ipsum adhibita ad easdem res, eiusque mandata ad Lunensem & ad Gastelum.* l. 19. c. 12. n. 5. & 6. *Diuersa sentit de gradu sui Oratoris.* l. 20. c. 12. n. 2 & c. 17. n. 5. *Noua mandata ad Oratorem scripta de particula*, proponentibus Legatis. l. 22. c. 2 n. 1. *Eius responsum ad epistolam Præsidum, & ad querelam Pontificis de suis ministris.* l. 23. c. 6. n. 12. & seq. *Eius moderatio de loco Romæ dato Oratori Galliæ.* l. 24. c. 11. n. 5. & c. 12. n. 1 *Excipit absolui è Concilium, ab ipso etiam imperatum in Hispania, in Italia, in Belgio, quamquam varia opponerent eius ministri.* l. 24 c. 11. n. 2. & c. 12. n. 2.

Pius Quartus. Quid ipse & Aula sentiant de ys quæ Tridenti contigerunt super mansione: eò mittit Episcopum Vintimilliensem, & quid actum sit in hoc negotio. l. 17. c. 4. n. 4. c. 13. n. 4. 5. 6. & 7. l. 18. c. 12. n. 14. 15. & 16. c. 13. n. 1. c. 14. n. 1. *Quæ præscribit Legatis de declaratione continuationis, de prærogatiua inter Oratores duorum Regum, de modo procedendi in Concilio; & responsa Præsidum.* l. 17. c. 4. n. 7. c. 6. n. 1. l. 17. c. 8. n. 1. vsque ad 7. l. 21. c. 1. n. 6. & 7. l. 22. c. 8. n. 4. & 5. *Quid responderit multis Episcopis Italis, qui se purgauerant apud illum de incusationibus.* l. 17. c. 8. n. 5. & c. 13. n. 3. *Eius suspiciones de quibusdam Oratoribus in Synodo, & ob proximum illuc aduentum Gallorum Præsulum: & varia de hoc postremo illius mandata.* l. 17. c. 8. n. 8 & 9. l. 18. c. 7. n. 2. 3. & 10. c. 17. n. 9. & 12. vsque ad 19. l. 19. c. 2. n. 4. *Comitia Vaticana reformat, & libertatem dat Concilio de emendanda disciplina vniuersali, & de doctrina.* l. 18. c. 11. n. 10. c. 17. n. 1. & 2. l. 21. c. 6. n. 1. & 2. *Cogitat nouos Legatos addere, & adire Bononiam; sed non exequitur.* l. 18. c. 16. n. 1. l. 19. c. 12. n. 3. & 4. l. 20. c. 7. n. 1. c. 8. n. 4. c. 9. n. 4. 5. & 6. c. 14. n. 13. & seq. *Eius responsa ad duas Cæsaris litteras, & ad mandata Oratoris Hispani de ijsdem negotijs.* l. 20. c. 8. n. 2. & seq. & c. 10. n. 11. & seq. *Excusat apud Legatos quæ in Senatu egerat.* l. 21. c. 6. n. 8. l. 23. c. 4. n. 11. & seq. *Eius mandata & diplomata de particula*, proponentibus Legatis. l. 21. c. 5. n. 6. 7. 10. & 11. l. 23. c. 6. n. 5. *Responsa ab eo reddita Legatis & Lotharingo de tumultu Legatorum, quod in templo acciderat.* l. 21. c. 10. n. 2. 3. 4. & 6. *Consilium initum ab eo cum Oratore Vargas, & cum Cardinalibus de quibusdam Decretorum formis; & quæ in Senatu exposuit post Sessionem vigesimamtertiam.* l. 21. c. 11. n. 3.

Historia Concily Trid. Pars III. Lib

n. 3. & l. 22. c. 1. n. 5. & 6. *Eius studia pro celeri conclusione.* l. 22. c. 1. n. 6. & 9. c. 2. n. 7. & seq. c. 8. n. 11. l. 22. c. 8. n. 1. & 2. *Lata ab eo sententia in complures Galliæ Episcopos.* l. 23. c. 6. n. 7. & 8. *Grauis eius morbus.* l. 24. c. 4. n. 5. & 6. *Nuntij de meliori eius valetudine missi ad Concilium, & mandata vt concluderetur.* l. 24. c. 5. n. 1. & 2. *Eius lætitia & gratiarum actio pro conclusione.* l. 24. c. 9. n. 1. *Confirmat Concilium in Senatu, & sedulò curat vt obseruetur.* ibid. n. 4. vsque ad 14. *Declarat quo tempore incipit obligatio seruandi mandata.* ibid. n. 14. *Eius studia vt Synodus suscipiatur à Christiana Republica.* l. 24. c. 11. per totum.

Pœnitentiæ. Decretum propositum & expensum de ipsis. l. 23. c. 7. n. 7. & 16 & c. 11. decr. 8.

Pœnitentiarij à Concilio statuti. l. 23. c. 11. n. 1. decr. 8.

Pontifices. An subdantur Concilijs. l. 19. c. 14. n. 4. & seq. l. 24. c. 10. n. 1. & 2. *Galli cogitant tempore Pij IV. vt eligatur Pontifex Tridenti, si Sedes vacaret.* l. 18. c. 17. n. 15. l. 19. c. 1. n. 12. *Difficultas orta de definitione an Pontifex præeat Ecclesiæ vniuersali; & quo pacto tandem fuerit omissa quæstio.* l. 19. c. 6. n. 4. & 5. c. 12. n. 10. & seq. c. 13. n. 2. & seq. c. 15. n. 3. c. 16. n. 2. 5. 9. 11. 12. l. 20. c. 3. n. 2. c. 9. n. 11. l. 21. c. 4. n. 5. 8. 12. & seq. c. 11. n. 12. & 13. c. 13. n. 4. *Varij sermones habiti in Synodo de reformando Pontifice.* l. 20. c. 5. n. 4. 5. 6. 7. c. 8. n. 3. c. 14. n. 6. 7. 8.

Prærogatiua, de qua contendebant Episcopi & Theologi. l. 20. c. 1. n. 4. *Decretum Synodi de prærogatiua Oratorum.* l. 24. c. 8. n. 4.

Prima instantiæ remissæ Ordinarijs in cunctis causis, Hispanorum operâ. l. 22. c. 8. n. 6. *Lunensis postulatum de ipsis.* l. 23. c. 6. n. 7. *Exceptiones positæ in Decreto cum quorumdam Patrum molestia, & studia Præsidum vt illis satisfieret.* l. 23. c. 7. n. 3. 14. & 15. l. 24. c. 2. n. 3. *Calumniæ Suauis in hac re.* l. 23. c. 12. n. 3. 4. & 5.

Principes laici. Articuli Oratoribus delati in Concilio de illis reformandis, & mora postulata à Cæsareis & Hispanis. l. 22. c. 3. n. 3. c. 5. n. 13. *Cæsariani dissident à Legatis; & iussa Pontificis ad rem exequendam.* l. 22. c. 6. n. 1. 2. 3. 4. 5. c. 7. n. 1. c. 9. n. 1. & 2. *Proponuntur capita.* l. 22. c. 9. n. 3. & 4. c. 10. n. 2. *Mandata opposita Cæsaris & Regis Galliæ.* l. 22. c. 10. n. 16. & seq. l. 23. c. 1. n. 1. 2. & 3. c. 4. n. 6. *Mora concessa ob commune Oratorum postulatum. Decretum mitius missum à Pontifice, quod excipitur: & animaduersiones Suauis de illatis in Principes detrimentis in vltima Sessione.* l. 23. c. 3. n. 31. & seq. c. 4. n. 11. l. 24. c. 2. n. 5. c. 7. n. 1. decr. 20. & n. 2. c. 10. n. 3.

Procurator Capitulorum Hispaniensium expellitur Tridento à Lunensi. l. 22. c. 10. n. 3. l. 23. c. 1. n. 19.

Procuratores Præsulum & Cleri Hungarici in Concilio tempore Pij. l. 18. c. 4. n. 22.

Procuratores Præsulum Germanorum. Quid acciderit de ipsorum suffragio tempore Pij IV. l. 18. c. 4. n. 12. *Noua controuersia de eo argumento excitata, & quo pacto composita.* l. 20. c. 17. n. 6. 8. 9. & 10. l. 21. c. 1. n. 9. & seq.

Procuratores quo pacto subscripserint Concilio. l. 24. c. 8. n. 13.

Professio regularis quo pacto fuerit sancita in Tridentino. l. 24. c. 6. n. 1. & 2. decr. 15. & 16.

Prosper Sanctacrucius Episcopus Chisumensis, Auditor Rotæ, & Nuntius in Gallia, ibi plurima egit quò Synodus excipiatur, & de prærogatiua Oratoris. l.24.c.11.n.2.7.& 9.
Purgatorij Decretum fit in Synodo, quibusdam Episcopis ambigentibus, & cur. l.24. c. 4 n.10. & c.5. n. 4. decr.1.

Q.

Quæstores ad Indulgentias promulgandas. Diploma Pij IV. & Decretum Tridentini, quæ horum vsum remouent ab Ecclesia. l. 17. c.10.n.12.& 13.

R.

Reformata disciplina. Conceditur à Pontificibus libera facultas Patribus Concilij ad reformandam disciplinam. l.20. c.5. n.5. l.21.c.6. n.1.5.6. & 7. l.22 c.1.n.5.12.& 13
Scripta inter Cæsarem, Philippum Regem, & Pontificem de hac re. l.20. c.8.n.3. & 4.c.10.n.7.15.16.
Reginaldus Ferrerius, Orator Regis Galliæ in vltima conuocatione, postulat moram ad Præsules Galliæ præstolandos. l. 18.c. 16.n.10.& 19. *Orationem habet.* l.19.c.3.n.6.& 7. *Respondet contestationi Oratoris Hispani de loci controuersia.* l.21. c.1. n.2. *Init amicitiam cum Sebastiano Gualterio, Episcopo Viterbiensi, eiq; arcana communicat.* l. 19. c.10. n.1. *dat Concilio Regias litteras, quibus addit suum acrem sermonem.* l. 20. c.2. n.3. & 4. *Secretos tractatus inducit cum Pontifice de Synodi præcisione, eiusque sensus Apostolicæ Sedi fauentes.* l. 20. c. 12. n. 12. *Ægrè fert quòd nouæ morum emendationes proponantur.* lib. 22. cap. 2. n. 1. 2. & 3. *Contestationem acerbissimam habet in cœtu generali, & ad illam responsio, & variæ conditiones notabiles huius rei.* l.23.c.1. n. 3. vsque ad 15. & n. 22. & 23. *Se coniungit cum Oratore Hispano in particulam,* proponentibus Legatis. l.23.c.2.n.5.& 7. *Se confert Venetias.* l.23. c.4. n. 10. *Aduersatur Decretis duarum postremarum Sessionum, & vniuersæ Concilio ne in Gallia admittatur.* l.24.c.10.n.1.& 2
Regulares. Varia Decreta confecta ad eos reformandos. l. 17. c. 10. n.15. l. 24. c. 3. n.7. c. 5. n. 6. & seq. & c.6. per totum. *Quæ obiecit Suauis in facultatem concessam mendicantibus possidendi bona stabilia.* l.24. c.10.n.10.vsque ad 14.
Relaxationes legum extra Romanam Curiam, commissæ Ordinariorũ cognitioni. l.18.c.6.n.8. *Obiecta in hoc à Suaui.* l.18.c.10.n.11. *Quorumdam Patrum sententiæ contra relaxationes.* l.21. c.6.n.9. *Sermo oppositus Lainij.* ibid. n. 9. *Varia à Suaui falsò dicta, ac præsertim quòd facultas relaxandi conueniat doctioribus.* ibid.n.16.17.& 18. *De iis Concilij decretum.* l.24.c.7.decr.18.
Reliquias Sanctorum esse venerandas definit Concilium. l. 24. c. 5. n. 4. decr.3.
Renatus Biragus, missus à Carolo IX. ad Cæsarem, sui Regis litteras Synodo tradit, & sermonem habet, excusans recentem cum hugonottis pacem. l. 21. c. 3. n. 1. & 5. *Redditur responsum postquam abiit.* ibid. n.6. & seq. & c. 7. n. 1. *Agit Oeniponti cum Cæsare de translatione Concilij in aliquam Germaniæ vrbem.* cap.7. n.2.
Reseruata mente Ecclesiastica beneficia, redduntur irrita à Tridentino. l.23.c.12.n.3.decr.19.

Resigna-

Historiae Concilij Trid. Pars III. Sig. 7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Resignationes sacerdotiorum sæpè vtiles sunt. l. 23. c. 12. n. 2.

S.

Sacerdotes instituti à Christo in Cœna, & controuersia de hoc. l. 18. c. 5. n. 5. 7. & 8. & c. 8. n. 10. 11. & 12. l. 21 c. 12. n. 8. decr. 13. & 14. *Bauari Oratores postulant in Concilio matrimonia sacerdotum.* l. 17. Vide Matrimonia sacerdotum.

Sacerdotia curam animarum habentia. Controuersia inter Patres pro illorum collatione : & tria in hoc à Pio oblata. l. 22. c. 1. n. 18. & c. 2. n. 6 *Varia sententiæ in generalibus Cœtibus : & animaduersiones in hoc quas narrat Suauis.* l. 23. c. 3. n. 8. 9. 10. 11. & 24. *Eiusdem calumniæ de Decreto in hoc argumento firmato.* l. 23. c. 12. n. 1. & 2. *Sancita à Concilio vt sustineantur sacerdotia curata.* l. 24. c. 7. n. 1. decr. 16.

Sacerdotia Ecclesiastica. Calumniæ Suauis de eo quod exigatur solutio pecuniæ in ipsorum collatione. l. 17. c. 9. n. 7. & 8. *Transferuntur in Ecclesias primarias sacerdotia collabentia & irreparabilia.* ibid. n. 9. *Decretum expensum & firmatum de prohibitione plurium sacerdotiorum in vno capite : & malignitas Suauis.* l. 23. c. 3. n. 15. & 30. & l. 11. n. 5. & seq. *Varia Decreta de mandatis prospiciendi obligationibus, quæ sacerdotijs sunt impositæ conditionibus non licitis in eorum collatione, & regressu ablati.* l. 23. c. 11. n. 2. 3. & 4. c. 12. n. 3. & l. 24. c. 7. n. 1. decr. 5. & 7

Sacerdotia iuris patronatus. Concilium designat ea irrita facere, sed obuersatur Cæsar. l. 22. c. 5. n. 18. *Decretum de hoc firmatum; & obiecta à Suau.* l. 24. c. 7. decr. 9. & c. 10. n. 4. vsque ad 9.

Sacerdotij definitiones firmatæ. l. 21. c. 13. n. 2. *Conditiones requisitæ in ijs qui assumendi sunt ad hunc gradum : & obiecta Suauis.* ibid. n. 8. decr. 12. & c. 13. n. 10. & 11.

Sacerdotiorum emendatio. l. 18. c. 6. n. 6 & 7. l. 23. c. 11. decr. 12. l. 24. c. 10. n. 1. decr. 8.

Sacramenta. Decretum Concilij de ipsorum administratione. l. 23. c. 11. n. 1. decr. 7.

Sacrificium Missæ. Articuli expositi à minoribus Theologis super hoc argumento : & variæ Patrum sententiæ de præmittenda doctrinæ explicatione. l. 17. c. 13. n. 8. l. 18. c. 1. n. 1. vsque ad 10. *Quæstio an Christus in Cœna seipsum sacrificauerit pro nobis : & quo pacto terminata.* l. 18. c. 1. n. 10. 11. 12. c. 5. n. 5. 7. & 8. c. 8. n. 10. & seq. c. 9. n. 2. & 9. c. 10. n. 1. vsque ad 6. 21. c. 12. n. 2.

Sanctorum inuocatio definita in Tridentino. l. 24. c. 5. n. 4. decr. 2. & 3. *Decreta de ipsorum imaginibus.* ibid. decr. 4. 5. 6. & 7.

Scipio Lancellottus Romanus, Aduocatus Senatus in Tridentino sub Pio, mittitur à Legatis Augustam, sollicitaturus aduentum Lunensis. l. 19. c. 12. n. 7. *Conficit scriptum de facultate Procuratorum in Synodo.* l. 22. c. 1. n. 9.

Scribæ cuiusuis generis subiecti Ordinarijs in causis Ecclesiasticis. l. 18. c. 6. n. 13.

Sebastianus Gualterius Episcopus Viterbiensis mittitur Tridentum, acturus cum Lotharingo. l. 19. c. 2. n. 4. & 5. *Varia in eo sensa detegit.* l. 19. c. 4. n. 1. 2. & 3. *Eius studia vt illum reddat benevolum Pontifici.* l. 19. c. 8. n. 4. & c. 9. n. 6. & seq. *Eius diligentia ad conciliandos sibi Gallos, & felices euentus.* l. 19. c. 20. n. 1. 2. & 3.

Romam adit ob eorum postulata: & mendacia Suauis. l. 19. c. 11. n. 3. & 5 *Eius reditus & responsa.* l. 20. c. 6. n. 7. & 8. *Noua consilia ad mitigandum conciliandumque Lotharingum cum Pontifice.* ibid. n. 9. c. 7. n. 1. vsque ad 6. c. 9. n. 3. & 4. c. 10. n. 2. *Eius ægrimonia ob tenuem firmitatem Lotharingi.* l. 20. c. 12. n. 7. & seq. *Suspiciones Lotharingi de ipso.* l. 2. c. 6. n. 6. *Agit secreto cum Ferrerio & cum Pontifice de fine Concily.* l. 21. c. 5. n. 2. 3. 4. & 5. & c. 11. n. 4. *Redit Romam cum mandatis Lotharingi & Moroni.* l. 22. c. 2. n. 5. & 6.

Sebastianus Leccauela Archiepiscopus Naxiensis, accipit Episcopatum Literatensem ob mortem Pantusæ. l. 18. c. 14. n. 3.

Sebastianus Rex Lusitaniæ agit cum Pontifice pro subsecuta confirmatione Concily, plenamque illius obseruantiam præcipit in suis cunctis ditionibus. l. 24. c. 9. n. 15.

Sebastianus Vantius, Ariminensis, disserit doctè de institutione Episcoporum. l. 18. c. 14. n. 9. *Emendationem promouet per occasionem cuiusdam dicti.* l. 21. c. 8. n. 1. *Diutissimè disserit contra Decretum de matrimonijs clandestinis & filiorum familias.* l. 22. c. 4. n. 19. 20. 21. & 22. *Respondet Episcopo Guadicensi, qui inuehebat in Magistratus Romæ.* l. 23. c. 3. n. 28.

Sedes Apostolica quid significet. l. 21. c. 4. n. 12. & 13. *Eius auctoritas illæsa seruatur in fine Concily & alibi, post varias inter Patres disputationes.* l. 23. c. 3. n. 14. 30. c. 7. n. 10. 13. c. 8. n. 4. l. 24. c. 7. n. 1. decr. 21. n. 2.

Seminaria instituuntur ex Decreto Concily sub Pio. l. 21. c. 8. n. 3. c. 12. n. 8. decr. 16. l. 22. c. 1. n. 12. *Seminarium Romanum fundatur.* l. 22. c. 1. n. 14 l. 24. c. 9. n. 6.

Sessio. Vide *Concilium.*

Sigismundus Augustus Poloniæ Rex, mittit suum Oratorem Tridentum, & litteræ ad eum à Legatis scriptæ. l. 18. c. 14. n. 2 *Excipit Concilium in Conuentu Generali.* l. 24. c. 13. n. 1. 2. & 3.

Sigismundus Tonus Dynasta Tridentinus, & Orator Cæsaris in postrema conuocatione Synodi, illi subscribit in fine. l. 24 c 8. n. 15.

Societas Iesv. *Mendacia Suauis de exceptione ipsius institutionis in Decretis de Regularibus.* l. 24. c. 6. n. 3. 4. 5. & 6. *Laudes de ea dicta ab Oratoribus Principum, & Nuntijs Pontificijs.* ibid. n. 6 & l. 20. c. 4. n. 3. & c. 11. n. 5. *Studia Pij IV. & Borromæi Cardinalis ad eam promouendam, & præcipuè in Gallia.* l. 24. c. 6. n. 6. & 7. *Venetias redit operâ Alexandri VII.* l. 20. c. 12. n. 7.

Stanislaus Osius Cardinalis Polonus, & Præses Synodi, litteras Cæsaris accipit; & inter eos amicitia. l. 17. c. 5. n. 2. *Cura illi demandatur formandi Decreta doctrinæ de sumptione Eucharistiæ.* l. 17. c. 7. n. 1. *Contendit cum Alifano de institutione Episcoporum.* l. 19. c. 5. n. 11. *Veniam abeundi petit ob res Poloniæ, sed eam non obtinet.* l. 20 c 6. n. 6. *Acriter impugnat Decretum de matrimonijs clandestinis: mittit sententiam suam scripto ob morbum: falsa in hoc à Suaui dicta.* l. 22. c. 9 n. 6. c. 10 n. 7. l. 23 c. 7. n. 17. & c. 9. n. 2. *Redit in Poloniam Synodo absolutâ.* l. 24 c 9. n 3. *Agit ibi cum Commendono Nuntio de suscipienda Synodo in eo Regno.* l. 24. c. 13. n. 1.

Suauis. Vide *Petrus.*

Suspensio. Vide *Concilium.*

T.

Theologi Concilij Tridentini. Ratio, locus ac tempus ipsis præscripta in ferenda sententia, & quo pacto hoc postremum non fuerit obseruatum sub Pio. l. 17. c. 13. n. 9. & 10. l. 18. c. 12. n. 2. *Lis inter eos de ordine loquendo per nationes.* l. 20. c. 1. n. 4.

Theologi Galli & Louanienses, in vltima Synodi conuocatione. l. 21. c. 7. n. 4.

Thomas Caselius Dominicanus, Episcopus Bertinorensis, obstrepit in Synodo sub Pio, Hispanorum causâ. l. 19. c. 5. n. 5. & 9. c. 7. n. 1.

Thomas Stella Dominicanus, Episcopus Salpensis, postea Lauellensis, & inde Iustinopolitanus, opponit aliqua Canonibus de Eucharistia sub Pio. l. 17. c. 11. n. 5. & 21. *Aculei ipsius in Lotharingum in publico sermone de mansione.* l. 19. c. 9. n. 7.

Titulus Concilij Tridentini, Vniuersalem Ecclesiam repræsentans, *iterum vocatur in controuersiam ab Hispanis sub Pio.* l. 21. c. 12 n. 4.

Translatio. Vide *Concilium.*

V.

Vcangius Archiepiscopus Gesnensis studet moras interponere, ne accipiatur Tridentinum in Polonia, sed frustrà. l. 24 c. 13. n. 1. & 3.

Veneti fauent in Synodo Sedi Apostolicæ. l. 19. c. 1. n. 12. *Eorum studium & sollicitudo ad celerem conclusionem.* l. 23. c. 7. n. 1. *Ipsis grati animi significationem exhibet Pontifex, quòd statim Synodi Decreta exceperint.* l. 24. c. 11. n. 1.

Vgo Boncompagnus Bononiensis suscipit cum aliis negotium reformandæ disciplinæ sub Pio. l. 18. c. 11. n. 15. *Recusat responsum parare contestationi paratæ Gallorum in longo cum Hispano Oratore certamine.* l. 21. c. 9. n. 1. *Est auctor Pontifici vt Synodum confirmet.* l. 24. c. 9. n. 4.

Vgonotti. Pax cum ipsis à Carolo IX. Rege Galliæ sancita est, & hinc Religionis detrimenta. l. 20. c. 10. n. 1.

Vincentius Iustinianus Magister Generalis Prædicatorum, ardenter defendit libertatem Regularium in concionando. l. 23. c. 3. n. 29. *à Pio Quinto donatur Purpurâ.* l. 24. c. 13 n. 4.

Visitatores. Decretum de ipsis in Tridentino. l. 23. c. 10. n. 7. decr. 7.

Vltimæ voluntates. Vide *Mutatio.*

Vrbanus de Robore Episcopus Senogallienſis, mittitur obuiam Lotharingo à Tridentinis Legatis. l. 18. c. 17. n. 11.

Z.

Zacharias Delfinus, nobilis Venetus, Episcopus Lesinensis, Pij Nuntius apud Cæsarem, postulat à Ferdinando vt defendat auctoritatem Pontificiam apud Patres Tridentinos. l. 21. c. 11. n. 1. *Tractat de confirmatione Maximiliani in Regem Romanorum cum Pio IV.* l. 22. c. 6. & seq. *Dat consilium Morono vt Synodum absoluat etiam repugnantibus Hispanis.* l. 23. c. 4. n. 4.

Zamorra. Vide *Franciscus.*

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiae
Concilij Trid.
Pars III.
Societati Jesu Paderborna 1671

Historiae
Concilij Trid.
Pars III.

Historiæ
Concilij Trid.
Pars III.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

III

Th
4965

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN